BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
LVIII
D
33
NAPOLI

Digitized by Google

ORIGINES
ET
ANTIQUITATES CHRISTIANÆ

NAPOLI

FR. THOMÆ MARIÆ
MAMACHII
ORD. PRÆD. THEOLOGI CASANATENSIS

ORIGINUM
ET
ANTIQUITATUM
CHRISTIANARUM
LIBRI XX.
TOMUS QUARTUS.

ROMÆ MDCCLII.

IN TYPOGRAPHIO PALLADIS
EXCUDEBANT NICOLAUS, ET MARCUS PALEARINI
SUPERIORUM FACULTATE.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

ADMODUM REVERENDO PATRI MAGISTRO

F. JOSEPHO MUÑOSIO

EXPROVINCIALI TERRÆ SANCTÆ,
ET PRÆFECTO
COENOBIO PRÆDICATORUM
CÆSARAUGUSTANO.

F. Thomas Maria Mamachius
S. D.

QUUM & candore animi Tui devinxiſſes me Tibi, & ſingulari Tua in me voluntate veniſſem in familiaritatem, amicitiamque Tuam; ſæpe ac multum mecum cogitavi, quid mihi eſſet agendum, ut omnes non ſolum quam amiciſſimus

mus Tibi; ſed etiam erga Te quam gratiſſimus eſſem, cognoſcerent. At me coram Tecum his de rebus agere conantem deterruit pudor quidam, propterea quod vererer, ne ſi dicendo oſtendiſſem, quanti Te penderem, plus a me dici, quam Tibi debeatur, putares; ſin autem minus, quam par eſſet, dixiſſem, qui Te noſſent, quidquam Tibi mea oratione detractum eſſe, arbitrarentur. Itaque differendum exiſtimavi, quoad nactus opportunum tempus fuiſſem, quo & officio, ſine offenſione modeſtiæ Tuæ, & iis, qui Tui memoriam ſumma cum benevolentia tenerent, cumulate, ac libere ſatisfacerem. Cumque rem Cœnobio Tuo Cæſarauguſtano utilem facturus, in patriam profectus eſſes, mihique jam, ne cogitanti quidem, poteſtatem agendi, quod tamdiu optaram feciſſes, ut de Te quæ vellem, quæque ſentirem aperte, audacterque non dicerem modo, ſed etiam ſcriberem, ſtatui volumen hoc quartum Originum, & Antiquitatum Chriſtianarum Tibi & amico, quæ Tua eſt humanitas, & patrono de me optime

me merito dedicare, declarareque hac una ſignificatione voluntatis, & obſervantiæ in Te meæ, Tibi ipſi quantum & debeam, & eſſe tribuendum putem. Nam cum ſplendido, excellentique ingenio valeres, eamque ob rem a Reverendiſſimo P. F. Thoma Ripollio Magiſtro Ordinis Romam accitus, præfectuſque noſtrorum juvenum ſtudiis fuiſſes, poſtque Cathedram Caſanatenſem rexiſſes, conſequutuſque poſtremo & ab optimo ſene, & ab ejus ſucceſſore Reverendiſſimo P. F. Antonino Bremondio Magiſtro Ordinis fuiſſes, ut & Præfectus Provinciæ Terræ Sanctæ, & ſocius pro Hiſpaniæ Provinciis renunciarere, tantum abfuit, ut ampliſſimorum munerum acceſſione Tuum erga me ſtudium minui, ut potius majorem in modum augeri, & creſcere videretur. Quinetiam cum privata commoda Tua publicæ utilitati incredibili animi magnitudine poſtpoſuiſſes, ægreque ferentibus non Magiſtro Ordinis modo; ſed etiam Cardinalibus, viriſque Principibus, quibus eras maxime acceptus, Cæſarauguſtam

re-

revertiſſes; etſi disjunctus abs Te tam magnis intervallis locorum eram, tamen ſic mecum egiſti, ut plane perſpicerem, vix eſſe quemquam ſtudioſiorem, atque amantiorem mei. Quæ cum ita ſint, feres, opinor, ut, quamquam nulla re aſſequi magnitudinem Tuorum erga me meritorum poſſum, faciam tamen, quod poſſum, oremque Te etiam, atque etiam, ut hoc qualecumque opus Tuo nomini inſcriptum publicetur. Quod ſi hoc genus ſive doni, ſive indicii grati animi, & obſervantiæ erga Te meæ eo animo exceptum abs Te eſſe, quo Tibi eſt oblatum, cognovero, arbitrabor & laborum fructum tuliſſe me, & nomen Tuum, quod liber præfert, mihi, libroque ipſi decori, atque ornamento futurum. Vale.

PRÆ-

PRÆFATIO

QUONIAM liber erat quartus, ita ut initio promiſeramus, de ratione, ac forma Chriſtianæ civitatis, reipublicæque futurus; ne qua in proponendis, expediendiſque variorum generum quæſtionibus perturbatio oriretur, dividendus is quidem fuit in partes quinque, quarum prior de perſonis, dignitatibuſque ſacris, ceteræ autem de rebus eſſent, quas breviter in exordio libri deſcripſimus. Sed quum de Dignitatibus, quibus poteſtas omnis continetur Eccleſiaſticorum, ſumma Noſtrorum hominum, Proteſtantiumque diſſenſione certaretur, oſtendendumque propterea eſſet, quibus monumentis & Orthodoxorum ſententia niteretur, & Lutheranorum, Calvinianorum, aliorumque hujuſce temporis hæreticorum labefactaretur error; eo tandem narrando, diſputandoque progreſſi ſumus, ut in evolvendis, illuſtrandiſque iis, quæ ad priorem pertinerent partem, totum hoc volumen impendere cogeremur. Nam ut diſtincte, diſtributeque agere, explicareque notionem, primordia, veterem ſtatum, ac formam Eccleſiaſticæ Hierarchiæ poſſemus [id enim nobis erat in hoc quarto perſcribendo libro propoſitum] initium a Perſonis, Dignitatibuſque ſacris ducendum, conſtituendumque imprimis fuit, qui, quotque ordines Chriſtianorum eſſent, quibuſque nominibus appellari ſolerent, ut qui praeeſſe, quique dicto audientes eſſe deberent, cognoſceretur. Cum enim varii gradus ſint in Eccleſia, variæque claſſes miniſtrorum, quorum alii pri-

mas teneant partes, alii ſubſint, ac pareant; cumque in diverſis gradibus diverſæ inſint & poteſtates, & dignitates, niſi his explicatis, informari Hierarchiæ notio non poteſt. Itaque primum hujuſce Partis caput de variis gradibus, ſeu Ordinibus Chriſtianorum inſcripſimus; & qui gradus Hegumenorum, hoc eſt Ducum, Fidelium, atque Catechumenorum eſſent; quinam Fidelium Laici, Plebei, Populus, Seculares, Mundani, Idiotæ, κοινολαῖται, Illuminati, Initiati, Benedicti, Perfecti, Fide conſtituti, Regenerati, Neophyti vocarentur; quæque fuerit origo nominum Clericorum, ac Laicorum, oſtendimus. Cumque poteſtas ſit Laicorum a poteſtate Cleri, ſeu Eccleſiaſtica diſcrepans, ſequutum eſt caput alterum de Laica, & Eccleſiaſtica poteſtate. Quo in genere quæſtionis ita ſumus verſati, ut cum paucis primum, quid hiſce nominibus ſignificetur, expoſuiſſemus; tum de laica poteſtate dicere aggreſſi, inquireremus, fas ne eſſet Chriſtiano viro, principatu in civitate potiri, remque illius civilem gerere; propterea quod eſſe nonnullos, eoſque jam a noſtris ſacris, inſtitutiſque alienos intelligeremus, qui neſcio quibus Evangeliorum locis, quæ peſſime interpretarentur, inducti, non modo majorum ſententias non probarent, ſed ne Scripturarum quidem auctoritatem morarentur, dicerentque a noſtris hominibus adminiſtrari non poſſe Rempublicam. His autem confutatis, ubi licere Chriſtiano viro magiſtratum, principatumque tenere diximus, ingreſſi in eam diſputationem ſumus, quæ eſt de imperii, poteſtatiſque civilis origine. Qua quidem origine conſtituta, indicatiſque rebus, in quibus illa ipſa poteſtas verſatur, paravimus nobis ad eos ſcriptores hæreticos hujuſce temporis refellendos viam, qui jus ſummum in Chriſtianorum ſacra Principibus civitatum a Majoribus noſtris attributum, conceſſumque fuiſſe arbitrarentur. Id vero ut recte, atque ordine faceremus, primum quæ communia noſtrum, atque adverſariorum decreta eſſent, ut jus non eſſe Principi contra religionem, & præcepta Dei quidquam decernere; ut nefas Principi eidem eſſe immutare, atque pervertere, quod jure divino introductum ſit, ſpectetque ad functiones ſacrorum miniſtrorum, ad myſteria, divinæque doctrinæ promulgationem; ut in rebus, quæ civiles omnino ſint, Eccleſiaſticum hortanti, ſeu imperanti Principi aſſentiri, at-

que

que parere oportere; *modo lex civilis cum* Eccleſiaſtica *non pugnet lege*, *breviter perſecuti ſumus*; *tum id quod Proteſtantes maximo numero inficiarentur*, *poteſtatem* Eccleſiaſticam *non eſſe civili* ſubjectam, *ſive*, *ut vocant*, ſubordinatam *argumentando concluſimus*. *Quod ſi aut numquam*, *aut ſi quandoque*, *breviter quidem certe de iis generibus controverſiarum*, *quæ inter Catholicos agitarentur*, *ſcribere inſtitueramus*, *tamen quod affinis ſuperiori quæſtio eſſet de jure Pontificis Maximi in* temporalia, *ut ajunt*, *Chriſtianorum Regum*, *quo in genere magna eſt inter Gallos*, *ceteroſque Orthodoxos viros fere omnes diſſenſio*, *propoſita ſcilicet a nobis compendio utriuſque partis argumenta fuerunt*, *more*, *atque inſtituto Hiſtoricorum*, *ut per ſe quiſque perſpiceret*, *utra propenſior videretur ad veritatem ſententia*. *Cum enim demonſtratum ſupra eſſet*, *quid ſumma poteſtas* civilis *in* Eccleſiaſticam, *inque* ſacra *Chriſtianorum non poſſet*; *tum illud mox eſſe inveſtigandum arbitrabamur*, *quidquam ne contra* Eccleſiaſtica *poteſtas in* civilem *poſſet*. *Ac ſi paullo fuſior viſa cuiquam hæc eadem eſt diſputatio*, *non eſt id nobis vitio dandum*, *qui & amicis obſequi optabamus*, *& tempori*, *ſed gravitati copiæque rerum*, *quæ ſane res*, *niſi accurate*, *atque adeo fuſius aliquanto deſcriptæ fuiſſent*, *intelligi quidem vix*, *comprehendi autem nullo modo penitus potuiſſent*. *Jam in* civilis, *ſeu* laicæ *poteſtatis primordiis*, *ac veluti finibus demonſtrandis*, *quoniam de* Eccleſiaſtica *ſermo inciderat*, *veniundum quoque ad hujus &* neceſſitatem, *&* originem *ſtatuendam fuit*. *Cumque certum ſit*: *non populo*, *ſed iis fuiſſe hujuſmodi poteſtatem datam*, *qui in Eccleſia cum dignitate verſantur*, *ut ne ab inſtituta ratione deflecteremus*, *agendum deinceps nobis eſſe tertio capite de forma Chriſtianæ reipublicæ adminiſtrandæ*, *gubernandæque putavimus*; *quod cognito gubernantium*, *& eorum qui gubernarentur jure*, *perſpici facile poſſe judicaremus*, *quid Hierarchia ſit*, *quæque ſint claſſes*, *ſeu ordines in Eccleſia Perſonarum*, *ac Dignitatum*. *Quare ubi diſputatum de Hierarchia eſt*, *inquirendum continuo fuit*, *quid ea ſit*, *quæ poteſtates*, *quoſque ordines complectatur*. *Hierarchicis autem ordinibus capite quarto numeratis*, *quorum eſt prior Epiſcoporum*, *alter Presbyterorum*, *tertius miniſtrorum*; *miſſiſque Presbyteris*, *atque Diaconis*, *de quibus eſt*

 ſtrictim

ſtrictim in ſecunda hujus parte, in eo vero libro, qui inſcribetur de ordine, *multis, ut confidimus, diſſerendum; paragraphi ſunt ſequuti de Epiſcoporum, propterea quod primas partes obtineant, nominibus, divina inſtitutione, præſtantia, honoribus, ac prærogativis, quibus ſit ut ipſorum alii aliis ſint* juriſdictione, *ut vocant, ſuperiores; quibus in rebus deſcribendis, confirmandiſque operam & diligentem conſumſimus, & quod perfacile quiſque cognoſcere poterit, diuturnam. Rectene vero, an contra, aliorum eſto judicium. Nos quidem conati ſumus, res omnis ut recte procederet, eſſetque Lectoribus noſtro labore, atque induſtria cumulatiſſime ſatisfactum. Non dubito autem futuros aliquos, qui cum a nobis in Præfationibus librorum ſuperiorum numeratos fuiſſe ſcriptores cernant, qui nobis præmonſtraſſent ad res, quæ libris iiſdem continentur, pertractandas viam, recenſeri nunc etiam eos, qui de Perſonis, Dignitatibuſque ſacris egerunt, velint. Sed hi ſi conſiderent, & maximo eoſdem ſcriptores numero eſſe, ut paucis verſibus comprehendi nequeant, & nominatos in adnotationibus, cum tempus moneret, fuiſſe, non admirabuntur, prætermiſſam ipſorum hoc loco eſſe memoriam. Si quis autem roget, quid ſit, quod cum aliqui nos per ſummam injuriam inſectentur, ac lacerent, tum eos ſinamus impune ferre, is ſic habeat: Neque aſſumſiſſe nos in libris noſtris, neque hodie quidquam aſſumere, quod malevoliſſimum quemquam offendere poſſe videatur. Hoc tantum eniti nos, atque contendere, ut neque noſtris hominibus, neque iis, qui ſint alieniores ab Orthodoxa religione deſimus. Quod ſi hoc noſtrum inſtitutum offendit eos fortaſſe, qui probare, niſi quod ab ſuis publicatur, nolunt; ſperare quidem nos, futurum tandem aliquando tempus, quo & benevolos objurgatores, qui nos reprehenderent, propterea quod taceremus, placare, & invidos vituperatores confutare poſſimus. Nam qui admonent, amice docendi ſunt; qui inimice inſectantur, ut laceſſere deſinant, repellendi.*

INDEX

INDEX

CAPITUM, ET PARAGRAPHORUM.

LIBER QUARTUS

De Primordiis, & vetere ſtatu, ac ratione Hierarchiæ Eccleſiaſticæ.

LIBRI IV. PARS PRIMA

DE Perſonis, dignitatibuſque Sacris. *Pag.* 2

CAPUT PRIMUM.

De variis claſſibus, ſeu ordinibus Chriſtianorum. 2. ʃ. I. *De tribus ordinibus Hegumenorum. Fidelium, & Catechumenorum.* ibid. ʃ. II. *Etſi univerſe, qui Chriſto aſſentiebantur, omnes, proprie tamen ii, qui baptiſmum ſuſceperant, imprimiſque laici* fideles *appellabantur: iidemque ipſi comparate ad Eccleſiaſticos laici dicebantur* plebei, & populus. 4. ʃ. III. *Laici quandoque dicti βιωτικοὶ, & κοσμικοὶ ſeculares, vel mundani & ἰδιῶται idiotæ, quaſi privati, & κοινολαῖται, quaſi e vulgo, communique populo.* 6. ʃ. IV. *Baptizati præterea cum ad Catechumenos referrentur, appellati ſæpe illuminati, & initiati, & benedicti, & nati a Deo, & perfecti, & cari Dei, & filii Dei, & Fratres, & Sancti, & Servi Dei fuerunt.* 7. ʃ. V. *Et Fide conſtituti, & regenerati, & renati, & ſi recens baptizati erant, neophyti, hoc eſt nuper plantati.* 12. ʃ. VI. *De origine nominum Clericorum, & Laicorum.* 15.

CAPUT II.

De Poteſtate Laica, & Eccleſiaſtica. 24. ʃ. I. *Liceat ne Chriſtiano viro principatum in ſocietate obtinere, remque illius civilem gerere. Proponuntur eorum, qui negant, variæ, interque ſe pugnantes opiniones.* 25. I. *Prior opinio, ſeu potius error refellitur.* 27. II. *Refellitur ſecundi generis adverſariorum error.* 44. III. *Eorum, quos tertio, quartoque loco memoravimus, ſententiæ refelluntur.* 50. ʃ. II. *De Origine laicæ poteſtatis.* 56. ʃ. III. *Juſne ullum Chriſtiani veteres in res ſacras Imperantibus attribuerint,*

nec ne? 68. I. *Jus non eſſe Principi contra religionem, & præcepta Dei quidquam decernere*. 71. II. *Nefas item eſſe Principi immutare id, quod jure divino introductum eſt, ſpectans ad functiones ſacrorum miniſtrorum, ſacramenta, divinæque doctrinæ enunciationem*. 75. III. *In rebus quæ civiles omnino ſint, Eccleſiaſticum hortanti Principi aſſentiri oportere, modo lex civilis cum Eccleſiaſtica non pugnet*. ibid. IV. *Proponuntur eorum argumenta, qui poteſtatem Eccleſiaſticam civili eſſe ſubjectam cenſent, eorumque reſponſa, qui contra ſentiunt*. 79. V. *Jus in res ſacras non competit laicæ, quæcumque tandem ſit, poteſtati*. 156. VI. *Quemadmodum ſcriptores permulti ex iis, quæ diſputata ſunt, concludant, Eccleſiaſticos legibus principum non teneri, quæ cum ſacris canonibus pugnent; niſi canones ſint ob utilitatem præſentem Chriſtianæ Reipublicæ auctoritate Sacrorum Præſulum revocati*. 157. §. IV. Jus ne ullum in temporalia Regum obtinere Pontifices Maximos majores noſtri putarint, nec ne? 158. I. *Proponitur Gallorum, qui negant, ſententia*. ibid. II. *Exponitur Johan. Pariſienſis ſententia*. 173. III. *Fuerunt aliqui ita animis comparati, ut reges vicarios, in temporalibus etiam, Pontificis eſſe dicerent, quorum eſt falſa ſententia*. 174. IV. *Quæ ſit, quibuſque rationum momentis confirmetur maximæ partis Catholicorum ſententia*. 181. V. *Reſiſtere ne Pontifici Maximo principes Laici aliquando poſſint?* 258. §. V. De Eccleſiaſtica poteſtate. 259. I. *Neceſſe ne fuerit viros inſtitui, qui poteſtatem in Eccleſia obtinerent?* ibid. II. *Poteſtatem Præſulum Eccleſiæ ex Deo in eoſdem Præſules permanaſſe oſtenditur*. 161.

CAPUT III.

De forma, & ratione gubernandæ Eccleſiæ. 270. §. I. *Ullam ne certam formam communitatis, hoc eſt Eccleſiæ Chriſtus præſcripſerit?* 271. §. II. *Cujuſmodi ea ſit Chriſtianæ reipublicæ, quam Chriſtus inſtituit, ratio, & forma*. 274. §. III. *Liceat ne hanc rationem Chriſtianæ reipublicæ Hierarchiam Eccleſiaſticam dicere?* ibid. §. IV. *Quid ſit, quam poteſtatem, quoſque ordines ſignificet Hierarchia Eccleſiaſtica?* 278. §. V. *Datam divinitus eſſe Eccleſiæ adminiſtris poteſtatem gubernandorum ſacrorum, oſtenditur*. 280 §. VI. *Nulla eſt cauſſa, quare de fine, & inſtrumentis, atque præſidiis Hierarchiæ quiſquam dubitet*. 281. §. VII. *In Epiſcopo*,

ſcopo, Presbytero, & Diacono diverſæ ſunt poteſtates, ac jura obeundarum ſacrarum functionum. Epiſcopus jure divino ſuperior Presbyteris, ceteriſque eſt in Eccleſia. 282. §. VIII. *Diverſos eſſe gradus hominum in Eccleſia, alios, qui purgandi, illuminandi, & perficiendi poteſtatem habeant; alios, qui purgentur, illuminentur, & perficiantur, conſtat*. 283.

CAPUT IV.

De Ordinibus Hierarchicis, imprimiſque de ordine Epiſcoporum. *ibid.* §. I. *De nominibus, variiſque honorum titulis, quibus olim Epiſcopi ornabantur*. 284. I. *Omnes Epiſcopi, ut eſt aliquibus viſum, interdum appellati Apoſtoli*. ibid. II. *Epiſcopi appellati ſucceſſores, & filii Apoſtolorum*. 286. III. *Sedis Apoſtolicæ nomine Romana præcipue ſedes, tum eæ, quas fuiſſe ab Apoſtolis inſtitutas conſtabat, poſtremo quæque interdum cujuſlibet Epiſcopi ſedes vocata*. ibid. IV. *Epiſcopi vocati viri Apoſtolici, iique præſertim, qui proxime Apoſtolis ſucceſſerunt*. 289. V. *Appellari quoque Eccleſiarum antiſtites Hierarchæ, hoc eſt ſacri, vel ſacrorum Principes conſueverant*. 290. VI. *Et Principes, ſine adjuncto, & Principes populi, & Principes Eccleſiæ. Quare Epiſcopatus etiam dictus Principatus, & Principatus Eccleſiæ fuit*. 291. VII. *Rurſum Epiſcopi dicti* προεστῶτες *Præfecti*, προστάται *Præpoſiti*, πρόεδροι *Præſidentes*, ἔφοροι *Inſpectores*, & ἡγούμενοι *Duces*. 292. VIII. *Et Antiſtites, & Principes Sacerdotum, & ſummi Sacerdotes, Pontifices, &, ut aliqui putant, Pontifices Maximi*. 294. IX. *Epiſcopus quiſque appellatus olim Papa, & Pater*. 297. X. *Et Pater Patrum*. 299. XI. *Et Judices. Epiſcopatus Dignitas Sacerdotium interdum a Majoribus appellabatur*. 300. XII. *Epiſcopi appellati Reverendiſſimi, Sanctiſſimi, Beatiſſimi; & cum ad eos ſcriberetur, tituli eiſdem Sanctitatis, & Beatitudinis, & Venerabilitatis, tributi ſunt*. 301. XIII. *Dicti quoque Epiſcopi Honorabiles, &* θεοφιλέστατοι *Deo amabiliſſimi, &* εὐλαβέστατοι *devotiſſimi, &* θεοσεβέστατοι *Religioſiſſimi, &* εὐσεβέστατοι *piiſſimi fuerunt*. 302. XIV. *Et minus proprie interdum Patriarchæ*. 303. XV. *Et Vicarii Chriſti*. 304. XVI. *Et Angeli Eccleſiæ*. 305. XVII. *Paſtores item ſunt Epiſcopi appellati, & Præſules. Quid ſignificet Epiſcopi nomen, & quamobrem hoc potiſſimum hæſerit Antiſtitibus Eccleſiarum*. 306. XVIII. *Epiſco-*

pi

pi cum alios Epiſcopos alloquerentur, ad eoſve ſcriberent, Coepiſcopos, Collegas, fratres, comminiſtros, conſacerdotes vocabant. 309. §. II. *De Dignitate, & præſtantia Epiſcoporum*. 311. I. *A Chriſto ne, an ab Apoſtolis inſtitutus fuerit in Eccleſia gradus Epiſcoporum?* 313. *CHRISTI inſtitutione Epiſcoporum gradum fuiſſe in Eccleſiam invectum oſtenditur*. 316. *Refelluntur Salmaſii, Buddei, & Walchii argumenta*. 331. II. *Epiſcopi primas ſemper in Eccleſiis partes obtinuerunt; id vero cum aliis illuſtribus monumentis, tum catalogis, quos veteres ediderunt, conſtat*. 517. §. III. *De officiis muneribuſque Epiſcoporum, ut ſunt Presbyteris ſuperiores*. 527. I. *Nihil a Presbyteris, inferiorumque Ordinum Clericis in ſuo munere fungendo, ſine voluntate Epiſcopi, fiebat; ab Epiſcopo autem, quin Presbyteris obnoxius eſſet, quæ ad ſe pertinebant, gerebantur*. 529. II. *Etſi baptizandi, conſecrandi Euchariſtiam, eamque diſtribuendi Presbyteri poteſtate valebant, id tamen, voluntate Epiſcopi, munus obire in Eccleſia conſueverant*. 530. III. *Docendi, concioneſque ad Populum habendi munere nullus Presbyter, niſi Epiſcopi voluntate, fungebatur*. ibid. IV. *Secundi generis functiones, hæ ſunt, quas ſibi Epiſcopi reſervatas volebant. Virginum conſecratio, Baſilicarum, & Altarium, & Campanarum benedictio, ac dedicatio; receptio Hæreticorum ad Eccleſiam redeuntium: lapſorum, qui pœnitentiam egiſſent, reconciliatio, & conceſſio formatarum Epiſtolarum*. 533. V. *In fronte baptizatorum ſignare, Spiritumque Sanctum tradere Presbyteri, niſi concedente, ſeu committente Pontifice, non poſſunt; ſi autem ſignent, non admittente Pontifice, eorum eſt actio inanis*. 536. VI. *Poteſtas ordinandi ſolis Epiſcopis divinitus tradita, in Presbyteros voluntate cujuſquam transferri nullo modo poteſt. Itaque ſi qui umquam a Presbyteris ordinati Diaconi, Presbyterive ſunt, horum eſt ab omnibus rejecta, inaniſque habita ordinatio*. 537. VII. *Presbyteri Epiſcopis ſuis rationem reddere debebant; Epiſcopi autem Presbyteris, non item*. ibid. VIII. *Ad Epiſcopos quoque ſpectabat jejunia quædam indicere, ut ex uſu Eccleſiæ eſſe cognoſſent; diſpenſareque reditus Eccleſiarum, ſeu curare, ut rite, utiliterque & adminiſtrarentur, & diſpenſarentur*. 539. §. IV. *De honorum ſignificationibus, quibus Epiſcopi olim ab Chriſtianis coli ſolebant*. 541. I. *De vetere conſuetudine*

tudine caput inclinandi ad recipiendam ab Epiſcopo Benedictionem. ibid. II. *Manus præterea Epiſcoporum Chriſtiani exoſculabantur*. 542. III. *Populus Epiſcopis acclamare, eiſque multos annos apprecari, & non ſolum verſiculos pſalmorum ſæpe; ſed interdum etiam Hoſanna occinere ſolebat*. 543. IV. *Obſecrabant item veteres Chriſtiani Epiſcopos per eorum coronam, & ſacrum caput*. 544. V. *Epiſcopi Cathedras ab ceterorum Cathedris diſtinctas in templis habebant*. 545. §. V. *De Prærogativis Epiſcoporum, quibus fit, ut alii aliis juriſdictione præcellant*. 546. I. *De Primate Eccleſiæ univerſæ*. ibid. II. *De Patriarchis, qui ſint? Quo primum tempore appellari hoc nomine cœperint? quibuſque nominibus ante vocari ſolerent*. 550. III. *De Primatibus, ſeu Exarchis, Archiepiſcopiſve Diœceſeon*. 554. IV. *De Archiepiſcopis, ſeu Metropolitis*. 555. V. *De iis, qui voce, ſeu titulo, non re Metropolitarum ſortiti ſunt appellationem*. 556. VI. *De ἀυτοκεφάλοις, ſeu Archiepiſcopis nullius Patriarchæ; & Epiſcopis nullius Archiepiſcopi obnoxiis auctoritati*. 557. VII. *De Interceſſoribus, & Interventoribus in Eccleſiis Africanis*. ibid.

NOS

NOS

FR. ANTONINUS BREMOND

SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSOR,

AC TOTIUS ORD. PRÆD. HUMILIS MAGISTER GENERALIS, ET SERVUS.

HArum ſerie, noſtrique auctoritate officii facultatem, quantum in nobis eſt, concedimus tibi Ad. R. P. M. Fratri Thomæ Mariæ Mamachio Provinciæ noſtræ Romanæ Theologo Caſanatenſi, ut poſſis typis mandare Tomum IV. operis, cui titulus *Originum, & Antiquitatum Chriſtianarum libri* xx. a te compoſitum, de mandato noſtro reviſum, & approbatum a duobus Ordinis Noſtri Theologis, videlicet ab admodum Reverendo P. Magiſtro *F. Johanne Thoma de Boxodors Provinciali Terræ Sanctæ, & ſocio noſtro*, & ab Ad. R. P. M. F. *Thoma Pio Schiara Bibliothecha Caſanat. Præfecto*, ſervatis de jure ſervandis. In nom. Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. In quorum fidem &c.

Datum Romæ in Conventu S. Mariæ ſuper Minervam die 2. Junii 1752.

FR. ANTONINUS BREMOND

Magiſter Ordinis.

Regiſt. pag. 32.

Fr. Thomas Ignatius Maria Natta
Mag. & Socius.

AP-

APPROBATIONES

ET hunc quartum *Originum & Antiquitatum Chriſtianarum* tomum, quo de Chriſtianæ Reipublicæ ratione diſputatio inſtituitur, digniſſimum cenſemus, qui in lucem edatur; quod & ab omni illum abeſſe reprehenſione invenerimus, graviterque, & eleganter, perinde ac priores, a clariſſimo Auctore perſcriptum.

Dat. Romæ in Conventu S.M.S.M. die 20. Junii 1752.

Fr. Jo. Thomas de Boxadors Ord. Præd. Provincialis Terræ Sanctæ, Reverendiſs. Magiſtri Ord. Socius.

Fr. Pius Thomas Schiara Ord. Præd. Caſanatenſi Bibliothecæ Præfectus.

JUſſu Reverendiſs. P.F.Auguſtini Orſi S.P.A.M.Ord. Præd. legi volumen quartum celeberrimi operis *Originum & Antiquitatum Chriſtianarum* a cl. viro P. M. F. Thoma Maria Mamachio compoſitum, quod quum non modo nihil contineat, quod Chriſtianæ Religionis dogmatis, moribuſque repugnet, ſed omni potius eruditionis genere refertum, incredibilique dicendi vi, facilitate, atque elegantia conſcriptum ſit, cenſeo illud in commune noſtræ Religionis, totiuſque litterariæ Reip. commodum, atque utilitatem typis vulgari poſſe.

Dabam Romæ in ædibus S. Hieronymi Charitatis die 20. Junii 1752.

Joſephus Catalanus Presbyter Oratorii S. Hieronymi Charitatis.

IM-

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendiſſimo P. Magiſtro S. P. Apoſt.

F. M. de Rubeis Patriarcha Conſtantinop. Viceſg.

IMPRIMATUR

Fr. Joſeph Auguſtinus Orſi Sac. Pal. Apoſt. Magiſter Ord. Præd.

LIBER

ORIGINUM ET ANTIQUITATUM CHRISTIANARUM

LIBER IV.

DE PRIMORDIIS, ET VETERE STATU, AC RATIONE HIERARCHIÆ ECCLESIASTICÆ.

DE nominibus, de initiis, propagationeque Religionis, deque moribus veterum Chriſtianorum ſatis eſt, ut arbitror, diligenter libris ſuperioribus diſputatum. Sequitur, ut doceam quæ origo; quæque primis Eccleſiæ ſeculis Hierarchiæ noſtræ ratio fuerit, utque eà gravitate diſciplinæ, ac novorum quorumdam ordinum acceſſione amplificata ſit, eoque jam aliquando pervenerit, ut haberet omnia, nulla autem rerum earum careret, quæ ad decus, & amplitudinem ſpectare viderentur. Sed ut ordine agam, dividendus eſt liber in partes quinque, quarum ſit prior de perſonis, dignitatibuſque ſacris, altera de Epiſcopatibus ubique gentium conſtitutis,

tertia de Monachis, quarta de Synodis, quinta de vetere Chriſtianæ Reipublicæ diſciplina. Atque ut mihi parem ad haſce res omnes explicandas viam, ducam a variis ordinibus Chriſtianorum orationis exordium.

CAPUT PRIMUM.

De variis claſſibus, ſeu ordinibus Chriſtianorum.

ERgo ut in quaque hominum ſocietate, ſic in Eccleſia Catholica varii gradus, claſſeſque variæ numerabantur ſociorum. Eſt enim Eccleſia ſocietas, reſque publica hominum eamdem colentium religionem, iiſdemque ſacramentis (1) utentium. Cumque in recte adminiſtrata republica ita comparatæ res ſint, ut alii quidem imperium teneant, commodiſque proſpiciant civium, alii vero imperata faciant, quibus, niſi cives ſint, conditiones ſunt poſitæ, ut civitate donari, ſi velint, poſſint; mirabile nemini ſane videbitur, ſi duo, tres, pluresque in Eccleſiam invecti fuerint ordines Chriſtianorum.

§. I.

De tribus ordinibus Hegumenorum, Fidelium, & Catechumenorum.

QUamobrem fuerunt, qui tres eorum, qui Chriſto parebant, claſſes, graduſque numerandos putarent. Horum primum *ἡγεμένων præfectorum*, alterum *πιστῶν fidelium*, tertium *κατηχεμένων catechumenorum* vocabant (2). Sed qui ab ali-

1 De Eccleſiæ notione, atque attributis agam in eo libro, qui erit *de Catechetis, & Catechumenis*. Interea conſuluntor Bellarm. *l.* III. *de Eccl. c.* 2. *p.* 53. *t.* II. *opp. edit. nov.* Melchior Canus *locor. Theologicor. l.* IV. *c.* II. *p.* 112. *ſeqq. edit. an.* 1734. Jacobus Benignus Boſſuetius Meldenſium Epiſc. *Conference avec Monſ. Claude ſur la matiere de l' Egliſe t.* I. *opp. edit. Veneta p.* 117. *& Inſtr. Paſtor. ſur les Promeſſes de l'Egliſe &c. pag.* 1. *ſeqq. t.* V. & Renatus Maſſuetius Monachus Benedictinus Congreg. S. Mauri *Diſſert.* III. *in libros Irenæi art.* IV. *pag.* 107. *ſeqq. Tom.* II. *opp. S. Iren. edit. Veneta an.* 1734.

2 Euſebius Cæſarienſis *Demonſtrationis Evangelicæ lib.* VII. *cap.* II. *pag.* 323. *edit. an.* 1628. Τρία, inquit, καθ' ἑκάστην ἐκκλησίαν τάγματα. ἓν μὲν τὸ τῶν ἡγεμένων, δύο δὲ

aliquibus *Præfecti*, ab aliis *Clerici* (1), & *Eccleſiaſtici* (2) appellabantur. Inveniebantur præterea, qui *Clericos* in tres ordines partiri, & quinque gradus Chriſtianorum (3) deſcribere ſolerent. *Catechumeni*, quod myſteriis noſtris (4) initiati non eſſent, quamquam Chriſtiani dici (5) conſue-

A 2 rant;

δὲ τὰ τῶν ὑποβεβηκότων, τοῦ τῆς ἐκκλησίας τοῦ Χριστοῦ λαοῦ εἰς δύο τάγματα διῃρημένου, εἴς τε τὸ τῶν πιστῶν, καὶ τῶν μηδέπω τῆς διὰ λουτροῦ παλιγγενεσίας ἠξιωμένων. „ Tres in „ unaquaque Eccleſia Ordines, unus quidem præfectorum, duo autem qui ſubjecti ſunt, cum „ ſit Eccleſiæ Chriſti populus in duos Ordines diſtributus, in fidelium ordinem, & in eum, „ qui eſt nondum ad lavacrum regenerationis aſſumtorum.

1 Tertullianus *libro de Monogamia cap.* XII. *pag.* 333. *edit. Venet. an.* 1748. „ Permiſit, *inquit*, Apoſtolus iterare connubium, ut ſolos, qui ſunt in Clero, monogamiæ jugo „ adſtrinxerit: quod enim quibuſdam præſcribit, id non omnibus præſcribit „ Sed de Clericorum vocabuli vetuſtate erit paullo poſt copioſius diſſerendum.

2 Tertullianus *ibid.* „ De Eccleſiaſticis Ordinibus agebatur, quales ordinari oportetet &c. „ *Et lib. De Exhortat. Caſtitatis cap.* VII. *pag.* 522. „ Differentiam, *inquit*, „ inter Ordinem, & plebem conſtituit Eccleſiæ auctoritas, & honor per Ordinis conſeſſum „ ſanctificatus. Adeo ubi Eccleſiaſtici Ordinis non eſt conſeſſus, & offers, & tinguis, & Sacerdos es tibi ſolus. Sed ubi tres, Eccleſia eſt, licet Laici „. Hactenus ille. Hoc vero teſtimonium alio loco opportune explicabimus, ubi de Inſtitutione Divina Epiſcoporum, & Presbyterorum agemus. Interea hoc teneo, Tertullianum Eccleſiaſticorum, & Laicorum feciſſe mentionem.

3 Hieronymus *in cap.* XIX. *Iſaiæ Tom.* III. *opp. edit. Martianæi pag.* 131. Quinque Eccleſiæ Ordines *Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, Fideles, Catechumenos* numerat. Diaconorum autem nomine non *Diaconos* ſolum, ſed inferiores etiam miniſtros Eccleſiæ indicat. Sequutus autem Hieronymus Origenem fuit, qui *Homil.* V. *in Ezechielem num.* 4. *pag.* 205. *Tom.* III. *opp. edit. an.* 1743. „ Majorem, *inquit*, pœnam habet, qui Eccleſiæ præſidet, & delinquit. „ An non magis miſericordiam promeretur ad comparationem Fidelis Catechumenus? Non „ magis venia dignus eſt Laicus, ſi ad Diaconum conferatur? Rurſum comparatione Presbyteri Diaconus veniam plus meretur „. Atque exceptis Cathecumenis quatuor claſſes reliquas (accomodans Eccleſiæ novi Teſtamenti vocabula totidem graduum, quæ obtinebant *in Vetere*) longe ante recenſuit Clemens Romanus *Epiſt.* 1. *ad Corinth. num.* XL. *pag.* 28. *Tom.* I. *Collect. Epiſt. Rom. Pontif. edit. Coutantii*, ubi cum eſſet hortatus, noſtros ut ſua quiſque munera obiret. „ Τῷ γὰρ ἀρχιερεῖ ἴδιαι λειτουργίαι δεδομέναι εἰσί, καὶ τοῖς ἱερεῦσιν ἴδιος ὁ τόπος προστέτακται, καὶ λευίταις ἴδιαι διακονίαι ἐπίκεινται, ὁ λαϊκὸς ἄνθρωπος τοῖς λαϊκοῖς προστάγμασιν δέδεται. „ Summo enim Sacerdoti ſua munera tributa ſunt, & Sacerdotibus lo„ cus proprius præſtitutus eſt, levitis quoque ſua miniſteria incumbunt, homo Laicus præceptis Laicis obligatur.

4 Vide Euſebii locum ſupra deſcriptum notat. 2. *pag. ſuperiore.*

5 Concilium Eliberitanum *can.* XXXIX. *pag.* 254. *Tom.* I. *opp. edit. Harduini* de Ethnicis loquens, qui credere vellent, & eſſe in numero Catechumenorum, ſic ſtatuit. „ Gentiles ſi „ in infirmitate deſideraverint ſibi manum imponi, ſi fuerit eorum ex aliqua parte vita hone„ ſta, placuit eis manum imponi, & fieri *Chriſtianos* „. Atque hoc ſenſu intelligi Canonem oportere conſtat ex Canone VI. Concilii Arelatenſis I. celebrati an. 314. duodecimo fere anno poſt Eliberitanum (quamquam ſunt, qui hoc vetuſtius eſſe ann. 302. & qui recentius putent). Sic enim habet *pag.* 264. *ibid.* „ De his, qui in infirmitate credere volunt, placuit eis debere manum imponi „. Synodus Conſtantinopolitana I. ann. 381. habita, Chriſtianos appellat eos, qui cum ejurata hæreſi credant, nondum tamen ſunt in Catechumenis numerati. *Canone* enim VI. ut eſt in Græcis codicibus, *pag.* 814. *Tom. eodem Concil.* ſic habet: Hæreticos „ qui recte fidei adſcribi volunt, ut gentiles admittimus καὶ τὴν πρώτην ἡμέραν ποιοῦ-

μεν

rant ; tamen non filiorum , ſed quaſi ſervorum numero habebantur (1) .

§. II.

Etſi univerſe, qui Chriſto aſſentiebantur, omnes, proprie tamen ii, qui baptiſmum ſuſceperant, imprimiſque laici fideles *appellabantur : iidemque ipſi comparate ad Eccleſiaſticos laici dicebantur* plebei, *&* populus.

FIdelium nomen etſi omnibus , qui Chriſto ſe aſſentiri affirmabant , ac propterea *Catechumenis* (2) tribuebatur ; tamen eorum proprium erat , qui baptiſmum ſuſceperant . Qua de re præclara ſunt Tertulliani (3), aliorumque veterum ſcriptorum loca . Cumque baptizatorum ordines eſſent duo , alter *laicorum* , quibus eſt *fidelium* attributum nomen , alter *Eccleſiaſticorum* , commodiſſimum viſum quibuſdam eſt , *laicorum*

μεν αὐτοὺς χριστιανοὺς , τὴν δὲ δευτέραν κατηχουμένους &c. & prima dic facimus ipſos „ Chriſtianos , ſecunda autem Catechumenos .

1 Vide ſupra deſcripta Euſebii , & Hieronymi teſtimonia , ex quibus conſtat , Catechumenorum Ordinem in Eccleſia eſſe. S. Auguſt. *Tract.* XI. *in Joh. T.* III. *P.* I. *opp. edit. Pariſ. Monach. s. Mauri pag.* 376. „ Quod ſignum Crucis in fronte habent Catechumeni , *inquit* , jam „ de domo magna ſunt , ſed fiant *ex ſervis filii* ; non enim nihil ſunt , quia ad magnam do- „ mum pertinent „ . Quod ſane eo dicit , non quo Catechumenus , ſi caritate flagraret , *filius* non eſſet , ſed quo lavacrum regenerationis nondum accepiſſet , quo *filii* Eccleſiæ gignuntur . Atque hoc quidem ſenſu Baptizati a noſtris perſæpe vocabantur *fratres* , Catechumeni autem non item . Quare Juſtinus Martyr *Apologia* I. *num.* 65. *pag.* 85. *edit. Venetæ an.* 1747. „ Nos autem , *inquit* , poſtquam eum , qui fidem ſuam , & aſſenſum doctrinæ no- „ ſtræ teſtatus eſt , ſic abluimus , ἐπὶ τοὺς λεγομένους ἀδελφοὺς ἄγομεν ad eos, qui vocantur „ *fratres ducimus* , ubi illi congregati ſunt &c.

2 Tertullianus *libro de Corona cap.* 11. *pag.* 101. *edit. an.* 1748. „ Neminem dico *Fi-* „ *delium* coronam capite noſſe, alias extra tempus tentationis ejuſmodi . Omnes ita obſer- „ vant a *Catechumenis* uſque ad Confeſſores , & Martyras &c.

3 Idem ipſe Tertullianus proprie *fidelium* nomine *baptizatos* indicari ſtatuit *lib. De Præſcript. Hæreticor. cap.* XLI. *pag.* 217. Hæreticos enim redarguens „ In primis , *inquit* , „ qui *Catechumenus* (inter eos) , qui *fidelis* , incertum eſt . Pariter adeunt , pariter au- „ diunt , pariter orant „ . *Concilium Eliberitanum can.* XII. *pag.* 251. *edit. Hard. Tom.* I. „ Mater , vel parens , vel quælibet *fidelis* , ſi lenocinium exercuerit , eo quod alie- „ num vendiderit corpus , vel potius ſuum , placuit eas nec in fine accipere communionem „ *Et can.* XLVI. *pag.* 255. „ Si quis *fidelis* apoſtata per infinita tempora ad Eccleſiam non ac- „ ceſſerit, ſi tamen aliquando fuerit reverſus, nec fuerit idololatra, poſt decem annos placuit „ eum communionem accipere . *Can.* XLVII. Si quis fidelis habens uxorem non ſemel , vel „ ſæpe fuerit mœchatus , in fine mortis eſt conveniendus . Quod ſi promiſerit ceſſaturum , „ detur ei communio &c „ . *Can.* L. „ Si quis Clericus , vel *Fidelis* cum Judæis cibum ſumſe- „ rit , placuit eum a communione abſtinere , ut debeat emendari „ . Confer præterea *Can.* LXI. *pag.* 256. *&* *Can.* LXVII. *pag.* 257. ubi ſic habetur . „ Prohibendum ne qua *Fidelis* , „ vel

corum ordini (1) *plebis* , *Eccleſiaſticorum* autem *Cleri* (2) appellationem dare . Atque hinc quidem exſtitit *plebejorum* (3) vocabulum , quod ab antiquis aliquot Chriſtianis impoſitum *laicis* fuiſſe conſtat . Quinetiam ut ab Græcis λαϊκοὶ *laici* , quaſi *populares* ἀπὸ τοῦ λαοῦ a *populo* dicti ſunt , ita ab Latinis *populus* eſt interdum vocatus ordo *laicorum* (4) . Ac *plebs* , *populus* , *plebei* , *laici* vocabantur , non ſimpliciter , ſed comparate , habita nempe ratione Cleri . Eodemque pacto *privati* , *ſeculares* , atque *mundani* appellabantur .

§. III.

„ vel *Catechumena* aut comatos , aut viros Cinerarios habeant „ . Confer *Can.* LXXIII. *pag.* 257. LXXVIII. *pag.* 258. LXXIX. LXXXI. *Conſtitut. Apoſtolic. lib.* VIII. *cap.* XXXIV. *pag.* 420. *Tom.* 1. *Patrum Apoſtolicor. edit. an.* 1724. πιστὸς μετὰ κατηχουμένου μήτε κατ᾽ οἶκον προσευχέσθω . *Fidelis cum Catechumeno ne domi quidem precetur* . Vide Concilium I. *Nicæn. an.* 325. *Can.* XI. *pag.* 327. *Tom. cit. Conciliorum* , Cyrillum Hieroſolymitanum *Catech. Præf. pag.* 2. *edit. an.* 1640. *&* *Catech.* 1. *pag.* 3. Innocentium I. *Epiſt.* XVII. *al.* XXII. *Tom.* 1. *Epiſtolar. Romanorum Pontific. edit. Coutant. cap.* V. *pag.* 832. Et e novis Scriptoribus Cangium *Gloſſar. Med. & Infim. Latin. ad* V. *fidelis* . Atque hinc exſtitit diſtinctio Miſſæ *fidelium* a Miſſa *Catechumenorum* . Confer Synodum. Carthaginienſem IV. *an.* 398. *Can.* LXXXIV. *pag.* 984. *Tom. cit.* Ilerdenſem *an.* 524. *pag.* 1065. *Tom.* II. Valentinam *an.* 524. *Can.* 1. *pag.* 1067. Appoſite atque ad rem ſane Laodicena Synodus IV. ſeculo celebrata *Can.* XVIII. *pag.* 783. *Tom.* 1. „ Quod oporteat ſeorſim primum poſt allo-
„ cutiones Epiſcoporum orationes ſuper *Catechumenos* celebrari , & poſtquam Catechumeni
„ egreſſi fuerint , ſuper eos , qui ſunt in pœnitentia , precem fieri . His etiam accedentibus
„ ad manum ſacerdotis , & diſcedentibus , tres orationes conſummari *fidelium &c.*

1 Tertullianus *lib. De Monogamia cap.* XII. *pag.* 533. *edit. opp. Venet. ann.* 1748. Cyprianus Epiſt. *an.* 252. *ad Antonianum* ſcripta, quæ eſt *edit. Oxon.* LV. *Inter Pamelianas* LII. *In Collect. Epiſtolar. Roman. Pontif. edit. Coutant. Tom.* 1. *de Cornelio* X. *pag.* 164. *num.* VIII. „ Factus eſt , *inquit* , Cornelius Epiſcopus de Dei , & Chriſti ejus judicio , de *Clericorum* pene omnium teſtimonio , de *Plebis* , quæ tunc adfuit , ſuffragio .

2 Confer locum modo indicatum Tertulliani . Lege præterea mox deſcriptum Cypriani teſtimonium . Nam plura perſequi non eſt neceſſe .

3 Pontius Diaconus in *Vita* , *& Paſſione s. Cypriani M. apud* Ruinartium *Act. ſinc. Ss. MM. edit. Veron. pag.* 179. *num.* 1. „ Certe durum erat , *inquit* , ut cum majores noſtri
„ Plebeiis, & Catechumenis Martyrium conſequutis tantum honoris . . . dederint . . . Cypria-
„ ni tanti Sacerdotis . . . paſſio præteriretur „ . *Et num.* 3. *pag.* 180. de Cypriano agens „ Multa ſunt , *inquit* , quæ adhuc *plebejus* , multa , quæ jam *presbyter* fecit &c. Vide Lucam Holſtenium *in Act. Ss. MM. Perpet. & Felic.* §. II. *pag.* 89. *apud Ruinartium ibid.*

4 Confer Cornelii Papæ Epiſtolam VI . an . 251. ſcriptam ad Cyprianum *num.* 2. *p.* 138. *Tom.* 1. *Epiſtolar. Rom. Pontif. edit. Coutantii*, quo loco Clerum a populo diſtinguit . Verum ab indicandis aliorum teſtimoniis ſuperſedeo , quod ſint notiſſima .

§. III.

Laici quandoque dicti βιωτικοὶ & κοσμικοὶ ſeculares, vel mundani & ἰδιῶται idiotæ, quaſi privati, & κοινολαῖται quaſi e vulgo, communique populo.

JAm vero quoniam voces græcæ βίος *ſecularem* vitam, & κόσμος *mundum*, *ſeculumve* ſignificant, βιωτικοὶ (1) & κοσμικοὶ (2) ab Græcis, ab Latinis *ſeculares* (3) vel *mundani* (4) ſunt *laici* vocati. Quibus ſane vocabulis diſcernebantur non a Clericis ſolum, ſed etiam ab Aſcetis, & Monachis qui opes, honores, dignitates, omnia denique, quæ mundus pol-

1 Chryſoſtomus *Homilia* III. *in Lazar. Tom.* I. *opp. pag.* 737. *edit. Pariſ. Monachor. s. Mauri*: Μή μοι λεγέτω τις τὰ ψυχρὰ ῥήματα ἐκεῖνα, καὶ πολλῆς καταγνώσεως ἄξια, ὅτι... ἀνήρ εἰμι βιωτικός. οὐκ ἔστιν ἐμὸν γραφὰς ἀναγινώσκειν, ἀλλ' ἐκείνων τῶν ἀποταξαμένων, τῶν τὰς κορυφὰς τῶν ὀρέων κατειληφότων, τῶν τοῦτον τὸν βίον ἐχόντων διηνεκῶς. „ Ne mihi dicat quiſquam frigida verba illa, multaque reprehenſione digna, quod... „ vir ſim *ſecularis*. Non eſt meum ſcripturas legere, ſed illorum a mundo ſeparatorum, „ vertices montium occupantium, vitamque ejuſmodi continenter agentium „. Idem *Homil.* XXIII. *in epiſt. ad Rom. pag.* 686. *tom.* IX Ταῦτα διατάττεται ἱερεῦσι, καὶ μοναχοῖς. οὐχὶ τοῖς βιωτικοῖς μόνον. „ Hæc præſcribuntur Sacerdotibus, & Monachis, non ſecularibus ſolum „. Auctor *Quæſtionum ad Orthodoxos inter Opp. Juſt. Mart. quæſt.* XIX. *p.* 480. βιωτικὸν *ſecularem* ἄνθρωπον diſtinguit ab ἀσκητῇ *ab aſceta*.

2 In *Typico* Sabæ *cap* V. *pag.* 9. *edit. Venet. an* 1585. ἵνα μὴ ἐῶσι τοὺς ἐρχομένους εὐχῆς χάριν ποιῆσαι μοναχοὺς, εἴ τε κοσμικοὺς εἰσέρχεσθαι ἐν τῷ ναῷ ψαλλούσης τῆς ἐκκλησίας. Ut ne ſinant venientes orationis faciundæ cauſſa Monachos, aut Seculares ingredi in tem- „ plum canente Eccleſia „. Theodoſius, & Valentinianus Auguſti *epiſt. ad Synodum Epheſinam, quæ extat in Actis Synodi par.* I. *cap.* XX. *pag.* 1346. *tom.* I. *Concilior. edit. Pariſ. Harduini*, diſtinguunt κοσμικοὺς, & μονάζοντας *ſeculares*, & *monaſticam vitam agentes*. Multa in hanc rem monumenta recenſet Cangius *Gloſſar. Med. & Infimæ Græcitatis*. Atque obtinet etiamnum apud Græcos, ut eos κοσμικοὺς *ſeculares* vocent, qui neque monaſticam, neque clericalem vitam profiteantur. *Hinc ſeculares curæ ab Eccleſiaſticis* ſecernuntur. *Canon Apoſtol.* VI. *tom.* I. *Concilior. edit. Hard. pag.* 11. ἐπίσκοπος, καὶ πρεσβύτερος, καὶ διάκονος κοσμικὰς φροντίδας μὴ ἀναλαμβανέτω. *Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus ſeculares curas non ſuſcipiat*. Hunc autem veterum ſententiis illuſtravit Beveregius Britannus homo de ſecta Epiſcopalium *tom.* II. *Pandect. Canonum, in Append. pag.* 19. *edit. an.* 1672. Non nego alias item huic vocabulo ineſſe ſignificationes. Sed eas, quoniam ad inſtitutum non pertinent, libenter prætereo.

3 Confer Cangium *Gloſſar. Med. & Infimæ Latinitatis*. Scio Ethnicos ſæpe a majoribus noſtris ſeculares fuiſſe appellatos, quod ſeculum ſequi, quam Chriſtum mallent. Confer *can.* LXXX. *Concilii Eliberitani apud Hard. tom.* I. *Concil. pag.* 258 & notationes *Albaſpinæi in eumdem canonem tom.* I. *Concilior edit. Pariſ. Labbei pag.* 1007. & Mendozæ *ibid. pag.* 1363.

4 Multo hæc eſt recentior appellatio, ſi hoc præſertim ſenſu intelligatur. Conſule Cangium *Lexic. Med. & Infim. Latinit. ad* v. Mundanus. Atque in Actis IV. Synodi Conſtantinopolitanæ *an.* 869. *tom.* V. *Concilior. edit. Hard. pag.* 818. Vetus Interpres *Mundanos* vocat, quos Græci κοσμικοὺς appellarunt.

polliceretur, contemſerant, ut ſe totos dederent contemplationi divinarum rerum.

Iidemque ipſi *laici* ἰδιῶται *idiotæ* (1) audierunt, non quo indocti omnes, ac rudes litterarum eſſent, ſed quo *privatorum* inſtar, nullo publico munere in Eccleſia fungerentur. Nam eſt id munus proprium *Clericorum*. Temporum autem curſu evenit, ut qui *laici*, iidem κοινολαῖται *e communi populo*, *vulgoque* dicerentur, quod eſt a Svicero in Lexico ad eam vocem animadverſum.

§. IV.

Baptizati præterea cum ad Catechumenos referrentur, appellati ſæpe illuminati, & initiati, & benedicti, & nati a Deo, & perfecti, & cari Dei, & filii Dei, & Fratres, & Sancti, & Servi Dei fuerunt.

QUÆ autem Catechumenos celabant, ea myſteria majores noſtri baptizatis exponenda arbitrabantur. Ergo cum cognitionem divinarum rerum adepti perfectam eſſent, quæ ſane cognitio lucis inſtar erat, quæ animum colluſtraret,

1 Apoſtolus *Cap.* XIV. *Epiſt.* I. *ad Corinthios v.* 16. 23. *&* 24. *idiotas* nominat. Johannes Chryſoſtomus *Homilia* XXXV. *in eamd. epiſt. tom.* X. *opp. edit. Pariſ. Monach. s. Mauri pag.* 325. ἰδιώτην δὲ τὸν λαϊκὸν λέγει. *Idiotam autem laicum dicit*. Aſſentitur Theodoritus *Comment. in eumdem verſum epiſt. pr. ad Corinth. tom.* III. *opp. edit. Sirmondi, pag.* 191. ἰδιώτην καλεῖ τὸν ἐν τῷ λαϊκῷ τάγματι τεταγμένον. *Idiotam appellat in laico ordine conſtitutum*. Atque idipſum hac voce ſignificari tertio ſeculo conſueſſe, intelligi ex Origene *lib.* VII. *contra Celſum num.* IV. *tom.* I. *opp. edit. Pariſ. Monachorum s. Mauri pag.* 696. poſſe, arbitratur Binghamus *lib.* I. *orig. & antiq. Eccleſ. cap.* V. §. VI. Sed Origenes eo in loco *idiotas* eos dicit, qui imperiti eſſent. Sic enim habet. ὡς ἔπιπαν γὰρ ἰδιῶται τὸ τοιοῦτον πράττουσι, παριστάσης τῆς ἐν τῷ λόγῳ Χριστοῦ τὸ τῶν δαιμόνων εὐτελὲς, καὶ ἀσθενὲς, οὐ πάντως δεόμενον, πρὸς τὸ ἡττηθῆναι, καὶ εἶξαι ὑπεξελθεῖν ἀπὸ ψυχῆς ἀνθρώπου, καὶ σώματος, σοφοῦ τινος, καὶ δυνατοῦ ἐν ταῖς λογικαῖς περὶ τῆς πίστεως ἀποδείξεσιν. „ Hoc enim plerumque faciunt idiotæ. Quo quidem ea, quæ doctrinæ noſtræ ineſt, gratia „ Chriſti, manifeſte prodit contemnendam dæmonum infirmitatem, cum, ut vincantur, cedant, & ex anima corporeque hominis fugentur, non opus ſit *ſapiente quopiam*, *& forti* „ *in rationalibus de fide demonſtrationibus* „. Magis autem ad inſtitutum pertinet, quod accepit ab Syneſio *epiſt.* LXVII. *pag.* 216. *edit. opp. an.* 1640. ubi hæc habentur. καὶ δημοσίᾳ μὲν, οὕτω προσοιστέον αὐτοῖς, ὡς ἄντικρυς ἰδιώταις. „ Et publice quidem cum iis „ agendum erit, tamquam cum *privatis* „. Nempe non ut Clerici ſunt habendi, ſed ut laici. Eodem ſenſu uſurpatum id vocabulum ſequenti etiam tempore fuit non ab Græcis ſolum; Confer Goarium *in Euchology. pag.* 19. *edit. Pariſ.*: ſed etiam ab Latinis. Adiſis Cangium *Gloſſar. Med. & Inf. Latinitat. ad v. Idiota.*

ret (1), *illuminati* (2) ab Latinis, a Grecis autem *φωτισθέντες*, vel *φωτιζόμενοι* (3) dicti ſunt. Quid? ſi myſteriis noſtris initiatos Spiritus Sanctus ſingularibus donis, quæ conſpicua interdum eſſent, colluſtrare, augere, atque ornare ſoleret?

Μεμυημένοι autem (4) ab Græcis dici conſueverant, quos interdum Latini *initiatos* (5) *myſteriis* appellabant. Μυῶ enim

1 Juſtinus Martyr *Apol.* 1. *num.* LXI. *pag.* 82. *edit. Venetæ an.* 1747. de baptiſmo loquens, καλεῖται δὲ, inquit, τοῦτο τὸ λουτρὸν φωτισμὸς, ὡς φωτιζομένων τὴν διάνοιαν τῶν ταῦτα μανθανόντων. „ Vocatur autem hoc lavacrum *illuminatio*, quod mentes illuminen„ tur eorum, qui hæc diſcunt.

2 Tertullianus *lib. de Pudicit. cap.* XX. *pag.* 522. Apoſtoli locum e *cap.* VI. *v.* 4. *epiſtolæ ad Hebræos* recitans *Illuminatorum* nomine baptizatos intelligit. Confer etiam Gregorium Turonenſem *l.* V. *Hiſt. c.* XI. *p.* 212. *edit. an.* 1699. Venantium Fortunatum *l.* IV. *carm. p.* 553. *ſeqq. t.* X. *Bibl. PP. edit. Lugd.* ceteroſque, quos laudat Cangius *in Gloſſario med. & infimæ latinit.* Sed Neophytorum proprium hoc erat vocabulum. Aug. *ſerm.* CXX. *num.* 3. *pag.* 595. *tom.* V. *opp. edit. Pariſ. Monach. s. Mauri.* „ Iſti abluti, *inquit*, *illuminati* „ *audiunt per me verbum tuum. Illuminati enim gratia tua adſiſtunt* tibi. Hic eſt dies, „ quem fecit Dominus. Sed hoc laborent, hoc orent, ut cum iſti dies tranſierint, non fi„ ant tenebræ, qui facti ſunt lux miraculorum Dei &c.

3 S. Paulus *epiſt. ad Hebræos cap.* VI. *v.* 4. *Eos, qui ſunt illuminati* baptizatos dicit. Conſule Interpretes ejus epiſtolæ. Synodus Laodicena *can.* III *pag.* 782. *tom.* I. *Concilior. edit. Hard.* περὶ τὸ μὴ δεῖν πρόσφατον φωτισθέντας προσάγεσθαι ἐν τάγματι ἱερατικῷ. *De eo quod non oporteat nuper illuminatos promoveri ad ordinem Sacerdotalem.* Nam baptiſmus, ut ſupra Juſtini auctoritate demonſtratum eſt, *illuminatio* vocabatur. Juſtino aſſentitur Gregorius Nazianzenus *orat.* XL. *pag.* 628. *edit. an.* 1690., qui baptiſmum φώτισμα *illuminationem* dicit. Hinc Johannis Chryſoſtomi locum *Homil.* XIII. *in epiſt. ad Hebr. n.* V. *p.* 538. *tom.* XII. *opp. edit. nov. Pariſ.* οὐδὲν βίου χριστιανοῦ καλοῦ, καὶ ἐνταῦθα, κἀκεῖ, καὶ ἐπὶ φωτιζομένων, καὶ ἐπὶ κατηχουμένων: ſic vertit Mutianus ſcholaſticus. „ Nihil melius, quam vita bona & hic, & illic, & in baptizatis, & in catechumenis „. Atque etſi præſentis vim habeat τὸ φωτιζόμενοι, tamen hoc loco præteriti temporis rationem obtinet, ut non eos, *qui illuminantur, ſed illuminatos* ſignificet. Quamquam ſæpe φωτιζόμενοι vocarentur proxime baptizandi. Etenim in extrema *Præfat. Catecheſeon* Cyrilli Hieroſolymitani „ Illuminandorum φω„ τιζομένων haſce Catecheſes, accedentibus quidem ad baptiſmum, & his, qui hoc lavacrum „ habent, jam fidelibus ad legendum tradens, ne des omnino catechumenis, aut aliis, qui non „ ſunt Chriſtiani „. Atque hunc veterem fuiſſe Hieroſolymitanæ Eccleſiæ morem, ut φωτιζομένους vocaret baptizandos, hancque obteſtationem adjectam Procatecheſi Cyrilli perantiquam eſſe, putat Touteeus *pag.* 14. *opp. Cyr. edit. Nov. Pariſ.* Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum *lib.* VIII. *cap.* VIII. *pag.* 399. *edit. an.* 1724. *Apoſtolic. PP. tom.* I. ſic habet: καὶ λεγέτω ὁ διάκονος: προέλθετε οἱ φωτιζόμενοι. *Et dicat diaconus: exite illuminandi.* Confer Touteeum *Diſſert.* III. *de Catecheſ. s. Cyrilli cap.* IV. *num.* 24. *ſeqq. pag.* CXIV. *ſeqq. edit. opp. Cyrilli an.* 1720.

4 Conſulendus Svicerus Lexic. *t.* II. *pag.* 379. *ad* v. Μυῶ, & Μύησις. Sozomenus *lib.* I. *Hiſt. Eccl. cap.* III. *pag.* 13. *edit. Cantabrig.* ſic inducit Epiſcopos Conſtantinum Imperatorem alloquentes. „ Eſſe etiam his, qui in hac vita deliquerint, paratam ſpem ſalutis, & „ expiationem delictorum, iis quidem, qui nondum myſteriis initiati ſunt *ἀμυήτοις initia*„ *tionem μύησιν* juxta Eccleſiæ ritus, *initiatis vero τοῖς δὲ μεμυημένοις* a peccatis dein„ ceps abſtinere.

5 Scriptum a s. Ambroſio fuiſſe *de initiatis* librum cenſet Binghamus *lib.* I. *cap.* IV. §. II. *pag.* 37. Sed labitur. In vetuſtiſſimis enim codicibus ſic habet inſcriptio libri, ut Maurini *tom.* II. *operum s. Ambr. pag.* 324. animadverterunt. *De Myſteriis*, vel *de Divinis Myſteriis.* Tertullianus de Myſteriis Ethnicorum, & noſtris agens *Apologet. cap.* VII. Quæ, inquit, initiationes arcent profanos. *Et lib.* IV. *adv. Marcionem cap.* XXXIII. *pag.* 449. *edit. opp. an.* 1675. *Initiationem Evangelii* memorat. Confer & *l.* I. *ad Nation. c.* VII. *p.* 45.

enim idem eſt atque *initio*. Sed *μυῦμαι*, quod *initior ſacris* ſignificat, longe eſt magis apud Græcos in uſu. Atque *οἱ μεμυημένοι initiati* ii vocabantur, qui *Baptiſmi Sacramentum* acceperant. Nam his arcana religionis explicabantur, aditusque in templa, cum ſacrificium offerretur, patebat. Ex qua re orta dicendi ratio illa fuit, quam veteres, cum orationem ad populum haberent, ſæpe adhibendam arbitrabantur: *initiatos* nempe intelligere, quæ dicebantur, *Catechumenos* vero non item (1).

Conſueverant quoque noſtri *benedictos* vocare eos, qui Baptiſmo initiati Chriſtiani merito (2) appellabantur. Cujus quidem appellationis cum permultæ indicari poſſint, tum quæ præcipua cauſſa fuerit, non facile eſt exiſtimare. Ac benedicti a Deo appellari poterant, propterea quod cooptati in numerum Chriſtianorum, & participes divinorum Myſteriorum, & Euchariſtiæ imprimis eſſent (quam a majoribus noſtris *εὐλογίαν* (3) fuiſſe vocatam conſtat) ſperarentque fore, ut corpore ſoluti ſempiterna gloria potirentur.

Deo item *nati* (4) præterea, qui ad baptiſmum acceſſerant, interdum audiebant, quod depoſitis ſordibus vitæ (5) ſu-

1 Johannes Chryſoſtomus *Homil.* xxvii. *in Geneſim tom.* iv. *opp. pag.* 268. *edit. Pariſ. Monach. s. Mauri*. „ Si hoc fecerimus, *inquit*, poterimus pura conſcientia ad „ ſanctam, terribilemque hanc menſam accedere, & verba illa, quæ precationi inſerta „ ſunt, fideliter dicere. *ἴσασιν οἱ μεμυημένοι τὸ λεγόμενον*. *Sciunt initiati, quid dicatur* „. Multa hujuſmodi recitant Caſaubonus *exercit* xvi. *ad Ann. Baron. num.* xliii. *pag.* 556. *ſeqq. edit. an.* 1614. Et Svicerus ad v. *Μυῶ*, qui etiam animadvertit *initiatos* ab Græcis interdum fuiſſe dictos *μυστὰς*, & *μυσταγωγήτους*, Catechumenos autem *ἀμυστους*, *ἀμυήτους*, *ἀμυσταγώγητους*, hoc eſt non initiatos.

2 Paulinus Nolanus *epiſt.* xxviii. *al.* ix. *ad Severum pag.* 175. *edit. Veron. an.* 1736. „ Alius libellus ex his eſt, quos ad *benedictum*, id eſt Chriſtianum virum Ændelechium „ ſcripſiſſe videor „. Tertullianus *lib.* II. *de Cultu Feminarum*, *quas cap.* 1. *pag.* 154. *edit. Pariſ. an.* 1675. *Ancillas Dei*, *conſervas*, *&* *Sorores* dixerat, eaſdem *c.* iv. *&* *cap.* xiii. *pag.* 160. *benedictas* appellat. „ Quare *benedictæ* meditemur duriora, & non ſentiemus „. Confer Sirmondum *notation. in lib.* vii. *Appollinaris Sidonii Epiſt.* ix. *pag.* 1034. *ſeqq. tom.* 1. *opp. edit. Pariſ. an.* 1696.

3 De hac re alias. Interea hoc animadverto, multa in hanc rem proferri a Svicero Lutherano Scriptore in *Lexico ad* v. *εὐλογία*.

4 Pontius Diaconus *in vita*, *&* *paſſione ſancti Cypriani num.* II. *pag.* 179. *edit. Veron. Ruinart. act. ss. MM. ſincer.* „ Unde igitur incipiam? Unde exordium bonorum „ ejus exordiar, niſi a principio fidei, & nativitate cæleſti. Siquidem hominis Dei facta „ non debent aliunde numerari, niſi ex quo *Deo natus eſt*.

5 Vide 1. *ep. Petri cap.* iii. *v.* 21 *ſeqq.* & s. Juſtinum Martyrem *Apolog.* 1. *n.* lxi. *p.* 82. s. Irenæum *lib.* iv. *contra Hæreſes cap.* xxxvi. *al.* lxx. *p.* 278. *ſeqq. edit. an.* 1734.

perioris uni Deo vivere cœpiſſe viderentur. Adverterant autem ad Evangelium Johannis animum, qui hanc primi appellationem adhibuerunt, quoniam is Apoſtolus eos, qui in nomine Chriſti crederent, non ex ſanguinibus, neque ex viri, carniſve inſtinctu, ac voluntate, ſed ex *Deo* natos eſſe (1) ſtatuerat.

Τέλειοι deinde, ac τελειούμενοι (2) hoc eſt *perfecti* (3) & conſummati (4) dicebantur, quod poſt Baptiſmum confirmari continuo veteres ſolerent, quam quidem *confirmationem* (5) perfectionis Sacramentum eſſe cognoverant. Accedebat jus Euchariſtiæ percipiendæ, quod eſt proprium bapti-

1 *Cap. I. v.* 13. Scio fuiſſe olim nonnullos, qui ad Chriſtum referendum hunc eſſe locum arbitrarentur, atque *ex Deo natus eſt* legerent. De qua re adeundus Caſtus Innocens Anſaldus Ord. Præd. vir doctus *Diſſert. de loco Joannis apud nonnullos Patres a vulgata diverſimode lecto, edit. Brixienſis an.* 1746.

2 s. Athanaſius *Orat.* 1 *adverſus Arianos al.* II. *tom.* 1. *opp. edit. Monach. s. Mauri Pariſ. pag.* 439. οὕτω τελειούμενοι καὶ ἡμεῖς ἐκ ποιημάτων ὄντες, υἱοποιούμεθα λοιπόν. *Ita* perfecti *reddimur & nos ex creatis extantes, jam adoptamur in filios*. Agit autem eo loco Athanaſius de baptiſmo. Auctor Dialogorum *adverſus Macedonium inter opera s. Athan. t.* II. *p.* 544. „ Quomodo non in confeſſo ſit, baptiſmum adoratione majorem eſſe, cum ipſi et anſi „ catechumeni Patrem, & Filium adorent, perfectionem tamen *non habeant* οὐκ ἔχουσι δὲ τε- „ λειότητα, niſi baptizentur in nomen Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. εἰ δὲ μὴ εἰσι τέλειοι „ χριστιανοί. Si vero non ſint *perfecti* Chriſtiani Catechumeni antequam baptizentur, βαπτι- „ σθέντες δὲ τελειοῦνται *baptizati* autem perficiuntur, utique baptiſmus major eſt adora- „ tione, ὃ τὴν τελειότητα παρέχει, qui perfectionem continet „. Sed hæc ſatis ſunto, ut *perfectos* fuiſſe baptizatos appellatos conſtet. Nam Binghamus dicit id quidem, ſed nullo vetere monumento confirmat. Hoc unum demonſtrat: *Euchariſtiam* fuiſſe ab Græcis τὸ τέλειον *perfectum* dictam. Id autem quamquam eſt verum, tamen ad rem, quam ſibi propoſuerat confirmandam, non pertinet.

3 Tertullianus *cap.* XLI. *lib. de Præſcript. pag.* 217. *edit. an.* 1748. In actis vitiatis Martyrii s. Stephani Papæ apud Surium *tom.* IV. *pag.* 500. *edit. an.* 1579. hæc leguntur. „ Sacri baptiſmatis gratia ex more *perfecit*, & in albis poſitum Presbyterum con- „ ſecravit.

4 Rufinus *lib.* VI. *Hiſt. Eccl. Euſeb. cap.* XXXIV. *pag.* 157. *edit. an.* 1528. „ Nec reliqua „ in eo, quæ baptiſmum ſubſequi ſolent, ſolemniter adimpleta ſunt, nec chriſmate *conſummatus eſt Novatianus* „. s. Cyprianus epiſtola ad Jubajanum LXXIII. *pag.* 202. „ *edit. Oxon.* Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Eccleſia baptizantur, Præ- „ poſitis Eccleſiæ offerantur, & per noſtram orationem, ac manus impoſitionem Spiritum „ Sanctum conſequantur, & ſignaculo Dominico *conſummentur*.

5 Euſebius *lib.* III. *Hiſt. cap.* XXI. *edit. Valeſii al.* XVII. *pag.* 67. *edit. an.* 1612. „ Presbyter recipiens in domum ſuam traditum ſibi adoleſcentulum educavit, in officio „ continuit, fovit, & poſtremo *illuminavit*. Et poſt hæc ubi tamquam perfecta cuſtodia „ ſignaculo eum Domini (hoc eſt Sacramento confirmationis) obſignavit, nonnihil de cu- „ ra, & diligentia in eo inſtituendo remiſit „. Huc etiam ſpectant Cypriani, & Rufini loca, quæ modo deſcripſimus. Quinetiam Innocentius I. P. M. *epiſt.* XVII. *quæ eſt ad Rufum &c. t.* I. *collect. epiſtolar. Roman. Pontif. edit. Coutantii pag.* 836. „ Baptizatos rite, „ *ait*, ab Evangeliſta Philippo Petrus, & Johannes ſola manus impoſitione *conſummant* „. Sed hæc alias.

baptizatorum. Euchariſtia namque *τὸ τέλειον perfectum* (1) appellabatur.

Quinetiam fuerunt, qui baptizatos *Caros Dei* vocarent, qui cum conjuncti Deo caritate eſſent, tum facile non ſibi ampliorem gratiam modo, ſed etiam iis, qui lapſi in aliquod ſcelus fuiſſent, veniam impetrare poſſent. Itaque vetus auctor Tertullianus in eo, quem de Pœnitentia (2) ſcripſit, libro, pœnitentes, ut ab caris Dei præſidium poſtulent, hortatur. Nam pœnitentes, etſi initiati myſterio baptiſmi erant, eodem tamen atque Catechumeni numero haberi conſueverant, ut qui ab eorum, qui participes erant divinorum ſacramentorum, loco arcerentur. De qua re erit nobis opportune alibi diſſerendum.

Atque baptizati ut cari Dei, ita *Dei altiſſimi, Chriſtique filii* (3) appellabantur. Nam id nomen univerſe iis etiam interdum tribuebatur, qui fidem, pietatemque colerent, etſi erant in ordine catechumenorum.

Quid? Si *fratrum* appellatio propria eſſet baptizatorum? Quod ſane cum dictum alio (4) loco ſit, nunc omittatur. Quamquam negari non poteſt, quin dari quoque interdum iis, qui ſermonibus Chriſti crederent, conſueſſet (5). Quod ſi initiatis *fratrum*, multo magis *ſanctorum* nomen imponendum fuit (6).

Etſi vero *Servi Dei* (7) dici Catechumeni poſſent, ut qui Deo inſervire, cultumque adhibere ſolerent, tamen

1 Concilium Ancyranum *can.* IV. *tom.* I. *Concilior. pag.* 274. *edit. Pariſ. Harduini*. „ Viſum eſt ipſo anno inter audientes eſſe (*eos qui ſacrificare coacti ſunt*): annis autem in „ proſtratione tribus, ſola autem prece communicare duobus annis, & tunc ad *perfectum* „ τέλειον (Euchariſtiam) venire „. Vide *can.* VI. VIII. *&* IX. *pag.* 275. *can.* XX. *pag.* 279. *& can.* XXII. *ibid.* Sed de hac re alias.

2 *Cap.* X. *pag.* 127. *edit. Veneta an.* 1748. Le Prieur *in not. ad hunc Tertulliani locum* Martyras indicari *carorum Dei* appellatione cenſet. Contra Lacerda Presbyteros. Neuter, quod vult, ullo vetere monumento poteſt efficere. Ego Albaſpinæo aſſentior, quem ſunt Binghamus, aliique ſequuti.

3 Vide quæ dixi *tom.* I. *pag.* 93. *num.* VII. *& not.* 7. & Johannem Chryſoſtomum *Homil.* I. *in epiſt. ad Coloſſ. tom.* XI. *opp. pag.* 324.

4 Confer locum Juſtini ſupra deſcriptum *pag.* 4. *n.* 1. *hujuſce libri.*

5 Conſule *l.* I. *hujus op. cap.* I. §. II. *pag.* 4. *not.* 8.

6 Ibid. *not.* 4.

7 Vide Boldettum *lib.* II. *Oſſerv. ſopra i Cimiterj cap.* VII. *pag.* 437. Anno 1730. *In Cœmeterio ss. Abdon & Sennen* reperta hæc eſt inſcriptio marmori inſculpta.

EV.

hoc idem vocabulum initiatis attributum eſt. Idque jam ipſum dici omnino de voce *conſervorum* (1) debet.

§. V.

Et Fide conſtituti, & regenerati, & renati, & ſi recens baptizati erant, neophyti, hoc eſt nuper plantati.

Quemadmodum autem fideles, quod ſupra demonſtratum eſt (2) ita *fide conſtituti* eſſe dicebantur, qui ad baptiſmum acceſſerant; cujus quidem rei inſigne monumen-

EVTYCHIANO FJLIO DVLCISSIMO
EVTYCHIVS PATER. D. P. V. A. I M.
II. D. IIII. DEI SERVVS ☧ IXΘYC

Eutychiano filio dulciſſimo Eutychius pater dolens poſuit. V.xit anno 1. menſibus 2. diebus quatuor Dei ſervus ☧ *piſcis.* Ex qua inſcriptione, & aliis, quas deſcripſi *t. 1. p. 54. ſeqq. & t. 111. pag. 20.* conſtat baptizatos fuiſſe etiam *piſciculos* appellatos. Rurſum apud Boldettum *lib. 11. cap. x. pag. 456.* extat inſcriptio hujuſmodi

ΑΥΡΑΙΛΙΑΝΟC
ΠΑΦΛΑΓΩΝ ΘΕ
ΟΥ ΔΟΥΛΟC ΠΙCΤΟC
ΕΚΟΙΜΗΘΗ ΕΝ ΕΙΡΗ
ΝΙ ΜΝΙCΘΗ ΑΥΤΟΝ Ο
ΘΕΟC ΙC ΤΟΥC ΑΙΩΝΑΣ

Aurelianus Paphlagon ſervus Dei fidelis *dormivit in pace. Recordetur ipſius Deus in ſecula.* Hæc apprecatio diverſis verbis in aliis epigrammatibus ſepulcralibus, quæ eodem tamen recidant, legitur. Atque huc ſpectat inſcriptio Timotheæ Martyris, quæ cum nondum edita ſit, produci a nobis in lucem debet. Translata autem una cum reliquiis Martyris e Cœmeterio Urbis in Senogallienſe Sacellum Comitum Antonellorum eſt, quemadmodum accepi ab eruditiſſimo Præſule Nicolao Antonello, qui eſt ſacro Collegio, & Conſiſtorio a ſecretis. Sic autem habet.

AETERNA . TIBI . LVX
TIMOTHEA . IN . ☧
QVAE . VIXIT . ANN. XIII
MENS . VIIII . IN PACE
. . . . . OS . VII . ID . ARA .

Æterna enim lux ei conceditur, cujus recordatur Deus in ſeculum.

1 Vide, quæ dixi *tom. 1. pag. 7. §. 11 num. v. not. 1. ſeq.* Tertullianus *lib. 11. de cultu Feminar. cap. 1. pag.* 154. Chriſtianas mulieres ſic alloquitur „ Ancillæ Dei vivi, conſervæ, & ſorores meæ &c.

2 Inſcriptio apud Boldettum *lib. 11. cap. v. pag. 392.* reperta in Cœmeterio s. Helenæ.

ZO-

mentum in Cœmeteriis urbis ante aliquot annos repertum eſt, ut alio loco diximus (1).

De regeneratis (2) plura perſequi non eſt neceſſe: Tam enim eſt exploratum, ut nihil eſſe clarius poſſe videatur. Idque jam de *renatorum* (3) nomine plane conſtat. *Renati* autem, ac *Regenerati* appellabantur, quod baptiſmi aquis perfuſi, novam vitam agere (4) deberent. *Plan-*

ZOSIMVS QVI VIXIT ANNOS XL
ET. M. V. ET. D. III. IN PACE
FIDELIS.

Zoſimus, qui vixit annos quadraginta, & menſes quinque, & dies tres in pace fidelis. *Et cap. x. pag. 453.* alteram idem refert inventam in Cœmeterio s. Agnetis.

CYRIACVS FIDELIS DECESSIT OCTO DIES
MINVS A TRES ANNVS III. KAL. MAR.

Cyriacus fidelis deceſſit, octo dies minus a tribus annis, tertio Kalendas Martias.

1 Vide *Tom. III. hujuſce operis pag. 66.* Fidem autem ſæpe pro baptiſmo ab antiquis Patribus intelligi conſueſſe, perſpicuum eſt. Tertullianus *lib. de Pudicitia cap. 1. pag. 559. edit. an. 1675.* „ Ne ſecundas quidem poſt fidem nuptias permittitur noſſe „. Quæ autem hæc eſt fides, niſi baptiſmus? Rurſum *cap. XVIII. pag. 570.* „ Quid turpius impudicitiis? Si „ autem & ab otioſe incedente fratre denunciat ſubduci Theſſalonicenſibus, quanto magis & „ a fornicatore? Hæc enim conſultata ſunt Chriſti Eccleſiam diligentis, qui ſe pro ea tradidit, „ ut eam ſanctificet, emundans lavacro aquæ in verbo, ut ſiſtat ſibi Eccleſiamglorioſam, „ non habentem maculam, aut rugam, utique poſt lavacrum ... Quod ſi & hic reſpondere „ concipias adimi quidem peccatoribus, vel maxime carne pollutis communicationem, ſed „ ad præſens reſtituendam ſcilicet ex pœnitentiæ ambitu ... hoc fundamentum opinionis „ veſtræ uſquequaque pulſandum eſt. Dicimus itaque clementiæ divinæ, ſi ita eſſe competiſ- „ ſet, demonſtrationem ſui etiam *poſt fidem* lapſis, ita Apoſtolus diceret, nolite communicare „ operibus tenebrarum, niſi pœnitentiam egerint ... Porro cum in omnibus Epiſtolis & „ *poſt fidem* talem prohibeat admitti ... noſtræ magis ſententiæ adſiſtit, eam pœnitentiam „ oſtendens Dominum malle, quæ *ante fidem, quæ ante baptiſma* morte peccatoris potior ha- „ beatur „. Ita Tertullianus cum hæc ſcriberet Montaniſta. Hinc Baptiſmus *ſacramentum fidei* appellatur. Confer Tertull. *lib. de anima cap. 1. pag. 264.* Itaque *fide conſtitutus* is eſt, qui *baptiſmum ſuſcepit*. Quamobrem a Cyrillo Hieroſolymitano Procatecheſi *pag 6. edit. an. 1640.* proxime baptizandus, nempe is qui nomen dedit, non in fide conſtitutus, ſed *μεθορίοις ἑστήκεις in finibus conſtitutis* dicitur.

2 Græce ἀναγεγεννημένοι. Confer Irenæum *lib. 1. contra Hæreſes cap. XVIII. pag. 87. edit. an. 1702.*

3 Confer *cap. III. evang Joh. v. 3. ſeqq. & Tertull. lib. de Baptiſ. c. 1. ſeqq. p. 224.*

4 Juſtin. Mart. *Apol. 1. n. LXI. p. 82. ed. Ven. an. 1748.* „ Primam noſtram generationem „ ignorantes, *inquit*, ... in pravis moribus, & nefariis inſtitutis educati, ut ... ignoratio- „ tionis filii non maneamus, ſed electionis, & ſcientiæ, & remiſſionem peccatorum, quæ „ prius commiſimus, conſequamur, in aqua ſuper volente ἀναγεννηθῆναι *regenerari*, & age- „ re pœnitentiam peccatorum, parentis omnium, & Domini Dei nomen pronunciatur &c. Tatianus autem *Orat. adverſus Græcos num. V. pag. 262.* imitatione verbi & ego, *inquit*, ἀναγεννηθεὶς *regeneratus*. Confer Clementem Alexandrinum *l. II. ſtromateon p. 425. edit. an 1641.* & Tertullianum *De baptiſmo cap. XIII. ſeq. pag. 229. edit. an. 1748.* De ἀναγεννήσει, & παλιγγενεσίᾳ regeneratione recentiorum aliquot Patrum teſtimonia collegit Svicerus *in Lexico ad eas voces*.

Plantati autem in Eccleſia Dei, Chriſtoque inſiti cenſentur, qui abjecta ſuperſtitione, noſtris ſacris, myſteriiſque initiantur. Itaque recens baptizatis tributa eſt a noſtris majoribus appellatio *neophytorum* (1). *Neophytus* enim *nuper plantatum, inſitumve* ſignificat (2). Itaque cum hujuſmodi vox uſurpata ab Apoſtolo Paulo fuerit, tum fuit apud veteres Chriſtianos, eſtque etiamnum apud noſtros in uſu. Hoc tamen inter antiquos, noſque intereſt. Illi recens tinctum *Neophytum* vocabant, nos eum, qui jam inde etiam a multo tempore vel a ſuperſtitione Ethnicorum, vel a Muhamedi ſecta ad Chriſtum converſus, baptiſmoque initiatus ſit, appellamus hoc nomine.

§. VI.

1 Adeundi Tertullianus *libro de Præſcriptionibus cap.* XLI. *pag.* 217. & *adverſus Marcionem lib.* 1. *cap.* XX. *pag.* 275. Sed de re certa, atque manifeſta non eſt cur multa eſſe colligenda putem. Satis erit inſcriptiones aliquot veteres deſcripſiſſe, quæ in Cœmeteriis Urbis inventæ ſunt. Apud Aringhum *tom.* 1I. *pag.* 173. hæc legitur.

RVFILIO NEOFITO QVI
VIXIT AN. II. ☧ D. XL
QVINTILIANVS PATER FILIO
DVLCISSIMO IN PACE XPI.

Apud Boldettum *pag.* 419.

DP. CYRIACETIS III. IDVS. QVAE. VIXIT
ANN. XX. DIES. I. QVE NEOFITA MORTVA
EST. VIRGO. IN P.

Depoſita Cyriacetis tertio idus, qua vixit annis viginti die 1. *qua Neophyta mortua eſt virgo in pace*. Apud Scipionem Maffeum *Muſei Veron. pag.* 180.

Q. VIMINATI NEOFITO BENE ME
RENTI IN PACE QVI VIXIT ANN PM
DEPOSITVS VIII KAL DEC AVSONIO
ET OLYBRIO COSS.

Hoc eſt an. 379. Inſcriptiones ceteras, ne ſim longus, prætereo.

2 Confer *epiſt. ad Rom. cap.* XI. *v.* 17. 24. Cyrillus Hieroſolymitanus *Catech.* 1. *p.* 3. *edit. an.* 1640. „ Antea Catechumenus eras, *inquit*, nunc autem fidelis vocaberis, tranſplantaris μεταφυτεύῃ rurſus in ſpiritales oleas ex oleaſtro in oleam frugiferam inſertus ex peccatis in juſtitiam, ex pollutione in puritatem, & particeps ſanctæ illius vineæ efficeris, ac ſi permanſeris in vinea, tamquam vitis frugifera creſces.

§. V I.

De origin e nominum Clericorum , & Laicorum .

REdeo ad Clericos . Etſi erant , qui tres gradus Chriſtianorum ponerent , tamen permulti duos nominabant , *Clericorum* , & *Laicorum* (1) . Vetus autem imprimis conſuetudo fuit , eaque jam non Hebræorum modo , ſed etiam aliarum gentium firmata conſenſu , ut agri populorum , qui redacti in ſervitutem eſſent , inter duces , militeſque victoris exercitus ſorte (2) dividerentur . Quod enim *ſors* Latinis , hoc idem Græcis eſt κλῆρος . Quamobrem pars quæque agri , quæ ſorte duci , militive obtigerat , κλῆρος dicebatur . Ergo ut diviſio Chananitidis inter duodecim Iſraelis tribus κλῆρος , κληρονομία , & κληρεχία (3) , ita ſane quæ pars agri cuique familiæ Tribuum Iſraeliticarum obvenit , obvenire autem ſorte conſueverat , κλῆρος eſt a Septuaginta Interpretibus appellata . Eſtque auctor Plutarchus κλῆρον vocatam a Græcis portionem agri fuiſſe , quam Lacedæmoniis civibus Lycurgus (4) aſſignaviſſet . Atque hoc quidem vocabulum quamquam erat apud Hebræos , Græcoſque in uſu , tamen ab Hebræis , ex quibus orti Apoſtoli,

ac

1 Tertullianus *lib. de Monogamia cap.* XII . *pag.* 533 .(ſcripſit autem hunc librum , cum Montani partibus ſtuderet , ut convinceret Catholicos ajentes non laicos , ſed Eccleſiaſticos, hoc eſt Clericos monogamos eſſe oportere) ſic nugatur . ,, Adeo , inquiunt , permiſit Apoſto-
,, lus iterare connubium, ut ſolos , qui ſunt *in Clero* , monogamiæ jugo adſtrinxerit . Quod
,, enim quibuſdam præſcribit , id non omnibus præſcribit . . . Unde Epiſcopi , *& Clerus* ?
,, Nonne de omnibus ? Si non omnes Monogamiæ tenentur , unde monogami *in Clerum* ?
,, An ordo aliquis ſeorſum debet inſtitui monogamorum , de quo adlectio fiat *in Clerum* ?
,, ſed quum extollimur , & inflamur adverſus *Clerum* , tunc unum omnes ſumus . . . ſi ſuam
,, habent Epiſcopi legem circa monogamiam , etiam cetera , quæ monogamiæ accedere opor-
,, tebit , Epiſcopis erunt ſcripta . *Laicis* vero , queis monogamia non convenit , cetera
,, quoque aliena ſunt ,, . Hæc ille. Vide Sviecerum , ſi licet , ad v. λαικὸς : & κληρικὸς .

2 Confer *lib. Numer. cap.* XXVI . *v.* 54 . *ſeqq. cap.* XXXIII . *v.* 54 . *ſeqq.* XXXIV. v. 2. XXXVI . *v.* 2. 4. *Deuteron.* I. *v.* 38. Joſue XII. *v.* 1. XIV. *v.* 2. XVI. *v.* 4. *ſeqq. & c.* XVII. *v.* 4. 6. 14. 17 Sed innumera ſunt in ſacris litteris loca , quæ huc pertineant . Atque ea quidem prætereo , ne ſim longus .

3 Vide *loca ſacror. Bibliór. ſupra indic. in verſione , quæ dicitur ſeptuaginta Interpretum* , & Abrahami Tromnii Concord. *Bibl. Græc. ad* v. κληρονομία *pag.* 898. *ſeq.*

4 *Plutarch. in vita Lycurgi pag.* 44. *tom.* 1. *opp. edit. an.* 1624. Adeundus Petrus de Marca *Diſſertat. de diſcrimine Clericorum , & Laicorum ex Iure Divino , & de forma regiminis a Chriſto inſtituta in Eccleſia num.* III. *pag.* 74. *edit. Opuſculor. Pariſ. an.* 1681.

ac ceteri plerique omnes Chriſti Servatoris diſcipuli fuerant, manavit in (1) Rempublicam Chriſtianorum. Igitur cum dubitatum fuiſſet, uter Apoſtolatu dignior videretur, Barſabas ne, an Matthias (nam florebat uterque ſingulari exiſtimatione virtutis) reſque omnis revocata ab Apoſtolis ad ſortem eſſet, ac Matthiæ (inſtinctu, beneficioque Divini numinis) obtigiſſet, tum Lucas acceptam ab hoc fuiſſe affirmavit (2) *κλῆρον τῆς διακονίας, καὶ ἀποςολῆς ſortem miniſterii, & Apoſtolatus*. Translata autem inde vox *κλῆρος* eſt, ut etiam in eos caderet, qui non *ſortium* jactu, ſed *electione, vocationeque* adepti aliquem ordinem fuiſſent. Quare Lucas Evangeliſtes in eo, qui de *Actis* Apoſtolorum inſcribitur, libro, Judæ obtigiſſe tradit (3) *κλῆρον τῆς διακονίας miniſterii ſortem*, quem ſane Judam voluntate Chriſti, non ſortibus cooptatum fuiſſe conſtat in Apoſtolorum Collegium. Atque Euſebius de Lino agens *πρῶτος*, inquit, *κληροῦται primus ſorte conſequitur* Romanæ (4) Eccleſiæ Epiſcopatum. Quinetiam Clemens Alexandrinus in libro, qui *τις ὁ σωζόμενος*

1 Confer de Marca *ibid.* & e Proteſtantibus Dodwellum *Diſſert. Cyprianic.* 1. §. xv. *pag.* 6. *edit. opp. Cyp. Amſtelod. an.* 1700. Hoc idem colligere licet ex epiſtola Clementis Romani *ad Corinth.* 1. *num.* xl. quem nos locum ſupra deſcripſimus *pag.* 3. *not.* 3.

2 *Act. Apoſt. cap.* 1. *v.* 25. *ſeq.*

3 *Cap.* 1. *v.* 17.

4 *Hiſt. Eccl. lib.* III. *cap.* II. *pag.* 88. *edit. Cantabrig. ann.* 1720. Conſule & *lib.* IV. *cap.* 1. *pag.* 140. ubi de *Primo* Alexandrinorum Epiſcopo agens, λειτουργίαν, inquit, κληροῦται *miniſterium ſortitur*, & *cap.* v. *pag.* 144. ubi τῆς ἀλεξανδρέων παροικίας τὴν προστασίαν εὐμενὴς ἕκτῳ κλήρῳ, διαδέχεται. *Alexandrinorum Parœciæ præſidentiam Eumenes ſexta ſorte ſuſcipit*. *Cap.* x. *p.* 154. Ὑγῖνος τὸν κλῆρον τῆς ῥωμαίων ἐπισκοπῆς παραλαμβάνει. *Hyginus ſortem Romanorum epiſcopatus ſuſcepit*. Hæc ne Salmaſius quidem negaverit. Etenim *libro* qui inſcribitur, *Walonis Meſſalini de Epiſcopis & Presbyteris contra D. Petavium Diſſertatio cap.* IV. *pag.* 227. *edit. an.* 1641., „Verba Clementis „ (Alexandrini) inquit, κλῆρον ἕνα τινα κληρώσων non aliam capere poſſunt interpretatio„ nem, quam de uno aliquo in *clerum adlecto*, *ideſt presbytero*, *vel Epiſcopo facto*. „ κληροῦσθαι dicebantur ἐπισκοπὴν, qui fiebant Epiſcopi. Sic κληροῦται τὴν ἀποστολὴν „ μάτθίας ἀντὶ τοῦ προδότου ἰούδα. *Apud Euſ. l.* II. *cap.* II. κλῆρος ille quem vocat Cle„ mens eſt κλῆρος διακονίας, *quo unuſquiſque particeps ſit*, & *conſors miniſterii Eccle„ ſiaſtici, ut Apoſtoli, Epiſcopi, Presbyteri*. Unde in actis de Matthia cooptando in Apo„ ſtolorum ordinem, λαβεῖν τὸν κλῆρον τῆς διακονίας ταύτης, καὶ ἀποστολῆς *accepe„ rit partes hujus miniſterii*, & *apoſtolatus*. Inde & κλῆρος apud Patres pro *Eccleſiaſti„ co Ordine*. Hæc igitur opponuntur apud Clementem in verbis ejus ſupra citatis, ὅπου „ μὲν ἐπισκόπους καταστήσων, ὅπου δὲ κλῆρον ἕνα κληρώσων. Hoc de uno ſive presbytero „ ſive Epiſcopo ordinando (*ab Johanne*) ut ſolebat in pagis, vel vicis, illud de pluribus „ Epiſcopis, ſive presbyteris conſtituendis, ut in urbibus ordinari ſolitis „. At hoc commentum Salmaſii eſt, ut in urbibus plures Epiſcopos fuiſſe fingat, quod eoſdem olim Epiſcopos, atque Presbyteros fuiſſe arbitretur „.

plane conſtat (1). Itaque Tertullianus (2), Clemens Alexandrinus (3), Origenes (4), Cyprianus (5), Cornelius (6), aliique veteres extremi ſecundi, tertiique ſeculi Chriſtiani ſcriptores, cum Epiſcopos, Presbyteros, Diaconoſque divina ſententia, & voluntate inſtitutos (7) perſpicerent, ut ſacra procurarent, Eccleſiaſque moderarentur, hos quidem *clerum*, alios *plebem*, & *laicos*, propterea quod nullum ſacrum munus obirent, appellaverunt. Eos autem ipſos ſcriptores, qui magnam partem eximia virtute excelluerunt, ambitione, malevolentiaque permotos uti hoc vocabulo conſueſſe, ut opprimerent populum Chriſtianum, dejicerentque de dignitate, qua ornatus a Chriſto fuiſſet, tam eſt abſurdum, ut præ ſe ne veri quidem ferre ſimilitudinem videatur. Novos autem neſcio quos homines, qui Lutheri, Calvinique partibus ſtuderent, idque diſtinctionis genus quod neque malo (8), neque

1 *Epiſt. 1. ad Corinth. num. XL. pag. 28. collect. epiſt. Rom. Pont. edit. Conſt. tom. I.* „ Qui ergo ſtatis temporibus oblationes ſuas faciunt, accepti, & beati ſunt ... Summo quippe Sacerdoti ſua munera tributa ſunt, & Sacerdotibus locus proprius præſtitutus eſt, Levitis quoque ſua miniſteria incumbunt; laicus homo inſtitutis laicis conſtringitur „. Atque ex hoc etiam loco ſequitur, lapſum magno errore fuiſſe Rigaltium, qui ſuperbia Phariſæorum introductam neglectamque ab Apoſtolis, eorumque diſcipulis *laicorum* appellationem putat. Clemens enim auditor Petri, & Pauli fuit, eamque uſurpat ſine contemtus ulla, vel ambitionis nota. Hoc autem Clementis teſtimonio utuntur ad Rigaltium, & Dallæum convincendum Epiſcopales Proteſtantes Guillelmus Beveregius *Cod. Can. Eccleſ. Primitivæ vindicati, ac illuſtrati lib. II. cap. X. num. II. pag. 118. tom. II. Apoſtolicor. PP. edit. an. 1724.* Henricus Hammondus *Diſſert. II. de Jurib. Epiſcop. c. VI. §. 21. ſeqq. pag. 69. edit. Londinenſis an. 1651.* & Calvinianus David Blondellus *Apolog. de Epiſcopis, & Presbyteris ſect. II. pag. 12. edit. Amſtelodamenſis an. 1646.* ubi: „ Id etiam, *inquit*, adverſus eos, „ qui *clericorum, laicorumque* vocabula ſero in uſum Eccleſiæ recepta putant, obſervandum, „ Clementem laicorum veterum conceptis verbis meminiſſe. Scilicet quod Clemens Hebræorum Hierarchiam deſcribens dixit, hoc Blondellus attributum ab eodem Clemente Chriſtianis cenſet, qui munus publicum in Eccleſia obirent nullum. Eſtque ejuſdemodi Beveregii, atque Hammondi ſententia. Neque vero quid repugnet, video, quo minus id facere Clemens poſſet, qui id nomen neque malum, neque contemtus indicium eſſe perſpiceret.

2 *Loc. ſup. indic. not. 1. & 2. pag. 3.*

3 *Loc. cit. not. 1. pag. 17.*

4 Origenes *in Hierem. Homil. XI. pag. 119. tom. III. opp. edit. Venetæ an. 1743. num. XI.* „ Nos qui putamur aliquid eſſe, ideſt, qui in clericatus vobis ordine præſidemus... „ noſſe debetis non ſtatim in eo ſalvandos, quia *clerici ſumus, multi enim & presbyteri* „ *pereunt, & laici beatiſſimi reperiuntur*.

5 *Loc. cit. ſup. pag. 17. not. 4.*

6 *Loco deſcripto ſup. pag. 18. not. 1.*

7 De hac re agam poſt opportune.

8 Johannes Franciſcus Buddæus *Præfat. in orig. antiq. Eccleſiaſticas Binghami tom. I. & Iſagoge hiſtorica Theologica ad Theologiam Univerſam cap. V. lib. ſec. §. XI. p. 826.*

fieri

que imprudenti conſilio a Majoribus inlatum in rempublicam Chriſtianam eſſet, ob ſuperbiam tamen clericorum progreſſu temporum populo plurimum obfuiſſe defenderent, nihil moror. Nam ſi quid incommodi Epiſcopi cujuſquam temeritate Eccleſia tulit (tuliſſe autem hujus ſolummodo rei cauſſa ullum aliquando vehementer nego) ejus quidem certe, ſi quis fuit, culpa, non ratione vocabulorum, quibus nihil ineſt pravitatis, tulit.

Non movet autem me, quod poſtremo loco queruntur, clericos a nobis præcipuam, atque ſelectam Chriſtianæ Reipublicæ haberi partem. Cur enim hoc illis negemus, quibus credita eſt regendæ (1) Eccleſiæ, adminiſtrandorumque ſacrorum Chriſtianorum cura? Namque iis, qui ceteros moderantur, primas detrahere partes velle, hominum eſt, non veritatis amore, ſed arbitrio, ſtudioque contentionis agentium. Quod ſi contra pugnare, atque obloqui perſtant, caveant ne, cum nos inſectentur injuria, Apoſtolos, horumque diſcipulos inſectentur, qui divina ſententia (2) con-

fieri potuiſſe ſcribit, ut qui primi hanc diſtinctionem adhibuerunt, *innocenti hoc facerent conſilio; occaſionem tamen hinc enatam, qua ſequiori ætate nonnulli ad imperium aliquod in reliquo ſacri ordinis viris vindicandum abuſi ſunt. Horum enim ambitioni*, inquit, *cum ſub Romanorum Pontificum tyrannide, nec modus, nec finis poneretur, peropportunum illis hocce accidebat diſcrimen, quo clerici, uti vocabantur, veluti ſupra humanam ſortem evecti, laicos ceu infra eamdem poſitos contemnebant, & alto deſpiciebant ſupercilio*. Quam hæc ſint abſurda, & plena calumniarum, mox demonſtrabitur. Non enim plus ſibi Epiſcopi poſteriores ſumſerunt, quam illis conceſſum eſſe Apoſtolorum diſcipuli tradidiſſent.

1 *Actor. cap.* XX. *v.* 17. „ A Mileto Paulus ſcribens Epheſum, vocavit majores natu „ Eccleſiæ, qui cum veniſſent ad eum, & ſimul eſſent, dixit... Attendite vobis, & uni„ verſo gregi, IN QUO VOS SPIRITUS SANCTUS POSUIT EPISCOPOS REGERE ECCLESIAM DEI, „ quam acquiſivit ſanguine ſuo „. Epiſcoporum autem præter cetera munus eſt ἐπισκοπεῖν providere, proſpicere, curam agere ἐπιμελεῖσθαι τῆς ἐκκλησίας *diligenter Eccleſiam adminiſtrare*. I. *ad Timoth. cap.* III. *v.* 5. *Si quis autem domui ſuæ præeſſe* (Epiſcopus) *neſcit, quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit?* Itaque paſcere dicebantur gregem I. *Petr. cap.* V. *v.* 2. eſſeque diſpenſatores Dei, *Tit.* I. *v.* 7. & præpoſitos *fidelibus*; adeoque eis obtemperare fideles ipſos debere, *ad Hebræos cap.* XIII. *v.* 17. „ Obedite præ„ poſitis veſtris, & ſubjacete eis. Ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus ve„ ſtris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant. *Et* I. *Theſſal. cap.* V. *v.* 12.

2 Vide notationem ſuperiorem. Clemens Romanus *Epiſt.* I. *ad Corinth. num.* XLII. *pag.* 29. „ Prædicantes (Apoſtoli) per regiones, ac urbes, primitias earum ſpiritu cum pro„ baſſent, in Epiſcopos, & Diaconos eorum, qui credituri erant, conſtituerunt „. *n.* XLIII. „ Et quid mirum, ſi quibus in Chriſto commiſſum eſt a Deo hujuſmodi opus, prædictos „ conſtituerint „. *Cap.* XLIV. „ Apoſtoli quoque noſtri ἔγνωσαν διὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ „ Χριστοῦ *cognoverunt per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum* futuram eſſe de nomine „ Epiſcopatus contentionem. Eam igitur ob cauſſam perfectam præcognitionem adepti, „ prædictos conſtituerunt, ac deinceps futuræ ſucceſſionis hanc tradiderunt regulam, ut „ cum

conſtitutos Epiſcopos , nihilque , iis inconſultis , agendum a populo (1) tradiderunt .

CA-

„ cum illi deceſſiſſent , miniſterium eorum ac munus alii probati viri exciperent „ . Ignatius Martyr Johannis Apoſtoli auditor *Epiſt. genuina ad Epheſios num.* I. *pag.* 12. *tom.* I. *Apoſtolicor. PP.* „ Veſtro in carne Epiſcopo , quem obſecro , ut juxta Jeſum Chriſtum ametis , utque vos omnes illius ſimiles ſitis „ *num.* III. „ οἱ ἐπίσκοποι οἱ κατὰ τὰ πέρατα „ ὁρισθέντες ἐν Ἰησοῦ Χριστοῦ γνώμῃ εἰσίν . *Epiſcopi qui ſecundum terminos terræ conſtituti ſunt , in Jeſu Chriſti ſunt ſententia* „ . Sed de his rebus alias . Hoc extremum dico : Willelmum Mommam hominem e numero Proteſtantium in opere . *De varia conditione , & Statu Eccleſiæ Dei ſub triplici œconomia Patriarcharum , ac Teſtamenti Veteris , & denique Novi tom.* II. *lib.* III. *cap.* X. *quod eſt de Regimine Eccleſiæ* §. 9. *pag.* 427. *edit. Amſtelod. an.* 1683. ſic ſtatuere . „ Si inſtitutio paſtorum , doctorum , Presbyterorum , „ Epiſcoporum , Diaconorum e ſententia tantum eſſet Apoſtolorum , non ex ordinatione di- „ vina , & mandato Domini , certe haud quaquam dixiſſet Paulus : *& ipſe Chriſtus dedit .* „ *Et alios Deus poſuit .* Confirmemus hæc verbis . . . Salmaſii in Apparatu ad libros de „ primatu Papæ . *Non per ſe autem* , inquit , *Chriſtus poſuit in Eccleſia Presbyteros , &* „ *Epiſcopos , ſed per Apoſtolos ; quia poſt reſurrectionem ejus , & Aſcenſionem illi in Ec-* „ *cleſiis , quas ædificabant , Presbyteros , & Epiſcopos ordinare ſoliti ſunt* , QUI EX ORDI- „ NATIONE CHRISTI *ordinari omnino videbantur . Quæcumque enim Apoſtoli in Eccleſia* „ *conſtituebant , ea* CHRISTUS IPSE *per Spiritum Sanctum cenſebatur inſtituere* . Et paulo „ poſt : *non enim privato , & proprio conſilio* hoc fecerunt „ . Igitur Diaconi , Presbyteri , Epiſcopi voluntate , ſententiaque Chriſti inſtituti ſunt , qui populum Chriſtianum moderarentur , ne Salmaſio quidem , ac Momma negantibus . Quare cum primas obtineant partes , qui regunt , fit ita , ut pars potior Eccleſiæ Epiſcopi , Presbyteri , Diaconique omnino habendi ſint .

1 Cur enim ſine conſilio eorum , qui præeſſent , & gubernarent , quidquam molirentur , ac facerent ? Huc enim ſpectat , quod de κυβερνήσεις *gubernatione* I. *Cor. cap.* XII. *v.* 28. quodque de Presbyteris καλῶς προεστῶσι I. *Timoth. cap.* V. *v.* 17. ſcribit Apoſtolus . Rurſum idem ille auditor Johannis Ignatius in litteris *ad Epheſios num.* IV. *pag.* 12. „ Decet „ vos in Epiſcopi ſententiam concurrere , quod & facitis . Nam memorabile veſtrum pres- „ byterium dignum Deo , ita cooptatum eſt Epiſcopo , ut chordæ citharæ . „ *Num.* VI. „ Manifeſtum autem eſt , quod Epiſcopum reſpicere oporteat ut ipſum Dominum „ . N. XX. *pag.* 16. „ Ut obediatis Epiſcopo , & presbyterio mente indivulſa „ . *Et ad Magneſianos num.* III. *pag.* 18. „ Sed eo vos decet non familiariter , ac ſuperbe uti ætate Epiſcopi , ſed „ ſecundum virtutem Dei Patris omnem impertiri illi reverentiam , quemadmodum novi „ ſanctos facere presbyteros . . . Sed ut prudentes in Deo cedentes ipſi , non ipſi autem , „ ſed Patri Jeſu Chriſti , omnium Epiſcopo . In honorem igitur illius , qui vult , decet vos „ obedire ſine ulla hypocriſi , quia nequaquam Epiſcopum hunc quis fallit , qui videtur , „ ſed illudit inviſibili „ . *Num.* IV. „ Decet itaque non modo vocari Chriſtianos , ſed & „ eſſe : quemadmodum nonnulli Epiſcopum quidem nominant , ſed ſine ipſo omnia faciunt „ . *Num.* VI. „ Hortor , ut hoc ſit veſtrum ſtudium in Dei concordia omnia agere , Epiſcopo „ præſidente Dei loco , & Presbyteris loco Senatus Apoſtolici , & Diaconis mihi ſuaviſſimis , „ quibus commiſſum eſt miniſterium Jeſu Chriſti . . . Nihil ſit in vobis , quod poſſit vos di- „ rimere , ſed unimini Epiſcopo , & præſidentibus in typum , & doctrinam incorruptionis „ . *Num.* VII. „ Itaque neque vos ſine Epiſcopo , & Presbyteris quidquam agite „ . *Num.* XIII. *pag.* 21. „ Studete igitur , ut confirmemini in dogmatibus Domini . . . cum digniſſimo Epi- „ ſcopo veſtro , & digne contexta ſpirituali corona Presbyterii veſtri , & ſecundum Deum „ agentibus Diaconis . Subjecti eſtote Epiſcopo „ . *Et ad Trallianos num.* I. *p.* 21. „ Cum „ enim Epiſcopo ſubjecti eſtis , ut Jeſu Chriſto , videmini mihi non ſecundum homines , ſed „ ſecundum Jeſum Chriſtum vivere . . . Neceſſarium itaque eſt . . . . ut ſine Epiſcopo nihil „ agatis . Sed & Presbyterio ſubditi ſitis . . . Oportet autem & Diaconos Myſteriorum Jeſu „ Chriſti miniſtros , omnimodo omnibus placere . Non enim ciborum , & potuum miniſtri „ ſunt , ſed Eccleſiæ Dei miniſtri „ . *Num.* III. „ Cuncti ſimiliter revereantur Diaconos , „ ut mandatum Jeſu Chriſti , & Epiſcopum , ut eum , qui figura eſt Patris , Presbyteros au-

„ tem

CAPUT II.

De Poteſtate *Laica*, & *Eccleſiaſtica*.

SEd quoniam de antiqua, recteque inſtituta conſuetudine diſtinguendi laicos ab Eccleſiaſticis dictum eſt, reſtat, ut etiam de poteſtate, quæ propria eſt eorumdem ordinum, diſſerendum eſſe videatur. Animadvertendum autem principio eſt, in quavis hominum ſocietate aut unum, aut plures eſſe oportere, qui præſint, adminiſtrentque Rempublicam. Nam ſi cuique facere quod libuerit, impune liceret, neque in tanta multitudine, ubi boni, improbique ſint, magiſtratus auctoritate in officio cives continerentur, magna perturbatio oriretur, incredibiliſque in civitate confuſio (1). Cumque non civitas modo, ſed etiam Eccleſia communitas quædam ſit, regatur utraque, neceſſe eſt, eorum auctoritate, atque prudentia, quibus eſt vel conſenſione civium, vel Divina voluntate facultas gubernandi data. Ac poteſtatem quidem eam appello, qua qui dignitate ceteris antecellunt, præfectique ſunt, edicta, ac

„ tem ut conſeſſum Dei ... Sine his Eccleſia non vocatur „. *Num.* VII. *pag.* 23.
„ Quod fiet, ſi inflati non fueritis, & indivulſi manſeritis a Deo Jeſu Chriſto, & Epiſco-
„ po, & præceptis Apoſtolorum. Qui intra Altare eſt, mundus eſt; qui vero extra eſt,
„ non eſt mundus. Hoc eſt, qui ſine Epiſcopo, & Presbyterio, & Diaconis quidquam agit,
„ is non eſt mundus in conſcientia „. *Num* XIII. *pag.* 25. „ Subjecti Epiſcopo, ut Dei
„ mandato, & ſimiliter Presbyterio „. *Et ad Philadelphenos*, ſub initium. „ Maxime ſi
„ unum ſint cum Epiſcopo, & Presbyteris, & Diaconis „. *Num.* I. *pag.* 30. „ Quem ego
„ Epiſcopum cognovi non a ſe ipſo, neque per homines obtinuiſſe miniſterium ... Sed in
„ caritate Dei Patris, & Domini noſtri Jeſu Chriſti „, *Num.* III. „ Quotquot enim Dei,
„ & Jeſu Chriſti ſunt cum Epiſcopo „. *Num.* IV. „ Una eſt caro Domini noſtri Jeſu Chriſti,
„ & unus calix in unitatem ſanguinis ipſius, unum altare, ſicut unus Epiſcopus, cum Pres-
„ byteris, & Diaconis conſervis meis „. *Num.* VII. „ Quamquam enim ſecundum carnem
„ voluerunt quidam me ſuadere, at ſpiritus non ſeducitur a Deo exiſtens ... Clamavi
„ cum intereſſem, locutus ſum magna voce, voce Dei: Epiſcopo attendite, & Presbyterio,
„ & Diaconis.. Sine Epiſcopo nihil facite „. *Et ad Smyrnæos n.* VIII. *pag.* 36. „ Omnes
„ Epiſcopum ſequimini, ut Jeſus Chriſtus Patrem, & Presbyterium, ut Apoſtolos, Diaco-
„ nos autem revereamini, ut Dei mandatum. Sine Epiſcopo nemo quidquam faciat eorum,
„ quæ ad Eccleſiam pertinent „. *Num.* IX. „ Bene habet Deum, & Epiſcopum reſpicere.
„ Qui honorat Epiſcopum, a Deo honoratus eſt.

1 Conſule s. Thomam 1. II. *q.* XCV. *art.* IV. *in* c. *&* *ad* 4. *&* *art.* V. *in* c. Mitto cetera loca ne ſim longus. Idem oſtendunt Proteſtantes Grotius de I. *B. & P. lib.* 1. *cap.* III. §. VI. *pag.* 88. *ſeq. edit. an.* 1735. *tom* 1. & Puſendorfius *lib.* VII. *de* J. N. *&* G. *cap.* III. §. 1. *ſeqq. pag.* 130. *ſeqq. tom.* III. *edit. an.* 1740. eorumque Interpretes.

μενος πλούσιος quis dives ſalvandus inſcribitur (1) de Johanne agens, qui Aſiam peragraſſet, neſcio quorum hominum rogatu, ad finitimas gentes profectum ſcribit, ut alicubi Epiſcopos ordinaret, alibi ὅπυ δὲ κλήρῳ ἕναγέ τινα *in clerum unum aliquem* adlegeret. At ne in cogitationem quidem cadit, ſortibus aut Romanos, aut Johannem uti conſueſſe, ut Clericos, & Epiſcopos conſtituerent. Neque vero intelligo quid cauſſæ ſit, cur ſi κλῆρον διακονίας conſequuti eſſe Epiſcopi, Presbyterique dicantur, eoſdem aliqui ex *Cleri* voce inflexa *Clericos* appellari ſine nota ambitionis poſſe negent. A *Clero enim*, hoc eſt a *ſorte miniſterii* dicti *Clerici* ſunt, quibus ſolis publicum in Eccleſia munus obire fas erat, non ab *hæreditate* ſempiterni regni, quæ *ſors ſanctorum* (2) ab Apoſtolo vocatur, eſtque communis non *eccleſiaſticorum* modo, ſed etiam *laicorum*. Caveant autem, qui ambitionis neſcio quod indicium in hac voce ab ſe deprehenſum jactant, ne ſit conſequens, obtinuiſſe hoc vitii genus in Eccleſia jam uſque ab ætate Apoſtolorum, qua Lucas Evangelium, & Acta ſcripſit, uſurpavitque *Cleri* vocabulum. Atque haud ſcio, an ea vox *clericorum*, quam inanis gloriæ cupiditate introductam cenſent, trita eſſe Clementis Alexandrini (3), Cypriani (4), Corne-

1 Apud Combefiſium *Auctar. noviſſ. Bibl ss. PP. pag.* 185. Potterum *edit. Oxon. opp. Clem. Alex pag.* 959. & apud Euſebium *lib.* III. *hiſt. Eccl. cap.* XXIII. *pag* 113. Vide in hunc locum Valeſii adnotationes. Pearſonus *in Vindiciis epiſtolar. Ignatii parte* II. *c.* I. *pag.* 358. *tom.* II. *Apoſtolic. PP. edit. an.* 1724. „ Recte, *inquit*, hunc locum ex tribus „ MSſ. codicibus reſtituit doctiſſimus Valeſius . . . Unde coacta illa Walonis Meſſalini inter„ pretatio concidit, qui *epiſcopos* hic plures presbyteros in urbe, κλῆρον ἕνα *unum Pres„ byterum*, *ſive chorepiſcopum* in pago, mire interpretatur. Ex horum Epiſcoporum ſuc„ ceſſione diſputat adverſus hæreticos Tertullianus *Contra Marcionem lib.* IV. *cap.* V. *ha„ bemus & Johannis alumnas Eccleſias. Nam etſi Apocalypſin ejus Marcion reſpuit, or„ do tamen Epiſcoporum ad originem recenſus in Johannem ſtabit auctorem.*

2 *Ad Coloſſ. cap.* 1. *v.* 12. κλῆρος ἁγίων. Confer Petrum de Marca *loco indic.*

3 *Loc cit.*

4 *Epiſt.* LIX *al.* LV. *pag.* 139. *edit. Oxon.* „ Quid ſupereſt, quam ut Eccleſia capitolio „ cedat, & recedentibus Sacerdotibus, ac Domini altare removentibus, *in Cleri noſtri ſa„ crum, venerandumque conſeſſum* ſimulacra, atque idola cum aris ſuis transferant? . . „ Et quamquam ſciam . . . pro mutua dilectione, quam debemus, & exhibemus invicem „ nobis, florentiſſimo *illic Clero* tecum præſidenti, & *ſanctiſſimæ*, *atque ampliſſimæ plebi* „ legere te ſemper litteras noſtras, tamen nunc & admoneo, & peto . . ut etiam petente „ me facias „ . *Et epiſt.* LXII. *al.* LX. *pag.* 147. „ Miſimus autem ſeſtertium centum millia „ nummum, quæ iſthic in Eccleſia, cui de Domini indulgentia præſumus, *Cleri, & Plebis* apud „ nos conſiſtentis collatione collecta ſunt „ . *Et epiſt.* I. *al* LXVI. *pag.* 1. „ Jam quidem in „ Con-

lii (1) aliorumque ſermone potuerit, quorum eximia quidem certe in omni genere virtus erat.

At qui ſunt ex *ordine Eccleſiaſtico*, ſic enim adverſarii diſputant, vel ſe Dei, vel Deum ſuam eſſe *ſortem*, *hæreditatemque* defendunt, ceteroſque omnes, quaſi vulgus, plebemque Chriſtianam conſtituant, aſpernantur (2). Sed qui ſic ſtatuunt, non animadvertunt, quemadmo-

,, Concilio Epiſcoporum ſtatutum eſt, ne quis de Clericis, & Dei miniſtris tutorem, vel
,, curatorem teſtamento ſuo conſtituat, quando ſinguli Divino Sacerdotio honorati, &
,, in clerico miniſterio conſtituti, nonniſi altari, & ſacrificiis deſervire, & precibus, atque
,, orationibus vacare debeant ,,. *Et epiſt.* v. *pag.*10. Illic ſit apud *Clericos* diſtributa. *Et epiſt* xxix. *al.* xxiv. ,, Sed & illud ad vos perferre litteris meis debui, urgente cauſſa,
,, *Ciero* in Urbe conſiſtenti litteras me miſiſſe. Et quoniam oportuit me per *Clericos* ſcribe-
,, bere . . . neceſſe fuit novos aliquos conſtituere, qui mitterentur &c.

1 S. Cornelius Pontifex *epiſt ad Fabium Antiochenum apud Euſebium lib.* vi. *hiſt. Eccl. cap.* xliii. & *apud Couſtantium tom.* 1. *collect. epiſt. Rom. Pont. num.* 2. *p.* 150. de Epiſcopo quodam agens, qui imprudens Novatiano manus impoſuerat, deindeque facti pœnitens in Eccleſiam redierat, ᾧ καὶ ἐκοινωνήσαμεν, inquit, ὡς λαϊκῷ, ὑπὲρ αὐτοῦ δεηθέντος παντὸς παρόντος τοῦ λαοῦ. *Cui & communicavimus, ut laico, deprecante pro ipſo univerſo, qui tum erat præſens, populo.* & *num.* vi. *pag.* 155 ,, Intercedebant non ſolum
,, omnis clerus, ſed etiam multi laicorum &c. Conſule Marcam *l. c.* Ceteros Scriptores, qui de hoc argumento egerunt, paullo poſt numerabo.

2 N. Rigaltius *in not. ad Cyprian. Epiſt.* 11. *edit. an.* 1666. ubi univerſam Eccleſiam *clerum* Chriſti eſſe affirmavit, quod nemo umquam negavit, ſi *Cleri* nomine eorum cœtus intelligatur, qui cum in Chriſtum ſervatorem credant, cum ſpe hæreditaris ſempiterni regni ducuntur, ſic ſtatuit: ,, Sed prava mortalium cæcitas, Chriſtiana ſimplicitate neglecta,
,, Phariſæorum ſuperbiam reduxit, & obruit cæleſtia terrenis . . . Credo diſcipulos, & mox
,, Apoſtolos fuiſſe Chriſti magiſtri ſui vocibus obſequentiſſimos, & multa cernimus ævo pro-
,, xime ſequenti primitivæ illius reverentiæ, fideique veſtigia, ſic tamen, ut neceſſe ſit fa-
,, teri, jam exinde nonnullos ovilibus Chriſtianis adeo graves, & aſperos incubuiſſe paſto-
,, res, ut ab iis ad nos antiquiſſimæ origines fluxerint morum, & rituum ab illa primæva
,, ſinceritate alieniſſimorum. Præviderat Paulus venturos poſt diſceſſum ſuum lupos inſidian-
,, tes gregi, non parcentes ovibus. Et hic quidem in gentibus At Petrus Phariſæos dominari
,, ſuetos in cleris ab ſynagoga vocans ad Chriſtum, paſtores ut fiant ovium Chriſti, depellit
,, ab regno clerorum. Formam ovilis, quam Eccleſiæ Chriſtianæ Apoſtoli, paſtores a
,, Domino formati, tradiderunt, viri Apoſtolici ſervavere. Sed vix alterius ſeculi diſci-
,, plina fuit, cum ipſi paſtores nomen cleri, quod erat ovium univerſitati commune, ſic
,, proprium ſibi fecerunt, ut jam nomen ipſum ovilis in populi, ſive plebis, & laicorum
,, appellatione vileſceret. Hinc exorta jam ævo Tertulliani, ac Cypriani inter clericos,
,, & laicos differentia tanta, ut laici non intelligerentur appellatione cleri ,,. Hactenus Rigaltius, qui Calvini partibus ſtudebat. Ex his autem verbis colligitur: Primo *prava mortalium cæcitate reductam* in Eccleſiam fuiſſe *ſuperbiam Phariſæorum* ob probatam diſtinctionem clericorum ab laicis. Nam de hoc genere diſtinctionis ex inſtituto ibidem agit Rigaltius. Secundo, exactis Apoſtolis, eorumque diſcipulis *primævam* ſinceritatem excidiſſe, & graves, atque aſperos tertio ſeculo incubuiſſe Eccleſiæ paſtores, nempe ob attributam Eccleſiaſticis appellationem Cleri. Tertio, hos paſtores luporum nomine fuiſſe indicatos a Paulo. Quarto, depulſos a Petro fuiſſe ex regno *clerorum* Phariſæos Chriſtianos factos. Quinto, formam ovilis a Chriſto inſtitutam ab Apoſtolis, eorumque auditoribus ſervatam fuiſſe, neglectam autem a Tertulliano, Cypriano &c. qui, Rigaltii, ut videtur, opinione, lupi illi, graveſque paſtores fuerunt, quos Apoſtolus futuros judicavit. Tam male is auctor animatus in noſtros fuit, ut ne Cypriano quidem, Cornelioque ſanctiſſimis Martyribus,
quod

admodum Levitis, ita Clericis noſtris poſſe *ſortis*, *partiſque Domini* appellationem dari. Nam ſi Levitæ *divinæ ſortis* habebantur, & erant, quin ambitionis reprehendi a quoquam poſſent, propterea quod addicti *altari* cum eſſent, ſacrificia procurarent, nihilque agri poſſiderent, victimarumque partibus, ac decimis, quas reliquæ tribus pendere debebant viverent (1), cur non item noſtris Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis vocari fas erat eodem nomine, quibus amplificandæ religionis (2), adminiſtrandorumque ſacrorum Chriſtianorum impoſitum (3) onus eſſet, factaque

quod nominibus iiſdem, quibus nos, uterentur, parcendum exiſtimarit. Sed quod ad primum attinet, refutatum paullo ante eſt, & mox *not.* 1. *pag.* 21. refutabitur. Quod ad ſecundum, non minore auctoritate functi Apoſtoli, eorumque diſcipuli fuerunt, quam functi ſint Cyprianus, Cornelius, quique poſt Epiſcopi floruerunt. Tertium tam eſt abſurdum, ſi de Cypriano, Cornelio, aliiſque, eorum præſertim ſimilibus, Epiſcopi intelligatur, ut ne egeat quidem, qua refellatur, oratione. De quarto dicam alio loco. Extremum pluribus opportune, paullo poſt, quam ſit falſum, conſtabit *pag.* 21.

1 *Lib. Joſ. cap.* XVIII. *v.* 7. *Non enim eſt pars filiis Levi in vobis. Sacerdotium enim domini pars ipſius*. Confer *Deuter. cap.* 10. *v* 9. *&* Num. *c.* XVIII. *v.* 20. *Loquutus eſt Dominus ad Aaron, in terra ipſorum non hæreditabis, & pars non erit tibi in ipſis, quoniam ego pars tua in medio filiorum Iſrael. Et filiis Levi, ecce dedi omne decimum in Iſrael in ſortem pro miniſterio ipſorum &c.*

2 *Act. cap.* VI. *v.* 2. Apoſtoli ſic ſtatuunt. „ Non eſt æquum nos derelinquere verbum „ Dei, & miniſtrare menſis . . . Nos orationi, & miniſterio verbi inſtantes erimus „. Hoc ſi Apoſtoli de ſe ipſis, quod orationi, & miniſterio verbi inſtarent, dixerunt, cur non dicent Epiſcopi, & Presbyteri &c. qui oratione, & verbo miniſtrare Chriſtianis perinde debent?

3 Claudius Salmaſius *Diſſert. de Epiſcopis, & Presbyteris cap.* V. *pag.* 382. *ſeqq.* a Rigaltio diſſentiens, non ſuperbiæ indicium id eſſe nomen, ſed proprium Sacerdotum, Levitarumque veteris Teſtamenti ſcribit. Itaque „ Presbyteros Chriſtianorum, & Epiſcopos, cum „ nec Sacerdotes eſſent, *nihil* Sacerdotalis muneris geſſiſſe, aut dignitatis ſacerdotalis ha„ buiſſe, quod eos a laicis diſtingueret „. Nam Clementem Romanum, qui Hierarchiam deſcriberet Hebræorum, meminiſſe Sacerdotum, & Levitarum, poſtque hos *laicos* nominaſſe, ubi vero ad Chriſtianæ Eccleſiæ deſcriptionem venit, appellaſſe Epiſcopos, & Presbyteros, & Diaconos ſæpe, Sacerdotes nunquam. Ac Sacerdotes quidem nobiles apud Judæos, Ethnicoſque haberi conſueſſe, ceteros plebem, idque jam demonſtrari auctoritate Joſephi *in Vita ſua*. Apud Chriſtianos vero ejuſdem omnes rationis fuiſſe. At ſi eorum qui ab Apoſtolis inſtituti ſunt, teſtimonio conſtiterit, apud nos item & Altare, & Sacerdotium eſſe, fateatur neceſſe eſt Salmaſius, Clericos eos appellari jure poſſe, qui altari miniſtrant, reliquos vero plebem, & populum. Sed de Sacerdotibus, altariſque miniſtris ceteris agam alio loco copioſe. Satis nunc erit unius Ignatii ex Epiſtolis genuinis teſtimonium, quibus epiſtolis ne Luterani quidem, & Calviniani plerique detrahunt auctoritatem. *Epiſt. ad Epheſios num.* V. *pag.* 13. *tom.* II. *Apoſtolicor. PP. edit. an.* 1724. Nemo erret, niſi qui *intra Altare ſit*, privatur „ pane Dei „. *Epiſt. ad Philadelphenos num.* IV. *pag.* 31. Una eſt caro Domini noſtri Jeſu „ Chriſti, & unus calix in unitatem ſanguinis ipſius, *unum altare*, ſicut unus Epiſcopus „ cum Presbyterio, & Diaconis conſervis meis „. Ubi autem eſt altare, quis neget Sacrificium, & Sacerdotes eſſe oportere? Sed de hoc alias. De Diaconis autem ſic habet idem Ignatius *Epiſt. ad Magneſianos num.* IV. *pag.* 19. *Diaconis mihi ſuaviſſimis quibus commiſſum eſt miniſterium Jeſu Chriſti*. *Et Epiſtola ad Trallianos num.* II. *pag.* 22. „ Oportet autem & *miniſtros exiſtentes myſteriorum Jeſu Chriſti*, omni modo omnibus placere. „ *Non enim ciborum & potuum ſunt Diaconi, ſed Eccleſiæ Dei miniſtri*.

perioris uni Deo vivere cœpiſſe viderentur. Adverterant autem ad Evangelium Johannis animum, qui hanc primi appellationem adhibuerunt, quoniam is Apoſtolus eos, qui in nomine Chriſti crederent, non ex ſanguinibus, neque ex viri, carniſve inſtinctu, ac voluntate, ſed ex *Deo* natos eſſe (1) ſtatuerat.

Τέλειοι deinde, ac τελειούμενοι (2) hoc eſt *perfecti* (3) & conſummati (4) dicebantur, quod poſt Baptiſmum confirmari continuo veteres ſolerent, quam quidem *confirmationem* (5) perfectionis Sacramentum eſſe cognoverant. Accedebat jus Euchariſtiæ percipiendæ, quod eſt proprium bapti-

1 *Cap.* I. *v.* 13. Scio fuiſſe olim nonnullos, qui ad Chriſtum referendum hunc eſſe locum arbitrarentur, atque *ex Deo natus eſt* legerent. De qua re adeundus Caſtus Innocens Anſaldus Ord. Præd. vir doctus *Diſſert. de loco Joannis apud nonnullos Patres a vulgata diverſimode lecto*, *edit. Brixienſis an.* 1746.

2 s. Athanaſius *Orat.* I *adverſus Arianos al.* II. *tom.* I. *opp. edit. Monach. s Mauri Pariſ. pag.* 439. οὕτω τελειούμενοι καὶ ἡμεῖς ἐκ ποιημάτων ὄντες, υἱοποιούμεθα λοιπόν. *Ita* perfecti *reddimur & nos ex creatis exſtantes, jam adoptamur in filios*. Agit autem eo loco Athanaſius de baptiſmo. Auctor Dialogorum *adverſus Macedonium inter opera s. Athan. t.* II. *p.* 544. „ Quomodo non in confeſſo ſit, baptiſmum adoratione majorem eſſe, cum ipſi et an„ catechumeni Patrem, & Filium adorent, perfectionem tamen *non habeant* οὐκ ἔχουσι δὲ τε„ λειότητα, niſi baptizentur in nomen Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. εἰ δὲ μὴ εἰσι τέλειοι „ χριστιανοί. ſi vero non ſint *perfecti* Chriſtiani Catechumeni antequam baptizentur, βαπτι„ σθέντες δὲ τελειοῦνται *baptizati* autem perficiuntur, utique baptiſmus major eſt adora„ tione, ὁ τὴν τελειότητα παρέχει, qui perfectionem continet „. Sed hæc ſatis ſunto, ut *perfectos* fuiſſe baptizatos appellatos conſtet. Nam Binghamus dicit id quidem, ſed nullo vetere monumento confirmat. Hoc unum demonſtrat: *Euchariſtiam* fuiſſe ab Græcis τὸ τέλειον *perfectum* dictam. Id autem quamquam eſt verum, tamen ad rem, quam ſibi propoſuerat confirmandam, non pertinet.

3 Tertullianus *cap.* XLI. *lib. de Præſcript. pag.* 217. *edit. an.* 1748. In actis vitiatis Martyrii s. Stephani Papæ apud Surium *tom.* IV. *pag.* 500. *edit. an.* 1579. hæc leguntur. „ Sacri baptiſmatis gratia ex more *perfecit*, & in albis poſitum Presbyterum con„ ſecravit.

4 Rufinus *lib.* VI. *Hiſt. Eccl. Euſeb. cap.* XXXIV. *pag.* 157. *edit. an.* 1528. „ Nec reliquæ „ in eo, quæ baptiſmum ſubſequi ſolent, ſolemniter adimpleta ſunt, nec chriſmate *conſummatus eſt Novatianus* „. s. Cyprianus epiſtola ad Jubajanum LXXIII. *pag.* 202. „ *edit. Oxon.* Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Eccleſia baptizantur, Præ„ poſitis Eccleſiæ offerantur, & per noſtram orationem, ac manus impoſitionem Spiritum „ Sanctum conſequantur, & ſignaculo Dominico *conſummentur*.

5 Euſebius *lib.* III. *Hiſt. cap.* XXI. *edit. Valeſii al.* XVII. *pag.* 67. *edit. an.* 1612. „ Presbyter recipiens in domum ſuam traditum ſibi adoleſcentulum educavit, in officio „ continuit, fovit, & poſtremo *illuminavit*. Et poſt hæc ubi tamquam perfecta cuſtodia „ ſignaculo eum Domini (hoc eſt Sacramento confirmationis) obſignavit, nonnihil de cu„ ra, & diligentia in eo inſtituendo remiſit „. Hæc etiam ſpectant Cypriani, & Rufini loca, quæ modo deſcripſimus. Quinetiam Innocentius I. P. M. *epiſt.* XVII. *quæ eſt ad Rufum &c. t.* I. *collect. epiſtolar. Roman. Pontif. edit. Coutantii pag.* 836. „ Baptizatos rite, „ *ait*, ab Evangeliſta Philippo Petrus, & Johannes ſola manus impoſitione *conſummant* „. Sed hæc alias.

baptizatorum. Euchariſtia namque τὸ τέλειον *perfectum* (1) appellabatur.

Quinetiam fuerunt, qui baptizatos *Caros Dei* vocarent, qui cum conjuncti Deo caritate eſſent, tum facile non ſibi ampliorem gratiam modo, ſed etiam iis, qui lapſi in aliquod ſcelus fuiſſent, veniam impetrare poſſent. Itaque vetus auctor Tertullianus in eo, quem de Pœnitentia (2) ſcripſit, libro, pœnitentes, ut ab caris Dei præſidium poſtulent, hortatur. Nam pœnitentes, etſi initiati myſterio baptiſmi erant, eodem tamen atque Catechumeni numero haberi conſueverant, ut qui ab eorum, qui participes erant divinorum ſacramentorum, loco arcerentur. De qua re erit nobis opportune alibi differendum.

Atque baptizati ut cari Dei, ita *Dei altiſſimi, Chriſtique filii* (3) appellabantur. Nam id nomen univerſe iis etiam interdum tribuebatur, qui fidem, pietatemque colerent, etſi erant in ordine catechumenorum.

Quid? Si *fratrum* appellatio propria eſſet baptizatorum? Quod ſane cum dictum alio (4) loco ſit, nunc omittatur. Quamquam negari non poteſt, quin dari quoque interdum iis, qui ſermonibus Chriſti crederent, conſueſſet (5). Quod ſi initiatis *fratrum*, multo magis *ſanctorum* nomen imponendum fuit (6).

Etſi vero *Servi Dei* (7) dici Catechumeni poſſent, ut qui Deo inſervire, cultumque adhibere ſolerent, tamen

 hoc

1 Concilium Ancyranum *can.* IV. *tom.* I. *Concilior. pag.* 274. *edit. Pariſ. Harduini*. „ Viſum eſt ipſo anno inter audientes eſſe (*eos qui ſacrificare coacti ſunt*): annis autem in „ proſtratione tribus, ſola autem prece communicare duobus annis, & tunc ad *perfectum* „ τέλειον (Euchariſtiam) venire „. Vide *can.* VI. VIII. & IX. *pag.* 275. *can.* XX. *pag.* 279. & *can.* XXII. *ibid.* Sed de hac re alias.

2 *Cap.* X. *pag.* 127. *edit. Venetæ an.* 1748. Le Prieur *in not. ad hunc Tertulliani locum* Martyras indicari *carorum Dei* appellatione cenſet. Contra Lacerda Presbyteros. Neuter, quod vult, ullo vetere monumento poteſt efficere. Ego Albaſpinæo aſſentior, quem ſunt Binghamus, aliique ſequuti.

3 Vide quæ dixi *tom.* I. *pag.* 95. *num.* VII. & *not.* 7. & Johannem Chryſoſtomum *Homil.* I. *in epiſt. ad Coloſſ. tom.* XI. *opp. pag.* 324.

4 Confer locum Juſtini ſupra deſcriptum *pag.* 4. *n.* 1. *hujuſce libri*.

5 Conſule *l.* I. *hujus op. cap.* I. §. II. *pag.* 4. *not.* 8.

6 Ibid. *not.* 4.

7 Vide Boldettum *lib.* II. *Oſſerv. ſopra i Cimiterj cap.* VII. *pag.* 437. Anno 1730. *In Cœmeterio ss. Abdon & Sennen* reperta hæc eſt inſcriptio marmori inſculpta.

EV-

hoc idem vocibulum initiatis attributum eſt. Idque jam ipſum dici omnino de voce *conſervorum* (1) debet.

§. V.

Et Fide conſtituti, & regenerati, & renati, & ſi recens baptizati erant, neophyti, hoc eſt nuper plantati.

Quemadmodum autem fideles, quod ſupra demonſtratum eſt (2) ita *fide conſtituti* eſſe dicebantur, qui ad baptiſmum acceſſerant; cujus quidem rei inſigne monumen-

EVTYCHIANO FILIO DVLCISSIMO
EVTYCHIVS PATER. D. P. V. A. I M.
II. D. IIII. DEI SERVVS ☧ IXΘYC

Eutychiano filio dulciſſimo Eutychius pater dolens poſuit. V.xit anno 1. *menſibus* 2. *diebus quatuor Dei ſervus* ☧ *piſcis*. Ex qua inſcriptione, & aliis, quas deſcripſi *t.* 1. *p.* 54. *ſeqq.* & *t.* 111. *pag.*20. conſtat baptizatos fuiſſe etiam *piſciculos* appellatos. Rurſum apud Boldettum *lib.* 11. *cap.* x. *pag.* 456. extat inſcriptio hujuſmodi

ΑΥΡΑΙΛΙΑΝΟϹ
ΠΑΦΛΑΓΩΝ ΘΕ
ΟΥ ΔΟΥΛΟϹ ΠΙϹΤΟϹ
ΕΚΟΙΜΗΘΗ ΕΝ ΕΙΡΗ
ΝΙ ΜΝΙϹΘΗ ΑΥΤΟΝ Ο
ΘΕΟϹ ΙϹ ΤΟΥϹ ΑΙΩΝΑΣ

Aurelianus Paphlagon ſervus Dei fidelis *dormivit in pace. Recordetur ipſius Deus in ſecula.* Hæc apprecatio diverſis verbis in aliis epigrammatibus ſepulcralibus, quæ eodem tamen recidant, legitur. Atque huc ſpectat inſcriptio Timotheæ Martyris, quæ cum nondum edita ſit, produci a nobis in lucem debet. Translata autem una cum reliquiis Martyris e Cœmeterio Urbis in Senogallienſe Sacellum Comitum Antonellorum eſt, quemadmodum accepi ab erudiſſimo Præſule Nicolao Antonello, qui eſt ſacro Collegio, & Conſiſtorio a ſecretis. Sic autem habet.

AETERNA . TIBI . LVX
TIMOTHEA . IN . ☧
QVAE . VIXIT . ANN. XIII
MENS . VIIII . IN PACE
. . . . . OS . VII . ID . ARA .

Æterna enim lux ei conceditur, cujus recordatur Deus in ſeculum.

1 Vide, quæ dixi *tom.* 1. *pag.* 7. §. 11 *num.* v. *not.* 1. *ſeq.* Tertullianus *lib.* 11. *de cultu Feminar. cap.* 1. *pag.* 154. Chriſtianas mulieres ſic alloquitur,, Ancillæ Dei vivi, conſervæ, & ſorores meæ &c.

2 Inſcriptio apud Boldettum *lib.* 11. *cap.* v. *pag.* 392. reperta in Cœmeterio s. Helenæ.

ZO-

mentum in Cœmeteriis urbis ante aliquot annos repertum eſt, ut alio loco diximus (1).

De regeneratis (2) plura perſequi non eſt neceſſe: Tam enim eſt exploratum, ut nihil eſſe clarius poſſe videatur. Idque jam de *renatorum* (3) nomine plane conſtat. *Renati* autem, ac *Regenerati* appellabantur, quod baptiſmi aquis perfuſi, novam vitam agere (4) deberent. *Plan-*

ZOSIMVS QVI VIXIT ANNOS XL
ET. M. V. ET. D. III. IN PACE
FIDELIS.

Zoſimus, qui vixit annos quadraginta, & menſes quinque, & dies tres in pace fidelis. *Et cap. x. pag. 453.* alteram idem refert inventam in Cœmeterio s. Agnetis.

CYRIACVS FIDELIS DECESSIT OCTO DIES
MINVS A TRES ANNVS III. KAL. MAR.

Cyriacus fidelis deceſſit, octo dies minus a tribus annis, tertio Kalendas Martias.

1 Vide *Tom.* III. *hujuſce operis pag. 66.* Fidem autem ſæpe pro baptiſmo ab antiquis Patribus intelligi conſueſſe, perſpicuum eſt. Tertullianus *lib. de Pudicitia cap.* 1. *pag.* 559. *edit. an.* 1675. ,, Ne ſecundas quidem poſt fidem nuptias permittitur noſſe ,,. Quæ autem hæc eſt fides, niſi baptiſmus? Rurſum *cap.* XVIII. *pag.* 570. ,, Quid turpius impudicitiis? Si ,, autem & ab otioſe incedente fratre denunciat ſubduci Theſſalonicenſibus, quanto magis & ,, a fornicatore? Hæc enim conſultata ſunt Chriſti Eccleſiam diligentis, qui ſe pro ea tradidit, ,, ut eam ſanctificet, emundans lavacro aquæ in verbo, ut ſiſtat ſibi Eccleſiam glorioſam, ,, non habentem maculam, aut rugam, utique poſt lavacrum . . . Quod ſi & hic reſpondere ,, concipias adimi quidem peccatoribus, vel maxime carne pollutis communicationem, ſed ,, ad præſens reſtituendam ſcilicet ex pœnitentiæ ambitu . . . hoc fundamentum opinionis ,, veſtræ uſquequaque pulſandum eſt. Dicimus itaque clementiæ divinæ, ſi ita eſſe competiſ- ,, ſet, demonſtrationem ſui etiam *poſt fidem* lapſis, ita Apoſtolus diceret, nolite communicare ,, operibus tenebrarum, niſi pœnitentiam egerint . . . Porro cum in omnibus Epiſtolis & ,, *poſt fidem* talem prohibeat admitti . . . noſtræ magis ſententiæ adſiſtit, eam pœnitentiam ,, oſtendens Dominum malle, quæ *ante fidem, quæ ante baptiſma* morte peccatoris potior ha- ,, beatur ,,. Ita Tertullianus cum hæc ſcriberet Montaniſta. Hinc Baptiſmus *ſacramentum fidei* appellatur. Confer Tertull. *lib. de anima cap.* 1. *pag.* 264. Itaque *fide conſtitutus* is eſt, qui *baptiſmum ſuſcepit*. Quamobrem a Cyrillo Hieroſoymitano Procatecheſi *pag 6. edit. an.* 1640. proxime baptizandus, nempe is qui nomen dedit, non in fide conſtitutus, ſed *μεθορίοις ἑστήκεις in finibus conſtitutis* dicitur.

2 Græce ἀναγεγεννημένοι. Confer Irenæum *lib.* 1. *contra Hæreſes cap.* XVIII. *pag.* 87. *edit. an.* 1702.

3 Confer *cap.* III. *evang Joh. v.* 3. *ſeqq. & Tertull. lib. de Baptiſ. c.* 1. *ſeqq. p.* 224.

4 Juſtin. Mart. *Apol.* 1. *n.* LXI. *p.* 82. *ed. Ven. an.* 1748. ,, Primam noſtram generationem ,, ignorantes, *inquit*, ... in pravis moribus, & nefariis inſtitutis educati, ut . . . ignoratio- ,, tionis filii non maneamus, ſed electionis, & ſcientiæ, & remiſſionem peccatorum, quæ ,, prius commiſimus, conſequamur, in aqua ſuper volente ἀναγεννηθῆναι *regenerari*, & age- ,, re pœnitentiam peccatorum, parentis omnium, & Domini Dei nomen pronunciatur &c. Tatianus autem *Orat. adverſus Græcos num.* V. *pag.* 262. imitatione verbi & ego, *inquit*, ἀναγεννηθεὶς *regeneratus*. Confer Clementem Alexandrinum *l.* II. *ſtromateon p.* 425. *edit. an* 1641. & Tertullianum *De baptiſmo cap.* XIII. *ſeq. pag.* 229. *edit. an.* 1748. De ἀναγεννήσει, & παλιγγενεσία regeneratione recentiorum aliquot Patrum teſtimonia collegit Svicerus *in Lexico ad eas voces*.

Plantati autem in Eccleſia Dei, Chriſtoque inſiti cenſentur, qui abjecta ſuperſtitione, noſtris ſacris, myſteriiſque initiantur. Itaque recens baptizatis tributa eſt a noſtris majoribus appellatio *neophytorum* (1). *Neophytus* enim *nuper plantatum, inſitumve* ſignificat (2). Itaque cum hujuſmodi vox uſurpata ab Apoſtolo Paulo fuerit, tum fuit apud veteres Chriſtianos, eſtque etiamnum apud noſtros in uſu. Hoc tamen inter antiquos, noſque intereſt. Illi recens tinctum *Neophytum* vocabant, nos eum, qui jam inde etiam a multo tempore vel a ſuperſtitione Ethnicorum, vel a Muhamedi ſecta ad Chriſtum converſus, baptiſmoque initiatus ſit, appellamus hoc nomine.

ſ. VI.

1 Adeundi Tertullianus *libro de Praſcriptionibus cap.* XLI. *pag.* 217. & *adverſus Marcionem lib.* 1. *cap.* XX. *pag.* 275. Sed de re certa, atque manifeſta non eſt cur multa eſſe colligenda putem. Satis erit inſcriptiones aliquot veteres deſcripſiſſe, quæ in Cœmeteriis Urbis inventæ ſunt. Apud Aringhum *tom.* 11. *pag.* 173. hæc legitur.

RVFILIO NEOFITO QVI
VIXIT AN. II. ☧ D. XL
QVINTILIANVS PATER FILIO
DVLCISSIMO IN PACE XPI.

Apud Boldettum *pag.* 419.

DP. CYRIACETIS III. IDVS. QVAE. VIXIT
ANN. XX. DIES. I. QVE NEOFITA MORTVA
EST. VIRGO. IN P.

Depoſita Cyriacetis tertio idus, qua vixit annis viginti die 1. *qua Neophyta mortua eſt virgo in pace.* Apud Scipionem Maffeum *Muſei Veron. pag.* 180.

Q. VIMINATI NEOFITO BENE ME
RENTI IN PACE QVI VIXIT ANN PM
DEPOSITVS VIII KAL DEC AVSONIO
ET OLYBRIO COSS.

Hoc eſt an. 379. Inſcriptiones ceteras, ne ſim longus, prætereo.

2 Confer *epiſt. ad Rom. cap.* XI. *v.* 17. 24. Cyrillus Hieroſolymitanus *Catech.* 1. *p.* 3. *edit. an.* 1640. „ Antea Catechumenus eras, *inquit*, nunc autem fidelis vocaberis, tranſplantaris μεταφυτίνῃ rurſus in ſpiritales oleas ex oleaſtro in oleam frugiferam inſertus ex peccatis in juſtitiam, ex pollutione in puritatem, & particeps ſanctæ illius vineæ efficeris, ac ſi permanſeris in vinea, tamquam vitis frugifera creſces.

§. VI.

De origine nominum Clericorum , & Laicorum .

Redeo ad Clericos . Etſi erant , qui tres gradus Chriſtianorum ponerent , tamen permulti duos nominabant , *Clericorum* , & *Laicorum* (1) . Vetus autem imprimis conſuetudo fuit , eaque jam non Hebræorum modo , ſed etiam aliarum gentium firmata conſenſu , ut agri populorum , qui redacti in ſervitutem eſſent , inter duces , militeſque victoris exercitus ſorte (2) dividerentur . Quod enim *ſors* Latinis , hoc idem Græcis eſt κλῆρος . Quamobrem pars quæque agri , quæ ſorte duci , militive obtigerat , κλῆρος dicebatur . Ergo ut diviſio Chananitidis inter duodecim Iſraelis tribus κλῆρος , κληρονομία , & κληρουχία (3) , ita ſane quæ pars agri cuique familiæ Tribuum Iſraeliticarum obvenit , obvenire autem ſorte conſueverat , κλῆρος eſt a Septuaginta Interpretibus appellata . Eſtque auctor Plutarchus κλῆρον vocatam a Græcis portionem agri fuiſſe , quam Lacedæmoniis civibus Lycurgus (4) aſſignaviſſet . Atque hoc quidem vocabulum quamquam erat apud Hebræos , Græcoſque in uſu , tamen ab Hebræis , ex quibus orti Apoſtoli,

ac

1 Tertullianus *lib. de Monogamia cap.* XII. *pag.* 533. (ſcripſit autem hunc librum , cum Montani partibus ſtuderet , ut convinceret Catholicos ajentes non laicos , ſed Eccleſiaſticos , hoc eſt Clericos monogamos eſſe oportere) ſic nugatur . „ Adeo , inquiunt , permiſit Apoſto- „ lus iterare connubium , ut ſolos , qui ſunt *in Clero* , monogamiæ jugo adſtrinxerit . Quod „ enim quibuſdam præſcribit , Id non omnibus præſcribit . . . Unde Epiſcopi , & *Clerus* ? „ Nonne de omnibus ? Si non omnes Monogamiæ tenentur , unde monogami *in Clerum* ? „ An ordo aliquis ſeorſum debet inſtitui monogamorum , de quo adlectio fiat *in Clerum* ? „ ſed quum extollimur , & inflamur adverſus *Clerum* , tunc unum omnes ſumus . . . ſi ſuam „ habent Epiſcopi legem circa monogamiam , etiam cetera , quæ monogamiæ accedere opor- „ tebit , Epiſcopis erunt ſcripta . *Laicis* vero , queis monogamia non convenit , cetera „ quoque aliena ſunt „ . Hæc ille . Vide Svicerum , ſi licet , ad v. λαϊκὸς : & κληρικὸς .

2 Confer *lib. Numer. cap.* XXVI. *v.* 54. *ſeqq. cap.* XXXIII. *v.* 54. *ſeqq.* XXXIV. v. 2. XXXVI. *v.* 2. 4. *Deuteron.* I. *v.* 38. Joſue XII. *v.* I. XIV. *v.* 2. XVI. *v.* 4. *ſeqq.* & *c.* XVII. *v.* 4. 6. 14. 17 Sed innumera ſunt in ſacris litteris loca , quæ huc pertineant . Atque ea quidem prætereo , ne ſim longus .

3 Vide *loca ſacror. Biblior. ſupra indic. in verſione , quæ dicitur ſeptuaginta Interpretum* , & Abrahami Tromnii Concord. *Bibl. Græc. ad v.* κληρονομία *pag.* 898. *ſeq.*

4 *Plutarch. in vita Lycurgi pag.* 44. *tom.* I. *opp. edit. an.* 1624. Adeundus Petrus de Marca *Diſſertat. de diſcrimine Clericorum , & Laicorum ex Iure Divino , & de forma regiminis a Chriſto inſtituta in Eccleſia num.* III. *pag.* 74. *edit. Opuſcul. Pariſ. an.* 1681.

plane conſtat (1). Itaque Tertullianus (2), Clemens Alexandrinus (3), Origenes (4), Cyprianus (5), Cornelius (6), aliique veteres extremi ſecundi, tertiique ſeculi Chriſtiani ſcriptores, cum Epiſcopos, Presbyteros, Diaconoſque divina ſententia, & voluntate inſtitutos (7) perſpicerent, ut ſacra procurarent, Eccleſiaſque moderarentur, hos quidem *clerum*, alios *plebem*, & *laicos*, propterea quod nullum ſacrum munus obirent, appellaverunt. Eos autem ipſos ſcriptores, qui magnam partem eximia virtute excelluerunt, ambitione, malevolentiaque permotos uti hoc vocabulo conſueſſe, ut opprimerent populum Chriſtianum, dejicerentque de dignitate, qua ornatus a Chriſto fuiſſet, tam eſt abſurdum, ut præ ſe ne veri quidem ferre ſimilitudinem videatur. Novos autem neſcio quos homines, qui Lutheri, Calvinique partibus ſtuderent, idque diſtinctionis genus quod neque malo (8), neque

1 *Epiſt. 1. ad Corinth. num. xl. pag. 28. collect. epiſt. Rom. Pont. edit. Conſt. tom. 1.* „ Qui ergo ſtatis temporibus oblationes ſuas faciunt, accepti, & beati ſunt ... Summo quippe Sacerdoti ſua munera tributa ſunt, & Sacerdotibus locus proprius præſtitutus eſt, Levitis quoque ſua miniſteria incumbunt; laicus homo inſtitutis laicis conſtringitur „. Atque ex hoc etiam loco ſequitur, lapſum magno errore fuiſſe Rigaltium, qui ſuperbia Phariſæorum introductam neglectamque ab Apoſtolis, eorumque diſcipulis *laicorum* appellationem putat. Clemens enim auditor Petri, & Pauli fuit, eamque uſurpat ſine contemtus ulla, vel ambitionis nota. Hoc autem Clementis teſtimonio utuntur ad Rigaltium, & Dallæum convincendum Epiſcopales Proteſtantes Guillelmus Beveregius *Cod. Can. Eccleſ. Primitivæ vindicati, ac illuſtrati lib. II. cap. x. num. 11. pag. 118. tom. II. Apoſtolicor. PP. edit. an. 1724.* Henricus Hammondus *Diſſert. II. de Jurib. Epiſcop. c. vi. §. 21. ſeqq. pag. 69. edit. Londinenſis an. 1651.* & Calvinianus David Blondellus *Apolog. de Epiſcopis, & Presbyteris ſect. II. pag. 12. edit. Amſtelodamenſis an. 1646.* ubi: „ Id etiam, *inquit*, adverſus eos, „ qui *clericorum, laicorumque* vocabula ſero in uſum Eccleſiæ recepta putant, obſervandum, „ Clementem laicorum veterum conceptis verbis meminiſſe. Scilicet quod Clemens Hebræorum Hierarchiam deſcribens dixit, hoc Blondellus attributum ab eodem Clemente Chriſtianis cenſet, qui munus publicum in Eccleſia obirent nullum. Eſtque ejuſdemodi Beveregii, atque Hammondi ſententia. Neque vero quid repugnet, video, quo minus id facere Clemens poſſet, qui id nomen neque malum, neque contemtus indicium eſſe perſpiceret.

2 *Loc. ſup. indic. not. 1. & 2. pag. 3.*

3 *Loc. cit. not. 1. pag. 17.*

4 Origenes *in Hierem. Homil. xi. pag. 119. tom. III. opp. edit. Venetæ an. 1743. num. xi.* „ Nos qui putamur aliquid eſſe, ideſt, qui in clericatus vobis ordine præſidemus... „ noſſe debetis non ſtatim in eo ſalvandos, quia *clerici ſumus, multi enim & presbyteri* „ *pereunt, & laici beatiſſimi reperiuntur*.

5 *Loc. cit. ſup. pag. 17. not. 4.*

6 *Loco deſcripto ſup. pag. 18. not. 1.*

7 De hac re agam poſt opportune.

8 Johannes Franciſcus Buddæus *Præfat. in orig. antiq. Eccleſiaſticas Binghami tom. 1. & Iſagoge hiſtorica Theologica ad Theologiam Univerſam cap. v. lib. ſec. §. xi. p. 826.*

fieri

que imprudenti conſilio a Majoribus inlatum in rempublicam Chriſtianam eſſet, ob ſuperbiam tamen clericorum progreſſu temporum populo plurimum obſuiſſe defenderent, nihil moror. Nam ſi quid incommodi Epiſcopi cujuſquam temeritate Eccleſia tulit (tuliſſe autem hujus ſolummodo rei cauſſa ullum aliquando vehementer nego) ejus quidem certe, ſi quis fuit, culpa, non ratione vocabulorum, quibus nihil ineſt pravitatis, tulit.

Non movet autem me, quod poſtremo loco queruntur, clericos a nobis præcipuam, atque ſelectam Chriſtianæ Reipublicæ haberi partem. Cur enim hoc illis negemus, quibus credita eſt regendæ (1) Eccleſiæ, adminiſtrandorumque ſacrorum Chriſtianorum cura? Namque iis, qui ceteros moderantur, primas detrahere partes velle, hominum eſt, non veritatis amore, ſed arbitrio, ſtudioque contentionis agentium. Quod ſi contra pugnare, atque obloqui perſtant, caveant ne, cum nos inſectentur injuria, Apoſtolos, horumque diſcipulos inſectentur, qui divina ſententia (2) con-

ſieri potuiſſe ſcribit, ut qui primi hanc diſtinctionem adhibuerunt, *innocenti hoc facerent conſilio; occaſionem tamen hinc enatam, qua ſequiori ætate nonnulli ad imperium aliquod in reliquo ſacri ordinis viris vindicandum abuſi ſunt. Horum enim ambitioni*, inquit, *cum ſub Romanorum Pontificum tyrannide, nec modus, nec finis poneretur, peropportunum illis hocce accidebat diſcrimen, quo clerici, uti vocabantur, veluti ſupra humanam ſortem evecti, laicos ceu infra eamdem poſitos contemnebant, & alto deſpiciebant ſupercilio*. Quam hæc ſint abſurda, & plena calumniarum, mox demonſtrabitur. Non enim plus ſibi Epiſcopi poſteriores ſumſerunt, quam illis conceſſum eſſe Apoſtolorum diſcipuli tradidiſſent.

1 *Actor. cap.* xx. *v.* 17. „ A Mileto Paulus ſcribens Epheſum, vocavit majores natu „ Eccleſiæ, qui cum veniſſent ad eum, & ſimul eſſent, dixit... Attendite vobis, & uni„ verſo gregi, IN QUO VOS SPIRITUS SANCTUS POSUIT EPISCOPOS REGERE ECCLESIAM DEI, „ quam acquiſivit ſanguine ſuo „. Epiſcoporum autem præter cetera munus eſt ἐπισκοπεῖν providere, proſpicere, curam agere ἐπιμελεῖσθαι τῆς ἐκκλησίας *diligenter Eccleſiam adminiſtrare*. I. *ad Timoth. cap.* III. *v.* 5. *Si quis autem domui ſuæ præeſſe* (Epiſcopus) *neſcit, quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit*? Itaque paſcere dicebantur gregem 1. *Petr. cap.* v. *v.* 2. eſſeque diſpenſatores Dei, *Tit.* I. *v.* 7. & præpoſitos *fidelibus*; adeoque eis obtemperare fideles ipſos debere, *ad Hebræos cap.* XIII. *v.* 17. „ Obedite præ„ poſitis veſtris, & ſubjacete eis. Ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus ve„ ſtris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant. *Et* 1. *Theſſal. cap.* v. *v.* 12.

2 Vide notationem ſuperiorem. Clemens Romanus *Epiſt.* I. *ad Corinth. num.* XLII. *pag.* 29. „ Prædicantes (Apoſtoli) per regiones, ac urbes, primitias earum ſpiritu cum pro„ baſſent, in Epiſcopos, & Diaconos eorum, qui credituri erant, conſtituerunt „. *n.* XLIII. „ Et quid mirum, ſi quibus in Chriſto commiſſum eſt a Deo hujuſmodi opus, prædictos „ conſtituerint „. *Cap.* XLIV. „ Apoſtoli quoque noſtri ἔγνωσαν διὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν ἰησοῦ „ χριστοῦ *cognoverunt per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum* futuram eſſe de nomine „ Epiſcopatus contentionem. Eam igitur ob cauſſam perfectam præcognitionem adepti, „ prædictos conſtituerunt, ac deinceps futuræ ſucceſſionis hanc tradiderunt regulam, ut „ cum

conſtitutos Epiſcopos, nihilque, iis inconſultis, agendum a populo (1) tradiderunt.

CA-

,, cum illi deceſſiſſent, miniſterium eorum ac munus alii probati viri exciperent ,,. Ignatius Martyr Johannis Apoſtoli auditor *Epiſt. genuina ad Epheſios num.* I. *pag.* 12. *tom.* I. *Apoſtolicor. PP.* ,, Veſtro in carne Epiſcopo, quem obſecro, ut juxta Jeſum Chriſtum ametis, atque vos omnes illius ſimiles ſitis ,, *num.* III. ,, οἱ ἐπίσκοποι οἱ κατὰ τὰ πέρατα ὁρισθέντες ἐν Ἰησοῦ Χριστοῦ γνώμῃ εἰσίν. *Epiſcopi qui ſecundum terminos terræ conſtituti ſunt, in Jeſu Chriſti ſunt ſententia* ,,. Sed de his rebus alias. Hoc extremum dico: Willelmum Mommam hominem e numero Proteſtantium in opere. *De varia conditione, & Statu Eccleſiæ Dei ſub triplici œconomia Patriarcharum, ac Teſtamenti Veteris, & denique Novi tom.* II. *lib.* III. *cap.* X. *quod eſt de Regimine Eccleſiæ* §. 9. *pag.* 417. *edit. Amſtelod. an.* 1683. ſic ſtatuere. ,, Si inſtitutio paſtorum, doctorum, Presbyterorum, Epiſcoporum, Diaconorum e ſententia tantum eſſet Apoſtolorum, non ex ordinatione divina, & mandato Domini, certe haud quaquam dixiſſet Paulus: *& ipſe Chriſtus dedit. Et alios Deus poſuit*. Confirmemus hæc verbis... Salmaſii in Apparatu ad libros de primatu Papæ. *Non per ſe autem*, inquit, *Chriſtus poſuit in Eccleſia Presbyteros, & Epiſcopos, ſed per Apoſtolos; quia poſt reſurrectionem ejus, & Aſcenſionem illi in Eccleſiis, quas ædificabant, Presbyteros, & Epiſcopos ordinare ſoliti ſunt*, QUI EX ORDINATIONE CHRISTI *ordinari omnino videbantur. Quæcumque enim Apoſtoli in Eccleſia conſtituebant*, *ea* CHRISTUS IPSE *per Spiritum Sanctum cenſebatur inſtituere*. Et paullo poſt: *non enim privato, & proprio conſilio* hoc fecerunt ,,. Igitur Diaconi, Presbyteri, Epiſcopi voluntate, ſententiaque Chriſti inſtituti ſunt, qui populum Chriſtianum moderarentur, ne Salmaſio quidem, ac Momma negantibus. Quare cum primas obtineant partes, qui regunt, fit ita, ut pars potior Eccleſiæ Epiſcopi, Presbyteri, Diaconique omnino habendi ſint.

1 Cur enim ſine conſilio eorum, qui præeſſent, & gubernarent, quidquam molirentur, ac facerent? Huc enim ſpectat, quod de κυβερνήσει *gubernatione* 1. *Cor. cap.* XII. *v.* 28. quodque de Presbyteris καλῶς προεστῶσι 1. *Timoth. cap.* V. *v.* 17. ſcribit Apoſtolus. Rurſum idem ille auditor Johannis Ignatius in litteris *ad Epheſios num.* IV. *pag.* 12. ,, Decet vos in Epiſcopi ſententiam concurrere, quod & facitis. Nam memorabile veſtrum presbyterium dignum Deo, ita cooptatum eſt Epiſcopo, ut chordæ citharæ. ,, *Num.* VI. ,, Manifeſtum autem eſt, quod Epiſcopum reſpicere oporteat ut ipſum Dominum ,,. N. XX. *pag.* 16. ,, Ut obediatis Epiſcopo, & presbyterio mente indivulſa ,,. *Et ad Magneſianos num.* III. *pag.* 18. ,, Sed eo vos decet non familiariter, ac ſuperbe uti ætate Epiſcopi, ſed ſecundum virtutem Dei Patris omnem impertiri illi reverentiam, quemadmodum novi ſanctos facere presbyteros... Sed ut prudentes in Deo cedentes ipſi, non ipſi autem, ſed Patri Jeſu Chriſti, omnium Epiſcopo. In honorem igitur illius, qui vult, decet vos obedire ſine ulla hypocriſi ,, quia nequaquam Epiſcopum hunc quis fallit, qui videtur, ſed illudit inviſibili ,,. *Num.* IV. ,, Decet itaque non modo vocari Chriſtianos, ſed & eſſe: quemadmodum nonnulli Epiſcopum quidem nominant, ſed ſine ipſo omnia faciunt ,,. *Num.* VI. ,, Hortor, ut hoc ſit veſtrum ſtudium in Dei concordia omnia agere, Epiſcopo præſidente Dei loco, & Presbyteris loco Senatus Apoſtolici, & Diaconis mihi ſuaviſſimis, quibus commiſſum eſt miniſterium Jeſu Chriſti... Nihil ſit in vobis, quod poſſit vos dirimere, ſed unimini Epiſcopo, & præſidentibus in typum, & doctrinam incorruptionis ,,. *Num.* VII. ,, Itaque neque vos ſine Epiſcopo, & Presbyteris quidquam agite ,,. *Num.* XIII. *pag.* 21. ,, Studete igitur, ut confirmemini in dogmatibus Domini... cum digniſſimo Epiſcopo veſtro, & digne contexta ſpirituali corona Presbyterii veſtri, & ſecundum Deum agentibus Diaconis. Subjecti eſtote Epiſcopo ,,. *Et ad Trallianos num.* I. *p.* 21. ,, Cum enim Epiſcopo ſubjecti eſtis, ut Jeſu Chriſto, videmini mihi non ſecundum homines, ſed ſecundum Jeſum Chriſtum vivere... Neceſſarium itaque eſt.... ut ſine Epiſcopo nihil agatis. Sed & Presbyterio ſubditi ſitis... Oportet autem & Diaconos Myſteriorum Jeſu Chriſti miniſtros, omnimodo omnibus placere. Non enim ciborum, & potuum miniſtri ſunt, ſed Eccleſiæ Dei miniſtri ,,. *Num.* III. ,, Cuncti ſimiliter revereantur Diaconos, ut mandatum Jeſu Chriſti, & Epiſcopum, ut eum, qui figura eſt Patris, Presbyteros au-

,, tem

CAPUT II.

De Poteſtate *Laica*, & *Eccleſiaſtica*.

SEd quoniam de antiqua, recteque inſtituta conſuetudine diſtinguendi laicos ab Eccleſiaſticis dictum eſt, reſtat, ut etiam de poteſtate, quæ propria eſt eorumdem ordinum, diſſerendum eſſe videatur. Animadvertendum autem principio eſt, in quavis hominum ſocietate aut unum, aut plures eſſe oportere, qui præſint, adminiſtrentque Rempublicam. Nam ſi cuique facere quod libuerit, impune liceret, neque in tanta multitudine, ubi boni, improbique ſint, magiſtratus auctoritate in officio cives continerentur, magna perturbatio oriretur, incredibiliſque in civitate confuſio (1). Cumque non civitas modo, ſed etiam Eccleſia communitas quædam ſit, regatur utraque, neceſſe eſt, eorum auctoritate, atque prudentia, quibus eſt vel conſenſione civium, vel Divina voluntate facultas gubernandi data. Ac poteſtatem quidem eam appello, qua qui dignitate ceteris antecellunt, præfectique ſunt, edicta, ac

„ tem ut conſeſſum Dei ... Sine his Eccleſia non vocatur „. *Num.* VII. *pag.* 23. „ Quod fiet, ſi inflati non fueritis, & indivulſi manſeritis a Deo Jeſu Chriſto, & Epiſcopo, & præceptis Apoſtolorum. Qui intra Altare eſt, mundus eſt; qui vero extra eſt, non eſt mundus. Hoc eſt, qui ſine Epiſcopo, & Presbyterio, & Diaconis quidquam agit, is non eſt mundus in conſcientia „. *Num* XIII. *pag.* 25. „ Subjecti Epiſcopo, ut Dei mandato, & ſimiliter Presbyterio „. *Et ad Philadelphenos*, ſub initium. „ Maxime ſi unum ſint cum Epiſcopo, & Presbyteris, & Diaconis „. *Num.* I. *pag.* 30. „ Quem ego Epiſcopum cognovi non a ſe ipſo, neque per homines obtinuiſſe miniſterium ... Sed in caritate Dei Patris, & Domini noſtri Jeſu Chriſti „. *Num.* III. „ Quotquot enim Dei, & Jeſu Chriſti ſunt cum Epiſcopo „. *Num.* IV. „ Una eſt caro Domini noſtri Jeſu Chriſti, & unus calix in unitatem ſanguinis ipſius, unum altare, ſicut unus Epiſcopus, cum Presbyteris, & Diaconis conſervis meis „. *Num.* VII. „ Quamquam enim ſecundum carnem voluerunt quidam me ſuadere, at ſpiritus non ſeducitur a Deo exiſtens ... Clamavi cum intereſſem, locutus ſum magna voce, voce Dei: Epiſcopo attendite, & Presbyterio, & Diaconis.. Sine Epiſcopo nihil facite „. *Et ad Smyrnæos n.* VIII. *pag.* 36. „ Omnes Epiſcopum ſequimini, ut Jeſus Chriſtus Patrem, & Presbyterium, ut Apoſtolos, Diaconos autem revereamini, ut Dei mandatum. Sine Epiſcopo nemo quidquam faciat eorum, quæ ad Eccleſiam pertinent „. *Num.* IX. „ Bene habet Deum, & Epiſcopum reſpicere. Qui honorat Epiſcopum, a Deo honoratus eſt.

1 Conſule s. Thomam 1. II. *q.* XCV. *art.* IV. *in* c. *&* *ad* 4. *&* *art.* V. *in* c. Mitto cetera loca ne ſim longus. Idem oſtendunt Proteſtantes Grotius de I. *B. &* *P. lib.* I. *cap.* III. §. VI. *pag.* 88. *ſeq. edit. an.* 1735. *tom.* I. & Puſendorfius *lib.* VII. *de* J. N. *&* G. *cap.* III. §. I. *ſeqq. pag.* 130. *ſeqq. tom.* III. *edit. an.* 1740. eorumque Interpretes.

μενος πλούσιος quis dives ſalvandus inſcribitur (1) de Johanne agens, qui Aſiam peragraſſet, neſcio quorum hominum rogatu, ad finitimas gentes profectum ſcribit, ut alicubi Epiſcopos ordinaret, alibi *ὅπυ δὲ κλήρῳ ἕναγέ τινα in clerum unum aliquem* adlegeret. At ne in cogitationem quidem cadit, ſortibus aut Romanos, aut Johannem uti conſueſſe, ut Clericos, & Epiſcopos conſtituerent. Neque vero intelligo quid cauſſæ ſit, cur ſi *κλῆρον διακονίας* conſequuti eſſe Epiſcopi, Presbyterique dicantur, eoſdem aliqui ex *Cleri* voce inflexa *Clericos* appellari ſine nota ambitionis poſſe negent. A *Clero enim*, hoc eſt a *ſorte miniſterii* dicti *Clerici* ſunt, quibus ſolis publicum in Eccleſia munus obire fas erat, non ab *hæreditate* ſempiterni regni, quæ *ſors ſanctorum* (2) ab Apoſtolo vocatur, eſtque communis non *eccleſiaſticorum* modo, ſed etiam *laicorum*. Caveant autem, qui ambitionis neſcio quod indicium in hac voce ab ſe deprehenſum jactant, ne ſit conſequens, obtinuiſſe hoc vitii genus in Eccleſia jam uſque ab ætate Apoſtolorum, qua Lucas Evangelium, & Acta ſcripſit, uſurpavitque *Cleri* vocabulum. Atque haud ſcio, an ea vox *clericorum*, quam inanis gloriæ cupiditate introductam cenſent, trita eſſe Clementis Alexandrini (3), Cypriani (4), Corne-

1 Apud Combefiſium *Auctar. noviſſ. Bibl ss. PP.* pag. 185. Potterum *edit. Oxon. opp. Clem. Alex* pag. 959. & apud Euſebium *lib.* III. *hiſt. Eccl. cap.* XXIII. *pag.* 113. Vide in hunc locum Valeſii adnotationes. Pearſonus *in Vindiciis epiſtolar. Ignatii parte* II. *c.* I. *pag.* 358. *tom.* II. *Apoſtolic. PP. edit. an.* 1724. „ Recte, *inquit*, hunc locum ex tribus „ Mſſ. codicibus reſtituit doctiſſimus Valeſius . . . Unde coacta illa Walonis Meſſalini interpretatio concidit, qui *epiſcopos* hic plures presbyteros in urbe, κλῆρον ἕνα *unum Presbyterum, ſive chorepiſcopum* in pago, mire interpretatur. Ex horum Epiſcoporum ſucceſſione diſputat adverſus hæreticos Tertullianus *Contra Marcionem lib.* IV. *cap.* V. *habemus & Johannis alumnas Eccleſias. Nam etſi Apocalypſin ejus Marcion reſpuit, ordo tamen Epiſcoporum ad originem recenſus in Johannem ſtabit auctorem.*

2 *Ad Coloſſ. cap.* 1. *v.* 12. κλῆρος ἁγίων. Confer Petrum de Marca *loco indic.*

3 *Loc cit.*

4 *Epiſt.* LIX *al.* LV. *pag.* 139. *edit. Oxon.* „ Quid ſupereſt, quam ut Eccleſia capitolio „ cedat, & recedentibus Sacerdotibus, ac Domini altare removentibus, *in Cleri noſtri ſacrum, venerandumque conſeſſum* ſimulacra, atque idola cum aris ſuis transferant? . . „ Et quamquam ſciam . . . pro mutua dilectione, quam debemus, & exhibemus invicem „ nobis, florentiſſimo *illic Clero* tecum præſidenti, & *ſanctiſſimæ, atque ampliſſimæ plebi* „ legere te ſemper litteras noſtras, tamen nunc & admoneo, & peto . . ut etiam petente „ me facias „. *Et epiſt.* LXII. *al.* LX. *pag.* 147. „ Miſimus autem ſeſtertium centum millia „ nummum, quæ iſthic in Eccleſia, cui de Domini indulgentia præſumus, *Cleri, & Plebis* apud „ nos conſiſtentis collatione collecta ſunt „. *Et epiſt.* I. *al* LXVI. *pag.* 1. „ Jam quidem in „ Con-

lii (1) .aliorumque ſermone potuerit, quorum eximia quidem certe in omni genere virtus erat.

At qui ſunt ex *ordine Eccleſiaſtico*, ſic enim adverſarii diſputant, vel ſe Dei, vel Deum ſuam eſſe *ſortem*, *hæreditatemque* defendunt, ceteroſque omnes, quaſi vulgus, plebemque Chriſtianam conſtituant, aſpernantur (2). Sed qui ſic ſtatuunt, non animadvertunt, quemadmo-

„ Concilio Epiſcoporum ſtatutum eſt, ne quis de Clericis, & Dei miniſtris tutorem, vel „ curatorem teſtamento ſuo conſtituat, quando ſinguli Divino Sacerdotio honorati, & „ in clerico miniſterio conſtituti, nonniſi altari, & ſacrificiis deſervire, & precibus, atque „ orationibus vacare debeant „. *Et epiſt.* v. *pag.* 10. Illic ſit apud *Clericos* diſtributa. *Et epiſt* xxix. *al.* xxiv. „ Sed & illud ad vos perferre litteris meis debui, urgente cauſſa, „ *Cuero* in Urbe conſiſtenti litteras me miſiſſe. Et quoniam oportuit me per *Clericos* ſcribebere... neceſſe fuit novos aliquos conſtituere, qui mitterentur &c.

1 S. Cornelius Pontifex *epiſt ad Fabium Antiochenum apud Euſebium lib.* vi. *hiſt. Eccl. cap.* xliii. *& apud Couſtantium tom.* 1. *collect. epiſt. Rom. Pont. num.* 2. *p.* 150. de Epiſcopo quodam agens, qui imprudens Novatiano manus impoſuerat, deindeque facti pœnitens in Eccleſiam redierat, ᾧ καὶ ἐκοινωνήσαμεν, inquit, ὡς λαϊκῷ, ὑπὲρ αὐτοῦ δεηθέντος παντὸς παρόντος τοῦ λαοῦ. *Cui & communicavimus, ut laico, deprecante pro ipſo univerſo, qui tum erat præſens, populo. & num.* vi. *pag.* 155 „ Intercedebant non ſolum „ omnis clerus, ſed etiam multi laicorum &c. Conſule Marcam *l. c.* Ceteros Scriptores, qui de hoc argumento egerunt, paullo poſt numerabo.

2 N. Rigaltius *in not. ad Cypriani Epiſt.* 11. *edit. an.* 1666. ubi univerſam Eccleſiam *clerum* Chriſti eſſe affirmavit, quod nemo umquam negavit, ſi *Cleri* nomine eorum cœtus intelligatur, qui eum in Chriſtum ſervatorem credant, tum ſpe hæreditatis ſempiterni regni dicuntur, ſic ſtatuit: „ *Sed* prava mortalium cæcitas, Chriſtiana ſimplicitate neglecta, „ Phariſæorum ſuperbiam reduxit, & obruit cæleſtia terrenis... Credo diſcipulos, & mox „ Apoſtolos fuiſſe Chriſti magiſtri ſui vocibus obſequentiſſimos, & multa cernimus ævo pro„ xime ſequenti primitivæ illius reverentiæ, fideique veſtigia, ſic tamen, ut neceſſe ſit fa„ teri, jam exinde nonnullos ovilibus Chriſtianis adeo graves, & aſperos incubuiſſe paſto„ res, ut ab iis ad nos antiquiſſimæ origines fluxerint morum, & rituum ab illa primæva „ ſinceritate alieniſſimorum. Præviderat Paulus venturos poſt diſceſſum ſuum lupos inſidian„ tes gregi, non parcentes ovibus. Et hic quidem in gentibus At Petrus Phariſæos dominari „ ſuetos in cleris ab ſynagoga vocans ad Chriſtum, paſtores ii: fiant ovium Chriſti, depellit „ ab regno clerorum. Formam ovilis, quam Eccleſiæ Chriſtianæ Apoſtoli, paſtores a „ Domino formati, tradiderunt, viri Apoſtolici ſervavere. Sed vix alterius ſeculi diſci„ plina fuit, cum ipſi paſtores nomen cleri, quod erat ovium univerſitati commune, ſic „ proprium ſibi fecerunt, ut jam nomen ipſum ovilis in populi, ſive plebis, & laicorum „ appellatione vileſceret. Hinc exorta jam ævo Tertulliani, ac Cypriani inter clericos, „ & laicos differentia tanta, ut laici non intelligerentur appellatione cleri „. Hactenus Rigaltius, qui Calvini partibus ſtudebat. Ex his autem verbis colligitur: Primo *prava mortalium cæcitate reductam* in Eccleſiam fuiſſe *ſuperbiam Phariſæorum* ob probatam diſtinctionem clericorum ab laicis. Nam de hoc genere diſtinctionis ex inſtituto ibidem agit Rigaltius. Secundo, exactis Apoſtolis, eorumque diſcipulis *primævam* ſinceritatem excidiſſe, & graves, atque aſperos tertio ſeculo incubuiſſe Eccleſiæ paſtores, nempe ob attributam Eccleſiaſticis appellationem Cleri. Tertio, hos paſtores luporum nomine fuiſſe indicatos a Paulo. Quarto, depulſos a Petro fuiſſe ex regno *clerorum* Phariſæos Chriſtianos factos. Quinto, formam ovilis a Chriſto inſtitutam ab Apoſtolis, eorumque auditoribus ſervatam fuiſſe, neglectam autem a Tertulliano, Cypriano &c. qui, Rigaltii, ut videtur, opinione, lupi illi, graveſque paſtores fuerunt, quos Apoſtolus futuros indicavit. Tam male is auctor animatus in noſtros fuit, ut ne Cypriano quidem, Cornelioque ſanctiſſimis Martyribus, quod

admodum Levitis, ita Clericis noſtris poſſe *ſortis*, *partiſque Domini* appellationem dari. Nam ſi Levitæ *divinæ ſortis* habebantur, & erant, quin ambitionis reprehendi a quoquam poſſent, propterea quod addicti *altari* cum eſſent, ſacrificia procurarent, nihilque agri poſſiderent, victimarumque partibus, ac decimis, quas reliquæ tribus pendere debebant viverent (1), cur non item noſtris Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis vocari fas erat eodem nomine, quibus amplificandæ religionis (2), adminiſtrandorumque ſacrorum Chriſtianorum impoſitum (3) onus eſſet, factaque

 po-

quod nominibus iiſdem, quibus nos, uterentur, parcendum exiſtimarit. Sed quod ad primum attinet, refutatum paullo ante eſt, & mox *not.* 1. *pag.* 21. refutabitur. Quod ad ſecundum, non minore auctoritate functi Apoſtoli, eorumque diſcipuli fuerunt, quam functi ſint Cyprianus, Cornelius, quique poſt Epiſcopi floruerunt. Tertium tam eſt abſurdum, ſi de Cypriano, Cornelio, aliiſque, eorum præſertim ſimilibus, Epiſcopis intelligatur, ut ne egeat quidem, qua refellatur, oratione. De quarto dicam alio loco. Extremum pluribus opportune, paullo poſt, quam ſit falſum, conſtabit *pag.* 21.

1 *Lib. Joſ. cap.* XVIII. *v.* 7. *Non enim eſt pars filiis Levi in vobis. Sacerdotium enim domini pars ipſius*. Confer *Deuter. cap.* 10. *v* 9. *&* *Num. c.* XVIII. *v.* 20. *Loquutus eſt Dominus ad Aaron, in terra ipſorum non hæreditabis, & pars non erit tibi in ipſis, quoniam ego pars tua in medio filiorum Iſrael. Et filiis Levi, ecce dedi omne decimum in Iſrael in ſortem pro miniſterio ipſorum &c.*

2 *Act. cap.* VI. *v.* 2. Apoſtoli ſic ſtatuunt. „ Non eſt æquum nos derelinquere verbum „ Dei, & miniſtrare menſis . . . Nos orationi, & miniſterio verbi inſtantes erimus „. Hoc ſi Apoſtoli de ſe ipſis, quod orationi, & miniſterio verbi inſtarent, dixerunt, cur non dicent Epiſcopi, & Presbyteri &c. qui oratione, & verbo miniſtrare Chriſtianis perinde debent?

3 Claudius Salmaſius *Diſſert. de Epiſcopis, & Presbyteris cap.* V. *pag.* 382. *ſeqq.* a Rigaltio diſſentiens, non ſuperbiæ indicium id eſſe nomen, ſed proprium Sacerdotum, Levitarumque veteris Teſtamenti ſcribit. Itaque „ Presbyteros Chriſtianorum, & Epiſcopos, cum „ nec Sacerdotes eſſent, *nihil* Sacerdotalis muneris geſſiſſe, aut dignitatis ſacerdotalis ha- „ buiſſe, quod eos a laicis diſtingueret „. Nam Clementem Romanum, qui Hierarchiam deſcriberet Hebræorum, meminiſſe Sacerdotum, & Levitarum, poſtque hos *laicos* nominaſſe, ubi vero ad Chriſtianæ Eccleſiæ deſcriptionem venit, appellaſſe Epiſcopos, & Presbyteros, & Diaconos ſæpe, Sacerdotes nunquam. Ac Sacerdotes quidem nobiles apud Judæos, Ethnicoſque haberi conſueſſe, ceteros plebem, idque jam demonſtrari auctoritate Joſephi *in Vita ſua*. Apud Chriſtianos vero ejuſdem omnes rationis fuiſſe. At ſi eorum qui ab Apoſtolis inſtituti ſunt, teſtimonio conſtiterit, apud nos item & Altare, & Sacerdotium eſſe, fateatur neceſſe eſt Salmaſius, Clericos eos appellari jure poſſe, qui altari miniſtrant, reliquos vero plebem, & populum. Sed de Sacerdotibus, altariſque miniſtris ceteris agam alio loco copioſe. Satis nunc erit unius Ignatii ex Epiſtolis genuinis teſtimonium, quibus epiſtolis ne Luterani quidem, & Calviniani plerique detrahunt auctoritatem. *Epiſt. ad Epheſios num.* V. *pag.* 13. *tom.* II. *Apoſtolicor. PP. edit. an.* 1724. Nemo erret, niſi qui *intra Altare ſit*, privatur „ pane Dei „. *Epiſt. ad Philadelphenos num.* IV. *pag.* 35. Una eſt caro Domini noſtri Jeſu „ Chriſti, & unus calix in unitatem ſanguinis ipſius, *unum altare*, ſicut unus Epiſcopus „ cum Presbyterio, & Diaconis conſervis meis „. Ubi autem eſt altare, quis neget Sacrificium, & Sacerdotes eſſe oportere? Sed de hoc alias. De Diaconis autem ſic habet idem Ignatius *Epiſt. ad Magneſianos num.* IV. *pag.* 19. *Diaconis mihi ſuaviſſimis quibus commiſſum eſt miniſterium Jeſu Chriſti. Et Epiſtola ad Trallianos num.* II. *pag.* 22. „ Oportet autem & *miniſtros exiſtentes myſteriorum Jeſu Chriſti*, omni modo omnibus placere. „ *Non enim ciborum & potuum ſunt Diaconi, ſed Eccleſiæ Dei miniſtri*.

ac leges ferre , & perturbatores pacis reprimere, & reos ſceleris punire , hoſteſque publicos vi repellere , ſi ratio , ſi tempus , ſi utilitas communitatis moneat , poſſunt . Conſtitutos autem & Principes civitatum , & Præſides Eccleſiæ ſapienter , recteque eſſe , queis jus condendarum legum , coercendorumque improborum ſit, quamquam eſt, mea quidem ſententia , manifeſtum , tamen , ne quid mihi ſumſiſſe videar meo arbitratu , paullo poſt demonſtrabitur . Jam vero rectorum civitatis , laicam ; eorum autem , qui Eccleſiam adminiſtrant, Eccleſiaſticam poteſtatem voco .

§. I.

Liceat ne Chriſtiano viro principatum in ſocietate obtinere , remque illius civilem gerere . Proponuntur eorum, qui negant , variæ , interque ſe pugnantes opiniones .

QUum igitur , quæ ſit utriuſque poteſtatis ratio plane conſtet , ſequitur , ut explicem , recte ne inſtitutæ ſint (hoc enim me demonſtraturum promiſeram) ullaque ſit cauſſa , cur alterutram quiſquam tollendam eſſe arbitretur . Ordiar autem ab laica . Itaque eorum omnium , qui Chriſtiano viro cum imperio in civitate verſari fas non eſſe defenderent , neminem fuiſſe intelligo tam amentem , qui hoc poteſtatis genus pugnare cum ratione naturæ (1) diceret . Hoc illi unum ſibi perſuaſerunt : cautum ab Chriſto fuiſſe , ne quis magiſtratu noſtrum hominum fungeretur . Sunt autem horum de re eadem variæ, interque ſe diſſidentes ſententiæ . Nam aliqui ita ſunt animis comparati , ut univerſe Chriſtianam religionem conſiſtere cum ſtatu civili poſſe (2) negent . Quamobrem concludunt rem civilem publi-

1 Fuerunt tamen nonnulli tam ſcelesti , atque impii, ut omnem tollere religionem, rationemque reipublicæ viderentur, dicerentque, omnes homines , cum natura liberi ſint , ſubjectos nemini eſſe debere . Sed hi cum cupiditate , non ratione ducerentur , non animadverterunt , in ſocietate , in qua , propter conditionem viciatæ naturæ , boni , malique permixti ſint , niſi magiſtratus extent, magnam oriri oportere confuſionem, perturbationemque rerum . Sed de hac re agam copioſe in eo opere , quod paro *de morali doctrina Ss. Patrum* .

2 Hoc ethnici noſtris per ſummam injuriam exprobrabant . Confer quæ dixi tom. 1. hujus

cam eſſe nullam, quam veri Chriſtiani conſtituant. Alii contra nihil obſtare, quo minus civitas ex ſolis Chriſtianis coaleſcat, ſed his principatu in civitate potiri minime licere (1) arbitrantur. Tertia eſt eorum opinio, qui dignitatem, honorem, imperium, quo continendi in officio mali ſint, Chriſtiano viro concedendum putent; poteſtatem autem animadvertendi pœna capitis in maleficos, ſubditoſque vi, armiſque ab hoſtibus defendendi, non (2) item. Fuerunt poſtremo, qui etſi magiſtratum obire, & capitis reum condemnare Chriſtiano dicerent licere, tamen aliquos veterum Patrum fuiſſe defenderent, qui contrariam ſententiam (3) tuerentur.

I. *Prior*

jus operis *lib.* I. *cap.* III. §. XXV. *num.* III. *pag.* 167. *ſeqq.* In eodem errore verſari videtur Nicolaus Macchiavellus *lib.* I. *de' Diſcorſi cap.* XII. *pag.* 31. *tom.* I. *opp. edit. ann.* 1650. *Chriſtianam religionem in cauſa eſſe*, dicit, *cur imperium Romanum in pejus ruere cœperit, ac in partes ſciſſum fuerit*. Eſſe autem aliquos, qui eum excuſent, animadvertit Johannes Franciſcus Buddeus *Diſſert. de concordia relig. Chriſtianæ, ſtatuſque civilis cap.* II. §. V. *pag.* 43. *edit. ann.* 1712. At quam multa hoc in genere peccarit Macchiavellus, idem oſtendit Buddeus *ibid. pag.* 49. *ſeq.* Eam ipſam calumniam probavit Petrus Baelius vir impius in opere inſcripto: *Continuat. des Penſées ſur les Cometes* §. XX.

1 Is error placuit aliquibus Anabaptiſtis, qui Thomam Munzerum, & Johannem Leidenſem conſectabantur. Sed de his copioſe diſſeruerunt (quamquam non eadem diligentia omnes) Georgius Caſander *de Origine ſectæ Anabaptiſticæ*, Johannes Gaſtius Biſacenſis *de Anabaptiſmi exordio, hiſtoriis abominandis &c.* Nicolaus Gerelius *de Anabaptiſtarum ortu, & progreſſu*, Lambertus Hortenſius *de Tumultu Anabaptiſtarum*, Johannes Modeus *de Initiis ſectæ Anabaptiſticæ*, Johannes Henricus Ottius *in Annalib. Anabaptiſticis &c.* Petrus Gnodalius a Simone Schardio *t.* II. *Scriptor. rerum Germanic.* editus, Petrus Crinitus, & Hubertus Thomas Leodius apud Freherum *tom.* III. *ſcript. rer. Germ.* Fridericus Spanhemius *Diatribe Hiſtorica de origine, progreſſu, & ſectis Anabaptiſtarum*, Anonymus, qui *Hiſt. Anabapt.* edidit gallice Pariſiis *an.* 1695. & Johannes Franciſcus Buddeus, ex quo horum nos Auctorum ſeriem deſcripſimus *Diſſert. de concord. relig. Chriſt. ſtatuſque civilis cap.* IV. *pag.* 215. *ſeqq.* Johannes Ludovicus Wolzogenius Socinianus *in reſponſione ad Jonæ Schlictingii adnotationes in adnotat. de Magiſtratu, Bello, & privata defenſione*, negat magiſtratus munus conſiſtere cum Chriſtiana religione poſſe. *Tom.* VII. *Biblioth. Fratrum Polonorum pag.* 65. *ſeqq. edit. ann.* 1656.

2 Hæc de aliquibus Anabaptiſtis tradit Johannes Hoornbeckius *ſumm. controverſ. l.* V. *pag.* 362. *edit. an.* 1676. Sunt tamen Anabaptiſtæ, iique jam majore numero, qui magiſtratum religioni Chriſtianæ minime repugnare putent, ſed ſatius eſſe, ne hoc muneris genere noſtri fungantur, ne ſe in pericula conjiciant ſubeundæ æternæ damnationis. Atque hæc quidem eſt, ut ceteros prætermittam, Angeli Arentſooni Von Doorgeeſti, qui epiſtolam adverſus Fridericum Spanhemium ſcripſit, ſententia. Hujus verba refert Buddeus *loc. cit. pag.* 223. *ſeqq.* Ad Bella quod attinet, negari non poteſt, quin ab Anabaptiſtis in illicitis numerentur. Id enim exhibent eorum Fidei Profeſſiones, & Colloquia, inprimiſque Confeſſ. *Menniſtar. act.* XIX. *colloqu. Leovvardienſe act.* CXXXII. & CXXXV. & *Emdan. act.* CVII. CLX. De his autem rebus paullo copioſius agit Buddeus *ibid. pag.* 225. *ſeqq.*

3 Johannes Barbeyracius *præfat. in opus Puffendorfii de J. N. & G.* §. VII. *pag.* XLIX. *edit.*

I.

Prior opinio , ſeu potius error refellitur .

Verumtamen quamquam eſt horum omnium falſa, tamen eorum,quos primo loco nominavi, maximo eſt in errore ſententia. Eſt enim recte inſtituta civitas,in qua qui imperium tenent, condere leges, de litibus judicare,punire improbos, inſectari vi,armiſque, ac repellere hoſtes ſolent; qui autem ſubjecti ſunt, honorem adhibent principi , atque imperata faciunt . Hæc vero omnia ſi lex Chriſtianorum non modo non tollat,ſed etiam probet, conſiſtere cum ſtatu civili poteſt . Probat autem. Conſiſtere igitur poteſt noſtra cum ſtatu civili religio . Atque eſſe quidem a nobis accurate explicatam notionem civitatis , ſtatuſque civilis , ne ii quidem contra quos agimus , negant . Etſi enim ſunt commoda pleraque in civitate , quæ nos taciti prætermiſimus , tamen huc omnia , de quibus præcipue inter nos , adverſarioſque oritur altercatio , recidunt . Quæ cum ita ſint , nihil eſt negotii , quæ aſſumta deinceps ſunt , veterum Chriſtianorum monumentis , & , quod caput eſt , auctoritate ſacrorum Bibliorum oſtendere . Ac præſcripto quidem religionis Chriſtianæ (nam eſt hujuſce rei teſtis Paulus in ea , quæ eſt ad Romanos Epiſtola) eſſe in civitate principes debent . Niſi enim eſſe deberent , quo tandem modo inſtitutas Apoſtolus a Deo poteſtates ſcriberet (1) fuiſſe ? Nam *Principes*

edit. an. 1740. „ Il ne veut pas (Tertullien) *inquit*, qu' un Chrétien puiſſe en conſcience „ exercer l' office de juge , ni aucune magiſtrature . Il inſinue qu' on ne ſauroit être empereur , & Chrétien en même temps „ . In eamdem fere ſententiam ſcribit Dallæus *l.* 1 I. *de uſu Patrum cap.* IV. *pag.* 262. *edit. an.* 1656. Sunt præterea alii nonnulli in ea ipſa ſententia , quos , ne ſim longus , prætereo .

1 *Ad Roman. cap.* XIII. *v.* 1. *ſeqq.* „ Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita „ ſit . Non eſt enim poteſtas niſi a Deo . Quæ autem ſunt a Deo ordinata ſunt . Itaque qui „ reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit . Qui autem reſiſtunt , ipſi ſibi damnationem ac„ quirunt . Nam principes non ſunt timori boni operis , ſed mali . Vis autem non timere poteſtatem ? Bonum fac , & habebis laudem ex illa . Dei enim miniſter eſt tibi in bonum . Si „ autem malum feceris,time . Non enim ſine cauſſa gladium portat . Dei enim miniſter eſt , „ vindex in iram ei , qui malum agit . Ideo neceſſitate ſubditi eſtote , non ſolum propter „ iram , ſed etiam propter conſcientiam . Ideo enim & tributa præſtatis . Miniſtri enim „ Dei ſunt, in hoc ipſum ſervientes . Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum ; „ cui vectigal , vectigal ; cui timorem , timorem ; cui honorem , honorem .

ille *Poteſtatum* appellat nomine. Atque imperium in Republica Principem tenere quis neget? Igitur qui imperium obtineant, cum inſtitutæ a Deo poteſtates ejuſmodi ſint, eſſe debent in civitate. Quod vero eſſe oportere, idque jam ſanctione divina, ſcripturarumque auctoritate, conſtat, hoc probat Chriſtiana religio. Probat ergo Chriſtiana religio Principatum. Mitto cetera ſacrorum Bibliorum (1) loca, ne longus ſim. Majores autem noſtros, qui Pauli ſententiam ſæpe, ac multum uſurparent (2), optarentque etiam atque etiam, ut qui accederent ad gubernacula Reipublicæ, veritatem agnoſcerent, ſanctamque religionem conſectarentur (quin eorum quemquam, ſi noſtris decretis aſſenſus eſſet, magiſtratu ſe abdicare cogerent) quis putet tam ineptos, tamque ſibi ipſis repugnantes fuiſſe, ut componi principatum cum decretis, inſtitutiſque Chriſtianorum nequire (3) arbitrarentur?

Præterea jus condendarum legum niſi Chriſtiana religio Principi concedendum ſtatueret, omnem certe tolleret juris Principum notionem. Etenim ne in cogitationem quidem cadit, ut principatum obtineat in civitate, qui ſi tempus, ſi ratio, ſi utilitas civium publica poſtulet, nihilominus legem ſcribere nullam poſſit. Atque exſiſtere interdum cauſſas, eaſque juſtas, & graves imprimis, quæ non moneant modo Principem, ut ferat legem, ſed etiam compellant, tam eſt manifeſtum, ut qui dubitet, næ ille in maxima rerum civilium ignoratione verſatur. Jam vero ordine gerenda eſſe omnia, idem ſcribit in priore Epiſtola ad Corinthios (4) Paulus. Noſtrum namque, inquit, non diſſenſionis eſſe, ſed pacis Deum. Ordine autem fieri omnia, tollique diſſenſiones, paxque in rempublicam introduci qui poterit, ſubla-

1 S. Petrus *epiſt.* 1. *cap.* II. *v.* 13. „ Subjecti eſtote omni humanæ creaturæ propter „ Deum, ſive regi, quaſi præcellenti; ſive ducibus, tamquam ab eo miſſis ad vindictam ma- „ lefactorum, laudem vero bonorum. Quia ſic eſt voluntas Dei, ut benefacientes ob- „ muteſcere faciatis imprudentium hominum ignorantiam .... Deum timete, regem ho- „ norificate &c.

2 Vide loca Ss. PP. quæ deſcripſimus *tom.* III. hujus operis *pag.* 435. *ſeqq.*

3 Confer teſtimonia, quæ produxi *ibid.* & *pag.* 438.

4 *Cap.* XIV. *v.* 40. πάντα εὐσχημόνως, καὶ κατὰ τάξιν γινέσθω. Omnia decenter, & ſecundum ordinem fiant.

ſublata principum, etiam tum, cum ex uſu eſt Reipublicæ, condendarum legum poteſtate? Quid? Obtemperet ne quiſquam Principi nihil imperanti? At parendum eſt *Poteſtatibus* (1) auctore Paulo in iiſdem ipſis litteris, quæ ſunt ad Romanos ſcriptæ. Præcipere igitur jure aliquid Princeps poteſt. Hoc ſi ita eſt, cur non etiam leges condere? Eſt enim & gubernandæ præcipiendo communitatis, & dicendæ legis poteſtas omnino eadem.

Sed dicet quiſpiam: nihil eſt novis legibus opus, cum Chriſtum unum eſſe Chriſtianorum Legislatorem plane conſtet. Fateor non egere nos legibus, quæ cum latis a Chriſto pugnent. Nam quæ pugnant, legum numero haberi non poſſunt. At eſſe interdum legibus opus, quæ cum ad utilitates, & commoda civitatis ſpectent, ſunt etiam conſentaneæ Chriſtianæ legi, tam eſt perſpicuum, ut a nemine revocari in controverſiam poſſe videatur. Neque enim Chriſtus explicate omnia ſanxit, quæ eſſent quibuſque temporibus, occaſionibuſque rebus publicis (2) opportuna. Hæc ille vel declarari, vel conſtitui voluit, cum tempus, ratioque monerent, ab his, qui in civitate cum imperio verſarentur. Itaque parendum eſſe Poteſtati recte præcipienti, juſſit; reſiſtendum autem nullo modo. Ergo majores noſtri, quibus ſatis explorate, quæ ſtatuta a Chriſto eſſent, percepta, cognitaque erant, nihil ſe contra, atque legibus (3) Imperatorum

1 *Cap* XIII. *v.* 2. *ſeqq.* ἀντιτασσόμενος ἐξουσία, τῇ τοῦ θεοῦ διαταγῇ ἀνθέστηκεν *reſiſtens poteſtati Dei ordinationi reſiſtit.* οἱ δὲ ἀνθεστηκότες, ἑαυτοῖς κρίμα λήψονται. *At reſiſtentes ſibi ipſis damnationem accipient.* Qui autem poteſtati non paret, is ſcilicet reſiſtit poteſtati. Parendum igitur eſſe principi Paulus ſtatuit.

2 Vide *S. Thom.* I. II. *Quæſt.* XCVII. *art.* I. ubi legem ab homine latam, continere præcepta quædam *particularia* ſcribit, *ſecundum diverſos caſus, qui emergunt*, ac mutari proinde poſſe. Lex autem Evangelica conſtans eſt, firma, neque mutationi obnoxia. Ex qua re ſequitur, nihil obſtare, quo minus Princeps leges civiles, *ſecnn lum diverſos caſus* ferre queat, quæ mutari, *his caſibus deſinentibus*, poſſint; quin Chriſto injuria fiat, qui ſuam legem ſtabilem eſſe, perpetuamque voluerit.

3 Juſtinus Martyr epiſtola *ad Diognetum num.* V. *pag.* 249. *edit. Venet. an.* 1747. „ Chriſtiani, *inquit*, obſequuntur legibus, quæ ſancitæ ſunt, & ſuo vitæ genere leges ſuperant „. Athenagoras *Legat. pro Chriſtianis num.* XXXIII. *pag.* 330. *edit. ejuſdem opp. Juſtini Martyris.* „ Unuſquiſque noſtrum, *inquit*, uxorem ſuam, quam *ſecundum leges* „ *a vobis poſitas*, duxit, *uxorem* exiſtimat, uſque ad liberorum procreationem „. Tertullianus Romanos alloquens *in Apologetico cap.* XLV. *pag.* 25. *edit. opp. an.* 1748. leges eorum, *quæ videntur ad innocentiam pergere de divina lege, ut antiquiore, formam mutua-*

rum præſcriptum eſſet (ſiquidem cum Evangelio (1) non pugnarent) aut moliri, aut agere affirmabant, propterea quod cautum a Chriſto eſſet, ne quis noſtrum regibus, poteſtatibuſque reſiſtere auderet.

Cur autem nequeat de litibus, controverſiiſque inter cives ortis, quemadmodum leges poſcunt, cognoſcere, & judicare is, cujus eſt proprium leges condere, ne ſuſpicari quidem (2) poſſum. At enim intelligo eſſe aliquos, qui verba Chriſti apud Matthæum impedire cenſeant, quo minus Chriſtiano liceat in foro, judiciiſque verſari. Sunt vero hujuſmodi: „ Ei qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam „ tollere, dimitte ei & (3) pallium „. Sed hi non animadvertunt, etiam ſi Chriſtianis judicio contendere minime liceret, tamen ſi contendant, quod ſæpe accidit, eſſe aliquem, qui lites dirimat, curetque, ne quis alteri injuriam faciat, oportere. Quamquam ne illud quidem probem, quod ajunt, fas nos eſſe Chriſtiano jus ſuum interdum perſequi, reique familiaris, aut ſui tuendi cauſſa ad judicem cum adverſario ad contendendum accedere. Nam quod ad locum Matthæi pertinet, equidem eſſe Interpretes quoſdam video, qui non de judicio forenſi, ſed de privata contentione Chriſtum agere arbitrentur. Neque ulla eſt cauſſa, cur τὸ κριθῆναι, quod vocabulum eſt ab Evangeliſta uſurpatum, de judicio potius, quam de privata pugna ſit intelligendum. Verumtamen fac de forenſi judicio ſermo ſit. Quid? an vetitum univerſe noſtris eſſe, ne umquam, quæcum-

tuatas ſcribit. s. Auguſtinus *lib. contra Creſconium Grammaticum* III. *cap.* LI. *t.* IX. *opp. pag.* 463. *edit. Pariſ. Monachor. s. Mauri*. „ In hoc reges ſicut eis divinitus præcipi- „ tur, Deo ſerviunt, in quantum reges ſunt, ſi in regno ſuo bona jubeant, mala prohi- „ beant. Et ad Bonifacium *epiſt.* CLXXXV. *al.* L. *num.* XIX. *pag.* 651. *edit ejuſd. opp. tom.* II. „ Quomodo ergo reges Domino ſerviunt in timore, niſi ea quæ contra juſſa Domini fiunt, „ religioſa ſeveritate prohibendo, atque plectendo? Aliter enim ſervit, quia homo eſt, „ aliter quia Rex eſt ... In hoc ergo ſerviunt Domino Reges, in quantum ſunt Reges, cum „ ea faciunt ad ſerviendum illi, quæ non poſſunt facere, niſi Reges.

1 Tunc enim ajebant ſatius eſſe Deo parere, quam homini. Confer Gratianum *cauſſa* XI. *quæſt.* III. *can.* XCIV. & XCVIII.

2 Neque enim Sergius Paulus, quem in Cypro Inſula Proconſulem fuiſſe Lucas ſcribit *act.* XIII. *v.* 7. Paulique Apoſtoli opera ad fidem Chriſtianam perductum *v.* 12. juſſus umquam fuit ab judiciis, quod ejus erat munus, deſiſtere. Mitto Edeſſenorum Regem Abgarum, quem Euſebius tradit Chriſtianum factum. Huic autem a diſcipulis Chriſti imperatum fuiſſe, ne ſuos judicaret, quis credat?

3 *Matth. cap.* V. *v.* 40.

cumque tandem cauſſa ſit,judicio agant,defendent? Equidem ſi de jure talionis loquutum eſſe Chriſtum Servatorem dicerem,nihil a me in eo loco explicando peccatum exiſtimarem. Ac ſi quis verba, quæ antecedunt , quæque conſequuntur diligenter conſideret, facile ſane intelliget, non eſſe Chriſti ſententiæ repugnans hoc noſtræ interpretationis genus. Hoc enim ſibi voluiſſe Chriſtum cenſeo : non licere Chriſtiano ulciſcendæ injuriæ cauſſa (1), jure talionis agere, idque operam apud magiſtratum dare, ut (quod judæis ea ætate permiſſum erat) injuriam , vel damnum , quod paſſus eſt, aut æquali, aut majore læſione, damno , injuriave compenſetur. Nam Chriſtianus novam perpeti potius debet, quam, quæ ſibi facta ſit,ulciſci quantamvis injuriam. Sed non ſequitur, ubi nullus ſit vindictæ, ulciſcendæque injuriæ locus, Chriſtiano viro fas non eſſe judicio agere. Id vero demonſtrari ſimili exemplo poteſt. Dixerat enim paullo ante eodem in Evangelio Chriſtus (atque hoc illud eſt, quod animadverti, ex iis quæ antecedunt, quæque ſequuntur veram ejus loci colligi interpretationem poſſe) „ Audiſtis quia „ dictum eſt oculum pro oculo, & dentem pro dente „. Quid ? An non plane liquet, ſermonem hic eſſe de *jure talionis* , ulciſcendaque injuria, quod Chriſtus vetat ? Mox addit. „ Ego autem dico vobis non reſiſtere malo, ſed ſi quis „ te percuſſerit in dexteram maxillam , præbe illi & alte„ ram „. Quæ verba non eo ſpectant, ut univerſe, omninoque ſemper cuique percutienti alteram maxillam obvertendam ſtatuant; ſed hoc eſſe ſatius facere, quam injuriam perſequi, curareve , nullo jam ſuo commodo, quemadmodum Judæi conſueverant , ut percuſſor ſimili injuria, damnove afficiatur. Niſi enim ita ſe res haberet, Chriſtus, ſuarum legum perruptor eſſet,quod ſane concedi nullo modo poteſt, cum ille exemplo ſuo eiſdem ipſis legibus addiderit auctoritatem . Nam cum adductus in judicium , & a ſervo Pontificis *percuſſus in maxillam* eſſet, non ſolum *alteram* continuo *non præbuit*, ſed etiam percutientem ſumma gravitate repre-

1 Vide quæ dixi *tom.* III. *pag.* 423. *ſeq.*

reprehendit, atque „ ſi male loquutus (1) ſum, inquit, teſtimo-
„ nium perhibe de malo, ſin bene, cur me cædis ? „ Qua dicendi ratione plane ſignificavit, licere aliquando Chriſtianis *maxillarum alteram non præbere percutiendam*, ſed percutientem ad reddendam rationem, cur percuſſerit, cogere, idque jam coram Iudice, quin ſit reus contemtarum Evangelicarum legum. Simile quidpiam factum a Paulo fuiſſe legimus. Cum enim eum Pontifex alapis cædi juſſiſſet, quin alteram maxillam converterit, ut rurſum cæderetur, ſic eſt Pontificem alloquutus. „ Futurum eſt, ut percutiat te Deus, pa-
„ ries dealbate (2) „. Neque revocavit dictum. Hoc unum ægre ſe ferre affirmavit, quod in eum invectus eſſet, quem neſciret ſummum eſſe Pontificem. De non oblata autem altera maxilla, ne verbum quidem. Quod ſane numquam feciſſet, ſi juſſos omnes Chriſtianos eſſe a Chriſto putaſſet, ut ſemper, dum cæſi alapis eſſent, alteram maxillam cædendam exponerent.

Sed quia Pauli facta eſt mentio, age videamus culpet ne, an ferendum putet Chriſtianum in judicium, contra eum, qui ſe læſerit accedentem. Is ergo in priore, quam ad Corinthios ſcripſit, Epiſtola, ſatis luculenter concedit, fas eſſe noſtris apud judicem de re juſta contendere. Non enim Corinthiis vitio dat, quod jus ſuum perſequuti eſſent, ſed quod, miſſis Chriſtianis judicibus, quos ſanctos vocat, ad Ethnicos interdum confugere non (3) dubitaſſent. Probaſſet igitur, ſi ab ſuis judicari voluiſſent. Quod ſi vocati in jus ab Ethnicis fuiſſent, ſuamque cauſſam apud Ethnicum judicem dici curaſſent, nulla eſt cauſſa, quæ efficiat, reprehendendos ipſos a Paulo fuiſſe.

At Chriſtiani ea ætate judices, magiſtratuſque nulli erant. Quis negat ? An arbitros judicum loco reperire non poterant, qui lites inter noſtros ortas dirimerent ? Non ergo pugnabat, ut de cauſſis Chriſtiani cognoſcerent. Quod ſi litibus finem imponere fas erat arbitris Chriſtianis, cur non

1 Johann. XVIII. *v.* 23. Confer *& epiſt. ad Roman. cap.* XII. *v.* 17.
2 *Actor. Apoſtolicor. cap.* XXIII. *v.* 3.
3 *1. ad Corinth. cap.* VI. *v.* 1. *ſeqq.*

non item judicibus, ſi judices ullos eſſe noſtrorum hominum per Imperatores Ethnicos licuiſſet? Ac quandoque ſane improbitate Ethnicorum evenit, ut noſtri apud judices implicatos ſuperſtitione Deorum contra Gentiles ſe, ſuaque defenderent, quin a majoribus noſtris, quibus nempe lex erat Evangelica explorata, rei ſceleris agerentur (1).

Intelligo autem fuiſſe aliquos, qui Apoſtoli locum in ſexto capite ejuſdem Epiſtolæ ad Corinthios *verſu ſeptimo* contra nos pugnare contenderent. Nam ipſum ſic habere. „ „ Iamquidem igitur omnino delictum in vobis eſt, quod Iu„ dicia habeatis cum vobis ipſis. Propter quid non magis „ injuriam accipitis? Propter quid non magis damnum ac„ cipitis (2) „? Verumtamen qui ſic diſputant, quid ex rebus poſitis, aſſumptiſque ſit conſequens non conſiderant. Fac enim Chriſtianis non liceat in judicio aut accuſare quemquam, aut ſeipſos, ſi ſint accuſati, defendere. Quid? ſi vel accuſent, vel accuſentur? Namque in Eccleſia, quæ ſagenæ inſtar eſt, ac bonos, maloſque complectitur, eſſe interdum poſſunt, qui peccent. An tum Chriſtiano minime licebit judicem agere, impedireque, ne turbæ oriantur, vexentque majorem in modum Rempublicam? Atque Apoſtolus non de quibuſque judiciis agit, ſed de iis, a quibus fraus, & injuria non abeſſent. Mox enim addit. „ Sed vos „ injuriam facitis, & damno afficitis, & hoc fratres; an „ neſcitis quia injuſti regnum Dei non poſſidebunt?

Verum ſi in civilibus quidem judiciis verſari Chriſtiano licet, erunt tamen, qui in criminalibus licere negent. Eſſe autem hi ſibi præſidio putant, quæ præcepta a Chriſto ſunt, ut ne *quis malo* reſiſtat (3), neque ulciſcatur injuriam, neque det locum iræ, parque pari referat (4); ſed diligat inimicos (5), remittat debitori (6), & ſi percuſſus a

1 Vide quæ dixi *Tom.* III. *pag.* 423. *not.* 4.

2 Ἤδη μὲν οὖν ὅλως ἥττημα ἐν ὑμῖν ἐςιν ὅτι κρίματα ἔχετε μεθ' ἑαυτῶν. διατί οὐχὶ μᾶλλον ἀδικεῖσθε; διατί οὐχὶ μᾶλλον ἀποςερεῖσθε.

3 Matth. *cap.* V. *v.* 38.

4 *Ad Rom.* XII. *v.* 19. 21.

5 Matth. *cap.* V. *v.* 43.

6 Matth. *cap.* VI. & XVIII. *ad Coloſſ.* III. *v.* 13.

quoquam fuerit maxillam (1) alteram obvertat, ut rurſum percutiatur. Quamquam ſunt hæc omnino abs re noſtra, ut video, aliena. Quid autem his efficere ſe poſſe cenſent? Aut enim κατὰ τὸ ῥητὸν, ut ſonant, aut κατὰ τὴν διανοίαν, ut ſenſus Chriſti poſtulare videtur, intelligi hæc eadem oportere arbitrantur. Sed non priore modo. Alioqui non *criminalia* ſolum, ſed etiam *civilia* quæque judicia eſſent tollenda. Quod fieri omnino non poteſt, ut eſt paullo ſuperius demonſtratum. At ne altero quidem. Nulla enim eſt ratio, cur his legibus ſolam improborum pœnam fuiſſe ſublatam putem. Sed quid multis moror? Eſt hæc ſane Chriſti ſervatoris ſententia, ut pœna infligenda ſit nemini ulciſcendæ injuriæ cauſſa. Quæ res ſi in accuſante poteſt, in magiſtratu quidem certe locum habere nullo modo poteſt. Non enim magiſtratui, ut magiſtratus eſt, oculus effoditur, neque excutiuntur dentes, neque injuriam ſibi factam idem ulciſcitur; ſed juſtitiam, lege Dei præſcriptam, depoſito vindictæ ſtudio, ut Reipublicæ conſulat, adminiſtrat. Verum diligendi ſunt inimici. Fateor. Quid igitur? An reorum inimicum eſſe magiſtratum dicent? Nihil minus. Iudicem enim liberum eſſe oportet, nullius partibus ſtudentem, ut recte officio fungatur. Itaque ſi quemquam punit, non odio, ſed juſtitiæ ratione punit. Id vero latiſſime patere volo, ne demta quidem capitali pœna. Scio adverſarios repugnare, quaſi componi hæc nequeat cum caritate Chriſtiana ſententia. Ego autem ſic exiſtimo, ſi pax, & tranquillitas Reipublicæ poſtulet, ut alia quavis, ita capitali pœna plecti improbos auctoritate magiſtratus poſſe. Quod ſi quærendam eſſe a Chriſtiano in hac mortali vita pacem negant, negare autem eos certum eſt, caveant, ne cum ſpecie ſimulationis defenſores caritatis videri velint, Apoſtolum Paulum erroris arguere cogantur. Is enim orandum pro regibus, & Principibus eſſe præſcribit, ut *quietam*, & *tranquillam* vitam Chriſtiani degant (2). Nam

1 Matth. *cap.* v. *v.* 38.

2 *Epiſt.* I. *ad Timotheum* 1. *cap.* II. *v.* 1. *Obſecro igitur primum omnino fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro hominibus, pro regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt* ἵνα ἤρεμον, καὶ ἡσύχιον βίον διάγωμεν, *ut quietam & tranquillam vitam ducamus &c.*

Nam etſi cæleſtem potiſſimum felicitatem quemque noſtrum quærere oportet, non eſt hæc tamen in terris tranquillitas aut ſpernenda, aut negligenda. Quamobrem Chriſtiani veteres, quorum ſingularis in ceteros amor erat, quamvis mala omnia pro Chriſto perpeti optarent, & libenter incommoda paterentur, tamen *pacis tranquillitatiſque* in hoc ſeculo rationem habendam arbitrabantur (1).

Age vero quid illud eſt, quod Paulus in litteris ad Romanos ſcribit, Dei miniſtrum eſſe Regem, qui ſi feceris, quod malum eſt, non ſine cauſa gladium (2) geſtat; quapropter eſſe poteſtati parendum non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam? An Reges gladium geſtant, ut minentur ſolum, non autem ut maleficum, qui dignus ſit capitali pœna (3) occidant, aut feriant? Sed abſurdum

 id

1 Vide Athenagoræ Legationem pro Chriſtianis *num.* 1. *ſeqq. pag.* 297. *ſeqq. edit. opp. Juſtini an.* 1747. Theophilum Antiochenum *lib.* III. *ad Autolycum num.* 14. *pag.* 416. *edit. ejuſd. opp. Juſtini*. Ubi hæc habentur. „ Illud etiam jubet ſcriptura ſancta, ut magi- „ ſtratibus, & poteſtatibus ſubjiciamur, ac pro iis precemur, *ut quietam, & tranquil-* „ *lam vitam agamus*„; & Tertulliani locum ex *Apologet. cap.* xxx., quem protuli *T.* II. *hujus operis p.*437.*not.*1. & Cypriani teſtimonium ibidem deſcriptum *not.*3. Origen. *l.* VIII. *contra Celſum n.*73. *p.*395. *edit. Veneta*, & Euſebium *l.* IV. *H.E. c.* XXVI. 2 *C.* XIII. *v.* 4.

3 Paulus Apoſtolus apud Lucam *actor. Apoſtolicor. cap.* XXV. *v.* 11. Agnoſcit committi ab homine *dignum aliquid morte* poſſe. Quare „ *Si nocui*, inquit, *aut dignum morte aliquid feci, non recuſo mori*. *Actor.* XXVIII. *v.* 18. *quia nulla in me erat mortis cauſſa*. Hoc idem Patres affirmant. Juſtinus *Apolog.* 1. *num.* 1. *pag.* 44. *edit. Veneta*. „ Neque ea „ mente acceſſimus, ut vobis hoc ſcripto aſſentaremur, aut ad gratiam alloqueremur, ſed „ ut poſtularemus, ut judicium ad accuratam, & diligentem in inquirendo rationem facia- „ tis, nec anticipata opinione, aut ſuperſtitioſis hominibus placendi ſtudio detenti, aut im- „ petu a ratione alieno, aut dudum inſidente animis malo rumore, ſententiam in voſmet- „ ipſos feratis. Sic enim tenemus nihil nos mali a quoquam perpeti poſſe, niſi maleficii ar- „ guamur, aut improbi deprehendamur. Vos autem occidere quidem poteſtis, lædere vero „ nequaquam. Sed ne hanc quis alienam a ratione, & temerariam vocem eſſe exiſtimet, ora- „ mus, ut quæratur de criminibus, quæ Chriſtianis objiciuntur, ac ſi rem ita ſe habere pa- „ teat, ut quemlibet alium punire decet; ita puniantur. Sed ſi nihil arguere quiſquam ha- „ beat, ratio vera non præcipit, ut ob malum rumorem hominibus innocentibus injuriam „ faciatis „. *Et num.* VII. *pag.* 47. „ Rogamus itaque, ut omnium qui apud vos accuſan- „ tur, dijudicentur actiones, ut qui convictus fuerit, puniatur, ut improbus, nequaquam „ autem ut Chriſtianus „. Eadem fere perſequitur Athenagoras *Legat. pro Chriſtianis num.* 1. *ſeqq. edit. ejuſdem opp. Juſtini*. Quinetiam Tertullianus *lib. ad Scapulam cap.* IV. *pag.* 70. *edit. opp. Veneta an.* 1748. „ Potes, inquit, & officio juriſdictionis tuæ fungi, & „ humanitatis meminiſſe, vel quia & vos ſub gladio eſtis. Quid enim amplius tibi manda- „ tur, quam nocentes confeſſos damnare, negantes autem ad tormenta revocare? Videris „ ergo quomodo ipſi vos contra mandata faciatis, ut confeſſos negare cogatis „. At ſi poterat officio juriſdictionis fungi, poterat ſane Scapula, concedente Tertulliano, nocentem punire. Alioquin ſi fieri hæc ſine peccato poſſe non putaſſet, numquam hæc verba uſurpaſſet Tertullianus. Nam paullo ante dixerat. „ Non te terremus, qui nec timemus. Sed „ velim, ut omnes ſalvos facere poſſimus, monendo *μὴ θεομαχεῖν*, „ *non pugnare contra Deum*.

Tu-

id quidem eſt. Atque idem Paulus Reges divina voluntate conſtitutos teſtatur. Si vero conſtituti a Deo ſunt, quid obſtat, quo minus ſint Reges Chriſtiani, qui gladium gerant, & homicidas exempli cauſſa, ſicarioſque afficiant capitali pœna? Scilicet hoc adverſarii vellent, miniſtrum Dei eſſe Chriſtianum non debere. Nam regem, qui gladium gerat, ſceleſtoſque puniat, Paulus miniſtrum appellat Dei.

At bella ſuſcipi Chriſtiana religio haud patitur. Status autem civilis, ſublata ſuſcipiendi belli facultate, conſiſtere, qui tandem poterit? Pacem enim conſtat eſſe oportere propriam Chriſtianorum. Cujus rei in Evangeliis, Epiſtoliſque diſcipulorum Chriſti documenta reperiri ſolent permulta (1). Quid? Si Patres militare fas eſſe Chriſtiano (2) negent? Militare autem? Nam occidere hoſtem militi liceret. Immo vero ne aſpicere quidem (3) necem. Quare ſi Chriſtianus ſit magiſtratus, is non ſolum non inferet, ſed ne defendet quidem bellum; propterea quod neque inferri, neque ſuſcipi ſine nece poſſit. Rurſum fieri nequit, ut bellum a Principe ſuſcipiatur, qui milite careat. Careat autem neceſſe eſt Princeps Chriſtianus Chriſtiano milite, cum Chriſtianis conſtet necibus intereſſe minime licere.

Ego vero quemadmodum Cornelius qui centurio eſſet, vocari vir bonus, & timens (4) Deum a Luca, & milites ab Johanne Baptiſta (5) juberi, ut contenti ſtipendiis ſuis eſſent, potuerint, ſi aut Principi arma in hoſtes ferre, aut Chriſtiano viro militare nefas eſſet, non video. Deinde tuliſſet ne Paulus, ut cum ab Iudæis quæſitus ad necem eſſet, ejuſque rei feciſſet tribunum militum (6) certiorem, ut

Pugnaſſet autem contra Deum Scapula, ſi peccaſſet Proconſulem agendo, puniendoque nocentes, quod tamen munus illi facile concedit Tertullianus. Mitto ceterorum Patrum teſtimonia, ne ſim longus.

1 *Epiſt ad Tim.* 1. *c.* II. *v.* 1. *& in Ev.* Chriſtus *pacem*, inquit, *relinquo vobis &c.*

2 Vide, quæ ex Patribus objici ſolere diximus *tom.* III. *hujus operis pag.* 303. *ſeqq.*

3 Confer, quæ diſputavi *ibid. pag.* 312. *ſeq.*

4 Conſule *locum eumdem tom.* III. *pag.* 304.

5 Adeundus locus idem *pag.* 304.

6 *Act. Apoſt. cap.* V. Concilium Africanum *cap.* XCIII. *pag.* 253. *Codicis canon. Eccl. Africanæ edit. Pariſ. an.* 1615. „ Quorum contra furorem poſſumus non inſolita nec a ſcri„ pturis aliena impetrare præſidia, quando Apoſtolus Paulus, ſicut in Apoſtolorum actibus „ fidelibus notum eſt, factioſorum conſpirationem militari etiam ſubmovit auxilio „. Hinc

s. Au-

ut hos homines , quam grave eſſet peccatum militare, fugeret , qui nullam docendi alios occaſionem ſibi intercidere pateretur ? Tributa (1) autem qui pendi Principi debere confirmaſſet , quæ convertenda in militum ſtipendia ſciret ? Ac mitto cetera , quæ tertio hujuſce operis libro deſcripta , & diſputata ſunt , ne actum agam .

Nam quod de pace dicunt , verum eſt , modo vel omnes homines Chriſtiani eſſent , vel Chriſtiani qui ſunt , pacem (2) colerent . Verumtamen neque genus hominum univerſum Chriſti præceptis , atque inſtitutis paret , neque qui mortales verbo parendum affirmant , re ipſa ſemper obtemperant. Itaque utrorumque cauſſa interdum diſſenſiones, rapinæ, bella oriuntur, quæ niſi vi armiſque repellantur,culpa Principis plurimum capiet detrimenti reſpublica . Quod ſi Iudæo armis hoſtes perſequi fas erat , cur non item Chriſtianis Principibus , quorum ditionibus inimici vaſtitatem , interitumque minitentur ? Non enim oſtendi ullo novi Teſtamenti loco poteſt, ademtam eſſe Chriſtianis , qui Principatu aliquo potirentur , vel ſuſcipiendi , ſi jus , neceſſitaſque exigeret , vel defendendi belli poteſtatem . Trita autem illa de non reſiſtendo malis , de obvertenda maxilla altera , ſi dextera percuſſa ſit , de diligendis inimicis , deque non reddendo malo pro malo , & latiſſime patent , & cum explicata paullo ante ſint , non eſt cur eſſe rurſum explicanda putem . Nec magis me movent , quæ ſecunda ad Corinthios Epiſtola capite decimo Paulus (3) ſcribit : „ In carne „ am-

s. Auguſtinus *epiſt.* XLVII. *al.* CLIV. *qua eſt ad Publicolam pag.* 112. *Tom.* II. *operum edit. Pariſ. Monachor. s. Mauri* . „ Neque ſi in illa arma , inquit , ſcelerati homines inci„ diſſent , Paulus in effuſione ſanguinis eorum ſuum crimen agnoſceret .

1 Tacitus *lib.* IV. *Hiſt. cap.* LXXIV. *pag.* 768. *edit. an.* 1708 „ Neque quies gentium ſi„ ne armis , neque arma ſine ſtipendiis , neque ſtipendia ſine tributis haberi queunt „ . Et Auguſtinus *lib.* XXII. *contra Fauſtum cap.* LXXIV. *pag.* 405 . *tom.* VIII . *opp. edit. Pariſ. Monach. s. Mauri* . „ Ad hoc tributa præſtantur , ut propter bella neceſſario militi ſtipendium „ præbeatur „ . Confer *epiſt. ad Rom. cap.* XIII. *v.* 3. 4. 6.

2 Arnobius *lib.* I. *adverſus gentes pag.* 7. *edit. an.* 1605. „ ſi omnes omnino , qui ho„ mines eſſe ſe non ſpecie corporum , ſed rationis intelligunt poteſtate , ſalutaribus ejus „ pacificiſque decretis aurem vellent commodare , pauliſper , & non faſtu , & ſupercilio tu„ midi ſuis potius ſenſibus , quam illius commonitionibus crederent , univerſus jamdudum „ Orbis mitiora in opera converſis uſibus ferri , tranquillitate in mollissima degeret , & in „ concordiam ſalutarem fœderum ſanctionibus conveniret „ . Conſule Euſebium *lib.* I. *Præp. Evangel. cap.* IV. *pag.* 10. *edit. an.* 1628.

3 *V.* 3.

„ ambulantes non ſecundum carnem militamus. Nam ar-
„ ma militiæ noſtræ non carnalia ſunt &c. „. Non enim ad rem pertinent. Atque Chryſoſtomus carnalium (1) armorum nomine, opes, gloriam, potentatum, eloquentiam, aſſentationes, fallacias, quibus Apoſtolus minime fidebat, non arma, de quibus agimus, indicari a Paulo cenſet. Quod ſi quæ præcedunt, quæque ſequuntur diligenter conſiderentur, facile quiſque perſpiciet, *carnalium* voce ſignificari imbecillam, ac debilem corporis, quod ſub aſpectum cadit, conditionem, cui vir ſanctus opponit arma ſua, poteſtatem nempe Apoſtolatus, quæ ſibi data a Chriſto fuiſſet, & qua, exempli gratia, Elymam, Hymenæum, & Alexandrum coercuiſſet, ut quæ non infirma, ſed fortis, validaque eſſet.

Huc ſpectant, quæ ex Epiſtola (2) ad Epheſios, ex litteris Iacobi, exque Evangelio Matthæi adverſarii proferunt. Nam eſt prior locus hujuſmodi „ Induite vos arma-
„ turam Dei,ut poſſitis ſtare adverſus inſidias diaboli. Quo-
„ niam non eſt nobis colluctatio adverſus carnem, & ſan-
„ guinem, ſed adverſus principes, & poteſtates, adverſus
„ mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia
„ nequitiæ in cæleſtibus„. Alter autem ſimilis eſt hujus (3).
„ Unde bella, & pugnæ inter vos, nonne hinc? ex concu-
„ piſcentiis veſtris, quæ militant in membris veſtris? con-
„ cupiſcitis, & non habetis; occiditis, & zelatis, & non
„ poteſtis adipiſci; litigatis, & belligeratis, & non habetis
„ propter quod non poſtulatis „. Tertius denique, quem magni adverſarii faciunt, ſic habet. „ Qui gladio ferit, gla-
„ dio peribit (4).

Sed Paulus in litteris ad Epheſios, quæ ſit Chriſtiani, qua Chriſtianus eſt, pugna cum hoſte generis humani, non quæ eſſe interdum poteſt, ſi homines perniciem Reipublicæ cuiquam Chriſtianorum, graveque detrimentum afferre conen-

1 *In cap. x. epiſt. II. ad Corinth. Hom.* XXI. *tom. x. opp. pag.* 584. *edit. Pariſ. Monach. s. Mauri*.

2 *Epiſt. ad Epheſ. cap.* VI. *v.* 16.

3 *Epiſt. Jacobi cap.* IV. *v.* 1.

4 *Matth. cap.* XXVI. *v.* 51. *ſeq. Marc. cap.* XIV. *v.* 41. *ſeq. Luc. cap.* XXII. *v.* 49. *ſeq. Johan. cap.* XVIII. *v.* 10. *ſeq.*

conentur, demonſtrat. Cumque hujuſce poſtremæ nulla ſit ab Apoſtolo facta mentio, non erat, cur is locus a noſtris oppugnatoribus adduceretur. Jacobi autem ſententia ſi nobis præſidio non ſit (non enim eſt ad rem) at ne obeſt quidem. Hoc unum continet, concertationes & bella, quibus Hebræi inter ſe contendebant, ortas ex cauſſis neque juſtis, neque probis eſſe. Nos autem de bellis quærimus, quæ unus aliquis Princeps aut inferat, aut defendat juſtitiæ amore compulſus, non amplificandorum finium, reique augendæ cupiditate. Quod ad tertium attinet, ſcio eſſe aliquos (1) qui a Chriſto, cum periturum gladio eum, qui gladio alterum feriret, dixit, de privato bello, non de publica auctoritate ſuſcepto actum eſſe contenderent. Quamquam ſunt Interpretes Evangeliorum, & hi quidem magni, ac nobiles, qui cum hortatu Chriſti paratos gladios fuiſſe, poſt vero juſſum fuiſſe Petrum, ne quem percuteret, legiſſent; non juſtam defenſionem prohibitam fuiſſe, ſed cautum, ne quis injuriam (2) ulciſceretur, concluderent. Atque haud intelligo, qui fieri tandem potuerit, ut ſi ademta fuiſſet ab Jeſu Servatore generis humani noſtris & militandi, & inferendi, defenſionis cauſſa, belli facultas, Patres omnes continuo ab Apoſtolorum doctrina deſciſcerent, faſque eſſe Chriſtianis pro Republica pugnare arbitrarentur. Sed de hìs cum dictum accurate fuerit libro ſuperiore (3) non eſt opus, cur eſſe rurſum dicendum putem. Hoc breve dico, ſi qui umquam ſcriptores Chriſtiani fuerunt (fuerunt autem aut nulli, aut omnino perpauci) qui militiam averſari viderentur (4), hi vel conſilia Chriſti ſequi maluerunt (5) ut quemadmodum eſſet perfecto Chriſtiano vivendum demonſtrarent, vel non omnem, ſed eam militiam reprobarunt, quæ conjuncta (6) cum

1 Grotius *de* J. B. *&* P. *lib.* 1. *cap.* II. §. VIII. *num.* 17. *pag.* 63. *t.* 1. *edit. an.* 1734.

2 Vide Bernardum Lamium, Maldonatum, Calmetium in loca modo indicata Evangeliorum.

3 *Lib.* III. *pag.* 303. *ſeqq.*

4 Confer eumdem *lib.* III. *pag.* 306. *ſeqq.*

5 Hoc Grotius etiam facile concedit *loc. indic. pag.* 65. *ſeqq.*

6 Tertullianus, quem *loc. cit.* modo affirmare, favereque; modo negare, adverſarique militiæ videtur, *lib. de Corona Militis*, ſic ſtatuere, remque omnem componere videtur, ut non

cum ſuperſtitione eſſet. Quod ſi dem, aliquos, qui novis rebus ſtuderent (1), minus æquos fuiſſe militibus, horum certe ratione dicendi, nego, everti publicam Eccleſiæ auctoritatem poſſe. Nec enim ullus eſt canon, neque ſanctio Eccleſiæ ulla, quæ universe, nefas eſſe, præſcribat in caſtris degere Chriſtiano. Nam quod ex Epiſtola Leonis ad Ruſticum (2) proferunt: pugnare nempe cum Eccleſiaſticis regulis, ut qui pœnitentiam publice profeſſi ſunt, iidem ad caſtra revertantur, leve eſt. Pœnitentium enim non minus eſſe ſingularis puritas debebat quam Clericorum (3), ut aliis, quemadmodum ante peccantes, ſic poſt reſipiſcentes exemplo eſſent. Quamobrem non mirum eſt, ſi ut Clericis, ita Pœni-

non apparere dignum eſſe Chriſtiano viro, qui ſancte, caſte, integreque vivere debeat, in caſtris verſari, præſertim, ſi ante baptiſmum numquam militarit, affirmet; tamen ſi militarit, non eum eſſe ſe, qui cogat militia, ſuſcepto baptiſmo, excedere, modo ne ſuperſtitione, flagitiiſque impliicetur. Nam *cap.* XII. *pag.* 107. *editionis ann.* 1748. „ Plane, *inquit*, ſi quos militiæ præventos fides poſterior invenit, alia condi- „ tio eſt, ut illorum, quos Johannes admittebat ad lavacrum, ut centurionum fideliſſi- „ morum, quem Chriſtus probat, ut quem Petrus catechizat, dum tamen ſuſcepta fide, „ atque ſignata, aut deſerendum ſtatim ſit, ut multis actum, aut omnibus modis cavillan- „ dum (*nempe cavendum*) ne quid adverſus Deum committatur „. Quare *cap.* I. *lib. ejuſd. pag.* 100. militem laudans, O *militem*, inquit, *in Deo glorioſum*. Atque hoc, quod eſt de ſuperſtitione, non ſolum Tertullianus, ſed omnes Chriſtiani, cavendum ſtatuebant. Itaque quum aut ſacramento eos, quo ſuperſtitio quæpiam contineretur, obligari; aut ſacrificare milites Chriſtianos Ethnici cogebant, continuo noſtri cingulum deponebant, ac mortem perpeti, quam Deum offendere mallebant. Quare ubi Chriſtiani potiti imperio ſunt, immutatum idem juramentum militare fuit, atque in hanc formam redactum, ut proditum memoriæ a Vegetio eſt *de re militari lib.* II. *cap.* V. *pag.* 33. *edit. an.* 1670. „ Per Deum, „ & Chriſtum, & Spiritum Sanctum, & per majeſtatem Imperatoris, quæ ſecundum Deum „ generi humano diligenda eſt, & colenda. „ Atque Ambroſius *lib.* I. *de Officiis c.* XXVII. *pag.* 35. *tom.* II. *edit. Monach. s. Mauri*. „ Fortitudo, *inquit*, quæ vel bello tuetur a bar- „ baris patriam, vel domi defendit infirmos, vel a latronibus ſocios, plena juſtitiæ eſt „. Et Concilium Arelatenſe I. *can.* III. *t.* I. *Concilior. edit. p.* 263. *Pariſ. Harduini*. „ De his „ qui arma projiciunt in pace, placuit abſtinere eos a communione „. Id eſt, inquit Grotius *ibid. pag.* 73. qui militiam deſerunt extra tempora perſecutionis: id enim pacis nomine intelligi volebant Chriſtiani; ut conſtat ex *Tertulliano cap.* XIX. *de Idololatria*, *cap.* III. *lib. de Fuga in Perſecutione &c.* Nam interpretationes Sirmondi, Albeſpinæi mihi certe non placent, ut quæ vi contortæ eſſe videantur.

1 Ut Tertullianum, & Origenem, de quibus dixi libro ſuperiore *loco indicato*.

2 *Epiſt.* XCII. *edit. oper. an.* 1741. *cap.* IX. *pag.* 165. „ Contrarium eſt omnino Eccle- „ ſiaſticis regulis poſt pœnitentiæ actionem redire ad militiam ſecularem, cum Apoſtolus „ dicat *nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus*. Unde non eſt liber a laqueis diaboli, qui ſe militiæ mundanæ voluerit implicare.

3 Quare s. Leo *ibid. cap.* VIII. præſcribit, utilius eſſe *pœnitenti diſpendia pati, quam periculis negotiationis obſtringi*. Itaque etſi aliis hoc permitteretur, permittendum tamen pœnitenti negat, ut ne Clericis quidem permittitur, quibus etiam præceptum eſt ne militent. *Canon Apoſtolicus* LXXXII. *pag.* 30. *tom.* I. *Concilior. edit. Harduin.* „ Epiſcopus „ vel Presbyter, vel Diaconus exercitui vacans, & utraque obtinere volens Romanum ſci- „ licet Magiſtratum, & Sacerdotalem adminiſtrationem, deponatur. *Quæ ſunt enim Cæ- „ ſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo*.

nitentibus præſcriptum eſſet, ne quamvis olim ſequuti caſtra fuiſſent, ad militiam tamen reverti auderent (1).

Tom.IV. F Quod

1 Sed permulti tamen, concedentibus Epiſcopis noſtris, qui tamen acerrimi erant diſciplinæ Chriſtianæ propugnatores, militiam profitebantur. Quod cum demonſtratum libro ſuperiore locis indicatis ſit, nunc omittatur. Hoc unum Cypriani ex *Epiſtola* xxxix. *edit. Oxon. pag.*224. afferam de Laurentino, & Ignatio. ,, In caſtris, & ipſi quondam ſecularibus ,, militantes, ſed veri, & ſpirituales Dei milites, dum diabolum Chriſti confeſſione pro- ,, ſternunt, palmas Domini, & coronas illuſtres paſſione meruerunt ,,. At dicet quiſpiam Cyprianus idem *epiſt. ad Donatum edit.Oxon. pag.*3. *ſeq.*,, Cerne, *inquit*, . . cruento hor- ,, rore caſtrorum bella ubique diviſa. Madet orbis mutuo ſanguine, & homicidium cum ,, admittunt ſinguli, crimen eſt. Virtus vocatur, cum publice geritur. Impunitatem ſceleri- ,, bus acquirit, non innocentiæ ratio, ſed ſævitiæ magnitudo ,,. Non igitur licet militiæ nomen dare Chriſtiano, ſi crimen eſt in bello quemquam occidere. Eſt autem crimen, ut Chriſtianæ Religionis decretis aſſentiens Cyprianus ſcribit. Ac Cyptiano, ut libro III. I. c. dictum eſt, ſunt qui Origenem, Tertullianum, Lactantium, atque Baſilium conſentire pugnent. Non diſcrepare autem Auguſtinum, quiſquam putaverit, qui *lib.* IV. *de Civit. Dei cap.* IV. *pag.* 90. *tom.* VII. *opp.* legat, in quo ſic habetur. ,, Quid ſunt regna, niſi ma- ,, gna latrocinia? Quia ipſa latrocinia quid ſunt, niſi parva regna? Eleganter enim, & ve- ,, raciter Alexandro illi Magno quidam comprehenſus pirata reſpondit. Nam cum idem Rex ,, hominem interrogaſſet, quid ei videretur, ut mare haberet infeſtum, ille libera contu- ,, macia. Quid tibi, inquit, ut orbem terrarum? Sed quia id ego exiguo navigio facio, ,, latro vocor, quia tu magna claſſe, Imperator ,,. Immo vero ne Paulinum quidem Nolanum, qui *epiſt.* XXV. *al.* XXXIX. *num.* 3. *pag.* 163. *edit. an.* 1736. ,, Noli, *inquit*, diu- ,, tius diligere hunc mundum, neque militiam ejus, qui ſecundum ſcripturæ auctoritatem, ,, inimicus Dei eſt quicumque amicus eſt ſeculi, & qui militat gladio, mortis miniſter eſt. ,, Qui autem ſuum, vel alienum ſanguinem fundit, hic recipiet fructum ſtipendiorum. Aut ,, enim exitu mortis tenebitur reus, aut crimine: quia neceſſe eſt, ut miles in bello, in ,, quo tamen non tam pro ſe, quam pro alio dimicat aut ſuam mortem victus inveniat, aut ,, mortis cauſſam victor acquirat, quia victor eſſe non poteſt, ſi effuſor ſanguinis ante non ,, fuerit; ideo dicit Dominus: *non poteſtis duobus Dominis ſervire*. Sed quia uni Domi- ,, no ſerviendum eſt, facile puto eſſe diſcerni, cui potius ſerviri debeat, Deo, an Mam- ,, monæ? Chriſto an Cæſari? cum ipſe Cæſar Chriſti ſervus ſtudeat eſſe, ut aliquatum gen- ,, tium Rex eſſe mereatur . . . Chriſtus autem totius mundi Dominus, & Rex eſt . . . Hunc ,, igitur ſequamur, huic militemus ,,. Atque niſi peccarent milites, ab Ordinibuſne ſacris eos arcendos veteres Chriſtiani judicaſſent? Siricius Pontifex *epiſt.* V. quæ eſt ad Epiſcopos Africæ *pag.* 654. *tom.* 1. *collect. epiſt. Rom. Pontif. edit. Contantii cap.* III. ,, Si quis ,, inquit, poſt remiſſionem peccatorum (*hoc eſt poſt baptiſmum*) cingulum militiæ ſecula- ,, ris habuerit, ad Clerum admitti non debet ,,. Præterea canone IV. eorum, quos Sirmondus Innocentio I., alii Siricio adſcribi poſſe cenſent, *cap.* 2. *pag.* 695. *ejuſd. collect. epiſt. Rom. Pont. num.* 13. ,, Poſt baptiſmi gratiam, poſt indulgeutiam peccatorum, cum ,, quis ſeculi militia fuerit gloriatus, vel illum, qui purpura, & faſcibus fuerit delectatus ,, ad Sacerdotium aliqua irruptione minime admitti juſſerunt ,,. Accedit Concilii Toletani I. Auctoritas, quod anno 400. celebratum eſt, habetque *canone* VII. *pag.* 991. *tom.* 1. *Concilior. edit. Harduini* hoc modo. ,, Si quis poſt baptiſmum militaverit, & clamydem ,, ſumſerit, aut cingulum, etiamſi graviora non admiſerit, ſi ad Clerum admiſſus fuit, Diaco- ,, ni non accipiat dignitatem ,,. Sed quod ſpectat ad Cyprianum, iis de bellis agit, quæ ſævitia, injuſtitiaque, non ratione, ac juſtitia ſuſcipiuntur. Ceterum ut vidimus, militiam univerſe non improbat. Auguſtini autem ſatis perſpicua eſt ſententia. Latrocinia enim eſſe Regna ſcribit, ſi removeatur juſtitia. ,, Remota, *inquit*, juſtitia, quid ſunt regna &c. Ac ne ſuſpicari quidem poſſumus rejici ab eo regna, militiamque potuiſſe, qui regni, militiæque adverſus hæreticos patrocinium ſuſcepiſſet. Hinc *lib.* XXII. *contra Fauſtum cap.* LXXIV. *pag.* 405. *tom.* VIII. *opp. edit. Pariſ. Monachor. s. Mauri.* ,, Alioquin, *inquit*, ,, Jo-

Quod ſi perſtant adverſarii, eoque nomine Chriſtianam inſtitutionem pugnare cum reipublicæ ſtatu dicant, quod par

,, Johannes, cum ad eum baptizandi milites venirent, dicentes: Et nos quid faciemus? re-
,, ſponderet eis, arma abjicite, militiam iſtam deſerite, neminem percutite, vulnerate,
,, proſternite; ſed quia ſciebat eos, cum hæc militando facerent, non eſſe homicidas, ſed
,, miniſtros legis, & non ultores injuriarum ſuarum, ſed ſalutis publicæ defenſores, reſpon-
,, dit eis neminem concuſſeritis, nulli calumniam feceritis, ſufficiat vobis ſtipendium ve-
,, ſtrum ,,. At quia Manichæi Johannem Baptiſtam accuſabant, ſubdit. ,, Ipſum Dominum
,, Jeſum Chriſtum audiant hoc ſtipendium jubentem reddi Cæſari, quod Johannes dicit de-
,, bere ſufficere militi ... Ad hoc enim tributa præſtantur, ut propter bella neceſſario mili-
,, ti ſtipendium præbeatur. Merito & illius Centurionis dicentis, & ego homo ſum ſub po-
,, teſtate conſtitutus, habens ſum me milites, fidem laudavit, non illius militiæ deſertio-
,, nem imperavit ,,. Eodem autem in capite quæ bella reprobari debeant, oſtendit. ,, Quid
,, enim culpatur in bello? An quia moriuntur quandoque morituri, ut domentur in pace
,, victuri? Hoc reprehendere timidorum eſt, non religioſorum. Nocendi cupiditas, ulci-
,, ſcendi crudelitas, impacatus, atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido domi-
,, nandi, & ſi qua ſimilia, hæc ſunt, quæ in bellis culpantur ,,. Principes autem juſti, cum
bellum movent de pace cogitant. Quamobrem recte Auguſtinus *epiſt.* CLXXXIX. *ad Bonifacium pag.699. tom.* II. *opp. ejuſd. edit.* ,, Pacem debet habere voluntas, bellum neceſſi-
,, tas ... Non enim pax quæritur, ut bellum excitetur, ſed bellum geritur, ut pax acquira-
,, tur. Eſto ergo etiam bellando pacificus, ut eos, quos expugnas ad pacis utilitatem vin-
,, cendo perducas ,,. Fit igitur, ut Auguſtino teſte, militia, ſtatuſque civilis cum religione Chriſtiana non pugnet. Itaque idem ipſe contra Voluſianum præceptis Evangelicis abutentem ſcribens *epiſt.* CXXXVIII. *pag.416. tom.*II. *opp.* ,, Si Chriſtiana diſciplina omnia bella
,, culparet, *inquit*, hoc potius militibus conſilium ſalutis petentibus in Evangelio dicere-
,, tur, ut abjicerent arma, ſeque omnino militiæ ſubtraherent, ... Quibus proprium ſti-
,, pendium ſufficere debere præcepit, militare utique non prohibuit ,,. Jam de Tertulliano Origene, Lactantio, & Baſilio dixi equidem libro ſuperiore *pag.307.* quæ ſentiebam. Age autem, quid Paulinus poſtulet, videamus. Is igitur de periculis, in quæ ſe milites conjicere ſolerent, agit, atque oſtendit, fieri difficulter poſſe, ut quis tot periculis implicatus, immunis a culpa ſit. Nam ſunt occaſiones in militia peccandi permultæ. De honoribus enim, & gloria, & divitiarum cupiditate in exercitu agi ſæpe ſolet, quæ mundi ſunt, vix autem de pietate, caſtitate, integritateque tuenda, quæ ſunt Dei. Quamobrem Paulinus
,, Quod ſi MAGIS, *inquit*, dilexerimus hoc ſeculum, & maluerimus Cæſari militare, QUAM
,, Chriſto, poſtea non ad Chriſtum, ſed ad Gehennam transferemur ,,. At qui anteponunt Cæſarem Chriſto, quis negat, eos ſalutem, ſi perſtent, non eſſe conſequuturos. Sed militem, qui Chriſtum præferat Cæſari, qui contentus ſtipendiis ſuis ſit, qui divitias nec *ſummum bonum* eſſe putat, nec *Deo præfert*, numquam condemnavit Paulinus. Confer Epiſtolam mox indicatam, facileque intelliges paullo durius, ſeveriuſque Epiſcopum Nolanum loqui, ut militem, ad quem ſcribit, inducat ad Monachi, vel Clerici vitam degendam, quem acceperat in exercitu recte vivere. Non nego cautum fuiſſe, ne quis ad ſacros Ordines, ſi poſt baptiſmum militaſſet, accederet. At quid inde ſequatur incommodi, ne ſuſpicari quidem poſſum. Viget enim hæc eadem noſtra etiam ætate conſuetudo, quin tamen eum peccare, qui in bello fuerit, arbitremur. Nec vero decet, ut ad pertractanda ſacra ſe conferat is, qui ſanguine humano ſeſe polluerit, quamvis in bello juſto cum eſſet, minime peccarit. *In Pœnitentiali Romano tit.* I. *cap.* XX. ,, Feciſti homicidium in bello juſſu
,, legitimi Principis, qui pro pace hoc fieri juſſerat, & interfeciſti tyrannum, qui pacem
,, pervertere ſtuduit, tres quadrageſimas per legitimas ferias pœniteas ,,. Hoc idem
,, fere Rabanus in ſuo *Pœnitentiali lib.* 3. *cap.* 2. *tom.* 6. *pag.* 119. *edit. an.* 1626. ſcripſit. Confer etiam *canon.* XXXIV. *Concilii Tribur. celebrati anno* 895. *tom.*VI. *edit. Concilior. Hard. pag.*450. En ut non ſolum ab Ordinibus arceantur, qui bello interfuerunt, ſed etiam pœnitentiæ ſubjiciantur ab his, qui interficere hoſtem in bello juſto negarent eſſe peccatum. Sed de his hactenus.

par pari referre ; atque injuriam ulciſci vetet, caveant ne veterum Philoſophorum, quas probatas fuiſſe Romanis conſtat, præceptiones civitatibus eſſe noxias fateri (1) videantur. Id autem cum nolint (quamquam ſunt eædem ipſæ præceptiones noſtrarum omnino ſimiles, ne iis quidem Ethnicis negantibus (2), quos nefarios Religionis Chriſtianæ, implacabileſque hoſtes fuiſſe certo ſcimus) quid eſt, quod nobis quidquam ſe negotii, ſuis hiſce argumentis exhibere poſſe arbitrentur?

Ac ſunt quidem in Evangeliis permulta, quibus tantum abeſt, ut quid reſpublica detrimenti capiat, ut potius confirmari magis, amplificarique poſſit. In civitate namque, quam Princeps regat, ac moderetur, qui norit, ſubditum ſe Deo eſſe oportere, cognoſcatque conſtitutum ſe regem eſſe; non ut propriis, ſed ut civium commodis utilitatibuſque proſpiciat, adeoque ſibi nihil eſſe ſuſcipiendum, quod æquitati, quod paci, quod tranquillitati corum repugnet; immo vero agenda omnia, quæ ad felicitatem reipublicæ conducant, colendam liberalitatem, caſtitatem, integritatem morum, juſtitiam, eamque maxime, quæ eſt erga Deum Optimum, atque Maximum pietatem, quis neget, adminiſtrationem rerum & utilem civibus, & optandam exteris futuram? At hæc omnia Chriſtiana religio (3) ut in quoque ſuorum, ita in iis etiam poſtulat, qui primas in republica partes tenent.

Satis dictum de Principibus, magiſtratibuſque Chriſtianis eſt. Nunc de ſubditis. Nam in recte, ſapienterque adminiſtrata republica, quemadmodum Princeps neque ſuperbe, neque crudeliter, neque illiberaliter, injuſteque imperare atque præ oculis nihil aliud, quam ſalutem, felici-

1 Vide quæ dixi *lib.* 1. *cap.* III. §. XXV. *num.* III. *pag.* 167. *ſeqq.* *tom.* I.

2 Confer quæ dixi *ibid.*

3 Hæc enim præſcribit Chriſtus omnibus, qui ad veram accedunt religionem. Adeoque etiam magiſtratibus. Quod cum perſpicuum ſit, non eget copioſiore oratione. Quæ autem incommoda in Rempublicam illata a Principibus Ethnicis fuerint, qui ab iis inſtitutis præceptionibuſque abhorrerent, diligenter eſt ab Johanne Franciſco Buddeo in *Diſſert. de Concordia Relig. Chriſtianæ, ſtatuſque civilis cap.* 1. §. IX. *ſeq. p.* 17. *ſeq. edit.* an. 1712. demonſtratum. Sed is Auctor cum partibus Lutheri ſtuderet, multa contra Romanam Eccleſiam in ea ipſa diſſertatione turbat, quæ alio loco opportune refutabuntur.

felicitatemque civium habere debet, ita cives bene eſſe animatos neceſſe eſt, nihil ut prætermittant eorum, quæ pertineant(1)ad declarandam ſummam eorum erga principem voluntatem. Quamobrem & preces pro Rege,Magiſtratibuſque fundant, oportet, & pareant imperanti, modo nihil jubeat, quod cum religione, præceptiſque divinis (3) pugnet, & tributa (3) pendant,& quibuſcumque rebus poſſint, juvent,& prudenter, inculpateque in civitate verſentur. Id vero noſtris præſcribit Chriſtiana religio. Sapienter igitur recteque reſpublica adminiſtrabitur, quam veri Chriſtiani conſtituant. Non ergo eſt eadem religio reipublicæ inimica.

I I.

Refellitur ſecundi generis adverſariorum error.

Sublato autem eorum errore, qui Religionem Chriſtianam componi cum ſtatu civili negarent poſſe,corruat neceſſe eſt aliorum opinio,quorum ſecundo loco meminimus,quique Chriſtiano viro Magiſtratu fungi inque civilibus, criminalibuſque judiciis verſari,plectereque improbos,qui capitale crimen admiſiſſent,licere inficiarentur.Itaque miſſis,quæ ex ſcripturis conſenſioneque veterum Chriſtianorum in hanc rem diſputavimus numero ſuperiore, ne quis a me actum agi putet, ea ſolum perſequar, quæ ad hunc locum maxime ſpectare videantur. Animadvertendum vero eſt, conſueſſe veteres Chriſtianos Eccleſiaſticam communionem negare his, qui ſine litteris Epiſcoporum ſuorum, quas communicatorias appellabant, in alias Provincias migrarent. Cumque Præfecti Provinciis, ceterique fere omnes, qui magiſtratum obirent, ex aliis regionibus eſſe ſolerent, factum hinc

1 Confer priorem *epiſt. s. Petri cap.* II. *v.* 13. s.Paulum *epiſt. ad Titum cap.* III. *v.*1. *& epiſt.* 1. *ad Timoth. cap.* II. & quæ ſcripſi *lib.* III. *pag.* 425. *ſeq. hujuſce operis.*

2 Reddendum enim præcipit Chriſtus *quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. Matth.* XXII. *v.* 41. *Oportet namque magis obedire Deo, quam hominibus. Actor.* V. *v.* 29. Quare Apoſtoli eos, qui magiſtratum obtinebant, prohibebantque, ne Chriſti nomen prædicaretur, ſic alloquuntur *Actor. cap.* IV. *v.* 18. „ Si juſtum eſt in conſpectu Dei vos „ magis audire quam Deum, judicate.

3 Vide quæ ſcripſi *lib.* III. *hujus operis pag.* 435. *ſeqq.*

hinc eſt, ut Patres Synodi (1) primæ Arelatenſis ſancirent, ut qui alio ſe conferre, obeundi magiſtratus cujuſquam cauſſa, deberent, hi primum communicatorias litteras a patriæ Epiſcopo impetrarent, poſtque ſecederent, curæque Epiſcopi loci, in quo præfecturam obtinerent, ſubjecti eſſent. Epiſcopo præterea impoſitum ab iiſdem Patribus onus fuit, ut caveret,ne quid a magiſtratibus contra diſciplinam ageretur; utque ſi peccaſſent,communione Eccleſiaſtica prohiberi juberet. Tantum ſcilicet aberat, ut magiſtratum Chriſtiani veteres geri a noſtris ſine culpa poſſe negarent, ut potius Præfectos Provinciarum, qui cauſſas, liteſque dirimere, plectereque nocentes extremo ſupplicio ſolerent, ſacris intereſſe ſinerent, participeſque eſſe divinorum Sacramentorum facile paterentur. Quamobrem egregie eſt ab Innocentio I. Romano Pontifice ad Exſuperium Toloſanum Epiſcopum de Magiſtratibus Chriſtianis, qui tormentis improbos excruciaſſent, in aliquoſque eorum capitalem tuliſſent ſententiam, quid facto eſſet opus (2) rogantem, ſcriptum. ,, De his nihil legimus a majoribus definitum. Meminerant ,, enim a Deo poteſtates has eſſe conceſſas,& propter vindi- ,, ctam noxiorum gladium fuiſſe permiſſum, & Dei eſſe ,, miniſtrum vindicem in hujuſmodi datum.Quemadmodum ,, igitur reprehenderent factum, quod auctore Deo vide- ,, rent eſſe conceſſum? De his ergo ita, ut hactenus ſerva- ,, tum eſt, ſic habemus, ne aut diſciplinam evertere, aut ,, contra auctoritatem Domini venire videantur ,,. Quinetiam Euſebius Cæſarienſis libro octavo Hiſtoriæ ſummam Imperatorum erga noſtros voluntatem fuiſſe teſtatur, propterea quod Chriſtianos aliquot Provinciis præfeciſſent, quin eos adigendos ad ſacrificandum (3) putaſſent. Id autem

1 *Ann.* 314. *tom.* 1. *Concilior. Hard. edit. pag.* 264. *canon* VII. ,, De præſidibus, qui ,, fideles ad præſidatum proſiliunt, placuit, ut cum promoti fuerint, litteras accipiant Ec- ,, clesiaſticas communicatorias: ita tamen, ut in quibuſcumque locis geſſerint, ab Epiſco- ,, po ejuſdem loci cura de illis agatur, & cum cœperint contra diſciplinam agere, tum de- ,, mum a communione excludantur. Similiter de his, qui Rempublicam agere volunt.

2 *Epiſtola* VI. *ad Exſuperium Toloſanum cap.* III. *pag.* 793. *Collect. epiſt. Rom. Pontif. edit. Coutantii tom.* 1.

3 *Cap.* 1. *pag.* 375. *edit. Cantabrig.* ,, Argumento eſſe poteſt Imperatorum benignitas ,, erga noſtros, quibus regendas etiam Provincias committebant, omni ſacrificandi metu ,, eos liberantes, ob ſingularem, qua in Religionem noſtram affecti erant, benevolentiam.

tem ille numquam dixiſſet, ſi magiſtratu fungi Chriſtiano viro nefas eſſe exiſtimaſſet. Quid ſi in ſecundo de vita Conſtantini libro (1), Imperatorem laudet, quod ut commodis Reipublicæ, Religionique conſuleret, Præſides in Provincias miſerit eos, qui ſacris eſſent initiati Chriſtianorum? Jam vero ægre ne majores noſtri tuliſſent legem ab Juliano latam (2) ne quis ad gubernacula Provinciarum accederet, qui Chriſtianum ſe eſſe profiteretur; quaſi cautum a Chriſto fuiſſet, ut qui ſuas partes conſectarentur, numquam in eos gladio animadvertere auderent, qui commeriti eſſent capitale ſupplicium? At id non modo graviter tulerunt, ſed etiam invecti in Apoſtatam ſunt calumnia noſtros de dignitatibus, publiciſque muneribus removentem.

Sed erunt fortaſſe, qui pugnantia loqui Patres contendant, afferantque teſtimonia quorumdam, fas eſſe Chriſtiano magiſtratum obire, negantium. Nam & Synodum Eliberitanam dicent (3), communione eos, qui functi magiſtratu eſſent, prohibuiſſe, & Minucium Felicem (4), Tertullianum (5), Cyprianum (6), Hilarium (7), illumque ipſum Inno-

1 *Cap.* XLIV. *pag.* 558. *edit. ejuſd.* „ Poſt hæc Imperator ſerio manum operi admovit. „ Ac primum quidem in ſingulas Provincias eos præſides ut plurimum miſit, qui ſalutari fi- „ dei dicati eſſent.

2 Vide Sozomen. *lib.* V. *cap.* XVIII. *pag.* 207. *edit. Cantabrig.* qui ſic habet. „ A con- „ ventibus, & a foro eos prohibuit, nec judicare, aut magiſtratus gerere, aut honoribus, „ ac dignitatibus frui permiſit „. Socrates *lib.* III. *Hiſt. cap.* XIII. *pag.* 188. *edit. ejuſd. Cantabrig.* „ Interdixit, ne Chriſtiani regendas Provincias acciperent. Quippe, ajebat, „ lex ipſorum gladio uti vetat adverſus eos, qui capitale ſupplicium commeriti fuerint.

3 *Can.* LVI. *tom.* I. *Concilior. edit. Hard. pag.* 256. „ Magiſtratum vero uno anno, „ qui agit duumviratum, prohibendum placuit, ut ſe ab Eccleſia cohibeat.

4 Minutius Felix *in Octavio Bibl. Pat. tom.* III. *pag.* 200. „ Neque de ultima ſtatim „ plebe conſiſtimus, ſi honores veſtros, & purpuras recuſamus: nec factioſi ſumus, ſi omnes „ unum bonum ſapimus, eadem congregati quiete, qua ſinguli „. Recuſabant ergo Chri- „ ſtiani honores, ac dignitates. Cur autem? niſi quia Chriſtianæ legi adverſabantur.

5 *Tertull. de Idololatria cap.* XVIII. *pag.* 97. *edit. an.* 1748. „ Vel hoc te commonefa- „ ciat, omnes hujus ſeculi poteſtates, & dignitates non ſolum alienas, verum & inimicas „ Dei eſſe, quod per illas adverſus Dei ſervos ſupplicia conſulta ſunt per illas, & pœnæ ad „ impios paratæ irrogantur „. Idem *ibid. cap.* XVII. *pag.* 96. „ Cedamus itaque ſuccede- „ re alicui poſſe, ut in quoquo honore in ſolo honoris nomine incedat, neque ſacrificet, „ neque ſacrificiis auctoritatem ſuam accommodet, non hoſtias locet, non curas templo- „ rum deleget, non vectigalia eorum procuret „. Et his demtis nihilominus magiſtratus illicitos eſſe ſtatuit. Itaque *cap.* XLVI. *Apologetici pag.* 36. *ne ædilitatem quidem* a Chriſtiano peti ſcribit.

6 Cyprian. *epiſt. ad Donatum pag.* 5. *edit. Oxon.*

7 S. Hilarius *in Pſ.* I. *num.* V. *pag.* 19. *edit. Pariſ. Monach. S. Mauri.*

Innocentium (1) Primum, cujus modo meminimus, vel inimicas eſſe religioni poteſtates ejuſmodi, vel maxime periculoſas putare. Neque id quidem mirum cuiquam videri debere, cum Paulus in Epiſtola priore ad Corinthios (2) ſcribat. „ Videte vocationem veſtram fratres, quia non multi ſa„ pientes, ſecundum carnem, non multi potentes, non „ multi nobiles „. Et Jacobus Epiſtolæ capite ſecundo (3) dicat. „ Audite fratres mei dilectiſſimi. Nonne Deus elegit „ pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes Regni, „ quod repromiſit Deus diligentibus ſe? .. Nonne divites per „ potentiam opprimunt vos, & ipſi trahunt vos ad judicia „?

Verumtamen facile hæc omnia, quæ pugnare prima ſpecie videntur, componi poſſunt. Conſiderandum vero etiam, atque etiam eſt, vix aliquos initio fuiſſe in Eccleſia dites, nobileſque viros, atque ejuſmodi, qui philoſophiæ, ſcientiæque *ſecularis* laude florerent. Quo ſane Pauli, & Jacobi, quæ modo deſcripſimus, teſtimonia ſpectant. Quamvis Paulus, cum *non multos* dicat, aliquos ſaltem fuiſſe ſignificet. Jam vero qui magiſtratum obibant, tanto odio in noſtros homines incitati erant, ut eos tollendos funditus eſſe arbitrarentur. Quamobrem eos accuſat Tertullianus cap. XVIII. de Idololatria, ut ex loco ſupra indicato conſtat. Præterea id maxime primorum temporum Chriſtiani quærebant, ut pace, tranquillitateque animi fruerentur, qua quidem facile potiri, ſi magiſtratum obirent, non poterant. Longe quoque a faſtu aberant, tutoque ſe vivere poſſe cognorant, ſi privatam vitam, atque a fori, dignitatumque ſtrepitu diſtantem colerent. Quare Tertullianus de Chriſtiano loquens in eo libro, quem inſcripſit de Pallio (4). „ Ego, inquit, nihil foro, ni„ hil campo, nihil curiæ debeo ... Non judico, non mili„ to, non regno. Seceſſi de populo, in me unicum nego„ tium mihi eſt, nec aliud nunc curo, quam me curem „. Quam autem ille, hanc item ſui temporis Chriſtianis fere omnibus attribuit Cyprianus (5) *vitam placidam, & fidam ſecuri-*

1 *Epiſt.* II. *cap.* XI. *num.* 14. *pag.* 754. *edit.* Cont. Collect. *epiſt. Rom. Pontif.*
2 I. *Cor. cap.* I. *v.* 26.
3 *V.* 5. *ſeqq.*
4 *Cap.* V. *pag.* 118.
5 *Epiſt. ad Donatum pag.* 6. *edit.* Oxon.

curitate . Confirmat hanc noſtram ſentiendi rationem Origenes in octavo contra Celſum libro (1) . „ Neque inquit , ea „ cauſſa Chriſtiani magiſtratus recuſant , quod publica munia refugiant , ſed quod ſe diviniori , & magis neceſſario „ Eccleſiæ miniſterio ad hominum ſalutem ſervent „. Accedebat uſus indignus homine bene nato , beneque inſtituto ; quo fiebat , ut qui peterent , turpiter ſibi ad magiſtratus aſſentatione pararent viam . Quamobrem Tertullianus in libro , quem cum Catholicus adhuc eſſet , inſcripſit de Pœnitentia (2) . „ Illos , *inquit* , qui ambitus obeunt capeſſen- „ di magiſtratus , neque pudet , neque piget incommodis „ animæ , & corporis ; nec incommodis tantum , verum & „ contumeliis omnibus eniti in cauſſa votorum ſuorum . „ Quas non ignobilitates veſtium affectant ? ... Ad omnem „ occurſum majoris cujuſque perſonæ decreſcentes . . . Exu- „ les a libertatis , & lætitiæ felicitate , idque totum pro- „ pter unius anni volaticum gaudium „. Quo ſpectat etiam S. Cypriani ad Donatum ſcribentis ſententia (3) . „ Quos „ honores , *inquit* , putas eſſe , quos faſces ? Illum vides , „ qui amictu clariore conſpicuus , fulgere ſibi videtur in „ purpura . Quibus hoc ſordibus emit , ut fulgeat ? Quos „ arrogantium faſtus prius pertulit ? Quas ſuperbas fores „ matutinus ſalutator obſedit ? ... Neque enim coli moribus „ ille meruit ; ſed faſcibus „ . Hæc autem tam levis , tamque coacta agendi ratio conjungi cum libertate Chriſtianorum , & contemtu caducarum rerum non poterat . Quare ille idem Tertullianus XLVI. capite Apologetici (4) „ Si „ de modeſtia certem , ecce Pythagoras apud Thurios , „ Zenon apud Prienenſes tyrannidem affectant, Chriſtianus „ autem nec ædilitatem „ . Quid ? ſi arduum , ac perdifficile eſſet magiſtratum , ſine culpa , primis illis temporibus ad quartum uſque Eccleſiæ ſeculum gerere , cum ſæpe injuſte agere Præfecti Provinciarum , atque urbium cogerentur? Itaque S. Hilarius (5) „ Qui volunt Eccleſiæ legibus ſubditi, „ *inquit* ,

1 *Num.* LXXV. *pag.* 798. *edit. Pariſ. Monachor. s. Mauri tom.* 1.
2 *Cap.* XI. *pag.* 128.
3 *Ibid. pag.* 5.
4 *Pag.* 391. *edit. Havercampi an.* 1718.
5 *In Pſ.* 1. *num.* V. *pag.* 19. *edit. Pariſ. Monach. s. Mauri.*

„ *inquit*, fori legibus judicare .... Neceſſe eſt eorum, in quibus diverſabuntur, negotiorum quodam peſtilenti contagio polluantur .... Et quamvis religioſi propoſiti tenaces ſint, tamen per neceſſitatem ſedis obtentæ, tum ad contumeliam, tum ad injuriam, tum ad pœnam, cunctante licet voluntate, coguntur. Idcirco hanc eorum cathedram, cathedram peſtilentiæ Propheta cognominat„. Non diſcrepat Innocentius I. Pontifex Maximus. Nam in Epiſtola tertia ſcribit hoc modo (1): „ Quantos ex aliqua militia („comprehendit autem hiſce vocibus omnes magiſtratus) „ qui cum poteſtatibus obedirent, ſevera neceſſario præcepta ſunt executi? Quantos ex curialibus, qui dum parent poteſtatibus, quæ ſibi ſunt imperata, fecerunt?„. Atque Auguſtinus quidem in Epiſtola ducenteſima viceſima ad Bonifacium (2): „ Cum amantur bona, *inquit*, perpetrantur mala ... & cum timentur, quæ ad exiguum tempus nocent, ſi tamen nocent, committuntur ea, quæ vere in æternum noceant„. Quamquam negari non poteſt, quin ætate Auguſtini aliqui florerent, qui magiſtratum recte, integreque obirent, ab eoque Præſule ſummis laudibus celebrarentur. Quod ſi timendum temporibus Orthodoxorum Imperatorum erat, ne Præfecti civitatibus, provinciiſque graviſſimis ſceleribus implicarentur, quis neget multo fuiſſe majora pericula ſubeunda iis, qui rempublicam adminiſtrabant, cum Ethnici imperio potirentur? Atque ut cetera prætermittam, eſt illud ſane certiſſimum, adigi eos non modo ad procuranda ſacra plerumque, ſed etiam ad ſacrificandum conſueſſe (3). Quid? ſi ne illud quidem ferendum erat, quod aut vi legum, aut inveterata conſuetudine fieri ſolebat, ut ludos populo, ſpectaculaque Magiſtratus proponerent, quæ damnata Eccleſiæ auctoritate fuiſſent? Hinc Innocentius I. Pontifex (4) „ Conſtat, *inquit*, „ eos publicis functionibus occupatos, in ipſis muniis etiam „ vo-

1 *Epiſt.* III. *cap.* IV. *num.* 7. *pag.* 769. *edit. Coutant. Collect. epiſt. Rom. Pont.*

2 *Tom.* II. *opp. pag.* 813. *edit. Pariſ. Monach. S. Mauri.*

3 Vide *Tertull. lib. de Idololatria cap.* XVII. *pag.* 96. *edit. modo indicata*, & Concilium Eliberitanum *can.* XL. *pag.* 254. *tom.* I. *Concil. edit. Hard.*

4 *Epiſt.* II. *cap.* XI. *num.* 14. *pag.* 754.

„ voluptates exhibere, quas a diabolo inventas eſſe non du-
„ bium eſt, vel ludorum, vel munerum apparatibus aut præ-
„ eſſe, aut intereſſe „. Et alibi. „ Quantos (1) qui volu-
„ ptates, & editiones populo celebraverint? „. Coronis item redimitis, quæ idolis conſecratæ eſſent, in publicum interdum magiſtratus procedere neceſſe erat. Id vero in Chriſtiano quis, niſi impius, paſſus eſſet? Nemo enim aliqua dignitate præſtabat, qui (ut eſt memoriæ traditum a Claudio Saturnino, cujus eſt a Tertulliano in libro de Corona Militis facta mentio) non iis coronis abuteretur. „ Ut
„ nullam gratiam floris, nullam lætitiam frondis, nullum
„ ceſpitem, aut palmitem non alicujus capiti invenias con-
„ ſecratum „. Hæc cum ita eſſent, quemadmodum eorum vitam, agendique rationem probaſſent Chriſtiani veteres, qui ad Magiſtratus accederent? Ubi ſublata neceſſitas aut ſacrificandi, aut ſuperſtitionem procurandi eſt, quotuſquiſque fuit, qui Magiſtratus malum eſſe quidpiam arbitraretur? Hoc querebantur permulti, eſſe eorum, qui dignitates expeterent, vitam inſtitutionemque plenam periculorum. Itaque curandum Chriſtiano viro etiam, atque etiam eſſe, ut ne cum privatus tuto in civitate verſaretur, ambitu, petitioneque honorum, ac dignitatum, periculum amare videretur, eoque periculo ſibi ipſi inferret interitum ſempiternum. Quamquam ſi ex uſu eſſet reipublicæ, non ſolum non accuſandum, qui Magiſtratum obiret, ſed etiam laudandum dicerent (2).

I I I.

Eorum, quos tertio, quartoque loco memoravimus, ſententiæ refelluntur.

Tertius eſt eorum error, qui licere quidem noſtris Magiſtratu fungi, principatumque in civitate obtinere; judiciis autem, in quibus de capite cujuſquam agatur, aut præeſſe,

1 *Epiſt.* III. *cap.* IV. *num.* VII. *pag.* 769. *&* *cap.* VI. *num.* IX. *pag. ead.*

2 Confer Euſebii, aliorumque veterum Chriſtianorum teſtimonia, quæ ſupra deſcripſimus.

præeſſe , aut intereſſe , ſententiaſque capitales ferre , nullo modo licere arbitrantur. Hos autem cum fuſe copioſeque ſupra refutaverim, nulla eſt cauſſa cur iterum eſſe exagitandos putem . Quamobrem accedo ad eorum refellendam opinionem , quorum quarto loco meminimus , quique Patribus injuriam conflabant , quaſi negarint, fas eſſe Chriſtianis moderari rempublicam . Sed quoniam ſuperioribus numeris demonſtratum eſt , quæ de hoc genere argumenti veterum plerorumque omnium opinio fuerit , multoſque , cum interpretari Tertullianum conentur , tum maxime implicari video , dabo equidem operam , ut quid ille ſenſerit , non opinione mea , ſed veritate plane conſtet . Atque hoc prædico , non eos eſſe nos , qui tantum valere apud Orthodoxos auctoritatem Tertulliani exiſtimemus , ut ſi lapſus errore eſt , ullam putemus invehi in Eccleſiam poſſe partem incommodorum . Nam etſi conſenſionem Patrum facio , ut debeo , plurimi , tamen quod unus , alterque eorum ſenſerit aliquando , non tanti facio , ut ſemper probem . Nam ut conſenſio traditionis , ſic eſt eorum privatæ opinionis argumentum diſſenſio. Homines enim & ipſi fuerunt, quorum eſt hominum tam miſera,tamque infirma conditio,ut ſi non ſæpe, at interdum ſaltem (1) labantur . Quod ſi de ceteris ita eſt judicandum, quorum excellens in omni genere virtus , & do-

1 S. Auguſtinus *epiſt.*CXLVIII.*al.*CXI. *p.*502. *t.*2. *opp. edit. Pariſ. Monachor. S. Mauri.* „ Neque enim quorumliber diſputationes , velut ſcripturas canonicas habere debemus , ut „ nobis non liceat, ſalva honorificentia , quæ illis debetur hominibus , aliquid in eorum „ ſcriptis improbare , atque reſpuere ; ſi forte invenerimus , quod aliter ſenſerint , quam „ veritas habet , divino adjutorio vel ab aliis intellectum , vel a nobis . Talis ego ſum in „ ſcriptis aliorum , tales volo eſſe intellectores meorum „ . Et *lib.* XI. *contra Fauſtum cap.* V. *pag.*222. *tom.* VIII. *opp. edit. ejuſd.* ubi de auctoritate ſacrarum litterarum egit , tum de ceteris ſcriptoribus , quicumque tandem fuiſſent.„ In opuſculis poſteriorum , *inquit*, „ quæ libris innumerabilibus continentur , ſed nullo modo illi canonicæ ſacratiſſimarum lit- „ terarum auctoritati coæquantur, etiam in quibuſcumque eorum invenitur eadem veritas , „ longe tamen eſt impar auctoritas . Itaque in eis , ſi qua forte propterea diſſonare proban- „ tur a vero , quia non ut dicta ſunt , intelliguntur , tamen liberum ibi habet lector , audi- „ torve judicium , quo vel approbet , quod placuerit , improbet , quod offenderit : & ideo „ cuncta ejuſmodi , niſi vel certa ratione , vel ex illa canonica auctoritate defendantur , ut „ demonſtretur , ſive omnino ita eſſe , ſive fieri potuiſſe , quod vel diſputatum ibi eſt , vel „ narratum, ſi cui diſplicuerit, aut credere noluerit, non reprehenditur„ . *Et epiſt.*LXXXII. *al.* XIX. *ad* Hieronymum *pag.*190. *tom.* II. „ Alios autem ita lego , ut quantalibet ſancti- „ tate , doctrinaque præpolleant , non ideo verum putem , quia ipſi ita ſenſerunt , ſed quia „ mihi vel per auctores canonicos , vel probabili , quod a vero non abhorreat , perſuadere „ potuerunt .

doctrina erat, quanto magis de Tertulliano, qui circumventus deinde a Cataphrygibus, incidit magno damno ſuo in ineptiſſimas, abſurdiſſimaſque ſententias. Verum an hoc etiam errore lapſus ſit, qui fas eſſe Chriſtiano viro magiſtratu potiri negat, hoc illud eſt, quod oſtendi mihi non implicatis quibuſdam, ſed diſertis ejus ſcriptoris, apertiſque teſtimoniis plane vellem. Atque illud quoque animadvertendum eſt, Tertullianum, ſi quid minus recte dixit, hoc Chriſtianorum, qui tum florerent, imprimiſque Catholicorum ſi non omnium, at pene omnium ſententiæ fuiſſe (1) contrarium. Noſtri enim, ut fas eſſe Chriſtiano viro Rempublicam adminiſtrare oſtenderent, exemplis utebantur Joſephi, ac Danielis, qui magiſtratu functi in regionibus eſſent, in quibus principatu viri Ethnici, implicatique ſuperſtitione Deorum potiebantur. Quæ res ejus ipſius ſcriptoris, de quo nunc agimus, auctoritate liquet. Quare nihil hominem morarer, ſi cum ceteri nobiſcum ſentiant, ille unus & veteri, & ſatis bene conſtitutæ doctrinæ, ſententiæque adverſaretur. Verumtamen quæ res eo tempore permultæ erroris, ac ſuperſtitionis plenæ peragendæ Magiſtratibus erant (2), in cauſſa fuerunt, cur paullo acrius, duriuſque ita ut conſueverat, de dignitatibus ejuſmodi ſcriberet, quam ferre ratio videretur. Novimus autem ingenium Tertulliani. Ita enim æſtu diſputationis affici ſolebat, ut mediam perraro inſiſteret viam, & in extrema contra ſæpe ſeſe abripi pateretur.

At quæ ſunt poteſtatis propria, ut jus dicere, ut leges (3) ferre, ut nocentem capitis condemnare, geri a Chriſtia-

1 Nam ſic habet *cap. XVII. lib. de Idololat. pag. 96. edit. Veneta an. 1743.* „ Hinc proxime diſputatio (inter Chriſtianos) oborta eſt, an ſervus Dei alicujus dignitatis, aut „ poteſtatis adminiſtrationem capiat, ſi ab omni ſpecie Idololatriæ intactum ſe, aut gratia „ aliqua, aut aſtutia etiam præſtare poſſit: ſecundum quod & Joſeph, & Daniel mundi ab „ Idololatria & dignitatem, & poteſtatem adminiſtraverunt in ornamento Præfecturæ totius „ Ægypti, ſive Babyloniæ.

2 Has recenſet *ibidem Tertullianus*. „ Cedamus itaque ſuccedere alicui poſſe, ut in „ quoquo honore, in ſolo honoris nomine incedat, neque ſacrificet, neque ſacrificiis auctoritatem ſuam accommodet, non hoſtias locet, non curas templorum deleget, non vectigalia eorum procuret, non ſpectacula edat de ſuo, aut de publico, aut edendis præſit, „ nihil ſolemne pronunciet, vel edicat.

3 *Ibid. ſeq.* „ Jam vero, quæ ſunt poteſtatis neque judicet de capite alicujus, vel pudo-

„ re

ſtianis hominibus negat poſſe. Quinetiam exempla Joſephi, ac Danielis exiſtimat non eſſe ſimilia. Principio enim nova a veteribus diſcrepare ſcripſit. Quamobrem quod Joſepho, & Danieli ſervis licuit, hoc Chriſtiano libero minime licere. Deinde eſſe nos, ait, ſectatores Chriſti oportere. Chriſtum autem ignobilem, pauperem, veſtitu incultum fuiſſe, nul-
lum

„ re, ſeras enim de pecunia, neque damnet, neque prædamnet, neminem vinciat, nemi-
„ nem recludat, aut torqueat, ſi hæc credibile eſt fieri poſſe. Jam vero de ſolio ſuggeſtu,
„ & apparatu honoris tractandum. Proprius habitus uniuſcujuſque eſt, tam ad uſum quoti-
„ dianum, quam ad honorem, & dignitatem. Igitur purpura illa, & aurum, cervicis or-
„ namentum, eodem more apud Ægyptios, & Babylonios inſignia erant dignitatis; quo
„ more nunc prætextæ, vel trabeæ, vel palmatæ, & coronæ aureæ ſacerdotum provincia-
„ lium, ſed non eadem conditione. Tantum enim honoris nomine conferebantur his, qui
„ familiaritatem Regum merebantur; unde & purpurati Regum vocabantur a purpura, ſi-
„ cut apud nos a toga candida candidati, ſed non ut ſuggeſtus ille ſacerdotii quoque, aut
„ aliquibus idolorum officiis adſtringeretur. Nam ſi ita eſſet, utique tantæ ſanctitatis, &
„ conſtantiæ viri ſtatim habitus inquinatos recuſaſſent, ſtatimque apparuiſſet Danielem
„ *idolis non deſerviſſe, nec Belem, nec draconem colere*, quod multo poſtea apparuit.
„ Simplex igitur *purpura* illa, nec jam dignitatis erat, ſed ingenuitatis apud barbaros in-
„ ſigne. Quemadmodum enim & Joſeph, qui ſervus fuerat, & Daniel, qui per captivita-
„ tem ſtatum verterat, civitatem Babyloniam, & Ægyptiam ſunt conſecuti per habitum
„ barbariex ingenuitatis: ſic penes nos quoque fideli, ſi neceſſe fuerit, poterit & puerilis
„ prætexta concedi, & puerilis ſtola, nativitatis inſignia, non poteſtatis; generis, non
„ honoris; ordinis, non ſuperſtitionis. Ceterum purpura, vel cetera inſignia dignitatum,
„ & poteſtatum, inſertur dignitati, & poteſtatibus Idololatriæ ab initio dicata, habent
„ profanationis ſuæ maculam, cum præterea ipſis etiam idolis induantur prætextæ, & tra-
„ beæ, & laticlavi, faſces quoque, & virgæ præferantur, & merito. Nam dæmonia magi-
„ ſtratus ſunt ſeculi. Hujus collegii inſignia, faſces, & purpuras geſtant. Quid ergo pro-
„ ficies, ſi ſuggeſtu quidem utaris, opera vero ejus non adminiſtres? Nemo in immundis
„ mundus videri poteſt. Tunicam ſi induas inquinatam per ſe, poterit forſitan illa non in-
„ quinari per te, ſed tu per illam mundus eſſe non poteris. Jam nunc qui de Joſeph, &
„ Daniel argumentaris, ſcito non ſemper comparanda eſſe vetera, & nova, rudia, & po-
„ lita, cœpta, & explicata, ſervilia, & liberalia. Nam illi etiam conditione ſervi erant,
„ tu vero nullius ſervus, in quantum ſolius Chriſti, qui te etiam a captivitate ſeculi libe-
„ ravit, ex forma Dominica agere debebis. Ille Dominus in humilitate, & ignobilitate
„ inceſſit, domicilio incertus. Nam filius, inquit, hominis non habet, ubi caput collocet.
„ Veſtitu incultus, neque enim dixiſſet, ecce qui teneris veſtiuntur in domibus Regum
„ ſunt, vultu denique, & aſpectu inglorius, ſicut & Eſaias pronunciaverat. Si poteſtatis
„ jus quoque nullum, ne in ſuos quidem exercuit, quibus ſordido miniſterio functus eſt, ſi
„ Regem denique fieri, conſcius ſui Regni refugit, pleniſſime dedit formam ſuis, dirigen-
„ do omni faſtigio, & ſuggeſtu, quam dignitatis, quam poteſtatis. Quis enim magis iis uſus
„ fuiſſet, quam Dei filius? Quales, & quanti eum faſces producerent? Qualis purpura de
„ humeris ejus floreret? quale aurum de capite radiaret? Niſi gloriam ſeculi alienam & ſi-
„ bi, & ſuis judicaſſet? Igitur quam noluit, rejecit, quam rejecit, damnavit, quam dam-
„ navit, in pompa diaboli deputavit. Non enim damnaſſet, niſi non ſua. Alterius autem
„ eſſe non poſſent, niſi diaboli, quæ Dei non ſunt. Tu ſi diaboli pompam ejeraſti, quidquid
„ ex ea attigeris, id ſcias eſſe idololatriam. Vel hoc te commonefaciat, omnes hujus ſeculi
„ poteſtates, & dignitates, non ſolum alienas, verum & inimicas Dei eſſe, **QUOD PER IL-**
„ **LAS ADVERSUS DEI SERVOS SUPPLICIA CONSULTA SUNT, PER ILLAS ET POENÆ AD IM-**
„ **PIOS PARATÆ IRROGANTUR.** Sed nativitas, & ſubſtantia tua moleſtæ ſibi ſunt adverſus Ido-
„ lolatriam. Ad evitandum, remedia deeſſe non poſſunt; cum etſi defuerint, ſuperſit unicum
„ illud, quod felicior factus non in terris magiſtratus, ſed in cælis.

lumque in ſuos, propterea quod regnum hic ſe obtinere negaſſet, exercuiſſe jus poteſtatis. Eſſe igitur divitias, veſtitus cultum, jus poteſtatis, cetera denique omnia, quæ cum magiſtratu conjuncta ſunt, fugienda. Ejeraſſe prætera nos omnem ſeculi pompam in baptiſmo. Magiſtratum vero, quid eſſe, niſi ſeculi pompam?

Sed non is ego ſum, qui non videam, quam hæc ſint implicata difficultatibus. Tametſi ubi de Tertulliano agitur, ut dictum paullo ante eſt, non tam verborum illius, quam ingenii, quod fervens, atque ſævum erat, rationem habendam putem. Verum non omnino, ſed σχέσι, hoc eſt *comparate* ad conditionem temporum, pugnat Tertullianus, adminiſtrari a quoquam noſtrum non poſſe Rempublicam. Nam cum latæ leges de tollenda Religione vera, deque puniendis Chriſtianis eſſent, qui Civitati præſiderent, ii, ſi adductus in judicium Chriſtianus (1) eſſet, vel lege in eum agere, vel ſe in vitæ diſcrimen conjicere cogebantur. Quorum quidem alterum iniquitatis, ac ſceleris eſſet, alterum in homine præſertim, qui dignitates expetiviſſet, periculi, & difficultatis plenum. Accedebat ambitio, gratia, favor, cupiditas ampliorum, majorumque honorum, ad quos ſibi magiſtratus munire ſolebant viam, quæ omnia in cauſſa ſæpe erant, quo minus ſancte, integreque juſtitia adminiſtraretur. Quod autem Joſephi exemplum inficietur eſſe ſimile, parvi refert. Chriſtum enim Chriſtianis proponit ad imitandum. Itaque & pauperem Chriſtianum, & *veſtitu incultum*, verum eſſe tanti magiſtri diſcipulum agnoſcit. Ceterum ut non divites damnat (2), ita ne magiſtratum quidem. Quam-

1 Vide locum Tertulliani *notat. ſup.*

2 *Apologet. cap.* 1. *pag.* 2. *edit. an.* 1748. *lib.* 1. *cap.* 1. *ad Nationes pag.* 40. *Et lib. ad Scapulam cap.* IV. *pag.* 71. ubi. „ Nam & Proculum Chriſtianum, *inquit*, qui Torpacion cognominabatur, Euhodiæ Procuratorem, qui cum (hoc eſt Severum) per oleum „ aliquando curaverat, requiſivit, & in palatio ſuo habuit uſque ad mortem ejus ... Sed „ & clariſſimas feminas, & clariſſimos viros Severus ſciens hujus ſectæ eſſe, non modo non „ læſit, verum & teſtimonio exornavit, & populo furenti in nos palam restitit .. : Quid facies de tantis millibus hominum, tot viris, ac feminis omnis ſexus, omnis ætatis, OMNIS DIGNITATIS offerentibus ſe tibi? .. Quid ipſa Carthago paſſura eſt decimanda a te, „ cum propinquos, cum contubernales ſuos illic unuſquiſque cognoverit, cum viderit illic „ fortaſſe & *ſui ordinis viros*, *& matronas*, *& principales quaſque perſonas*, & amicorum tuorum, vel propinquos, vel amicos „. Laudat igitur viros dignitate, adeoque divitiis

Quamquam ut divitem non duci amore divitiarum , ita magiſtratum ſine ambitu , gloriæque cupiditate obtineri difficile (1) ſane eſſet . Quamobrem quemadmodum Chriſtus facilius eſſe camelum per acus foramen pervadere , quam divitem potiri cælorum regno , ſic Tertullianus ἐμφατικῶς dixit, ſalvum eſſe eum , qui principatum ambitu , gloriæque cupiditate conſequi ſtudeat,non poſſe. Atque magiſtratus quidem dignitatem niſi ambitu , gloriæque inanis ardore , potiri hominem fere neminem conſueſſe . Jam vero qui neque ſuperſtitione , neque ambitu , & gloriæ cupiditate , neque favore , gratiaque permoveretur ; ſed ob unam virtutem ad magiſtratum gerendum eligeretur , juſtitiam adminiſtraret , idque faceret , quod æquum , quod juſtum, quod religioni Chriſtianæ conſentaneum videretur, & eſſet , hunc neque damnavit Tertullianus uſquam , neque ratio ulla eſt , cur damnandum (2) , ut ſibi conſtaret , putaverit .

Nihilo gravius eſt , quod ex capite viceſimo primo (3) Apologetici opponunt , quaſi Tertullianus , Chriſtianum eſſe Cæſarem poſſe,inficietur . Nam quod ille ſcribit „ Sed „ & Cæſares crediđiſſent ſuper Chriſto, ſi aut Cæſares non „ eſſent ſeculo neceſſarii , aut ſi & Chriſtiani potuiſſent eſſe „ Cæſares„ . Non eo ſpectat , ut principatum in Republica a Chriſtianis nullo modo , ſed ut eo , qui tunc invaluerat , rerum ſtatu , obtineri non potuiſſe intelligatur (4) . Quis enim noſtrorum hominum paſſus eſſet , ut iis vitiis , quibus dediti Cæſares erant , ullus Imperator Chriſtianam religionem

vitiis etiam pollentes , eoſque qui ordinis Proconſularis , Senatoriique eſſent , Tertullianus, quod Chriſtianiſmum profiterentur . At non laudaſſet , ſi omnem dignitatem , ſi quocumque tandem modo poſſiderentur,divitias omnes reprobaſſet,ut in libro de Idololatria *c.* XVII. *p.* 96.ſupra deſcripto , prima ſpecie reprobare videtur .

1 Nam ſi dignitatem non probat , eam ſcilicet non probat , quæ ſuperſtitione , ambitu , inanis gloriæ cupiditate , iiſque modis , quos recenſet Tertullianus *ſup. pag.* 53.*not.*3. non quæ virtute obtineretur .

2 Neque qui Senatum plenum eſſe Chriſtianorum dixit , is omnem ademit Chriſtianis hominibus dignitatem . Vide *Apolog. cap.* 1. *pag.* 2. *& lib.* 1. *ad Nat. cap.* 1. *pag.* 40.

3 *Pag.* 78. *edit. an.* 1748. *in Appendice* .

4 Confer Cellerium *Hiſt. General. des Auteurs ſacrés, & Eccleſiaſtiques tom.* II. *p.*443. *edit. Pariſ. an.* 1730. *Et Apol. moral. Ss. Patrum edit. ann.* 1718. *pag.* 93. La Cerdam *comment. in Apologeticon Tertulliani pag.* 134. *edit. an.* 1641. Huc item propendet Johannes Franciſcus Buddeus *Iſagoge ad Theologiam univerſam pag.* 625. *lib. Poſter. c.* IV. *edit. ann.* 1727.

nem profiteretur? Sed de Chriſtiano, cui magiſtratum gerere liceat, ſatis dictum eſt (1).

§. II.
De Origine laicæ poteſtatis.

Oritur autem de origine laicæ poteſtatis inter ſcriptores noſtros diſſenſio, aliis divinam, ſeu ex Deo *ἀμέσως immediate* profectam eſſe ajentibus (2), aliis contra acriter, vehementerque (3) negantibus. Atque affirmantes quidem his potiſſimum argumentis niti, ac fidere conſueverunt. Principio loca ſacræ Scripturæ ex vetere (4), novoque (5) teſtamento colligunt, quibus ſtatuitur per *ſapientiam divinam* prin-

1 Eorum, qui a Chriſtiano viro geri magiſtratum poſſe, copioſe, diligenterque demonmonſtrarunt, aliquos ſupra in notationibus numeravimus. Confer Dugetum *Diſſert.* xxx. *collat. Eccl. tom.* 1. *pag.* 503. *ſeqq. edit. an.* 1742. Bellarminum *lib.* III. *de Laicis ſive ſecularibus cap.* 1. *ſeqq. tom.* II. *opp. pagin.* 254. *edit. ann.* 1721. Multa etiam in hanc rem diſputant Proteſtantes Simon Epiſcopius *Tract. brevi in quo expenditur queſtio, an homini Chriſtiano liceat gerere magiſtratum pag.* 71. *ſeqq. parte* II. *opp. Theologicor. edit. an.* 1678. Philippus a Limborch *Theologiæ Chriſtianæ lib.* 1. *c.* LXIII. *pag.* 578. *edit. an.* 1700. Samuel Przipcovius *Animad. in libell. cui titulus: de qualitate Regni D. N. J. Chr. ubi inquiritur, an Chriſtiano, ſive Regni ejus ſubdito, terrenæ dominationes conveniant? pag.* 621. *tom.* IX. *Bibliotheca Fratrum Polonorum: & de Jure magiſtratus, & privatorum in Belli, Paciſque negotiis ibid. pag.* 685. *ſeqq. & Apologia prolix. tractatus de jure Chriſtiani magiſtratus ibid. pag.* 739. *ſeqq.*

2 Petrus de Marca *lib.* II. *de Concordia Sacerdotii, & Imperii cap.* II. *num.* 1. *ſeqq. pag.* 86. *ſeqq. edit. Francofort. an.* 1708. Victorinus *in relect. de Poteſtate civili n.* VIII. *Apud Marcam ibid.* Duvallius *de ſupr. Rom. Pont. pag.* 1. *queſt.* 1. *Apud Marcam ibid.* Renatus Choppinus *de ſacra Politia lib.* 1. *tit.* VII. §. IX. *p.* 135. *ſeq edit. an.* 1609. Et ut ceteros prætermittam, Johannes Fridericus Hornius *de Civit. lib.* II. *cap.* 1. *edit. Francofort. an.* 1672. & J. Adamus Oſiander *obſer. in Grot. l.* 1. *c.* III. §. 7. *p.* 478.

3 Bellarminus *lib. cit. cap.* VI. *pag.* 257. *ſeqq. ejuſd. edit. Veneta tom.* II. M. Charlaſius *tractat. de libertat. Eccl. Gallicanæ lib.* IV. *cap.* IV. *pag.* 165. *ſeqq. edit. ann.* 1684. Jac. Benignus Boſſuetius *declar. Cler. Gal. &c. p.* 1. *l.* 1. *c.* III. *t.* 1. *p.* 127. *ſeq. edit. an.* 1745. Johannes Antonius Biancus Ord. Min. vir doctus *tom.* III. *della Podeſtà, e della Polizia della Chieſa lib.* 1. *cap.* 1. *pag.* 6. *ſeqq. edit. Rom. ann.* 1745. & e Proteſtantibus Hugo Grotius *lib.* 1. *cap.* IV. *de Jure Belli, & Pacis* §. VII. *num.* 3. *tom.* 1. *pag.* 155. *edit. Amſtelod. ann.* 1735. Samuel Puſendorfius *lib.* VIII. *cap.* III. *de J. N. & G. pag.* 133. *ſeqq. edit. Lond. an.* 1740. Noodtius *du Pouvoir des Souverains ex Interpret. Johannis Barbeyracii pag.* 217. *ſeqq. edit. Amſtelod. an.* 1714. Johannes Franciſcus Buddeus *Inſtit. Theolog. Dogmat. lib.* V. *cap.* IV. §. XXII. *pag.* 1269. *edit. Lipſ. an.* 1724. aliique innumeri, quos modo recenſere non vacat.

4 *Proverb. cap.* VIII. *v.* 15. „ Per me Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt. Per me Principes imperant, & potentes decernunt juſtitiam „. *Sapient. cap.* VI. *v.* 3. „ Præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum. „ Quoniam data eſt a Domino poteſtas vobis, & virtus ab altiſſimo, qui interrogabit opera „ veſtra, & cogitationes ſcrutabitur „. Vide Daniel. *cap.* IV. *v.* 14. *& cap.* V. *v.* 21. *& Hierem. cap.* XXVII. *v.* 5.

5 Vide *Epiſt. ad Rom. cap.* XIII. *v.* 1. *ſeqq.*

principatum obtinere Reges, omnemque illorum datam *eſſe* divinitus *poteſtatem*, cui proinde Chriſtianos parere oporteat. Deſcribunt inde teſtimonia ſanctorum Patrum Irenæi (1) Tertulliani, Chryſoſtomi, Auguſtini, aliorumque multorum, qui inde eſſe Imperatorem dixerunt, unde & homo eſt, antequam Imperator conſtituatur. Tertio loco canones aliquot recenſent, quibus æquari eccleſiaſticæ (2) civilem poteſtatem putant, atque concludunt, ut illius, ſic hujus etiam eſſe agnoſcendum *immediatum* auctorem Deum. Quarto Concilii Pariſienſis, quod anno octingenteſimo viceſimo nono celebratum eſt (3) canonem laudant, quo rem plane confici arbitrantur. Is vero ſic habet. „ Nemo *Regum*
„ a progenitoribus Regnum ſibi adminiſtrari, ſed a Deo
„ veraciter, atque humiliter credere debet dari, qui dicit
„ meum eſt conſilium, & æquitas, mea eſt prudentia, mea eſt
„ fortitudo, (4) per me Reges regnant, & legum conditores
„ juſta decernunt: per me principes imperant, & potentes
„ juſtitiam decernunt. Quod autem non ab hominibus,
„ ſed a Deo Regnum terrenum tribuatur (5), Daniel
„ Propheta teſtatur dicens: In ſententia vigilum decretum
„ eſt, & ſermo ſanctorum, & petitio, donec cognoſcant
„ viventes, quod dominetur excelſus in Regno hominum,
„ & cuicumque voluerit, dabit illud, & humillimum hominem
„ conſtituet ſuper illud. Item idem (6) loquens de
„ Nabuchodonoſor ad Baldaſſar: donec cognoſceret, inquit,
„ quod poteſtatem haberet altiſſimus in regno hominum,

1 s. Irenæus *lib.* v. *contra Hæreſes cap.* xxiv. *num.* 3. *pag.* 321. *edit. Venetæ an.* 1735. „ *Quæ ſunt poteſtates, a Deo ordinatæ ſunt*. Manifeſtum eſt, quoniam mentitur diabolus „ dicens: *mihi tradita ſunt, & cui volo do ea*. Cujus enim juſſu homines naſcuntur, „ hujus juſſu & Reges conſtituuntur „. Tertullianus *lib. Apolog. cap.* xxx. *p.* 27. *edit. Venetæ ann.* 1748. „ Inde Imperator, unde & homo, antequam Imperator. Inde poteſtas illi, „ unde & ſpiritus „. Confer Chryſoſtomum *Homil.* xxiii. *in epiſt. ad Rom. tom.* ix. *opp. pag.* 686. *edit. Pariſ. Monachor. s. Mauri*. s. Epiphanium *hæreſ.* xl. *pag.* 294 *tom.* 1. *opp. edit. Pariſ. an.* 1622. ubi „ Videſne, *inquit*, ut hæc mundi poteſtas a Deo ſtabilita ſit, gladiique jus obtineat? Neque vero id aliunde, quam a Deo ad vindicandum accipit „. Et s. Auguſtinum *lib.* v. *de Civ. Dei cap.* xxi. *pag.* 138. *tom.* vii. *opp. edit. Pariſ. Monachor. s. Mauri*. „ Qui Auguſto, ipſe & Neroni: qui Veſpaſianis, vel Patri, vel Filio ſuaviſſimis „ Imperatoribus, ipſe & Domitiano crudeliſſimo (*Regnum*, ſcilicet, *dedit*.)

2 Confer infra *pag.* 63. *ſeqq.*

3 *Concil. Pariſ. an.* 829. *capite* v. *pag.* 1338. *tom.* iv. *Concilior. edit. Harduini*.

4 *Prov. cap.* viii. *v.* 15. *ſeqq.*

5 *Daniel. cap.* iv. *v.* 14. 6 Ibid. *cap.* v. *v.* 21.

,, & quemcumque voluerit,ſuſcitabit ſuper illud. Et per Je-
,, remiam(1) : Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſrael,
,, hæc dicetis ad dominos veſtros : Ego feci terram, & ho-
,, minem, & jumenta, quæ ſunt ſuper faciem terræ in
,, fortitudine mea magna, & in brachio meo extento, &
,, dedi eam ei, qui placuit in oculis meis. Hi vero qui a
,, progenitoribus ſibi ſuccedere regnum terrenum, & non
,, potius a Deo dari putant, illis aptantur, quos Dominus
,, per Prophetam (2) improbat dicens : ipſi regnaverunt,
,, & non ex me, principes extiterunt, & non cognovi. I-
,, gnorare quippe Deum,procul dubio reprobare eſt.Quam-
,, obrem quiſquis ceteris mortalibus temporaliter imperat,
,, non ab hominibus, ſed a Deo Regnum ſibi commiſſum
,, credat. Multi namque munere Divino, multi etiam Dei
,, permiſſu regnant. Qui pie, & juſte, & miſericorditer
,, regnant, ſine dubio per Deum regnant, qui vero ſecus,
,, non ejus munere, ſed permiſſu tantum regnant ,,. Extre-
mum argumentum petitur ex ſeditione. Si enim hamanam eſſe Regnorum inſtitutionem quiſquam mortalibus perſuadeat, timendum vehementer eſſe, ne turbæ, contentiones, deſertioneſque populorum ab Rege ſæpe ac multum exiſtant, maximumque afferant Rebuſpublicis detrimentum.

Qui contra ſentiunt, habere ſe multa in promtu defendunt, quibus ſuam confirment ſententiam. Jam vero quæ ab ajentibus proferri ſolent, refelli perfacile, ac diſſolvi poſſe arbitrantur. Sic autem ſtatuunt: homines primum (3) non

1 *Hierem. cap.* XXVII. *v.* 21.

2 Oſeæ *cap.* VIII. *v.* 4.

3 Sic cenſent quidam eorum, qui ἀμέσως a Deo eſſe Principes conſtitutos negant : Si extant interdum in ſacris Bibliis teſtimonia, quæ Deo acceptum referre imperium videantur, ea non aliter intelligi debent, quam ſenſu ipſo, quo leges, cæteraque inſtituta vel ſublata ab hominibus juxta atque ratio præſcribit, vel invecta in Rempublicam ſunt, Deo attribui ſolent, quaſi ab ipſo vel ſublata ſint, vel introducta in ſocietatem. Quid enim? An uſquam auditum eſt, Principem ullum (demto Moſe, aliiſque perpaucis) datum hominum civitati cuipiam a Deo fuiſſe, non vero voluntate, & conſenſu civium electum? Eſtque ſane perſpicuum, ſolam rationem a natura hominibus inſitam, quæ certe donum quoddam eſt Dei, in cauſſa fuiſſe, cur mortales in unum locum convenirent, leges ponerent, magiſtratus conſtituerent, propterea quod intelligerent, ſine his ſocietatem non modo non conſervari, ſed ne ſtabiliri quidem poſſe. Ac *ſupremi Principis*, *ſubditi*, *domini*, ac *ſervi* notiones incognitas eſſe naturæ pugnant. Nam omnes homines æquales, & æque liberos creatos eſſe. Neque enim eos ceteris animantibus deteriores fecit Deus. Immo vero hominibus ratio-

non præceptione ulla Dei, ſed cognitione infirmitatis, debilitatiſque ſuæ, veniſſe in aliorum ſocietatem; cumque ſuſtinere privati aut hoſtium impetum, aut vim improborum civium nequirent, poteſtatem, quæ totius populi communis eſſet, transtuliſſe in unum, pluresve homines, quibus condendi leges, inque publicæ pacis, tranquillitatiſque perturbatores animadvertendi jus eſſet. Itaque civilem poteſtatem a Petro fuiſſe humanum (1) inſtitutum, ordinationemque appellatam. Humanam vero ordinationem quemadmodum vocaſſet eam, quam ἀμέσως *immediate* profectam ex Deo eſſe accepiſſet? Quod ſi divinitus *ordinata* eſſe dicuntur in ſcripturis Regna, id non alio ſenſu intelligi, niſi hoc oportere, *quod ſalubre hominum inſtitutum* Deus, qui res humanas regit, ac moderatur, ut res quaſque ſapienter, re-

tionem adjunxit, qua belluis longe antecedunt. Itaque non ſolum præſentia curant, ſed etiam futura proſpiciunt, caventque ne quid eveniat, quod eorum tranquillam vitam, felicitatemque perturbare poſſe videatur. Atque ratione quidem factum eſt, ut cum ſolitarii vivere commode non valerent, in ſocietatem venerint, & conſtituerint civitates, ut alter alteri utilitati, atque auxilio eſſet. Sed ut commodis ſocietatis fruerentur, agere omnia neceſſe erat, quæ ad conſervationem, ſtabilitatemque ejuſdem ſocietatis conducerent. Qui enim finem ſibi aliquem propoſuit, idem modos omnes, rationeſque, quibus eum conſequi poſſit, conſectari debet. Idque jam cum ratio poſtulet, tum Deus, qui certe novit, eſſe hominibus non utilem modo, ſed etiam neceſſariam ſocietatem, vult ſane ut ii omnia acquirere, & parare conentur, quæ ad pacem, quietem, ac felicitatem eorum conferunt. Eſt enim hoc providentiæ illius, ſapientiæque maxime conſentaneum. Etſi autem liberi natura ſint homines, non tamen ea libertate gaudent, qua vivere iidem ſceleſte, improbeque impune poſſint. Rurſum id curent oportet, ut ſeſe ſive propria, ſive aliorum opera, conſervent, ac tueantur. Quod cum natura cognitum cuique ſit, ne oratione quidem eget. Itaque ſi ſoli, aut in civitate, ſine rectore, homines vivere potuiſſent, nulla fuiſſet cauſſa, quamobrem alterius ſeſe imperio, voluntatique ſubjicerent. Sed quoniam experiundo didicerunt, (ſi cuique agere quod libuerit, fas eſſet) neque pacem, neque felicitatem, quinetiam ne libertatem quidem ullam in civitate futuram, propterea quod ambitio, avaritia, libido apud permultos ſic valeant, ut eorum rationem perturbare, ac pene tollere videantur, itaque eoſdem afficiant, ut ceteros vexent, cogantque vitam degere incommodi, & miſeriarum plenam, vel unum, vel plures deligendos judicaverunt, in quos poteſtatem omnem, qua quiſque natura pollebat, transferrent, ut id facerent, quod ex uſu eſſe Reipublicæ cenſuiſſent. Fieri enim nullo modo poſſe videbant, ut cum de communibus fortunis ageretur, omnes & ſæpe, & ſine confuſione in unum locum deliberatum congregarentur. Quamobrem Cicero *lib.* II. *de Officiis c.* XII. *p.* 343. *t.* III. *edit. Genev. Oliveti*. „ Mihi quidem, inquit, non apud Medos ſolum, ut ait Herodotus, ſed etiam apud Majores noſtros juſtitiæ fruendæ cauſſa videntur olim Reges bene morati conſtituti. Nam cum premeretur inops multitudo ab his, qui majores opes habebant, ad unum aliquem confugiebant virtute præſtantem, qui cum prohiberet injuria tenuiores, æquitate conſtituenda ſummos cum infimis pari jure retinebat. Hoc igitur pacto inſtituti Principes populorum ſunt. Cumque ratio id omnino poſceret, & quæ ratione fiunt, Deo probari certum ſit, factum hinc eſt, ut non alio ſenſu a Deo eſſe poteſtates conſtitutas ſcriptores ſacri defenderent.

1 *Cap.* II. *v.* 13. *ſubjecti igitur eſtote omni* ἀνθρωπίνῃ κτίσει *humanæ ordinationi*. Vulgatus interpretatur *creatura*.

ctæque ſancitas, providentiæ ſuæ ratione, confirmando probaverit. Alioqui non Regia ſolum, ſed cujuſque magiſtratus poteſtas ex Deo ἀμέσως proficiſceretur (1), propterea quod ſcriptum in ſacris litteris ſit, nulli poteſtati magiſtratuum eſſe reſiſtendum, quum nulla ſit poteſtas niſi ab auctore rerum hujus univerſitatis Deo. Id autem ne Marcam (2) quidem, qui priorem acriter tuetur ſententiam, probaturum. Nihil autem eſſe cauſſæ, cur Regiam poteſtatem divinitus ἀμέσως datam affirmare neceſſe ſit. Nam ut ἀμέσως quidquam ex Deo oriri cenſeatur, horum duorum alterutrum requiri: vel poteſtatem, quæ datur, niſi a Deo, concedi ab alio quopiam non poſſe; vel ſi poſſit, Deum ab ſe, non ab aliis concedi velle. Aliam enim inveniri tertiam rationem, ne in cogitationem quidem cadere. Ac ſacerdotium ſane, cum poteſtatem conſecrandi corporis, & ſanguinis Domini ſecum ferat, inſtitui humana auctoritate nequire. Exſiſtere igitur ſacerdotium ἀμέσως ex Deo. Contra nihil impedire, quin homines liberi, unius ſe imperio ſubdant, eique, adſtricti etiam ſacramento religionis, imperata facere polliceantur. Quare non eſſe, ut Reges inſtituantur, opus *immediata* ordinatione Dei. Non negare autem ſe, tantam eſſe virtutem, atque poteſtatem Dei, ut ſi velit, ſine conſenſione, operaque hominum, præficere his unum aliquem Regem poſſit. Atque fateri ſe, tum inſtitutionem Regis ejuſdem ἀμέσως ex Deo futuram. Hoc vero, etſi quidam de Saule, & Davide perpauciſque aliis dixerunt, de Regibus ceteris qui dicat factum a Deo, fore neminem. Namque immutationes, quæ evenire ſæpe in Regnis ſolent, ſatis clarum, atque perſpicuum hujuſce rei argumentum eſſe. Nullam enim inſtitutionem divinam poſcere, ut a populo, qui multorum auctoritate regi, gubernarique conſuerit, unus eligatur princeps, deinde modo ex una, modo ex altera familia, conſenſione civium deſignetur, qui cum Imperio adminiſtret Rempublicam. His vero rebus conſtitutis, explicari omnia recte ſacrarum ſcripturarum loca poſſe, quæ affir-

1 Nam Paulus *cap.* XIII. *v.* 1. *ſeqq.* de quocumque magiſtratu loquitur, non de ſolis Regibus, Principibuſque ſupremis.

2 *Loc. indic.* Οὐ γάρ ἐστιν ἐξουσία εἰ μὴ ἀπὸ Θεοῦ.

affirmantes colligere ſtuderent (1). Neque ad rem teſtimonia Patrum ſpectare. Nam eorum aliquos contra hæreticos ſuorum temporum agere,qui hæretici non a Deo,ſed a malo dæmone, malave quapiam cauſſa principatus extitiſſe (2) arbitrarentur. At hominum ne conſenſione, quam Deus probaverit, an voluntate Dei ἀμέσως conſtituti Reges, Principeſque Rerumpublicarum ſint, non ſolum non affirmaſſe Patres, ſed ne cogitaſſe quidem. Atque ſic Irenæum, ſtatuere, ut efficiat, diabolum ſemper mentiri conſueſſe (3): Oſtendiſſe nempe, ut memoriæ proditum ab Luca eſt, Chri-

1 Confer *Biantum loc. cit. & Marcam l. c. notatione ſuperiore*.

2 Vide s. Auguſt. *lib. De Nat. Boni Adv. Man. c.* XXXII. *p* 509. *t.* VIII. *ed. Monach. S. Mauri*.

3 s. Irenæus *lib.* V. *cap.* XXIV. *pag.* 321. „ Sicut ergo in principio mentitus eſt (diabo-
„ lus) ita & in fine mentiebatur dicens „ *Hæc omnia mihi tradita ſunt, & cui volo do ea*.
„ Non enim ipſe determinavit hujus ſeculi regna, ſed Deus. *Regis enim cor in manu Dei*
„ (*Prov.* XXI *v.* 1.) Et per Salomonem autem ait verbum: *Per me Reges regnant, &*
„ *potentes tenent juſtitiam. Per me principes exaltabuntur, & tyranni per me regnant*
„ *terram*. (*Prov.* VIII. *v.* 15.) Et Paulus autem Apoſtolus in hoc ipſum ait: *Omnibus*
„ *poteſtatibus ſublimioribus ſubjecti eſtote: Non eſt enim poteſtas, niſi a Deo. Quæ autem*
„ *ſunt, a Deo diſpoſita ſunt*. (*Rom. cap.* XIII.) Et iterum de ipſis ait: *Non enim ſine*
„ *cauſſa gladium portat. Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei, qui male operatur*.
„ (*Rom.* XIII *v.* 4.) Quoniam hæc autem non de angelicis poteſtatibus, nec de inviſibili-
„ bus principibus dixit, quomodo quidam audent exponere, ſed de his, quæ ſunt ſecundum
„ hominem poteſtates, ait: *propter hoc enim & tributa præſtatis, miniſtri enim Dei*
„ *ſunt, in hoc ipſum deſervientes* (*Ibid. v.* 6.) Hoc autem & Dominus confirmavit, non
„ faciens quidem quod a diabolo ſuadebatur, tributorum autem exactoribus jubens pro ſe,
„ & pro Petro dari tributum (*Matth. cap.* XVII. *v.* 16.) *quoniam miniſtri Dei ſunt, in*
„ hoc *ipſum deſervientes*. Quoniam enim abſiſtens a Deo homo in tantum efferavit, ut
„ etiam conſanguineum hoſtem ſibi putaret, & in omni inquietitudine, & homicidio, &
„ avaritia ſine timore verſaretur, impoſuit illi Deus humanum timorem (non enim cogno-
„ ſcebant timorem Dei) ut poteſtati hominum ſubjecti, & lege eorum adſtricti ad aliquid
„ aſſequantur juſtitiæ, & moderentur ad invicem, in manifeſto propoſitum gladium timen-
„ tes, ſicut Apoſtolus ait: *non ſine cauſſa gladium portat, Dei enim miniſter eſt, vindex in*
„ *iram ei, qui male operatur*. Et propter hoc & ipſi magiſtratus indumentum juſtitiæ le-
„ ges habentes quæcumque juſte, & legitime fecerint, de his non interrogabuntur, ne-
„ que pœnas dabunt. Quæcumque autem ad everſionem juſti inique, & impie, & contra le-
„ gem, & more tyrannico exercuerint, in his & peribunt; juſto judicio Dei ad omnes æ-
„ qualiter perveniente, & in nullo deficiente. Ad utilitatem ergo gentium terrenum Re-
„ gnum poſitum eſt a Deo (ſed non a diabolo, qui numquam omnino quietus eſt, immo qui
„ nec ipſas quidem gentes vult in tranquillo agere) ut timentes Regnum hominum, non ſe
„ alterutrum homines vice piſcium conſumant, ſed per legum poſitiones repercutiant mul-
„ tiplicem gentilium injuſtitiam. Et ſecundum hoc miniſtri Dei ſunt, qui tributa exigunt
„ a nobis, in hoc ipſum ſervientes. Quæ ſunt poteſtates a Deo, ordinatæ ſunt; manifeſtum
„ eſt, quoniam mentitur diabolus dicens, *mihi tradita ſunt, & cui volo do ea*. Cujus
„ enim juſſu, & Reges conſtituuntur, apti his, qui illo tempore ab ipſis regantur: Qui-
„ dam enim illorum ad correptionem, & utilitatem ſubjectorum dantur, & conſervationem
„ juſtitiæ: quidam autem ad timorem, & pœnam, & increpationem: quidam autem ad illuſio-
„ nem, & contumeliam, & ſuperbiam, quemadmodum & digni ſunt; Dei juſto judicio, ſi-
„ cut prædiximus, in omnibus æqualiter ſupergrediente.

Chriſto hoſtem generis humani regna, moxque dixiſſe: tradita ſibi ea omnia fuiſſe, eademque jam ſe cui voluerit, dare poſſe. Id vero magnum eſſe, impudenſque mendacium. Non enim diabolum auctorem, inſtitutoremque regnorum eſſe, ſed Deum. Quemadmodum autem a Deo imperia conſtituta ſint ἀμέσως ne, an conſenſione hominum, quam Deus ipſe probaverit, id vero Irenæum quærendum non putaſſe. Nihilo eſſe gravius, quod profertur ex Tertulliano (1). Eum quippe adverſus Ethnicos diſputantem, non Diis gentium, qui nulli ſint, ſed uni, vero, conditorique hujus univerſitatis, ac generis humani Deo cultum, honores, preces adhiberi pro Imperatoribus oportere, dicere. Imperatores namque ab eo poteſtatem conſequutos eſſe, qui illis, antequam imperio potirentur, dediſſet vitam. Hunc vero non aliquem eorum eſſe, quos Ethnici venerarentur, ſed noſtrum unicum, atque immortalem Deum. Atque huc ſpectare Auguſtini (2) ſententiam. Ethnicos enim ab eo exagitari, qui ab inanibus diis imperia diſtribui mentiebantur. Johannem autem Chryſoſtomum, non Principes quoſque (3), ſed

1 Tertullianus *Apologet. cap.* XXVIII. *pag. 26. edit. opp. Venet. an.* 1728. „ Ita [Dii] „ qui ſunt in Cæſaris poteſtate, cujus & toti ſunt, quomodo habebunt ſalutem Cæſaris in po- „ teſtate, ut eam præſtare poſſe videantur, quam facilius ipſi a Cæſare conſequantur? Ideo „ ergo committimus in majeſtatem Imperatorum, quia illos non ſubjicimus rebus ſuis? „ Quia non ludimus de officio ſalutis ipſorum, qui eam non putamus in manibus eſſe plumba- „ tis? Sed vos religioſi, qui eam quæritis ubi non eſt, petitis, a quibus dari non poteſt, „ præterito eo, in cujus eſt poteſtate, inſuper eos debellatis, qui eam ſciunt petere, qui „ etiam poſſint impetrare, dum ſciunt petere. Nos enim pro ſalute Imperatorum Deum in- „ vocamus æternum, Deum verum, Deum vivum, quem & ipſi Imperatores propitium ſibi „ præter cæteros malunt. Sciunt quis illis dederit imperium. Sciunt, qua homines, quis „ & animam. Sentiunt eum eſſe Deum ſolum, in cujus ſolius poteſtate ſunt, a quo ſunt ſe- „ cundi, poſt quem primi ante omnes, & ſuper omnes Deos [*Ethnicorum*]. Quidni? cum „ ſuper homines, qui utique vivunt, & mortuis anteſtant, & recogitant quouſque vires im- „ perii ſui valeant, & ita Deum intelligunt; adverſus quem valere non poſſunt, per unum „ valere ſe cognoſcunt. Cælum denique debellet Imperator, cælum captivum triumpho ſuo „ invehat; cælo mittat excubias; cælo vectigalia imponat. Non poteſt. Ideo magnus eſt, „ quia cælo minor eſt. Illius enim eſt ipſe, cujus & cælum eſt, & omnis creatura. Inde eſt „ Imperator, unde & homo antequam Imperator. Inde poteſtas illi, unde & ſpiritus. Illuc „ ſuſpicientes Chriſtiani manibus expanſis, quia innocuis, capite nudo, quia non erubeſci- „ mus, denique ſine monitore, quia de pectore oramus pro omnibus Imperatoribus, vitam „ illis prolixam, imperium ſecurum, domum tutam, exercitus fortes, ſenatum fidelem, „ populum probum, orbem quietum, & quæcumque hominis, & Cæſaris vota ſunt. Hæc ab „ alio orare non poſſum, quam a quo ſcio me conſecuturum, quoniam & ipſe eſt, qui ſolus „ præſtat, & ego ſum, cui impetrare debetur, famulus ejus, qui eum ſolus obſervo &c.

2 *Auguſtin. l. c.*

3 S. J. Chryſoſtomus *homil.* XXIII. *in epiſt. ad Rom. tom.* IX. *opp. pag.* 686. *edit. Monachor.*

ſed principatum divinitus eſſe conſtitutum , interdum ſcribere , ἀμέσως ne vero , an ſecus , numquam . Quamobrem fruſtra fuiſſe laboratum ab iis , qui in hiſce teſtimoniis colligendis operam conſumſiſſent . Neque enim quemquam eſſe noſtrum,qui principatus a Deo eſſe conſtitutos neget. Quo minus etiam aſſentiuntur iis, qui canones ex Gratiani codice duos proferunt , qui priorem ſententiam non modo non confirment , ſed etiam evertere videntur . Primum autem eſſe canonem deſcriptum ex Epiſtola Gelaſii ad Anaſtaſium Imperatorem , eoque ſic ſtatui : Poteſtates (1) , quibus potiſſi-

chor. s. Mauri Pariſ. „ *Non eſt poteſtas* , *niſi a Deo :* Quid dicis ? Omnis ergo princeps a „ a Deo conſtitutus eſt ? Iſtud non dico . Nec enim de quovis principe ſermo mihi nunc eſt, „ ſed de ipſa re . Quod enim principatus ſunt , quodque hi quidem imperant , illi vero ſub- „ jecti ſunt , quodque non ſimpliciter , ac temere cuncta feruntur , nec fluctuum inſtar popu- „ li huc , atque illuc circumaguntur , divinæ ſapientiæ opus eſſe dico . Propterea non dicit : „ non enim princeps eſt , niſi a Deo ; ſed de re ipſa diſſerit , dicens , non enim poteſtas eſt, „ niſi a Deo „ . Iſidorus item Peluſiotes *l.* 11.*epiſt.* CCXVI.*p.*223.*edit. opp.an.*1638.„ Pote- „ ſtatem , *inquit* , hoc eſt imperium a Deo & Regnum formatum , atque inſtitutum eſſe „ profitendum eſt , ut ne ornatus in ſtatum inornatum degeneret . Quod ſi quis impius , aut „ ſacrilegus in illud irruperit , haudquaquam ſcilicet hunc a Deo factum , ac deſignatum „ dicimus , verum permiſſum eſſe &c.

1 *Diſt.* XCVI . *can.* X. *Duo ſunt*, qui canon decerptus eſt ex *epiſt.* IV. *Gelaſii Pont. Max. ad Anaſtaſium Imperatorem tom.* I. *Concilior. edit. Hard. pag.* 893. „ Duo ſunt Impera- „ tor Auguſte , quibus principaliter mundus hic regitur , auctoritas ſacra Pontificum , & „ regalis poteſtas. In quibus tanto gravius eſt pondus Sacerdotum,quanto etiam pro ipſis Re- „ gibus in divino reddituri ſunt examine rationem . Noſti etenim, fili clementiſſime , quod „ licet præſideas humano generi dignitate , rerum tamen Præſulibus divinarum devotus col- „ la ſubmittis , atque ab eis cauſſas tuæ ſalutis expetis : inque ſumendis cæleſtibus Sacramen- „ tis , eiſque , ut competit , diſponendis , ſubdi te debere cognoſcis religionis ordine po- „ tius , quam præeſſe . Noſti itaque inter hæc ex illorum te pendere judicio , non illos ad „ tuam velle redigi voluntatem. Si enim quantum ad ordinem pertinet publicæ diſciplinæ co- „ gnoſcentes Imperium tibi ſuperna diſpoſitione collatum , legibus tuis ipſi quoque parent „ religionis Antiſtites , ne vel in rebus mundanis excluſæ videantur obviare ſententiæ ; quo „ rogo decet affectu eis obedire , qui pro erogandis venerabilibus ſunt attributi myſteriis ? „ Proinde ſicut non leve diſcrimen incumbit Pontificibus ſiluiſſe pro divinitatis cultu , quod „ congruit : ita his , quod abſit , non mediocre periculum eſt , qui cum parere debeant , de- „ ſpiciunt . Et ſi cunctis generaliter Sacerdotibus recte divina tractantibus fidelium convenit „ corda ſubmitti , quanto potius ſedis illius Præſuli conſenſus eſt adhibendus ; quem cunctis „ Sacerdotibus , & divinitas ſumma voluit præeminere , & ſubſequens Eccleſiæ generalis ju- „ giter pietas celebravit ? &c. Itaque ſtatuit ; primo : Duas eſſe poteſtates , quibus mundus regitur , Pontificiam , & regalem . *Secundo* : Gravius eſſe pondus Pontificum , propterea quod ſint pro Regibus ipſis Deo reddituri rationem . Tertio : Dignitate quidem civili præſidere Imperatorem generi hominum , ſed , quod ad res ſacras attinet , cum ipſum Pontificibus ſubdi , & colla ſubmittere oportere . Quarto : Ex Pontificum proinde judicio pendere Imperatorem , non autem eos ad ſuam poſſe voluntatem pertrahere . Quinto : Divina *diſpoſitione* , hoc eſt providentia , non autem Inſtitutione , ſcilicet ἀμέσως a Deo Imperium Regi eſſe collatum , religioniſque Antiſtites legibus civilibus , quæ cum ſacris non pugnent , ut pax Reipublicæ ſervetur , obtemperare debere ; ſed ab Rege ipſis Pontificibus pro divinita-

tiſſimum ſocietas Chriſtianorum regitur, duas eſſe, Pontificum ſcilicet, at Regum. Hoc tamen eſſe Pontificum onus gravius, quo pro regibus etiam, legibuſque hominum rationem Deo in extremo ſint judicio reddituri. Quare ſciat Imperator non ad Regum Pontificiam, ſed Regiam accommodandam eſſe ad Pontificum voluntatem. Neque plus ineſſe in altero canone difficultatis. Eſſe hunc quidem non Cypriano, ut Gratianus errans putavit, ſed Nicolao I. Pontifici (1) adſcribendum. At nihil inde colligi poſſe, quod efficiat profectum ἀμέσως ex Deo principatum eſſe æque, ac Sacerdotium. Nam eum canonem ſic habere: Diſtincta a Chriſto fuiſſe officia Pontificum, & Imperatorum. Imperatores, ut conſequantur ſempiternam vitam Pontificibus indigere; Pontifices vero, ut ordine omnia in civitate gerantur, uti legibus Imperatorum ſolere. Tertium eſſe canonem acceptum ab Iſidori ſententiis. In eo autem de re, quam exquirimus, ne veſtigium quidem eſſe. Quod enim dicit Iſidorus (2): Principes obtinere in Eccleſia poteſtatem, ut præ-

nitatis cultu agentibus eſſe patendum. Sexto: Quod ſi cæteris Præſulibus Imperatores ipſi, quod ad res ſacras pertinet, ſe ſubdant, moremque gerant, neceſſe eſt, multo magis Romano Pontifici, quem cunctis Sacerdotibus divinitas ſumma voluit præeminere. Hæc vero quemadmodum præſidio ſibi eſſe arbitrentur ii, qui pro dignitate regia quaſi ἀμέσως profecta ex Deo ſit, pugnant, nullo modo prorſus intelligo. Quo magis miror Petri Jannoni confidentiam, qui *lib.* 1. *cap. ult. pag.* 47. *Hiſt. Regni Neap. edit. Italicæ* non modo Epiſtolæ Gelaſii partem, quam deſcripſi, ſed etiam canonem, ut eſt a Gratiano publicatus, ſibi eſſe adjumento poſſe cenſet. Nam adjuncta hæc ab Gratiano ſunt. ,, Talibus igitur inſtitutis, tali-,, buſque fulti auctoritatibus plerique Pontificum, alii Reges, alii Imperatores excommu-,, nicaverunt &c. Sententiam Gelaſii laudat, ſequiturque Hincmarus Epiſcopus Remenſis *Opuſc.* IX. *num.* 39. *pag.* 177. *edit. Sirmond.* Vide *Capitular. lib.* V. *cap.* CCCXII. *pag.* 890. *edit. Baluzii tom.* I.

1 *Cap.* VIII. *quoniam diſt.* X. quod eſt expreſſum ex *epiſt.* VII. *Nicolai I. Pontificis ad Michaelem Imperatorem tom.* V. *Concilior. edit. Hard. pag.* 171. ,, Quoniam idem media-,, tor Dei, & hominum homo Chriſtus Jeſus ſic actibus propriis & dignitatibus diſtinctis, ,, officia poteſtatis utriuſque diſcrevit, propria volens medicinali humilitate ſurſum efferri, ,, non humana ſuperbia rurſus in inferna demergi, ut & Chriſtiani Imperatores pro æterna ,, vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro curſu temporalium tantummodo rerum, ,, Imperialibus legibus uterentur, quatenus ſpiritalis actio carnalibus diſtaret incurſibus. ,, Et ideo militans Deo minime ſe negotiis ſecularibus implicaret, ac viciſſim NON ILLE ,, REBUS DIVINIS PRÆSIDERE VIDERETUR, qui eſſet negotiis ſecularibus implicatus, ut & ,, modeſtia utriuſque Ordinis curaretur, ne extolleretur utroque ſuffultus, & competens ,, qualitatibus actionum ſpecialiter profeſſio aptaretur.

2 *Cap.* XX. *Principes Decret. Grat. p.* II. *cauſſa* XXIII. *quæſt.* V. ſumtum ex Iſidor. *l.* III. *ſententiar. hoc eſt de ſummo Bono cap.* LI. *pag.* 686. *edit. an.* 1601. ,, Principes ſeculi ,, nonnumquam intra Eccleſiam poteſtatis adeptæ culmina tenent, & per eamdem poteſta-

, tem

præſidio ſint Eccleſiaſticis legibus, ad inſtitutum profecto non pertinet. Nihil ſe morari Synodi Pariſienſis, quam prioris ſententiæ patroni plurimi faciunt, auctoritatem. Namque Synodum ἀμέσως ne, an poſita hominum conſenſione inſtituti principes fuerint, neque affirmaſſe (1), nec rationem ullam habuiſſe, cur eſſe affirmandum exiſtimaret. Quod ſi affirmaſſet; nihilominus concilium ſe, neque tam vetus, neque tam frequens, atque plenum, tanti non pendere, ut tantorum, tamque multorum ſcriptorum, qui contra ſentiunt, rationibus, conſenſionique præferendum putent.

Sequuntur leges Imperatorum. Quibus etſi niti, ac magnopere confidere videantur ii, qui primordia principatus ex Deo ἀμέσως repetenda cenſent, tamen vim alii arbitrantur ineſſe ad eam rem demonſtrandam omnino nullam. Juſtinianum enim Imperatorem ex uno quidem, eodemque principio, nempe Deo, Sacerdotium, atque Imperium profectum (2) dicere; eodem autem modo profectum, non item. Neque vero dona, quæ ſunt, ac dicuntur Dei, ἀμέσως omnia ab ipſo Deo concedi hominibus conſueſſe. At leges ſane civiles, quibus Reipublicæ ſaluti, felicitatique conſulitur, dona Dei appellari poſſe, quis neget? ἀμέσως autem a Deo eſſe latas, qui ſtatuat neminem eſſe non modo Chriſtianorum, ſed ne Philoſophorum quidem. At eumdem ipſum Juſtinianum ſatis explicate, dilucideque indicaſſe, qua tandem ratione exiſtimarit, ortam ex Deo eſſe laicorum Principum poteſtatem. Probaſſe namque eum,

 pu-

„ tem diſciplinam Eccleſiaſticam muniant. Ceterum intra Eccleſiam poteſtates neceſſariæ
„ non eſſent, niſi ut quod non prævalet ſacerdos efficere per doctrinæ ſermonem, poteſtas
„ hoc impleat per diſciplinæ tenorem. Semper per Regnum terrenum cæleſte Regnum pro-
„ ficit, ut qui intra Eccleſiam poſiti contra fidem, & diſciplinam Eccleſiæ agunt, rigore
„ Principum conterantur, ipſamque diſciplinam, quam Eccleſiæ humilitas exercere non
„ prævalet, cervicibus improborum poteſtas principalis imponat, & ut venerationem me-
„ reatur, virtutem poteſtatis impertiat.

1 *Loco deſcripto*. Nam quod habet, *non ab hominibus*, ſed a Deo tribui imperium Regi, ſic eſſe intelligendum cenſent, qui poſteriorem tuentur opinionem, ut non a progenitoribus ſignificet, ſed a conſenſu populi, quem Deus probarit, adeoque ab ipſo Deo Regnum principi obvenire.

2 *Novella* VI. *collat.* I. *tit.* VI. *Præfat. pag.* 11. *edit. Lipſienſ. Heinec. an.* 1735. *t.* I. *corp. jur. civ.* „ Maxima quidem in hominibus ſunt dona Dei a ſuperna collata clementia,
„ Sacerdotium, & Imperium: & illud quidem divinis miniſtrans, hoc autem humanis præ-
„ ſidens, ac diligentiam exibens, ex uno eodemque principio utraque procedentia huma-
„ nam exornant vitam.

publicaſſeque, itaut legum vim obtinerent, reſponſa juriſconſultorum, quibus confirmaretur, conſenſu populi (1) curam Reipublicæ fuiſſe ad Senatum deductam; cumque deinceps ortæ cauſſæ fuiſſent, quæ non hortarentur modo, ſed etiam flagitarent, ut per unum Reipublicæ proſpiceretur, conſtitutum principem, ſancitumque, ut quod decerneret, jus ratumque eſſet. Quamobrem Juſtiniani hanc eſſe ſententiam; non ἀμέσως ex Deo principatum exſiſtere, ſed poſito populi conſenſu, qui in regem omne ſuum imperium, poteſtatemque tranſtulerit.

Neque ſi conſenſu, conventiſque populorum ἀμέσως inſtitutus eſt principatus, ullum eſſe, ne turbæ, ſeditioneſque oriantur, metuendi locum. Nam ſi quæ ſancita ab hominibus ſint, ea eſſe divinitus probata conſtet, neminem tam audacem, tamque improbum, qui eadem impune evertere audeat, futurum. Conſtat autem confirmaſſe, quæ de principatu, populorum conſenſu, inſtituta ſunt, Deum. Qui igitur impune hoc tollere audeat, fore neminem. Nec vero intelligi, cur minus turbarum, ſeditionumque ſibi polliceantur, qui contra pugnant, ſi ex Deo ἀμέσως, quam ſi ex conſenſione populi, imperium proficiſcatur. Eſſe enim permultos, eoſque jam doctos, & in hiſce ſtudiis ſuma cum laude, diſciplinisque (2) verſatos, qui principem, etiamſi Deo ſoli acceptam referre debeat, quam obtinet, poteſtatem; tamen ſi ea tyrannorum more abutatur, non ſolum apud Deum, ſed etiam apud populum reum eſſe culpæ, arbitrentur. Principem enim quocumque tandem modo conſtitutus ſit, non everſorem ſtatus publici, ſed tutorem,

1 Pomponius *Digeſt. lib.* 1. *tit.* II. *cap.* II. *neceſſarium* §. 9. *pag.* 74. *edit. ejuſd. Heinec.* „ Quia difficile plebs convenire cœpit, populus certe multo difficilius in tanta turba „ hominum, neceſſitas ipſa curam Reipublicæ ad Senatum deduxit . . . §. 11. Noviſſime ſi- „ cut ad pauciores juris conſtituendi via tranſiſſe ipſis rebus dictantibus videbatur: per par- „ tes evenit, ut neceſſe eſſet Reipublicæ per unum conſuli. Nam Senatus non perinde om- „ nes Provincias probe gerere poterat. Igitur conſtituto principe, datum eſt ei jus, „ ut quod conſtituiſſet, ratum eſſet „. *Et lib. eodem tit.* IV. de Conſtitutionibus Principum *cap.* 1. *pag.* 79. Ulpianus „ Quod Principi placuit legis habet vigorem, utpote cum „ lege Regia, quæ de Imperio ejus lata eſt, populus ei, & in eum omne ſuum Imperium, „ & poteſtatem conferat „. Confer Bianeum *tom.* 1. *lib.* 1. §. IV. *num.* VIII. *ſeqq. Della Poteſtà indiretta della Chieſa*, & *tom.* III. *lib.* 1. *cap.* 1. §. 1. *pag.* 8. *ſeqq.*

2 Vide Biancum *l. c.* §. II. *n.* III. *p.* 18. *t.* 1. Idipſum exſequitur Noodtus vir magnæ inter Proteſtantes exiſtimationis *Du Pouvoir de Souverains pag.* 218. *edit. an.* 1714.

rem, conſervatoremque eſſe oportere. Itaque ſi vi publica abutatur, ſi quæ recte ſunt inſtituta pervertat, ac labefactet, ſi denique non ſalutem, ſed perniciem civitatibus inſerat, quidem certe publica, eaque præſtantiore (1) auctoritate (privato enim contra principem, quamvis flagitioſum, atque Regni viribus abutentem inſurgere fas non eſſe fatentur) coerceri poſſe, non minus ſi ἀμέσως a Deo, quam ſi populi voluntate conſtitutus eſſet. Injuriam quippe divino numini fieri, ſi dati Reges divinitus putentur eſſe, ut quidquid libuerit, faciant, ſive illud ſit ſalutare, ſive impium, ſceleſtum, Reipublicæque pernicioſum. Atque fuiſſe aliquos, tradunt in Galliis, qui ut Regi aſſentarentur hanc ſententiam omnium conſenſu firmandam proponerent, Regibus ἀμέσως eſſe a Deo conceſſam (2) auctoritatem; multoſque fuiſſe, qui proponentibus reſponderent, ſalutem Galliæ ex hiſce opinionibus minime pendere. Quare ſinerent, ut quiſque in ſcholis, quod ſibi probabilius eſſe videretur, defenderet (3). Itaque refutata eorum ſententia, qui Principatum conſtitutum ἀμέσως a Deo fuiſſe pugnant, everti perinde contendunt Petri de Marca Archiepiſcopi Pariſienſis, & quorumdam aliorum opinionem, qui non principatum modo, ſed etiam Reges ſingulos a Deo ἀμέσως conſtitui arbitrantur (4).

I 2 §. III.

1 De hac præſtantiore auctoritate agam paullo poſt opportune.

2 Confer Gramondum *lib.* I. *hiſt. Gall. pag.* 62. *ſeqq. edit.* Elzevirii, & Le Vaſſor *hiſt. Lud.* XIII. *ad an.* 1615. *tom.* II. *pag.* 74. Nonnulla in hanc rem duſputant Thomaſius *Inſtit. Juriſpr. divinæ lib.* III. *cap.* VI. §. 68. *ſeqq.* & *Fundam. Jur. N.* & *G. edit.* IV. *lib.* III. *cap.* VI. §. 9. *ſeqq.* & Johannes Barbeyracius *in not. ad lib.* VII. *Puſendorf. de J. N.* & *G. cap.* III. §. III. *pag.* 233. *tom.* III. *edit. Lond. an.* 1740. Cur autem ſecus eſſe ſtatuendum exiſtimaſſent Galli, ſi jam uſque a multo tempore Univerſitas Pariſienſis eam, quam ſecundo loco deſcripſi, ſententiam defendiſſet? ut multis oſtendit Johannes Antonius Biancus *tom.* I. *della Poteſtà, e Polizia della Chieſa lib.* I. *cap.* 3. §. 1. *num.* 5. *ſeqq. pag.* 7. *ſeqq.*

3 Eſt autem ridiculum, quod Hornius l. c. opponit, cauſſam humanam excogitari poſſe nullam, quæ aliqua ratione producere majeſtatem ſupremam queat: non privatum quempiam, non magnatem, immo vero ne multitudinem quidem civium univerſam. Nam qui ea carent, qui fiet, ut transferre ipſam in alium quemquam poſſint? Ego enim nullo modo prorſus intelligo, cur multitudo conferre in unum aliquem nequeat morale quidpiam, quod ipſa poteſtate quidem habeat, reipſa vero non habeat. Quare Ulpianus *Digeſt. lib.* XLI. *tit.* 1. *de adquirendo rerum Dominio c.* XLVI. „ Non eſt novum, *inquit*, ut qui dominium „ non habeat alii dominium præbeat „. Atque id quidem evenire ita omnino poteſt, ut evenit in naturæ interdum rebus, cum multæ voces certa quadam ratione editæ harmoniam forment, qua ſingulæ careant. Sed de his rebus agit Puſendorſius de J. N. & G. *lib.* VIII. *cap.* III. §. IV. *ſeqq. pag.* 135.

4 *Petrus de Marca loco ſup. indic.*

§. III.

Juſne ullum Chriſtiani veteres in res ſacras Imperantibus attribuerint, nec ne?

VErum inter Scriptores, qui ἀμέσως, vel contra a Deo conſtitutos fuiſſe Principes negant, quæſtio de ſumma poteſtate eſt, jus ne ullum in res ſacras obtineant, deque ea re, quam & gravem eſſe, & difficultatis plenam conſtat, magna diſſenſione certatur. Quorum ſane ſcriptorum proponendæ breviter rationes ſunt, ut quiſque dijudicare per ſe poſſit, utra ſit ſententia ad veritatem propenſior. Principio autem de quibus rebus inter ſe utrique conveniant, diſquirendum eſt, ut ſenſim nobis ad ea, quibus alterutri cogi ad cetera, quæ reſpuunt, concedenda poſſint, muniamus viam. Niſi enim ex conceſſis rebus traduci, arbitror, in alterius ſententiam poſſe neminem.

Ergo *Poteſtatis* nomine utrique *perſonam* quampiam, *cœtumve* intelligunt, cui ſit datum Imperium in univerſam Rempublicam. Atque hujuſmodi quidem poteſtatis fatentur genera imprimis eſſe numeranda duo. Nam quæ mixta vocant, ex his coaleſcunt, inque horum aliquod potiſſimum referri poſſe exiſtimantur. Igitur non eſt, cur diſtinctam eorum mentionem fieri oportere putem. Duorum autem illorum, quæ dixi, unum genus eſt, quod *Monarchiam*, alterum, quod *Polyarchiam*, hoc eſt *multorum principatum* vocant. Rurſum dividunt *Polyarchiam* in *Ariſtocratiam, & Democratiam*. Eſt vero *Monarchia* Reſpublica, in qua uni alicui, & ſoli ei quidem præcipua, atque ſuprema imperii cura conceſſa eſt, quem vel Imperatorem, vel Regem, vel Principem appellare ſolemus. Quæ ratio imperii, ut permulti veteres, docti, prudentes, in hiſque rebus magna cum laude verſati Scriptores cenſent, & antiquiſſima, & facillima, & ſi recte adminiſtretur, omnium, quæ dici, excogitarique poſſunt, tutiſſima. Sed *Polyarchiæ, ſeu principatus multorum*, quoniam duo eſſe genera diximus, quorum alte-

alterum *Ariſtocratiam*, alterum *Democratiam* nominant, danda eſt opera, ut cujuſmodi ea ſint, cognoſcatur. Igitur *Ariſtocratiam* eam eſſe Imperii rationem affirmant, qua pars civium minor, ſed genere, cenſu, prudentia, virtute præſtantior, obtinet adminiſtrandæ reipublicæ poteſtatem. Jam vero *Democratiam* eam eſſe civitatem, remque publicam pugnant, in qua omnes quotquot ſunt, & cujuſcumque conditionis, ſtatuſque cives pari jure participes eſſe poteſtatis, & ſummorum honorum ſolent, itaque ſeſe moderantur, atque gubernant, ut cum maneat penes populum vis imperii, atque majeſtas, a paucis a populo, ex populoque electis, quorum ſit plebiſcito numerus conſtitutus, ex arbitro populi ejuſdem (qui per convocatas conciones, collegia, claſſes, centurias, aut tribus de creandis magiſtratibus definito tempore rempublicam adminiſtraturis, deque aliis rebus ſtatuit) res omnes diligenter geri ſinant. Haſce poteſtates ex fine, propter quem conſtitutæ ſunt, intelligi oportere, cenſent. Eum vero finem civitatis conſervationem eſſe. Quapropter tam late quamque illarum, ubi jam obtinent, patere, quam late patent, quæ ad conſervationem civitatis pertinent. Igitur Imperium eamdem poteſtatem appellari, ſeu etiam majeſtatem, cum ſit maxima in civitate (qua eſt ſocietas, reſque civilis publica) poteſtas. Populum etſi hiſce imperantibus poteſtatem dedit, quod probari, confirmarique a Deo ſolere diximus, tamen ubi eam dedit, eadem ſe abdicaſſe ipſum populum poteſtate, omnemque in Principem transtuliſſe, itaut imperanti ſeſe ſubdiderit in rebus omnibus, quæ ad ſalutem, felicemque ſtatum civitatis ſpectarent. Eoſdem proinde Imperantes inviolabiles eſſe oportere. Hoc enim ſalutem requirere Reipublicæ. Cum enim improborum ambitione, ſuperbia, ſcelere, incitatorum hominum inſultibus expoſiti Principes eſſe ſoleant, cumque in optima, ſapientiſſimeque inſtituta gubernandæ civitatis ratione non deſint, qui temere ſtatum imperii immutatum velint, ſecuritati illorum, ut modis omnibus conſulatur, par eſſe. Quam ſane rem non ita eſſe intelligendam putant, ut licere principi arbitrentur,

ever-

evertere, proſternereque Rempublicam. Nam ſi princeps imperet tyrannorum more, atque velut hoſtis ſæviat in civitatem, tum ei eſſe ſtrenue reſiſtendum ajunt. Hoc naturam, & finem civilis ſocietatis poſcere, in quam homines coaluerunt, non ut perirent, ſed ut quietam, felicemque vitam degerent. Cavendum tamen ne temere quis pro tyranno, atque hoſte reipublicæ habeatur. Quamobrem non rumore vano, neque civium aliquorum ſententia præſentem reipublicæ ſtatum ægre fortaſſe, graviterque ferentium duci multitudinem oportere, ſed manifeſtis, ac patentibus, quæ incurrant in omnium oculos, documentis, de quibus dubitari nullo modo poſſit (1). Quo in genere quæ ſit ſequenda ratio, paullo poſt differemus.

Denique præcipuam poteſtatem eam appellant, quæ ſaltem de rebus, quas agit, quæque cum civiles ſint, ſtatum non evertunt, neque labefactant civitatis, nulli, niſi Deo, reddere rationem debet. Nam etſi cogi eam permulti, ut cauſ-

(1) Paucis omnia confirmabo, quæ hactenus diſputata ſunt. Conjunctiones equidem, ſocietateſque hominum pactis quibuſdam coaluiſſe arbitror, quibus ſaluti quiſque ſuæ, felicitatique proſpexit. His pactis, conventibuſque conſtitutis, ſuam homines uni alicui obſtrinxiſſe fidem, in eumque omnem transtuliſſe auctoritatem, ut Rempublicam eorumcum imperio moderaretur. Atque hac ſane ratione conſtitutio imperii ex hominibus originem ducit, & a Petro 1. *epiſt. cap.* II. *v.* 13. ἀνθρωπίνη κτίσις appellatur. Cum vero id maxime poſceret ratio, ſalus, atque conſervatio generis humani, recte quidem concluditur, factum conſentiente, atque probante Deo fuiſſe. *Ep. ad Rom.* XIII. *v.* 1. *ſeqq. epiſt. ad tit. cap.* III. *v.* 1. Quamobrem inſtitutio imperii certo quodam modo & humana eſt, & divina. Humana, quod poſitum imperium ab hominibus ſit, divina, quod ſi *poſitum*, atque conſtitutum probante, & dirigente Deo. Atque Oecumenius κτίσιν, quam vocat Petrus per θέσιν exponit. Eſt autem θέσις poſitio. Sic enim habet *in Petri locum modo indicatum pag.* 499. *edit. an.* 1631. κτίσιν ἀνθρωπίνην τὰς ἀρχὰς λέγει χειροτονητὰς ὑπὸ τῶν βασιλέων, ἢ καὶ αὐτοὺς βασιλεῖς, καθότι καὶ αὐτοὶ ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων ἐτάχθησαν, ἤτοι ἐτέθησαν, εἴδει γὰρ ἡ γραφὴ καὶ τὴν θέσιν κτίσιν καλεῖ. *Humanam inſtitutionem principatus dicit ordinatos ſub Regibus, vel etiam ipſos Reges, quod & ipſi ab hominibus ordinati, vel poſiti ſint, quare & ſcriptura poſitionem vocat conſtitutionem*. Rurſum cum poteſtas, ſeu imperium inſtitutum ob ſalutem, & conſervationem civitatis ſit, ad ea ſeſe extendit, quæ pertinent ad conſervandam Rempublicam. Jam vero quoniam jus omne imperii translatum Populi conſenſione in Regem eſt, ſubdi Reges arbitrio, judicioque populorum non debent, nec poſſunt. Quamobrem labuntur Monarchomachi, qui contra ſentiunt, quorum ſcripta recenſet Johannes Franciſcus Buddeus *hiſt. Jur. nat. & gent.* quæ extat *inter ſelect.* J. N. & G. §. 52. *pag.* 77. *ſeq. edit. Halenſis an.* 1704. & Jacobus Thomaſius *hiſt. ſect. Macchiavel. & Monarchomachor. obſervat. Halenſ. tom.* VI. *obſ.* 1. Reſiſti autem Principi qui in Tyrannidem imperium converterit, oportere, fatetur Grotius *l.* 1. *de Jur. B. & P. c.* IV. §. VIII. *p.* 166. *ſeq. edit. Amſtel. tom.* 1. Sed de his plura perſequitur J. Franciſcus Buddeus *inſt. moral. Theol. cap.* III. *ſect.* VII. §. V. *pag.* 575. *ſeqq. edit. an.* 1727. A quo tamen in permultis rebus diſſentio.

cauſſam dicat, negent (1) tamen vi, armiſque reduci ad curandam ſalutem populorum poſſe confitentur, ſiquidem ante, ita ut dictum eſt, more tyrannorum non moderari conata ſit; ſed pervertere, expugnareque rempublicam. Sed cujus tandem ſit de civili poteſtate ſumma, recte ne, atque ſalubriter, an contra imperet, judicare, alio loco explicabitur (2).

Nunc cujuſmodi ſit jus illud, quod circa ſacra regibus quidam attribuunt, videamus. Sacrorum igitur nomen latiſſime patere conſtat. Non enim decreta ſolum, quæ ad fidem, mores, diſciplinamque Eccleſiaſticam, ſed etiam res Eccleſiaſticorum, perſonaſque complectitur. Oritur autem quæſtio de his omnibus inter Chriſtianos, de Chriſtianis agentes Principibus, atque eorum quiſque, ut affectus animo eſt, jus eſſe eiſdem Principibus vel in omnes, vel in aliquas earumdem ipſarum rerum aut negant, aut affirmant. Ac primum quidem omnium hoc univerſi concedunt.

I.

Jus non eſſe Principi contra religionem, & præcepta Dei quidquam decernere.

Quæ quidem ſententia non conſenſione majorum noſtrorum modo, ſed etiam auctoritate Scripturarum, rationeque naturæ confirmari, demonſtrarique plane poteſt. Ac ratio ſane poſtulat, ut qui conſtitutus a Deo rex eſt, Deo imperanti obtemperet, neque, quidquam contra religionem, & præcepta Dei decernere audeat. Jam vero cum Deus jure naturæ caverit, ne quis adimat innocenti vitam, (3) quam-

1 Ita quidem Buddeus ſequutus multorum ſententiam *ibid.* §. IX. *pag.* 581. Id vero ne Barclaius quidem negat imperii adſertor acerrimus *lib.* III. *Adv. Monarch. cap.* VIII. *lib* VI. *cap.* XXIII. XXIV. Multa de caſibus, quibus reſiſtere populus imperanti poſſit, diſputat Grotius *lib.* I. *de J. B. & P. cap.* IV. §. VII. *ſeqq. pag.* 154. *ſeqq.* Is tamen extorquere numquam a me poterit, ut omnia quæ ſcribit, probem. Sunt enim quædam ab illo minus recte dicta, quorum nos partem paullo poſt refutabimus.

2 Nempe §. *hujus cap.* III.

3 *Exod. cap.* I. *v.* 17. „ Timuerunt autem obſtetrices Deum, & non fecerunt juxta „ præceptum Regis Ægypti, ſed conſervabant mares „ *&* *v.* 21. „ & quia timuerunt ob„ ſtetrices Deum, ædificavit eis domos.

quamvis Ægyptiæ obſtetrices juſſæ a Pharaone Rege fuiſſent, ut infantes Hebræorum mares interficerent, parere nihilominus recuſarunt, propterea quod Deum metuerent. Præterea cum Rex Achabus a Nabotho (1) vineam jure mancipii poſtulaſſet, negavit Nabothus fas ſibi eſſe Regi ſatisfacere. Lege namque Divina in vetere teſtamento ſancitum fuerat,ne prædia cujuſquam extra familiam mancipaprentur. Eſt item illud graviſſimum, quod memoriæ traditum ab Luca in Actis fuit. Petrum enim, & Johannem ad Judæorum Senatum adductos, interrogatoſque quibus artibus, quaque virtute cæco viſum reſtituiſſent, juſſoſque a Pontifice, ceteriſque, qui in conſilio aderant, intellexerantque virtute Jeſu Chriſti id fuiſſe prodigium factum, ne deinceps nomen Servatoris ejuſdem Chriſti prædicare pergerent; ſic demum reſpondiſſe ſcripſit. Si vobis potius, Judices, quam Deo parere oporteat, vos ipſi exiſtimatote. Nobis enim (2), fas non eſſe credimus, quæ non audita ſolum, ſed etiam viſa a nobis ſunt,taciti conſiderare. Quid ſi Apoſtoli ab Synodo reprehenſi, propterea quod contra atque præceptum eis fuerat, Jeſum Meſſiam, quem Judæi expectarent, eſſe, Hieroſolymitis perſuaſiſſent, ſumma libertate reſponderunt, nihil ſe illorum imperia morari, ut qui ſcirent, Deo nos, quam hominibus parere (3) oportere? Veterum autem Chriſtianorum teſtimonia perſequi, longum eſt. Perpauca igitur commemorabo, ex quibus facile quiſque intelliget, quam fuerit omnium de re tanta conſenſio. Neque vero quemquam tam eſſe amentem, tamque impium arbitror, qui Regis Imperium divinis legibus præferendum putet. Sed venio ad rem. Ignatius Martyr (4) Johannis auditor redargutus ab Trajano Imperatore, quod edicta Cæſarum nihili penderet, ſeque, alioſque in diſcrimen vitæ adduceret; habere ſe Chriſtum in corde dixit, nihilque ſe ab hoſte generis humani

1 *Lib.* III. *Regum cap.* XXI. *v.* 3.

2 *Cap.* IV. *Act.* *v.* 19. „ Petrus vero, & Johannes reſpondentes dixerunt ad eos: ſi
„ juſtum eſt in conſpectu Dei vos potius audire, quam Deum, judicate.

3 *Ibid. c.*V. *v.*29. „ Reſpondens autem Petrus, & Apoſtoli dixerunt; obedire oportet Deo
„ magis, quam hominibus.

4 *Act. Martyr. s. Ignat. num.* II. *Apud. Ruinartium act. Ss. Mm. ſincer. pag.* 14. *edit. Veron.*

mani metuere, quem coli Principes imperarent. Polycarpus autem Ignatii amicus, itemque Johannis diſcipulus, ſic eſt Proconſulem alloquutus „. Edocti ſumus (1) principibus, „ & poteſtatibus a Deo ordinatis honorem, ut decet, qui „ nobis minime noceat, adhibere. *Cæſares* autem indignos „ cenſeo, quibus (*dum auſcultem Deo*) rationem reddam „. Hoc idem actum ab Iuſtino Martyre (2) ferunt. Nam cum eum Iudex hortaretur, ut Imperatori auſcultaret, remque divinam faceret „ nemo, inquit, reprehendi, aut con- „ demnari poterit, qui præceptis Servatoris noſtri Jeſu „ Chriſti obtemperet „. Sed quid multis eſt opus? Plena ſunt hujuſmodi reſponſionum, atque ſententiarum non acta ſanctorum (3) Martyrum modo, ſed etiam Patrum opera Iuſtini (4), Irenæi (5), Theophili (6), Athenagoræ (7), Clementis (8), Tertulliani (9), Origenis

 Mi-

1 *Epiſt. Eccleſ. Smyr. de Martyrio s. Polycarpi apud Ruinartium pag.* 35. *edit. Veron. num.* x. δεδιδάγμεθα γὰρ ἀρχαῖς, καὶ ἐξουσίαις ὑπὸ τοῦ θεοῦ τεταγμέναις τιμὴν, κατὰ τὸ προσῆκον, τὴν μὴ βλάπτουσαν ἡμᾶς, ἀπονέμειν, ἐκείνους δὲ οὐχ ἡγοῦμαι ἀξίους, τοῦ ἀπολογεῖσθαι αὐτοῖς.

2 *Act. Mart. s. Juſt. apud Ruinart. num.* 1. *ejuſd. edit. pag.* 49.

3 Acta Ss. Mm. Epipodii, & Alex. *num.* IV. *pag.* 64. s. Simphotiani *num.* II. *pag.* 69. *Ss. Mm. Scillitanor. num.* 1. *pag.* 74. *ſeqq. edit. Veron. Ruinart.* Mitto cetera.

4 Juſtinus Martyr *Apolog.* I. *num.* XVII. *pag.* 54. *edit. an.* 1747. „ Illud etiam ſtudio „ nobis eſt, ut vectigalia, & cenſus iis, quibus hoc munus comiſiſtis, pendamus, quemad- „ modum ab eo ſumus inſtituti. Illo namque tempore accedentes quidam percuntati ſunt „ ex illo, an Cæſari vectigalia pendere oporteat? Qui reſponſum hoc ab eo retulere. „ *Dicite*, inquit, *mihi cujus imaginem nummus habet?* Qui ubi dixiſſent *Cæſaris*: *red-* „ *dite igitur*, ait, *quæ Cæſaris ſunt*, *Cæſari*, *&* *quæ Dei*, *Deo*. Proinde nos ſolum Deum „ adoramus. Vobis autem in rebus aliis læti ſervimus, Reges, ac Principes hominum eſſe „ agnoſcentes &c. *Vide & num.* LXVIII. *pag.* 87.

5 Iren. *Lib.* V. *cap.* XXIV. *num.* 2. *pag.* 321. *tom.* 1. *edit. Venet. an.* 1734.

6 *Lib.* III. *num.* XXX. *pag.* 428. *edit. opp. Juſt. an.* 1747.

7 *Athenag. Legat. pro Chriſt. num.* 1. *pag.* 297. *edit. ejuſd. opp. Juſt.*

8 *Lib.* IV. *Strom. pag.* 505. *edit. opp. Pariſ. an.* 1641.

9 Confer *Apologet. cap.* II. *pag.* 7. *edit. an.* 1748. *in Append. & cap.* XXVIII. *pag.* 98. „ Ventum eſt ad ſecundum titulum læſæ auguſtioris majeſtatis. Siquidem majori formidine, „ & calidiore timiditatis Cæſarem obſervatis, quam Ipſum de Olympo Jovem, & merito, „ ſi ſciatis. Quid enim? Ex viventibus quilibet non omni mortuo potior „? *Cap.* XXX. *p.* 101. „ Sentiunt Imperatores eum Deum eſſe ſolum, in cujus ſolius poteſtate ſunt, a quo ſunt „ ſecundi, poſt quem primi ... Recogitant quouſque vires imperii ſui valeant, & ita Deum „ intelligunt, adverſus quem valere non poſſunt „. *Cap.* XXXII. *pag.* 105. „ Nos judicium „ Dei ſuſpicimus in Imperatoribus, qui gentibus illos præfecit. Id in eis ſcimus eſſe, quod „ Deus voluit, ideoque & ſalvum volumus, quod Deus voluit, & pro magno juramento ha- „ bemus. Cæterum dæmonas, ideſt genios adjurare conſuevimus, ut illos de hominibus „ exigamus, non dejerare, ut illis honorem divinitatis conferamus „. *Cap.* XXXIV. *p.* 107.

„ Do-

(1), Minucii Felicis (2), Arnobii (3), Lactantii (4), Euſebii, aliorumque (5) omnium, quæ ſi deſcribere univerſa vellem & otio quidem certe, & patientia lectorum abuterer. Neque vero neceſſe eſt, ut de re certa copioſiorem eſſe habendam diſputationem putem.

II. *Ne-*

,, Dominus enim meus unus eſt, Deus omnipotens, & æternus ,, . *Cap.* xxxv. *pag.* 108.
,, Propterea publici hoſtes Chriſtiani, quia Imperatoribus neque vanos, neque mentientes
,, honores dicant &c ,, . Sed longus eſſem, ſi perſequi omnia diligentur vellem. *Et lib. de Idololatr. cap.* xv. *pag.* 95. ,, Igitur quod attineat ad honores Regum, & Imperatorum, ſatis
,, præſcriptum habemus, in omni obſequio eſſe nos oportere, ſecundum Apoſtoli præceptum,
,, ſubditos magiſtratibus, & principibus, & poteſtatibus, ſed intra limites diſciplinæ,
,, quouſque ab Idololatria ſeparamur.

1 Origenes *lib.* VIII. *contra Celſum num.* LXV. *pag.* 790. *tom.* 1. *opp. edit. Pariſ. Mon. s. Mauri*. ,, Quod ad hominum, Regumque favorem attinet, is etiam nobis contem-
,, nendus eſt, non ſi cædibus, ſpurcitiis, ſæviſque facinoribus, ſed etiam ſi impietate erga
,, univerſorum Deum, vel ſervili obſequio, & vili adulatione comparatur . . . ἔνθα μὲν τοι οὐδὲν ἐναντίον πράττομεν νόμῳ, ἢ λόγῳ θεοῦ. Ubi quidem nihil contrarium *agimus legi,*
,, *& verbo Dei*, non ea noſtra inſania, ut contra nos ipſos Regis, aut dynaſtæ iram conci-
,, temus, unde contumeliæ, ſupplicia, morſque contingeret. Legimus enim: *omnis anima*
,, *poteſtatibus præcellentibus ſubdita ſit. Non enim eſt poteſtas niſi a Deo: quæ autem ſunt*
,, *poteſtates a Deo ordinatæ ſunt. Itaque qui poteſtati reſiſtunt, Dei ordinationi reſiſtunt.*

2 *Pag.* 40. *Dialogi*, qui inſcribitur *Octavius edit. an.* 1652. ut oſtenderet Chriſtianos legibus, quæ latæ eſſent ab Imperatore parere, demtis tamen iis, quæ cum religione pugnarent ,, Chriſtianus, *inquit*, ibi (*hoc eſt in carcere*) nullus, niſi reus ſuæ religionis.

3 Arnobius *lib.* II. *adv. Gentes pag.* 44. *ſeqq. edit. an.* 1651. demonſtrat Chriſtianos quidvis perpeti malle, quam ulli hominum, quiſquis ille ſit tandem, abjecta Religione, legeve Dei, parere. ,, Quod ab Dominis ſe ſervi, *inquit*, cruciatibus affici, quibus ſtatue-
,, rint, malunt, ſolvi conjuges matrimoniis, exhæredari a parentibus liberi, quam fidem
,, rumpere Chriſtianam, & ſalutaris militiæ ſacramenta deponere? Quod cum genera pœna-
,, rum tanta ſit a vobis propoſita religionis hujus ſequentibus leges, augeatur res magis, &
,, contra omnes minas, atque interdicta formidinum animoſius populus obnitatur, ut ad
,, credendi ſtudium prohibitionis ipſius ſtimulis excitetur? &c.

4 Confer Lactantium *lib.* VI. *Inſtit. de vero cultu cap.* VIII. *pag.* 451. *edit. Pariſ. an.* 1748. *tom.* 1. *opp.* ,, Suſcipienda, *inquit*, Dei lex eſt, quæ nos ad hoc iter dirigat,
,, illa ſancta, illa cæleſtis, quam Marcus Tullius in libro de Republica tertio pene divina vo-
,, ce depinxit, cujus ego, ne plura dicerem, verba ſubjeci: *Eſt quidem vera lex recta ra-*
,, *tio, natura congruens, diffuſa in omnes, conſtans, ſempiterna, quæ vocet ad officium,*
,, *jubendo, vetando, a fraude deterreat, quæ tamen neque probos fruſtra jubet, aut ve-*
,, *tat, nec improbos jubendo, aut vetando movet*. HUIC LEGI NEC ABROGARI FAS EST,
,, NEQUE DEROGARI EX HAC ALIQUID LICET, NEQUE TOTA ABROGARI POTEST. NEC VERO
,, AUT PER SENATUM, AUT PER POPULUM SOLVI HAC LEGE POSSUMUS &c. Nempe quæ Cicero de lege naturæ ſcribit, hæc Lactantius aptat etiam divinitus latæ legi, ſubditque *cap.* x. *pag.* 453. ,, Hujus legis caput primum eſt, ipſum Deum noſſe, ſoli obtemperare, ſolum co-
,, lere &c.

5 Innumera ſunt Patrum teſtimonia. Hoc uno utar, ceteris prætermiſſis, ne ſim longior quam oporteat. Eſt autem Auguſtini *ſerm.* LXII. *al.* VI. *de verb. Dom. num.* XIII. *p.* 362. *tom.* V. *opp. edit. Pariſ. Monach. s. Mauri*. ,, Ipſe dicit Apoſtolus: *omnis anima poteſtati-*
,, *bus ſublimioribus ſubdita ſit &c.* Sed quid? ſi illud jubeat, quod non debes facere? Hic
,, ſane contemne poteſtatem, timendo poteſtatem. Ipſos humanarum rerum gradus adver-
,, tite. Si aliquid juſſerit curator, nonne faciendum eſt? Tamen ſi contra Proconſulem jubeat,
,, non

I I.

Neſas item eſſe Principi immutare, id quod jure divino introdu-ctum eſt, ſpectans ad functiones ſacrorum miniſtrorum, ſacramenta, divinæque doctrinæ enunciationem.

Demonſtratum enim modo eſt, quæ Deus ſanxit, immutari, diſſolvique regia poteſtate non poſſe. Sancita hæc vero, quæ memoravi, divinitus (1) ponuntur. Immutari igitur poteſtate regia non poſſunt. Regia autem? Immo vero ne eccleſiaſtica quidem.

I I I.

In rebus quæ civiles omnino ſint, Eccleſiaſticum hortanti Principi aſſentiri oportere, modo lex civilis cum Eccleſiaſtica non pugnet.

Eccleſiaſticos namque viros cives eſſe conſtat, inque civitate, ut membra reipublicæ agere. Curent igitur neceſſe eſt, ne qua eorum culpa perturbatio oriatur. Orietur autem perturbatio ſi hortanti Principi, ut ea faciant, quæ utilia reipublicæ ſunt, neque cum Eccleſiæ legibus, atque inſtitutis pugnant, negligunt. Itaque aſſentiri Eccleſiaſticos viros Principi hortanti par eſt. Sunt autem permulti, & hi quidem a communione Eccleſiæ Catholicæ ſeparati (2), qui

„ non utique contemnis poteſtatem, ſed eligis majori ſervire. Nec hinc debet minor iraſci „ ſi major prælatus eſt. Rurſum ſi aliquid idem Proconſul jubeat, & aliud jubeat Imperator, „ numquid dubitatur iſto contemto, illi eſſe ſerviendum? Ergo ſi aliud Imperator, & aliud „ Deus, quid judicatis? Solve tributum, eſto mihi in obſequium. Recte. Sed non in idolio. „ In idolio prohibet. Quis prohibet? Major poteſtas. Da veniam. Tu carcerem, ille ge- „ henam minatur.

1 Hugo Grotius *de Imperio ſummar. Poteſt. circa ſacra cap.* III. *pag.* 57. *edit. Pariſ. an.* 1648. „ Quod divino imperio, *inquit*, factu erat neceſſarium, id imperio humano il- „ licitum reddi nequibat. Et hoc ſenſu explicandi ſunt auctores, qui ajunt Evangelium, „ miniſterium, ſacramenta imperio humano non ſubjacere, nempe ad mutandum id, quod „ jure divino introductum eſt.

2 Quod enim de ſacris rebus jus eſt, hoc illi Regi, ſeu ſummæ, ut vocant, poteſtati adſcribunt. Docere enim ad Epiſcopos pertinere ajunt, non imperare. Grotius *lib. cit. c.* I. *num.* 8.

cum miniſtros ſacrorum, non qua cives ſunt ſolum, ſed etiam

num. 8. *pag.* 13. refert Confeſſiones Eccleſiarum, ſic enim eas appellat, quæ a vetere, atque
Catholica deſciverunt, Belgicæ, Helveticæ poſterioris, & Baſileenſis, quæ id juris Impe-
rantibus competere indicant. Ac Belgicæ quidem hæc eſt ſententia. „ Magiſtratuum eſt
„ non modo de civili politia eſſe ſollicitos, verum etiam dare operam, ut ſacrum miniſte-
„ rium conſervetur, Chriſtique Regnum propagetur, denique horum eſt efficere, ut ſa-
„ crum Evangelii verbum undique prædicetur, ut ſinguli pure Deum colere, & venerari
„ ex præſcripto verbi ipſius libere poſſint „. Helveticæ autem. „ Teneat ipſe magiſtratus
„ in manibus verbum Dei, & ne huic contrarium doceatur, procuret. Bonis item legibus
„ ad verbum Dei compoſitis moderetur populum ſibi a Deo creditum „. Baſileenſis.
„ Quilibet Chriſtianus magiſtratus omnes vires eo dirigit, ut apud fidei ſuæ commiſſos,
„ nomen Dei ſanctificetur, Regnum ipſius propagetur, ipſiuſque voluntati cum ſeria extir-
„ patione ſcelerum vivatur. Hoc officium gentili magiſtratui injunctum fuit; quanto magis
„ Chriſtiano magiſtratui commendatum eſſe debet, ut vero Dei Vicario „? Refert præterea
Grotius Anglorum judicium adverſus eos, qui affirmarent Regem non eadem valere in Ec-
cleſiaſticis cauſſis auctoritate, qua ſunt uſi Hebræorum Reges. Laudat præterea Brentium,
qui an. 1555. ſcripſit de hac re in *epiſt. de Proleg. in Apolog. Duc. Wittemb. edit. an.*
1561. Hamelmannum *lib. de hoc. arg.* Maſculum, Bucerum, Ivellum, Wittakerum,
Reinoldum, Caſaubonum, Paræum, Bulhilium, Tokerum, & ſingularem in modum
Melchiorem Goldaſtum, quod illi minoribus, paucioribuſque, hic magnis multiſque volu-
minibus jus imperii in res ſacras aſſerere ſint conati. Sed horum non una, neque eadem om-
nino ſententia fuit. Nam alii quidem regiæ poteſtati plus, alii minus tribuendum putarunt:
quamquam huc omnium ſtudia vergerent, ut Principi in externa adminiſtratione Eccleſiæ
eminentiores, præcipuaque partes concedendas arbitrarentur. Quod ut clarius aliquan-
to explicem, animadvertendum eſt, inter Proteſtantes, qui eamdem etiam ſectam profiteren-
tur, de limitibus poteſtatis laicæ circa ſacra fuiſſe acriter, magnaque diſſenſione diſputatum.
„ Thomas Eraſtus Heidelbergenſis Theologaſter, idemque medicus conſenſu Chriſtophori
„ Probi, & Adami Neuſeri, qui poſt ad Turcas defecit, adverſus Thomam Olevianum ſi-
„ ſtema Genevenſium, diſciplinamque probantem, ſcripſit. Cenſebant enim Eraſtus, ſo-
„ ciique, Eccleſiæ nullum regimen, nullam ſententiæ dictionem, nullum forum, nullam po-
„ teſtatem verbum Dei per cenſuras, excommunicationem imprimis, adplicandi a Chriſto
„ datam eſſe: poteſtatem Clavium in ſolo verbi præconio conſiſtere, & Eccleſiam magiſtra-
„ tui Chriſtiano ſubjectam, omnem, quam uſurpat diſciplinæ auctoritatem ex mera magi-
„ ſtratus delegatione uſurpare, cum omnis politia externa, omne regimen, & omnis cœ-
„ tuum minorum poteſtas in republica a ſumma majeſtate derivari, & in eamdem refundi
„ debeat. Proin etiam magiſtratuum faſces, cenſuris Eccleſiæ obnoxios eſſe, iidem perne-
„ gant, & a ſententiis Eccleſiaſticis ad magiſtratuum tribunalia, utpote quibus ultimum, &
„ ſupremum rerum omnium in Republica judicium conveniat, provocationem permittunt „.
Hæc *Johannes Henricus* Heidegerus *in corpore Theolog. Chriſt. loc.* xxvi. *ſect.* 1.
§. xciii. *pag.* 606. *&* §. cxxx. *pag.* 626. Plura de Eraſto, & Eraſtianis memorat Chri-
ſtianus Thomaſius *not. ad Huber. de Jure Civit. lib.* v. *pag.* 166. *ſeqq. & in hiſt. Conten-
tion. inter Imper. & Sacerdotium Appεnd. cap* 1. §. xix. *pag.* 343. Eraſtianis ſeſe oppo-
ſuerunt Theodorus Beza Genevenſium Pſeudo-Paſtor. Sed is in eo libro, quem *de Hæreti-
cis a Magiſtratu* puniendis adverſus Bellium edidit *p.* 93. *edit. Genev. Opuſcul. an.* 1658.
„ Fateor, inquit, Deum ſicut in ſcribendis, ſic etiam in explicandis illis legibus (*divinis*)
„ & uſui hominum accommodandis, atque adeo in vindicanda ipſarum auctoritate, ac digni-
„ tate hominum miniſterio jam inde ab initio uti conſueviſſe, ſed ita diſtinctis iſtis munери-
„ bus, ut duo illa priora (*nempe explicandæ, & uſibus hominum accommodandæ legis ra-
„ tio*) ad eos pertinerent, quos peculiariter huic muneri a Deo præfectos eſſe (*hoc eſt mi-
„ niſtros*) paullo ante oſtendimus, iſtud autem tertium magiſtratibus committeretur, qui
„ videlicet tam ipſius verbi miniſtros, quam ceteros pios homines idoneis præſidiis tuean-
„ tur, qui doctrinam verbi fideliter exponendam, expoſitam autem a ſuis omnibus obſer-
„ vandam curent, qui externas ceremonias pro temporum, & locorum ratione ex Eccleſiæ
„ con-

etiam qua miniſtri, ſubjectos eſſe Principi arbitrentur, id juris

,, conſilio conſtitutas auctoritate ſua confirment, qui denique malos cives diſciplinæ Eccle-
,, ſiaſticæ repugnantes, & perturbantes Eccleſiæ concordiam, ac pacem pro criminis magni-
,, tudine coerceant,,. Is ergo magiſtratus auctoritate confirmari ſcribit, quæ Eccleſiæ conſi-
lio conſtituta ſunt. Subdit autem Heidegerus: ,, Colemannianos in Anglia, in Belgio au-
,, tem Grotium, & Remonſtrantes hæreticos, quos ſingulari libro Utenbogardus defendit,
,, magiſtratui architectonicam in Eccleſiam poteſtatem adſeruiſſe,,. Mox addit.,,Sed Remon-
,, ſtrantes, qui quandiu magiſtratum ſibi faventem, & propitium experti ſunt, miræ pote-
,, ſtatis ejus periſtromata dilatarunt, converſa fortuna velificationem ſinuare cœperunt.
,, Nam Epiſcopius *Diſſertat. de Jure Magiſt. circa ſacra, an.* 1618. *edita*, diſcrimine inter
,, Eccleſias templares ſeu publicas, & privatas, ſeu publico-privatas, quæ in propriis ædi-
,, ficiis ſegreges a templaribus cœtus celebrat, muſſitato potius, quam conſtituto in illas
,, magiſtratum, Jure divino, omni pleniſſima, in has nulla omnino pollere, obſcurius
,, paullo inſinuavit; ſed mox detecto arcano omni Remoſtrantes tum in *Confeſſ. cap.* xxv.
,, tum in ejuſdem *Apolog. cap.* xxiv. xxv. muſſitarunt. Poſt pugnam cum Remonſtrantibus
,, pugnatam, duo reformati Theologi, editis ſuper hac controverſia ſcriptis, pomum ipſe-
,, *dos* in medium projecerunt, unus auctor brevis reſponſionis ad ſolutiones datas &c., cui
,, Petrus Cabeliavius reſpondit, alter Vedelius vulgato de Epiſcopatu Coſtantini magni libro
,, quem Revius, Triglandius, & Apollonius refutarunt. Qui eos ſequuti, prælium inſtau-
,, rare conati ſunt, Ludovicus Molinæus *Paræneſi ad Ædificatores Imperii edita*, & Lam-
,, bertus Velthuyſius, qui Eccleſiam ſpolium dominationum fecit ab Anonymo, qui Johan-
,, nes Broun Scoto-Britannus eſt, aliiſque ad partes vocatus eſt, actum egerunt, & operam
,, luſerunt,,. *Heideg l. c.* §. cxxx. *pag.* 626. Angli Epiſcopales (nam Preſbyteriani ab E-
raſto ſtant) etſi Epiſcoporum auctoritatem divina inſtitutione niti putant, tamen Regem
ita obſervant, quaſi ex eo omnis in Regni Præſules, Preſbyteroſque poteſtas proficiſcatur.
Confer *Burnettum* 1. *p. lib.* II. *H. R. Angl. pag.* 87. *&* *l.* 3. *p.* 104. *ſeq. edit. an.* 1689 *&*
p. II. *lib.* 1. *pag.* 18. *& collect. Monum.* II. *p. lib.* 1. *pag.* 57. Confeſſio Auguſtana
non aliam Epiſcopis, miniſtriſque dat auctoritatem, quam quæ propria eſt doctorum. *Act.* VII.
pag. 37. *Apolog. Conf. Aug. art.* XIV. *p.* 294. *ſeq. Art. Smalcald. pag.* 351. *ſeqq.* Immo
vero fuerunt e ſecta Lutheranorum, qui ut errorem magis magiſque confirmare poſſent, Ec-
cleſiam non communitatem inſtar Reipublicæ, ſed collegium quoddam eſſe nugarentur. In his
Johannes Franciſcus Buddeus *Iſag. hiſt. Theol. tom.* II. *lib.* II. *cap.* V. *pag* 833. Rurſum
Thomas Leydeckerus *Ad Georg. Horn. hiſt. Eccleſ. pag.* 429.,, Notus eſt, *inquit*, liber
,, Ludovici Molinæi *Paræneſis &c.* præſertim contra Amyraldum edita, & Dallæum an. 1655.
,, ubi damnata Hierarchia Epiſcopali, & Regimine ſimul presbyteriali, tradita tandem omnia
,, politico principi vides, independentium conſiliis. Itaque Thomam Eraſtum ad cælum ex-
,, tollit cum Grotio. Liber T. Cromuellio dedicatus eſt, eoque intelligas, quod indepen-
,, dentiſſimi finis politica ſit Eccleſiæ gubernatio. Hic exitus. Quam voluiſſem D. J. Ouv-
,, venum Ludovico Molinæo non conſenſiſſe, implicitum iiſdem conſiliis, data ad eum epiſto-
,, la, quæ operi præfixa eſt! Erat Molinæi in Academia Oxonienſi collega. Idem *p.* 497.
,, Beza Eraſtum refutavit *libro de excommunicatione.* Patri degener filius Ludovicus Moli-
,, næus Paræneſi ad Ædificatores Imperii in Imperio, hunc Eraſtum defendit... Quin &
,, celeberrimum Voetium inſectatus eſt impudenter, ut Papam Ultrajectinum. Sed age opera
Heterodoxorum recenſeamus, quæ in hanc ſententiam ſcripta ſunt, quorum quidem Hetero-
doxorum alii plus, alii minus aliquanto magiſtratui civili tribuendum putarunt. Samuel
Stryckius ſcripſit *diſſert. de Iure Papali Principum Evang. ed.* 1715. *p.* 105. *ſeq. t.* 1 Ludo-
vicus Molinæus Lerdiomæi Colvini nomine *an.* 1668. adverſus Voetium ſcripſit opus inſcri-
ptum: *Papa Ultrajectinus, ſeu myſterium iniquitatis reductus a clariſſimo viro Gisber-
to Voetio in opere Politica Eccleſiaſtica*, Antonius Walæus librum dedit *de auctoritate
magiſtratus in rebus Eccleſiaſticis*, quem oppugnavit *Iohann. Gerard. Voſſius epiſt.* quæ ex-
tat in Præſtantium, & Doctorum viror. epiſtolis Eccleſiaſticis Theologicis pag. 441. *ſeqq.
edit. an.* 1704. & Nicolaus Vedelius *an* 1638. *diſſert. de magiſtratu contra Bellarminum de
laicis, & eamdem an.* 1642. *cum epigraphe de Epiſcopatu Conſtantini Magni, ſeu de Pote-
ſtate*

juris civili ſupremæ poteſtati circa res, perſonaſque ſacras tribuant (demta tamen adminiſtrandorum ſacramentorum, prædicandique verbi divini facultate, quam eſſe propriam miniſtrorum volunt) quod nos ſolis Præſidibus Eccleſiarum tribui oportere defendimus. Igitur Principi civitatis fas eſſe regulam fidei populo ad credendum proponere; canones, qui ad ceremonias, rituſque pertineant, condere; tempora, quibus peragenda res ſacra ſit, definire; locumque indicare, in quo ſint divina officia celebranda; Epiſcopis ab diœceſi ſua in urbes alias migrandi facultatem dare; concilia cogere; in officio clericos continere; de rebus eorum, de perſonis, de capite ſententiam, ſi juſtum eſſe compererit, ferre; uno verbo omnia perſpicere, quæ ſpectant ad rectores Eccleſiarum. Atque hos dirigere quidem Eccleſiam poſſe ajunt, leges autem condere, nocenteſque miniſtros punire, non poſſe. Id enim munus proprium eſſe ſummarum poteſtatum. Itaque aggrediar a poteſtate Eccleſiaſtica, oſtendamque ſitne ea *ſubordinata*, ut ajunt, civili. Eſt namque hoc totius fere controverſiæ fundamentum.

IV. *Pro-*

ſtate magiſtratuum reformatorum differt. repetita cum reſp. ad interrogata quædam &c. ſcripſit. De quo opere, ceteriſque eodem pertinentibus multa diſputat Chriſtianus Thomaſius *hiſt. contention. inter Imp. & Sacerd. Append. c. 1. §. xxv. p. 349. ſeq.* Johannes Abrahamus Kromayerus an. 1721. vulgavit *Commentationem Theologicam de poteſtate Eccleſiaſtica, quam vocant, externa, penes quam radiculiter ſit, & quibus partibus contineatur, hiſtorice, dogmatice, polemice, & practice inſtituta, & edita in gratiam omnium, qui dogma hoc magnum, & arduum cognoſcere plenius, & controverſias de eo, quæ hodie denuo agitantur, rectius dijudicare cupiunt &c.* Albertus Riperus *an.* 1717. publicavit librum inſcriptum *Moyſes, & Aaron, ſive poteſtas, atque officium Principum in ſacris ex ſola ſcriptura canonica recitatis ſtudio demonſtratum.* Eodem anno prodierunt Johannis Georgii Reinhardi *meditationes de Iure Principum Germaniæ, cumprimis Saxoniæ circa ſacra ante tempora reformationis exercito.* Johannes Franciſcus Buddeus & *l. c. pag. ead. ſeqq.* ubi deſcriptos Auctores laudat, & *Inſtit. moral. cap.* III. *ſect.* VII. §. XXI. *pag.* 588. eamdem, atque Grotius opinionem tuetur. Non diſcrepat Henricus Henniges, qui *an.* 1676. edidit Norimbergæ copioſiſſimum librum *de ſumma Imperatoris Romani Poteſtate circa ſacra.* Sed ceſſo de his agere. Nam omnes, qui in hoc argumenti genere verſati ſunt, diligenter recenſere velle, opus & longum, & plenum moleſtiæ eſſet.

I V.

Proponuntur eorum argumenta, qui poteſtatem Eccleſiaſticam civili eſſe ſubjectam cenſent, eorumque reſponſa, qui contra ſentiunt.

Jam vero eorum, qui poteſtatem Eccleſiaſticam *ſubditam*, ſeu *ſubordinatam* eſſe civili pugnant, hæc eſſe præcipua argumenta intelligo. *Summo*, inquiunt, nihil eſt in genere præſertim eodem ſuperius; immo vero omnia ſubſunt. Eſt autem *ſumma* Regis poteſtas. Subduntur ergo illi quæcumque tamdem sint, & cujuſcumque generis poteſtates. Eſt vero in his poteſtatibus Eccleſiaſtica. Subeſt igitur Eccleſiaſtica poteſtas civili. Rurſum ordine diſpoſita a Deo eſſe omnia certum eſt. *Summum* vero quod eſt, rem nullam agnoſcit æqualem ſibi; ſuperiorem autem multo minus, ut eſt ſapienter animadverſum a Tertulliano. At ſi poteſtas Eccleſiaſtica civili æquaretur, non una, ſed duæ ponendæ ſummæ poteſtates eſſent. Quæ res cum *ſummi* natura pugnat. Atque hoc argumenti genere refellerunt Patres Ethnicorum de multitudine Deorum ſententiam. Nam quod *ſummum* eſt, hoc, ajebant, eſſe, niſi unum, non poſſe. Jam vero ut in homine una eſt voluntas, quæ cunctis membris, membrorumque actionibus imperat, ita in civili, quod vocant, *corpore*, quod imperat, unum eſſe oportet. Ars enim imitatur naturam. Ac Reſpublica ſane appellari una ſolet, quod unius ſummæ poteſtatis imperio regatur. Neque fore aliquem, qui repugnet, putant, ſi conſideret, ex imperio ſequi non obligationem modo, ſed etiam coactionem. Etenim duobus, pluribuſve imperantibus in Republica conſtitutis, quorum unus alteri minime ſubdatur, præſcribi poſſent pugnantia. Sed contraria de re eadem ſive obligatio, ſive coactio dari ſine maximo Reipublicæ detrimento qui poterit? Atque hæc omnino eſt cauſſa, quamobrem Deus paternum imperium, quod natura obtinet, eſtque omnium antiquiſſimum, cedere civili voluerit. Quinetiam fuerunt, qui dicerent:

cerent : omnem poteſtatem conſortis eſſe (1) impatientem ; ſuntque illæ Chriſti ſermone tritæ ſententiæ : ſervire dominis (2) duobus poſſe neminem (3) : omneque Regnum in ſe diviſum diſſipari tandem , evertique debere.

Alterum eſt argumentum deductum ex ſacris ſcripturis. Nam Paulus , mitto enim cetera ſacrorum ſcriptorum teſtimonia, propterea quod hoc uno maxime adverſarii abutantur,in litteris,quæ ſunt ad Romanos (4) ſcriptæ,omnem animam ſubditam eſſe ſublimioribus poteſtatibus oportere ſcribit . Si omnem animam , cur non etiam eos , qui ſacris, ceremoniiſque religionis præfecti ſunt ? Itaque Patres, qui Apoſtoli ſententiam perſpectam habebant , atque exploratam , ita rem eſſe intelligendam putarunt , ut hac lege non modo Epiſcopos non eſſe ſolutos dicerent , ſed ne Evangeliſtas (5) quidem . Confirmari autem hoc idem poterit ratione rei, in qua , tamquam in materia quadam , poteſtas verſatur . Eſſe namque teſtatur Paulus *Poteſtatem* civilem miniſtram Dei , vindicem ad iram ei , qui malum fecerit (6) . *Mali* vero vocabulum latiſſime patet , ut non ſolum quæ in Rempublicam civilem , ſed etiam quæ in religionem ſint admiſſa peccata ſignificet . Etenim quæ vox definita veluti limitibus quibuſdam non eſt , concludi terminis civilium tantum rerum non debet . Quamobrem idem eſt ſenſus verborum Pauli , atque eorum , quæ ſunt uſurpata in Proverbiis a Salomone . Habet autem Salomon hoc modo (7) *Rex ſolio juſtitiæ inſidens , oculis ſuis ventilat omne malum* : Jam vero excluſis malis , quæ committuntur in religionem , tollatur τὸ *omne* neceſſe eſt , quod ſane concedi nullo modo poteſt . Accedit ratio finis , quæ tam late patet , quam materiæ ratio . Eſt

1 *Ariſt. lib.* XII. *Metaphyſic. cap. ult. pag.* 1404. *edit. an.* 1606. ex Homero
Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος.
Non bonum pluralitas principatuum. Vnus princeps.

2 Luc. *cap.* XVI. *v.* 13.

3 *Ibid. cap.* XI. *v.* 17.

4 *Epiſt. ad Rom. cap.* XIII. *v.* 1. *ſeqq.*

5 Johan. Chryſoſt *homil.* XXIII. *in ep. ad Rom. p.* 686. *ſeq. ed. Monac. s. Mauri*, & s. Bernardus *ep.* XLII. *pag.* 474. *t.* 1I. *edit. Pariſ. Monach. s. Mauri* . „ Si omnis , & veſtra, quis „ vos excipit ab *Univerſitate* ?

6 *Paul. ibid.*

7 *Proverb. cap.* XX. *v.* 8.

Eſt enim auctor Paulus, eſſe poteſtatem miniſtram Dei εἰς τὸ ἀγαθὸν (1) ad bonum qualecumque tandem ſit; inſtitutoſque Reges eſſe, ut Chriſtiani vitam quietam (2), & tranquillam in omni pietate, atque honeſtate degant. Impetrari hæc autem poteſtatis civilis ope, ſublato Principum circa ſacra jure, non poſſent. Igitur Auguſtinus in quinto de civitate Dei libro (3): felices, ait, Reges futuros, ſi ſuam poteſtatem ad Dei cultum maxime dilatandum majeſtati ejus famulam faciant. Similis eſt hujus Honorii, & Theodoſii in litteris ad (4) Marcellinum, ejuſdemque Theodoſii in Epiſtola ad Cyrillum (5) Epiſcopum Alexandrinorum ſententia. Ita fit, ut Iſidorus Poluſiotes (6) eumdem eſſe finem affirmet Sacerdotio, Imperioque propoſitum. Non diſcrepat Thomas Aquinas eo in libro, quem inſcripſit de Regimine Principum: curandum enim ab eo, qui primas in Republica partes obtinet (7) dicit, ut qui ſubditi ejus imperio ſunt, æterna potiantur felicitate. Huic autem muneri ſatisfacere Princeps qui poterit, ademta ſibi ſuprema circa res ſacras poteſtate?

Tertium petitur argumentum ex conſenſione veterum Chriſtianorum. Antiquiſſimus auctor Tertullianus (8), coli Imperatorem a noſtris teſtatur, ut hominem a Deo ſecundum, ſoloque Deo minorem. Aſſentitur huic Optatus Milevitanus in tertio adverſus Parmenianum libro (9). „ Nam ſuper Imperatorem, *inquit*, non eſt, niſi ſolus Deus, qui fecit Imperatorem „. Idem, ut efficeret Eccleſiam non rempublicam quamdam, ſed quaſi collegium civili poteſtati obnoxium eſſe. „ Non eſſe rempublicam in Eccleſia; „ ſed Eccleſiam in republica„ (10) ſtatuit. Quare Socrates in

 quin-

1 *Paul. ibid. v. 4.*
2 *Epiſt. 1. ad Thimoth. cap. II. v. 2.*
3 *Cap. XXIV. pag. 141. tom. VII. edit. Pariſ. Monachor. s. Mauri.*
4 *Vide loc. infr. cit.*
5 *Loc. infra cit.*
6 *Lib. III. epiſt. CCXLIX. pag. 356. edit. an. 1638. τὴν τῶν ὑπηκόων σωτηρίαν ſubditorum ſalutem.*
7 *Lib. I. cap. VII. ſeqq. pag. 290. ſeqq. edit. an. 1587.*
8 *Tert. lib. ad Scapulam cap. II. pag. 69. edit. an. 1748.*
9 *Pag. 56. edit. an. 1702.*
10 *Ibid. pag. 55.*

quinto (1) Hiſtoriæ libro, curatas ab Imperatoribus res Eccleſiæ ſcribit, ex eo tempore fuiſſe, quo Chriſtianæ religioni nomen dederunt. Nec horum agendi rationem improbandam majores noſtri putarunt. Itaque Auguſtinus Epiſtola ad Vincentium (2): ſerviunt, inquit, Reges terræ Chriſto, etiam leges ferendo pro Chriſto. Terror temporalium poteſtatum, quando veritatem oppugnat, juſtis fortibus glorioſa probatio eſt; infirmis periculoſa tentatio. Quando autem veritatem prædicat certantibus, & diſcordantibus, cordatis utilis admonitio eſt, & inſenſatis utilis afflictio. Non eſt tamen poteſtas, niſi a Deo... Sive enim poteſtas veritati favens aliquem corrigat, laudem habet ex illa, qui fuerit emendatus; ſive inimica veritati in aliquem ſæviat, laudem habet ex illa, qui victor fuerit coronatus ,,. Alio autem loco (3) mirari Donatiſtas, ait, quid eſſet, quod Imperatores in hæreticos Eccleſiæ perturbatores animadverterent: mirari autem eos deſinere, ſi conſiderent, Reges, niſi hoſtes Eccleſiæ puniant, Deo eſſe reddituros de ſuo imperio rationem. Mox ſubdit. ,, Intendat caritas veſtra quid dicam, quia pertinet hoc ad Reges ſeculi Chriſtianos, ut temporibus ſuis pacatam velint matrem ſuam Eccleſiam habere, unde ſpiritualiter nati ſunt ,,. Quid? ſi teneri etiam ab Rege Eccleſiam arbitretur? Quamdiu (4), inquit, vos non tenetis Eccleſiam, quam prænunciaverunt piſcatores, Apoſtoli plantaverunt, tamdiu Reges, qui eam tenent, rectiſſime ad ſuam curam judicant pertinere, ne vos adverſus eam rebelletis impune ,,. Eſt illud item Leonis (5) Magni celebre teſtimonium, quod extat in iis litteris, quas dedit ad Theodoſium Imperatorem. ,, Pro integritate fidei, inquit, Chriſtianum Principem convenit eſſe ſollicitum. Rurſum ,, quantum (6) rebus humanis conſulere divina Providentia dignetur, ſollicitudo clementiæ veſtræ ſpiritu Dei inci-

1 *In Præf. pag. 264. edit. Cantabrig.*
2 *Epiſt. XCIII. al. XLVIII. pag. 238. tom. III. opp. edit. Pariſ. Monach. s. Mauri.*
3 *Tract. XI. in Ioh. tom. III. opp. edit. Pariſ. Monach. s. Mauri pag. 382.*
4 *Lib. II. Cont. epiſt. Gaudent. cap. XII. pag. 674. tom. IX. edit. Monach. s. Mauri.*
5 *Epiſt. IX. pag. 104. edit. an. 1741.*
6 *Epiſt. XII. pag. 108.*

incitatæ demonſtrat, quæ in Catholica Eccleſia nihil impacatum, nihil vult eſſe diverſum, quoniam fides, quæ nonniſi una eſt, in nullo poteſt eſſe ſui diſſimilis „. Et ad Leonem Auguſtum „ (1) Debes Imperator incunctanter advertere Regiam poteſtatem ſibi non ſolum ad mundi regimen, ſed maxime ad Eccleſiæ præſidium eſſe collatam „. Recentiores autem prætereo, quorum neque ſunt luculentiora, neque tantæ auctoritatis, quanta veteres excelluerunt, teſtimonia.

Quartum ducitur ex Imperatorum Chriſtianorum decretis, atque ſententiis argumentum. Conſtantinus enim Auguſtus, apud Euſebium in tertio de vita ejuſdem Imperatoris libro, id ſe magnopere eniti, ait, ac laborare, ut una, ſanctaque Chriſtianorum erga Deum religio (2) coleretur. Is ipſe cum Antiſtites ſacrorum alloqueretur, eſſe hos quidem Epiſcopos in Eccleſia dixit, ſe vero extra Eccleſiam a Deo (3) Epiſcopum conſtitutum. Atque factum hinc ſane eſt, ut qui imperium in Republica obtinebant, iidem Apoſtoli (4) interdum, inclitique Pontifices (5) appellarentur. Quamobrem rectam ſuis ad credendum fidei regulam proponere, ut actum a Marciano (6) eſt, legeſque de verſione, lectioneque ſacrorum Bibliorum, de inſtitutione, atque officiis Clericorum, de feriis, ordinationibus, bonis Eccleſiarum, Epiſcopiſque ipſis ſcribere (7) conſueverant. Neque reſiſten-

1 *Epiſt.* LXXV. *pag.* 146.

2 *Lib.* III. *de vita Conſtantini cap.* XVI. *pag.* 365. *edit. Colon. Allob. an.* 1612.

3 Euſ. *lib.* IV. *de vit. Conſtant. cap.* XXIV. *pag.* 397. *ejuſd. edit.* ὑμεῖς μὲν τῶν εἴσω τῆς ἐκκλησίας, ἐγὼ δὲ τῶν ἐκτὸς ὑπὸ θεοῦ καθεσταμένος ἐπίσκοπος. *Vos quidem eorum, quæ intra Eccleſiam ſunt, ego autem eorum, quæ extra conſtitutus Epiſcopus.*

4 Grotius de *Jur. Summor. Pont. circa ſacra cap.* II. *pag.* 39.

5 Confer acta Synodi *Calcedon. apud Hard. tom.* II. *pag.* 490. quo loco Patres vocant Imperatorem Sacerdotem. τῷ ἱερεῖ, τῷ βασιλεῖ, τὰς ἐκκλησίας σὺ ὤρθωσας, νικητὰ πολεμίων, διδάσκαλε πίστεως. *Sacerdoti, Regi, Eccleſias tu erexiſti, victor bellorum, magiſter fidei. Edit. Pariſ. pro* Sacerdoti habet *Pontifici*. In act. Synodi II. *Nicæn. apud eumdem pag.* 18. *tom.* IV. *collect. Concilior.* „ Hortamur te, ut ſis *Pontifex*, & *Imperator*, „ *prout ante ſcripſiſti.* γενοῦ ἀρχιερεὺς, καὶ βασιλεὺς, καθὼς προέγραψας „ *Ex epiſt. Greg. Papæ* II. *ad Leonem Iſauricum.*

6 Vide epiſtolas Valentiniani, & Marciani Auguſtor. *tom.* II. *Concilior. edit. Hard. art.* 1. *Concil. Chalced. pag.* 46. *ſeqq.*

7 Hæc congerunt Henricus Hennigeſius *de ſumm. Imperator. Rom. poteſtate circa ſacra, cap.* II. §. IX. *pag.* 50. *edit. an.* 1676. & Grotius *de Imperio ſumm. poteſt. circa ſacra cap.* III. §. XI. *pag.* 60. *edit. an.* 1648.

ſtendum putarunt Patres, quo minus hac tanta in rebus ſacris poteſtate Principes potirentur; propterea quod intelligerent, juſſos ab Apoſtolo Paulo omnes Chriſtianos fuiſſe, ne Præſulibus quidem Eccleſiarum exceptis, ut dicto audientes eſſent, nihilque contra atque ipſis eſſet imperatum, facerent. Idque jam Irenæus (1), Tertullianus (2), Origenes (3), Baſilius (4), Johannes Chryſoſtomus (5), Auguſtinus (6), illeque ipſe Gregorius Magnus Pontifex, qui monendum cenſuit Imperatorem, ne quid contra divinam legem ageret, confitentur. Itaque cum de religione Conſtantinus Imperator Epiſtolas ad Ægyptios, aliosque dediſſet, ut quid tenendum, quidque rejiciendum eſſet, oſtenderet, Epiſcopos non ſolum hæreticos; ſed orthodoxos etiam, vitæque ſanctitate illuſtres in exilium pepuliſſet; judices conſtituiſſet (7), qui de Eccleſiaſticis cauſſis cognoſcerent; libellos, quibus accuſationes in ſacrorum Antiſtites inſtitutæ continerentur, recepiſſet; reprehenſus ab Epiſcopis numquam fuit: qui certe non ſiluiſſent, ſi jus ille ſibi, quod Epiſcoporum eſſet proprium, arrogaſſet. Quid? ſi Epiſcopi ad Imperatorem confugere ſolerent, obſecrareque etiam, atque etiam, ut de cauſſis ipſorum, quid ſtatuto eſſet opus, judicaret? Quod cum Athanaſii exemplo (8) conſtet, non eſt cur alia eſſe quærenda arbitremur. Verum ſi quæ in hanc rem geſta ab Imperatoribus Conſtantio, Joviano, Valentiniano, Valente, Gratiano, Valentiniano II., Theodoſio, Arcadio, Honorio, Theodoſio Juniore, Marciano, Valentiniano III., Leone, ceteriſque Imperatoribus, ac Regibus Chriſtianis fuerunt, recenſere numerando vellemus, longa quidem oratione & otio ipſi noſtro, & lectorum patientia abuteremur. Hoc breve dicimus. Tam fuiſſe Patribus penitus inſitam de non reſiſtendo poteſtatibus

1 *Lib.* I. *cap.* XXIV. *pag.* 321. *edit. Venet. Maſſuet.*
2 *De Idololatr. cap.* XV. *pag.* 94. *edit. Venet. an.* 1748.
3 Origenes *in epiſt. ad Rom. in cap.* XIII. *pag.* 397. *edit. an.* 1604. *tom.* II.
4 *In regul. Monaſt. cap.* XXII. *pag.* 370. *tom.* II. *edit. Monach. s.* Mauri.
5 *Homil.* XXIII. *in ep. ad Rom. pag.* 686. *tom.* IX. *edit. Pariſ. Monachor. s. Mauri.*
6 Vide infra quo loco ejus teſtimonia explicamus.
7 De his epiſtolis vide infra.
8 Vide Socratem *lib.* II. *c.* XVIII. *pag.* 97. *edit. Cantabr. & Sozom. lib.* III. *cap.* XX. *pag.* 124. *ejuſdem edit.*

bus opinionem,ut his parendum etiam ab Epiſcopis cenſerent eſſe, cum injuſte in eos quidpiam decreviſſent. Quare Athanaſius ad Conſtantium ſcribens (1), qui ipſum Alexandria alio exulatum proficiſci præceperat, non repugnavi, inquit, ut qui plane ſcirem, non modo non eſſe reſiſtendum Imperatori, ſed ne quæſtori quidem civitatis. Traditum autem de Euſebio Epiſcopo Samoſatenſium memoriæ ab Theodorito eſt, quod cum edictum (2) Imperatoris, quo jubebatur abire in Thraciam, accepiſſet, nuncium, qui ſummo mane advenerat, hortatus eſt, ut taceret. Nam ſi plebs, inquit, ſtudio pietatis educata adventus tui cauſſam intellexerit, te in flumen demerget, atque a me tuæ mortis pœna expetetur. Subdit mox Theodoritus. „ Hæc loquutus, & veſpertino precum miniſterio, ut ſolebat, perfunctus, tempore quo ſomnus ſolet obrepere, ſenex ſolus fide unius famuli fretus ex urbe egreditur. Sequitur famulus cervical tantum, & librum ſecum deportans. Cum autem ventum eſt ad ripas fluminis, nam muros urbis præterlabebatur Euphrates, conſcenſa nave, jubet remiges recta trajicere Zeugma. Ubi illuxit dies, is Zeugma appulit. Samoſata querelis, & luctu redundarunt. Nam ejus diſceſſu per famulum illum patefacto, omnes ſe paſtore privatos lamentabantur. Itaque frequentes per flumen navigare, quo eum quærant, cœperunt. Atque ut primum ad eum veniunt, videntque paſtorem ſuum deſideratum, conqueri, gemere, & ingentem vim lacrimarum fundere, quo perſuadeant ei, ut apud ipſos maneat, minimeque oves lupis tradi patiatur. Verum cum perſuadere non poſſent, audiviſſentque eum recitantem præceptum Apoſtoli, qui σαφῶς perſpicue jubet principibus, & poteſtatibus ſubditum quemque eſſe debere, pars aurum, pars argentum, veſtem alii, alii famulos ei offerunt „. Quæ res plane efficit, ita fuiſſe inſtitutos Patres, qui eruditione, vitæque innocentia ſingulari præſtarent, ut tum etiam morem eſſe gerendum Principi, cum contra jus, faſque omne quidquam imperaret, arbitrarentur.

Quin-

1 *Apolog. ad Conſtantium pag.* 307. *tom.* 1. *edit.* Montfaucon.
2 Theodoritus *lib.* IV. *cap.* XIII. *pag.* 164. *edit. Cantabrig.*

Quintum eſt argumentum ex *vicariatu*, quem vocant, deductum. Nam Principes (ſic enim adſertores poteſtatis civilis circa ſacra ratiocinantur) loco Dei primas in civitate partes tenent. Eſt autem Deo jus in eas res ſummum, quæ pertinent ad réligionem. Datum ergo jus illud Principi ſaltem ſic eſt, ut ſervare eamdem religionem, & quæ ſunt de cultu ſacrorum præſcribere, tuerique poſſit. Atque partes alterius tenentis hoc munus eſt proprium, ut domino ſuo honorem, quam poteſt maximum, ab his, quibus præſidet, adhiberi curet. Coli vero ſe velle ſignificavit Deus ea ratione, iiſque modis, qui in ſacris litteris deſcribuntur. Credendum igitur eſt, voluiſſe Deum, ut Principibus, qui divinæ poteſtatis imaginem gerant, jus eſſet, ſubditos a ſuperſtitione liberare, in religionis decretis confirmare, hæreſes, & ſchiſmata tollere, cultum ſub oculos cadentem, hoc eſt ritus, ceremoniaſque, compoſitis ad interiorem pietatem moribus, definire, omnia denique agere, quæ ad ſalutem, felicitatemque ſempiternam ſpectare videantur (1).

Sextum argumentum, quo magis magiſque firmatur quintum, ex Regum Hebræorum exemplis deducitur. Moſes enim, quod partes Dei in Republica Hebræorum teneret, leges, quæ ad cultum divinum pertinerent, ſcripſit. Hoc eodem munere functus deinceps Joſue fuit, ut qui aliqua ſanxerit de religione. Mitto Judices, quorum in ſacris litteris facinora quædam, eaque jam præclara pro cultu Dei veri geſta narrantur. Venio ad Saulem. Is cavit, ne quis Ariolus, neve Magus in Palæſtina, quæ ſuæ ditioni parebat, conſiſtere auderet. Davidem autem quis neget, arcam ex ædibus Ebededomi in Regiam deduxiſſe, conſtituiſſe de Levitis, horum officia diſtribuiſſe, paraſſeque omnia, quæ ad extruendum templum pertinerent? Namque ab Salomone redactum in ordinem Abiatharem Pontificem, propterea quod novis rebus ſtuderet, in ejuſque locum ſuffectum Sadocum fuiſſe, certum eſt. Longum eſſet omnia perſequi, quæ de Joſaphato Aſæ filio, de Ezechia, deque aliis Regibus ſcriptores ſacri memoriæ prodiderunt. Satis hoc ſit de Joſia optimo, ſapien-

1 Hennigeſius *ibid. cap.* II. §. III. *pag.* 28. *ſeq.*

ſapientiſſimoque Rege, qui deleta ſuperſtitione Deorum, ut civibus ſuis ſacra Biblia legerentur, utque omnes patrios ritus, religionemque colerent, juſſit (1).

Septimum eſt argumentum ex Epiſcopatus notione concluſum. Eſt enim Epiſcopi proprium docendi munus, non imperandi (2). Jus autem, qui obtinet,is certe imperandi poteſtate præſtat. Non ergo Epiſcopis jus in res ſacras tribui debet. Eſt igitur principi tribuendum. Quid? ſi nuſquam in ſacris litteris Romano Pontifici, Epiſcopiſve in unum etiam congregatis locum, jus ullum, & poteſtas in res ſacras detur? Nam quod Chriſtus apud Johannem in Evangelio (3) Petrum, ut oves paſceret, juſſit, non eſt ejuſmodi, ut imperium indicet. Commode enim explicari de ſolo munere docendi poteſt. Neque cum inſtitutis religionis Chriſtianæ pugnat, ut ſumma ſit Principis civitatis poteſtas in ſacra. Hoc ſcilicet conceſſum a Chriſto miniſtris eſt, uti ſacra rite adminiſtrent,ſuiſque in Evangelica doctrina inſtituendis dent operam. Nihil autem impedit, quo minus hæc a miniſtris fiant, quamquam dirigendæ, gubernandæque Eccleſiæ in principe poteſtas inſit.Quod ſi ſunt,qui componi hoc modo Reipublicæ rationem cum Eccleſiæ ſtatu nequire putent, næ horum magnis eſt in erratis ſententia. Non enim diſcrepans eſſe Eccleſiæ conditio ab reliquarum ſocietatum, & collegiorum ratione poteſt. Diriguntur vero ſocietates, atque collegia principis auctoritate. Dirigi ergo pari jure a Principe debet Eccleſia (4).

Extremum eſt argumentum deductum ex conſenſione ſcriptorum quorumdam Catholicorum, qui Rempublicam *temporalem* perfectam, ſibique ſufficientem eſſe, propriaque auctoritate defendere ſe ab injuria cujuſcumque, ne dempta quidem Eccleſia, ſi *ſpirituali* gladio abutatur, poſſe cenſent.In his Franciſcus Victoria,& Rogerus Widdringtonus (5) a Gro-

1 De his exemplis vide infra in *Reſp. ad hoc Arg.*

2 *Ep. 1. Petri cap. v. v. 2. 3.*

3 *Cap. xx1. v. 15.*

4 Ita argumentatur Buddeus *Inſt. Theolog. moral. p. 1I. cap. 11I. ſect. v11.* §. xx1. *pag.* 588.

5 *De Imperio ſummar. poteſt. circa cap. 1. pag. 23. ſeq.*

a Grotio, & Hennigeſio (1) Eccleſiaſticæ poteſtatis hoſtibus numerantur.

Contra hos omnes, quorum argumenta deſcripſimus, acriter Orthodoxi certant. Hi enim ſumma conſenſione poteſtatem Eccleſiaſticam civili, quæcumque (2) tandem ſit, ſubjectam eſſe inficiantur. Aſſentitur autem noſtris Marcus Antonius de Dominis (3) Archiepiſcopus olim Spalatenſis, qui ſane vir, etſi Catholicus videri volebat, reipſa tamen hæreticorum partibus ſtudebat, ad quos transfugerat, pluraque portenta opinionum, quæ nunc ad rem minime pertinent, conſectabatur. Ad argumenta vero, quibus adverſarii abutuntur, hoc fere modo reſpondent.

Atque ad primum, quod attinet; facile *ſummo* nihil in eo genere, quo *ſummum* eſt, ſuperius eſſe patiuntur; in aliis vero generibus non item. Sic autem ſtatuunt, ac recte, ſapienterque, mea quidem ſententia. Si *Principes* civitatum eſſe, atque appellari *ſummos* concederemus, id certe ita concederemus, ut eſſe in eo genere, quo ſunt principes, non in quoque alio genere, *ſummos* arbitraremur. Non enim tam amentes, tamque inepti ſumus, ut Imperantem *ſummum* & Architectum, & Philoſophum, & Medicum dicamus eſſe, ut qui non in hiſce generibus princeps ſit, ſed in adminiſtranda, gubernandaque Republica. Quamobrem, quod addunt adverſæ opinionis adſertores, *ſummam* eſſe Regis poteſtatem, nullius momenti eſt. *Summam* enim eſſe, etſi fateremur, cum de rebus civilibus agitur, non ſequeretur, *ſummam* eſſe in ſacris etiam oportere, quorum eſt genus a civili omnino diſcrepans. Atque hoc item animadvertendum eſt, adverſarios quaſi certum ſumere, quod eſt in controverſia poſitum, id quod componi cum dialecticæ regulis nullo modo poteſt. Quærimus enim ſit ne *ſummus* in Eccleſia Imperator, nec ne. At poteſtates ceteræ ſubduntur ſummo impe-

1 *De ſumma Imperatoris Romani Poteſt. circa ſacra cap.* II. §. XIII. *pag.* 63. *ſeq.*

2 Baronius in Annal. *ad an.* DCCLII. *n.* 1. *ſeqq. & alib.* Robertus Bellarminus *lib.* 1. *de Rom. Pont. cap.* VII. *pag* 258 *ſeq. edit. an.* 1721. *tom.* I. utque innumerabiles alios prætermittam, Johannes Antonius Biancus *lib.* 1. *ſeqq. t.* 1. *ſeqq. della Poteſtà indiretta, e della Polizia della Chieſa*; Jacobus Benignus Boſſuetius Meldenſis Epiſcopus *Def. Declar. Cler. Gallic. p.* 1. *lib.* II. *ſect.* II. *cap.* XXXIII. *pag.* 174. *ſeqq. tom.* 1. *edit. an.* 1745.

3 *Lib.* VI. *cap.* III. *pag.* 536. *ſeq. tom.* II. *de Rep. Eccl. edit. Lon. an.* 1620. negat poteſtatem Eccleſiaſticam eſſe civili ſubordinatam.

imperanti;eſtque jam Eccleſiaſtica poteſtas quædam;quapropter ſubdatur ſummo imperanti neceſſe eſt. Sed poteſtates ceteras civiles ſubdi ſummo imperanti, quis negat? A poteſtatibus autem civilibus ad ſacras adverſarii quomodo deſcendunt? Ab uno enim in aliud genus rerum argumentando, concludendoque deſcendere ne iis quidem fas eſt, qui leviter ſint imbuti præceptis dialecticorum.

Quod addunt,ſummo rem nullam æqualem eſſe,non eſt ad rem. Non enim æqualem diceremus eſſe in eodem genere,ſed in diverſo. Quamquam contorqueri hoc argumentum in adverſarios facile poſſe intelligam. Nos quippe Eccleſiaſticam poteſtatem,& ſummam eſſe defendimus,& civili multo præſtantiorem.Quæ res demonſtrabitur quidem a nobis,ſed tempore.Quid ergo?Dabuntne ſubditam eſſe civilem Eccleſiaſticæ poteſtati? Ego vero ſcio eſſe illos ita affectos,ut cum primum concedant,eſſe tamen hoc poſtremum conſequens vehementer negent; quorum judicio vix quidquam in dialecticis eſſe poteſt perverſius. Nihil de Tertulliano dico.Ille enim de *ſummo Deo* in libro contra Hermogenem (1),non de *ſummo* imperante loquitur.Deo autem neque æqualem poteſtate quemquam,neque majorem eſſe non fatemur modo,ſed etiam eum, qui neget, diris devovendum arbitramur. At *ſummis* imperantibus,quos vocant,*ſummi* notio non eodem modo competit,ac Deo. Deus enim cum auctor ſit omnium, admirabili, eminentique quadam ratione omnia continet,*ſummuſque* omnino eſt. Contra, ſi quod eſt *ſummum* in rebus creatis,id, quoniam non per ſe ipſum eſt *ſummum*, ſed *ſummi* eſt in aliquo genere particeps,non impedit,quo minus in alio genere quopiam eſſe item *ſummum* alterum poſſit,vel æquale poteſtate, vel præſtantius & poteſtate, & dignitate. Quo quidem reſponſo cognoſcent, qui contra nos pugnant, quam præclare ex *ſummi* notione Patres concluſerint,præter noſtrum, eſſe alium nequire Deum.

Levius eſt exemplum de voluntate, quæ corporis

1 *Cap. IV pag.* 235. „ Deum unum eſſe oportet: quia quod ſummum ſit, Deus eſt. „ Summum autem non erit, niſi quod unicum fuerit. Unicum autem eſſe non poterit, cui „ aliquid adæquabitur: adæquabitur autem Deo materia (ſecundum Hermogenem) cum „ æterna cenſetur &c. „. Quod falſum eſt.

membra regit, ac moderatur, cum ſit diſſimile. Voluntate enim animi membra ejus unius corporis moventur, cujus eſt idem animus volens forma; membra autem aliorum corporum non moventur. Princeps autem qui eſt, Eccleſiæ, qua Eccleſia eſt, a nullo eſt conſtitutus rector. Nam Eccleſia, qua Eccleſia eſt, reſpublica jure cenſetur eſſe a civili republica diſcrepans. Civili autem præfectus eſt Princeps; Eccleſiaſticæ vero, quod conſtet, non item. Quo magis convinci poterunt adverſarii, ſi hujuſce argumenti vim, quorſum evadat, conſiderent. Si enim hujuſmodi exemplis utamur, fiet profecto ita, ut quemadmodum religio moderatur, atque in officio continet rationem, ſic præſides ſacrorum moderari, regereque, ne labatur, principem civitatis deberent.

Rempublicam porro unam eſſe concedimus, fatemurque ab uno, pluribuſque regi oportere, qua eſt civilis communitas, modo Eccleſiam, qua reſpublica Ecclesiaſtica eſt, regi item ab uno, hoc eſt a ſummo Pontifice, debeat. Neque ullam eſſe videmus rationem, cur in diversis generibus, diversi eſſe rectores, gubernatoreſque non poſſint.

At enim duobus, pluribuſque in republica conſtitutis, quorum unus alteri minime ſubdatur, præſcribi populis poſſent pugnantia. Non negamus, si eorum circa rem eamdem verſaretur poteſtas. Sed contra ſeſe res habet. Itaque nobis de Pontificibus novi Teſtamenti, ac Regibus dicere liceret, quod ſcriptum de Regibus, Pontificibuſque veteribus eſt in altero Paralipomenon libro. „ (1) Amarias Sa-
„ cerdos, & Pontifex veſter in his, quæ ad Deum perti-
„ nent, præsidebit. Porro Zabadias filius Iſmael, qui eſt
„ Dux

1 II. *Paral c.* XIX. *v.* 11. Similia ſunt, quæ extant apud Zachariam de Zorobabelo, & de Sacerdote *c.* VI. *v.* 11. *ſeqq.* „ Et ſumes aurum, & argentum, & facies coronas, & pones in capite Je-
„ ſu filii Joſedec Sacerdotis magni, & loqueris ad eum dicens: Hæc ait Dominus exercituum, di-
„ cens: Ecce vir Zorobabel oriens nomen ejus, & ſubter eum orietur, & ædificabit templum Do-
„ mino. Et ipſe extruet templum Domino, & ipſe portabit gloriam, & ſedebit, & domi-
„ nabitur ſuper ſolio ſuo, & erit Sacerdos ſuper ſolio ſuo, & conſilium pacis erit inter illos
„ duos „. Atque hiſce argumentis oſtendunt Eccleſiaſticam poteſtatem non eſſe civili obnoxiam Jacobus Benignus *Boſſuetius defenſ. declarat. Cleri Gallic. p.* 1. *l.* 1. *ſect.* 1I. *c.* XXXIII. *pag.* 174. *tom.* 1. *edit. an* 1745. Carolus Feuretus *tract. de abuſu lib.* 1. *cap.* VII. *n.* X. *pag.* 74. *ſq. edit. an.* 1677. Petrus de Marca *lib.* II. *de concord. Sacerd. & Imperii cap.* 1. *pag.* 78. *ſeq. edit. Francof. an.* 1708. Charlaſius *de libert. Eccl. Gallic. lib.* X. *cap.* 1. *pag.* 619. *ſeqq. edit. an.* 1684.

„ Dux in domo Juda ſuper ea opera erit (1), quæ ad Regis „ officium pertinent„.Componi igitur in civitate queunt poteſtates duæ,quarum altera rebus ſacris,altera civilibus præſit, quin ea incommoda, perturbationeſque ſequantur, quas declinari adverſarii poſſe negant. Quo etiam ſpectant Gelaſii, Nicolai Primi Pontificum, ſcriptorumque veterum, quæ ſupra deſcripſimus, teſtimonia; quibus ſane viris & antiquis, & doctis, & in veteris novique Teſtamenti libris magna cum laude verſatis aſſentiri malumus, quam ſcriptis Grotii,Hennigeſii,atque Buddei (2),hominum,modo ſuis rem gratam facerent, & ratione, & ſacris litteris abutentium.

Non moramur quod addunt de coactione. Præcepta namque diverſi generis neque pugnare, neque ſi aliquam inter ſe conjunctionem, affinitatemque habent, recte diſpoſitis, conſtitutiſque rebus, obligationem, coactionemque inferre repugnantem poſſunt. Cum enim poteſtati Eccleſiaſticæ potiſſimum, tum etiam civili impoſitum onus a Deo ſit, ut ea curent, quæ conducunt ad veram, ſolidam, ſempiternamque ſubditorum (3) felicitatem, ſiquidem agant, ut debent, nihil alterutra ſtatuet, quod eſſe contrarium videatur. Quod ſi diſſenſiones interdum, contentioneſque inter Epiſcopos, Principeſque naſcuntur, non poteſtatum id quidem, quæ recte, ſapienterque introductæ ſunt, ſed hominum eſt male inſtitutorum vitio tribuendum. Ac tollenda omnia ſi putant,quorum vel occaſione,vel abuſu diſſidia,concertationes,bella oriuntur,tollant Patrum opera,ſacras Scripturas,omnem denique religionem neceſſe eſt, quum his hæretici abutantur. Qua re quid umquam dici poteſt abſurdius?

Exemplum autem patriæ poteſtatis, quæ regiæ ceſſerit, non eſt ſimile. Niſi enim ceſſiſſet, tot eſſent in republica Principes, quot patres numerantur familiarum. At Sacrorum Præſide conſtituto, qui rem gerat a civilibus

 diſcre-

1 Vide *ſup. pag. 63. ſeq. hujuſce libri in notationibus*. 2 *Locis ſupra indicatis*.

3 S. Iſidorus Peluſiotes *l.* III. *epiſt.* CCXLIX. *pag.* 356. *edit. an.* 1638. Ἐξ ἱερωσύνης, *inquit*, καὶ βασιλείας τὰ πράγματα συνέστηκεν, εἰ γὰρ καὶ πολλῷ ἀλλήλων διαφέρουσιν (ἡ μὲν γὰρ ὡς ψυχή ἐστιν, ἡ δὲ σῶμα) ἀλλ' εἰς ἓν ὁρῶσι τέλος τὴν τῶν ὑπηκόων σωτηρίαν. „ Ex „ Sacerdotio, & regno rerum adminiſtratio conſtituta eſt. Quamvis enim utriuſque permagna differentia ſit (illud enim velut anima eſt, hoc veluti corpus) ad unum tamen, & „ eumdem finem tendunt, hoc eſt, ad ſubditorum ſalutem.

diſcrepantem, partitio civilis imperii, diviſioque nulla ſequetur. Ex qua re intelligitur, quo ſenſu credendum ſit, poteſtatem aliquam conſortis eſſe impatientem. Eſſe enim conſortis impatientem fatemur, ſi ejuſdem generis utraque poteſtas eſt, ſin autem diverſi, non item. Quare quæ dicta a Chriſto ſunt; duobus dominis neminem ſervire poſſe, omneque regnum in ſe diviſum deſolatum iri, ad inſtitutum non pertinent; cum de dominis intelligenda ſint, qui eamdem ſibi arrogent poteſtatem, deque regno, quod ſit diſciſſum in factiones, quarum una ſubigere ſibi alteram conetur.

Venio ad ſecundum argumentum. Concedo cives quoſque ſubditos eſſe oportere ei, qui primas in republica partes obtineat. Itaque parebunt eidem civiles ferenti leges, modo ne quid jubeat, quod pugnet cum inſtitutis, legibuſque Eccleſiarum. Nam clerici etiam, qua cives ſunt, obſequuntur civili legi, ut pax reipublicæ, tranquillitaſque ſervetur (1). Eo autem dixi: *ne quid imperet Princeps, quod ſit Eccleſiaſticis inſtitutis contrarium*, quod ferendum non ſit, ut ille in alienam irruat poſſeſſionem, faſque ſibi arbitretur, quod

1 Præclare Bellarminus *lib.* I. *de Clericis cap.* XXVIII. *pag.* 161. *tom.* I. *opp. edit. an.* 1721. „ Non ſunt exempti Clerici ab obligatione legum civilium, quæ non repugnant „ ſacris Canonibus, vel officio clericali. Loquimur hic potiſſimum de legibus civilibus po„ liticis, quæ dirigunt actiones humanas in commerciis temporalibus, ut cum Princeps, vel „ magiſtratus conſtituit pretia rebus venalibus, vel jubet noctu neminem incedere cum ar„ mis, vel ſine lumine, vel non aſportare frumentum extra provinciam, & his ſimilia. „ Nec volumus dicere his legibus teneri Clericos obligatione coactiva, ſed ſolum directiva, „ niſi eædem leges ab Eccleſia approbatæ fuerint. Quod ſi de iiſdem temporalibus rebus di„ ſpoſuiſſet etiam lex Eccleſiaſtica, eam ſequi deberent Clerici, & tunc legem civilem nec „ directive quidem obſervare tenerentur. Probatur igitur, Clericos ad obſervationem civi„ lium directive teneri in defectum legis Eccleſiaſticæ. Nam Clerici, præterquam quod Cle„ rici ſunt, ſunt etiam cives, & partes quædam Reipublicæ politicæ. Igitur ut tales vivere „ debent civilibus legibus. Non ſunt autem aliæ, ut nunc ponimus, niſi quæ a politico ma„ giſtratu ſunt latæ. Igitur illas Clerici ſervare debent, alioqui magna perturbatio, & „ confuſio in Republica oriretur, ſi Clerici non ſervarent civiles leges in commerciis civi„ libus, & humanis. Secundo probatur ex confeſſione Pontificum, & Imperatorum. Nico„ laus Primus in Epiſtola ad Michaelem prope finem dicit: Deum diviſiſſe Pontificiam au„ ctoritatem ab Imperiali, ut & Chriſtiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indi„ gerent, & Pontifices pro curſu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus ute„ rentur. Imperator Valentinianus in Epiſtola ad Epiſcopos Aſiæ, quam refert Theodoretus „ in *lib.* IV. *hiſt. cap.* VIII. ſcribit: probos Epiſcopos non ſolum Dei, ſed etiam Regum „ legibus obtemperare. Denique s. Johannes Chryſoſtomus in *cap.* XIII. *ad Rom.* dicit „ Chriſti Evangelio non tolli politicas leges, & ideo debere etiam Sacerdotes, & Monachos „ eis parere.

quod nefas eſſe & Apoſtolorum auctoritate, & conſenſione majorum (1) conſtat. Ac quemadmodum Paulus in litteris ad Romanos jubet, ut omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſubdita ſit; quod non ſit poteſtas nisi a Deo; ita aliis in locis Chriſtianos etiam atque etiam monet, ut obediant præpoſitis ſuis, hoc eſt Epiſcopis, eiſque *ſubjaceant*, quum ipſi pervigilent, quaſi Deo reddituri de cujuſque actionibus in extremo judicio rationem. Πείθεσθε, inquit, *τοῖς ἡγουμένοις ὑμῶν, καὶ ὑπείκετε. αὐτοὶ γὰρ ἀγρυπνοῦσιν ὑπὲρ τῶν ψυχῶν ὑμῶν, ὡς λόγον ἀποδώσοντες* (2). Subjacere autem, quod a verbo *ὑπόκειμαι, & ſubeſſe, ſeu ſubditum eſſe*, quod ab *ὑποτάττομαι* oritur, eodem recidunt. Quocirca ut ſubditum eſſe principi in civilibus, ita etiam Epiſcopo in Eccleſiaſticis Paulus præcipit Chriſtiano. Rurſum ut Reges in ſocietate civili, qui rempublicam, ita poſitos eſſe in Eccleſia a Deo Epiſcopos Paulus affirmat, ut eam regant, ac moderentur. „ Attendite, inquit, vobis, & univerſo gregi, in quo vos *τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἔθετο ἐπισκόπους ποιμαίνειν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ θεοῦ*, Spi„ ritus Sanctus poſuit Epiſcopos paſcere Eccleſiam Dei (3) „. Sed de inſtitutione divina Epiſcoporum dicam alio loco opportune, & copioſius. Nam de voce *ποιμαίνειν paſcere*, quod eodem ſenſu, ac regere intelligenda ſit, paullo poſt demonſtrabitur (4). Jam vero ſi conſtituti Epiſcopi a Deo ſunt, ut Eccleſiam regant, eiſque circa ſacra, diſciplinamque Eccleſiæ quidquam præcipientibus Chriſtiani obedire debent, ut eſt auctor Paulus; qui fieri poterit, ut poteſtas civilis jure in ſacram inſurgat, ſibique parendum exiſtimet contra Epiſcoporum de rebus Eccleſiaſticis ſanctiones jubenti? Neque ullum eſſe Chriſtianum Principem tam male in Eccleſiam animatum exiſtimo, ut quæ ſancita divinitus fuerunt, ea ſibi putet pervertere licere, coneturque illam ſibi ſubdere poteſtatem, quam Chriſtus gubernandorum Chriſtianorum, ipſiuſque adeo Principis, qua eſt Chriſtianus, paſcendi, docendi, regendique

1 De hac re agam paullo poſt, & in *Reſp. ad* 4. *arg. in notationibus*, *& ad* 7.

2 *Epiſt. ad Hebr. cap.* XIII. *v.* 17. „ Obedite præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis. Ipſi enim vigilant ſuper animas veſtras, ut rationem reddituri.

3 *Act. Apoſt. cap.* XX. *v.* 28.

4 *In Reſp. ad* VII. *arg.*

dique cauſſa invexit. Cum enim ſcriptum nuſquam ſit ab Apoſtolis poteſtatem Eccleſiaſticam civili eſſe obnoxiam oportere, qua confidentia quiſquam ſubdendam Eccleſiaſticam civili eſſe contenderet? Apoſtolus enim, ut omnem animam *ſubjici ſublimiori poteſtati*, nempe omnem civem Principi de republica civili jubenti, in Epiſtola ad Romanos, ſic alio loco omnem Chriſtianum Præpoſitis, ſeu Epiſcopis de rebus ſacris, deque Eccleſiæ adminiſtratione jubentibus, obtemperare, atque obſequi debere ſcripſit; poteſtatem autem Eccleſiaſticam civili poteſtati ſubjici oportere nuſquam ſcripſit. A *concretis* enim ad *abſtracta*, ut vocant, recte ratiocinanti concludendo deſcendere non licet. Quamobrem etſi Eccleſiaſtici, ut membra ſunt Reipublicæ, ac cives, quæ lege civili præſcripta ſunt, faciant, quo degere tranquillam, & quietam vitam (1) poſſint; Principeſque, ut membra ſunt Eccleſiæ, Eccleſiaſticis regulis, legibuſque pareant; tamen poteſtas Eccleſiaſtica, cum ſubjecta civili a Chriſto non fuerit, ſubjici vi, atque auctoritate ſeſe homini numquam patietur. Ad Chryſoſtomum quod ſpectat (2), nego de ſolis Regibus, atque Principibus, non autem de qualibet ſublimiore poteſtate ab eo inſtitui mentionem. Latiſſime namque illius patet ſententia, ut in Eccleſiaſticam etiam cadere poſſe videatur. Omnes enim homines ſubditos eſſe iis, qui præſunt, oportere defendit, quod a nemine revocatur in controverſiam. Sed fac de una civili poteſtate agat, ut paullo poſt agere videtur. Quid? An eſt quiſquam noſtrum, qui recte prudenterque Eccleſiaſticos facere putet, qui Principum ſtatuta aſpernari audeant, quæ Eccleſiaſticis non adverſantur? At nunc de poteſtate quærimus Eccleſiaſtica, non de Ecclesiaſticis, qua ſunt cives, membraque reipublicæ. Poteſtatem vero Eccleſiaſticam Chryſoſtomus civili ſubditam eſſe, neque dixit uſquam, neque ratio

1 *Epiſt. 1. ad Timoth. cap. II. v. 2.*

2 *Chryſoſt. homil.* XXIII. *in c.* XIII. *ep. ad Rom. tom.* IX. *opp. p.686.* „ Oſtendens, *inquit*, ordinari hæc Sacerdotibus, Monachis, non ſecularibus ſolum. Quod ipſe in exordio „ planum fecit, ſic dicens: omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Etiam ſi „ Apoſtolus ſis, etiam ſi Evangeliſtes, etiamſi Prophetes, etiamſi quiſquis es. Hæc enim „ ſubjectio non ſubvertit pietatem. Et non ſimpliciter dixit, obediat, ſed ſubdita ſit. Et „ primum ratio talis ſanctionis eſt juſtitia, quæ cogitationes, menteſque fideles decet, propterea quod ſtatuta hæc ſint a Deo, cum non ſit poteſtas, niſi a Deo. Quid ais? Omnis igitur Princeps a Deo ordinatus eſt? Non hoc dico &c. „. Hæc nos ad verbum e Græco tranſtulimus.

ratio ſerebat, ut diceret. Bernardi locus, quo abutuntur adverſarii, ad rem non pertinet. Diſputat enim ille contra Epiſcopos, qui ſpecie quorumdam privilegiorum ſubducere ſeſe auctoritati Pontificis maximi conarentur. Atque hos merito reprehenſos fuiſſe certum eſt. At de civili auctoritate, poteſtateque Bernardus (1) verbum omnino nullum. Patrum igitur teſtimoniis, quæ jactant adverſarii, nihil agunt.

Sed eſt, inquiunt, *poteſtas civilis miniſtra Dei vindex ad iram ei, qui male fecerit*. Quis negat? At enim *mali* vocabulum latiſſime patet, ut etiam ſignificet, quæ admiſſa mala ſunt adverſus religionem. Aſſentimur nos quidem. Verum non Regis eſt, ſed Præſulum Eccleſiæ de religione cognoſcere. Hoc ſcripturarum auctoritate, hoc Patrum conſenſione, hoc majorum inſtitutis, atque conſuetudine demonſtrari plane ad veritatem (2) poteſt. Quare ſi Antiſtites ſacrorum, quid ſit tenendum, quidque reſpuendum cognoverint, ſignificarintque, quinam ſint rei violatæ religionis, ac Principem, ut in eos animadvertat monuerint, tum Princeps munere ſuo fungetur, vindexque erit Dei, ad iram illi, qui malum perpetrarit in religionem. Quo ſenſu explicanda ſunt, quæ proferunt ex Salomonis Proverbiis.

De fine quod opponunt, inane eſt. Nemo enim eſt noſtrum, qui curandum ab Rege eſſe neget, ut recte, qui ei ſubduntur, agant, itaque ſe gerant, ut bene, beateque in republica vitam degant, atque ubi deceſſerint, æterna felicitate potiantur. Atque is ut a Miniſtris ſacrorum acceperit (non enim ſuo arbitratu præſcribere, quæ ſpectant ad religionem, poteſt) ita faciat neceſſe eſt, ſi ei ſalus eſt populorum curæ. Id vero facile obtinebitur, ſublato in res ſacras Principum, quod adverſarii tantopere commendant, jure. Eſtque hoc ſane pacto explicanda Auguſtini ſententia,

1 *Epiſt.* XLII. *ad Henricum Archiepiſcopum Senonenſem tom* II. *opp. edit. Pariſ. Monach. s. Mauri pag.* 474. „ Omnis anima, inquit, poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. „ ſi omnis, & veſtra. Quis vos excipit ab univerſitate? Si quis tentat excipere, conatur „ decipere „. Vide Biancum *lib.* I. Della eſteriore Polizia della Chieſa *cap.* I. §. VII. *pag.* 61. *tom.* III. *edit. an.* 1745. Idem fatetur Marcus Antonius de Dominis hoſtis alioquin Catholicorum *lib.* VI. *de Repub. Eccl. cap.* IV. *pag.* 550. *edit. an.* 1620. *tom.* II.

2 Id vero oſtendetur aliquanto poſt *Reſp. ad* VII. *Arg.*

tia, qui felices, ſcribit, Reges futuros, si ſuam ad Dei cultum propagandum adhibeant poteſtatem. Nam si ita, ut eſt ab Eccleſiæ Antiſtitibus doctus Princeps, cultum religionis late, longeque diffundere conetur, næ is magnum reportabit diligentiæ, ac laboris fructum.

Miror deinde qua confidentia Honorii, atque Theodoſii Imperatorum ex epiſtola ad Marcellinum ſententiam adverſarii proferant (1). Nam quod illi ſcribunt. „ Inter Imperii curas Catholicæ legis reverentia aut prima ſemper, aut ſola eſt: neque enim aliud aut belli laboribus agimus, aut pacis consiliis ordinamus, nisi ut veri Dei cultum orbis noſtri plebs devota cuſtodiat; ut etiam Donatiſtas vel terrore, vel monitu olim implere convenerat, qui Africam, hoc eſt Regni noſtri maximam partem & ſecularibus officiis fideliter ſervientem, vano errore, & diſſensione ſuperflua decolorant„: non eo pertinent, ut sine judicio Epiſcoporum fieri quidpiam ab Imperatoribus in rebus ſacris poſſe significent. Noverant enim Imperatores qui eſſent sibi limites divinitus conſtituti. Quamobrem Honorius in litteris ad Arcadium, ubi de rebus Conſtantinopoli per ſummam injuriam contra Johannem Chryſoſtomum geſtis agit (2). „ Eſt
„ nuper proditum, *inquit*, apud Conſtantinopolim ſacra-
„ tiſſimo Paſchæ venerabilis die, cum omnes pene in eum-
„ dem locum vicinarum urbium populos religio, caſtiga-
„ tiore ſub præſentia principum ritu celebranda collegerat,
„ clauſas ſubito Catholicas Eccleſias, truſos in cuſtodiam
„ Sacerdotes, ſcilicet, ut eo potiſſimum tempore, quo in-
„ dulgentia principali triſtia noxiorum clauſtra reſeran-
„ tur, piæ legis, & pacis miniſtros ſævus carcer include-
„ ret, omniaque bellicum in modum turbata myſteria,
„ nonnullos in ipsis Eccleſiæ Sacrariis interemtos, tantum-
„ que circa altaria vim ſæviiſſe, ut & venerabiles Epiſcopi
„ in exilium traderentur, & ſanguis humanus, quod dictu
„ nefas eſt, cæleſtia ſacramenta perfunderet. His repente
„ compertis, turbatos eſſe nos fateor. Quis enim in facinore
„ tam

1 Apud *Hard. tom. 1. Concil. pag.* 1051.
2 Apud *Coutant. tom. 1. collect. epiſt. Rom. Pontif. pag.* 803.

„ tam cruento Dei omnipotentis non timeret offenſam, „ aut quo pacto extra ſummum Romani orbis, omnium- „ que mortalium putaret eſſe diſcrimen, cum ipſe auctor „ noſtri Imperii, & Reipublicæ, quam nobis credidit gu- „ bernator omnipotens Deus, funeſtis admodum, execra- „ bilibuſque commiſſis crederetur iraſci, Domini ſancti fra- „ ter, nepoſque Auguſti venerabiles, cum si quid DE CAUSSA „ RELIGIONIS INTER ANTISTITES AGERETUR, EPISCOPALE „ OPORTUERIT ESSE JUDICIUM. AD ILLOS ENIM DIVINARUM „ RERUM INTERPRETATIO, AD NOS RELIGIONIS EXPECTAT „ OBSEQUIUM. Sed eſto sibi de myſticis, & catholicis quæ- „ ſtionibus amplius aliquid principalis cura præſumſerit, ita „ ne uſque ad exilia ſacerdotum, uſque ad hominum cædes „ debuit indignatio concitata procedere, ut ubi caſtæ pre- „ ces, ubi vota sincera, ubi ſacrificia illibata ſolvuntur, „ illic ſe gladius, haud facile etiam in jugulum noxiorum „ diſtringendus exereret „? Hoc ego teſtimonium, etsi longiuſculum, tamen deſcribendum putavi, ut quemadmodum Reges res ſacras curare debeant, cognoſceretur. Si enim ad Epiſcopos primum id, Honorio teſte, pertinet, quid eſt, quod locis aliis, quæ non repugnent, adverſarii abutantur?

Non diſcrepat Theodosius in litteris ad Cyrillum. Quod autem, ait, curæ ſibi cultum eſſe Dei, verum eſt. Nam decet id quidem Chriſtianum Imperatorem. Sed quo tandem modo? quo ſcilicet idem ipſe narrat. Nam ſcribit in hanc ſententiam (1). „ Et Eccleſias noveris, & Imperium unitum, & „ adhuc amplius præcipientibus nobis uniendum Salvato- „ ris providentia Dei, data tuæ reverentiæ venia, ut ne oc- „ caſionem ſumas, neque dicere poſſis, quod propter ſer- „ mones pietatis excluderis. Exerceri (2) etiam eos coram „ ſacro Concilio volumus, & teneri quomodo bene viſum „ fuerit, ſive impetrent A PATRIBUS VENIAM, SIVE NON,

1 Apud *Harduin. tom.* 1. *Concilior. edit. Pariſ. pag.* 1342.

2 Γυμνασθῆναι γὰρ τούτους ἐπὶ τῆς ἱερᾶς συνόδου βουλόμεθα, καὶ κρατεῖν, ὡς ἂν καλῶς ἔχειν δόξειεν. εἴτε μεταλαμβάνοιεν συγγνώμης, εἴτε καὶ μὴ, παρὰ τῶν πατέρων οἱ νικηθέντες. Ἡμεῖς μέντοι γε συνταράσσεσθαι τὰς πόλεις, καὶ τὰς ἐκκλησίας οὐκ ἀνεξόμεθα, οὔτε μὴν ἀνεξετάστους εἶναι τοὺς λόγους, ὧν κριτὰς προκαθίσαι δεῖ τοὺς τῆς ἁπανταχοῦ προεστῶτας ἱερωσύνης, καὶ δι' ὧν ἡμεῖς ἐγκρατέστεροι τῆς ἀληθινῆς δόξης ἐσμέν τε, καὶ ἐσόμεθα.

„ QUI VINCENTUR. Nos igitur conturbari civitates, & Ec-
„ cleſias non patiemur, ſed neque inexaminatos nobis ſer-
„ mones, quorum oportet judices *præſidere undique præſules*
„ *Sacerdotii*, *& per quos nos tenaciores veræ ſententiæ ſumus*,
„ *& erimus* „. Hanc igitur eſſe conſtat eam, quam ſibi vindicabat Theodoſius in rebus Eccleſiaſticis, poteſtatem. Ea videlicet ſe facturum promiſit, quæ Patres fieri oportere conſtituiſſent, atque ii quidem Patres, qui cum Synodis, ut judices, præſint, tum quid ſit de religione credendum docent, moventque Imperatores, ut ipſis decernentibus aſſentiantur. Ex qua re intelligitur qua fide adverſarii in veteribus monumentis deſcribendis, producendiſque verſentur. Neque adjumento, atque præſidio eſſe Grotio, Hennigeſioque poteſt, quod ex litteris Iſidori Peluſiotæ repetunt. Etſi enim ille ad unum, eumdemque finem Sacerdotium (1) atque Imperium referri ſcripſit; tamen eſſe Sacerdotium Imperio ſubditum nuſquam ſcripſit. Quin etiam cum idem magnum eſſe utriuſque poteſtatis diſcrimen defenderet, ita ut (ejus quidem ſententia, quam accepit ab (2) Nazianzeno) Sacerdotium animæ, Imperium corporis locum, parteſque teneret; factum ſic eſt, ut, quoniam corpus ab animo regitur, non modo Sacerdotium præferendum Imperio, verum

1 *Loc. ſup. deſcript. pag. 91. not. 3.*

2 Gregorius Nazianzenus, a quo accepiſſe videtur Iſidorus Peluſiotes ſententiam, *Orat.* XVII. *pag.* 271. *edit. an.* 1690. „ Quid vos, *inquit*, principes, & præfecti? Ad vos
„ enim jam noſtra ſe convertit oratio, ne alioqui inique omnino facere videamur, atque
„ his quidem, quæ in rem factura ſint, ſuadere, veſtræ autem dignitati, potentiæque ce-
„ dere (quaſi vel pudore, vel metu Chriſtianam noſtram libertatem demittentes) aut il-
„ lorum commodis conſulere, vos autem negligere, quorum curam eo majorem gerere par
„ eſt, quod ea res plus in utramque partem momenti habeat, majorque inde utilitas pro-
„ manet, ſi negotium proſpere ſucceſſerit; contrarium enim tum a nobis abſit, tum ab
„ oratione noſtra. Quid igitur dicitis, aut quid inter nos convenit? An me libere lo-
„ quentem æquo animo feretis? *Et Chriſti lex ſubjecit vos meo imperio, & meo throno.*
„ *Principatum enim nos quoque gerimus, addo etiam quod & præſtantiorem, & perfe-*
„ *ctiorem principatum: niſi vero æquum eſt ſpiritum carni, & cæleſtia terrenis cedere.*
„ *Sed non dubito, quin hanc dicendi libertatem in optimam partem accepturus ſis utpote*
„ *ſacri mei gregis ovis ſacra, magnique paſtoris alumna &c.* καὶ ὁ τοῦ Χριστοῦ νόμος ὑποτίθησιν ὑμᾶς τῇ ἐμῇ δυναστείᾳ, καὶ τῷ ἐμῷ βήματι. ἄρχομεν γὰρ καὶ αὐτοί. Προσθήσω δ' ὅτι καὶ τὴν μείζονα, καὶ τελειωτέραν ἀρχήν, ἢ δεῖ τὸ πνεῦμα ὑποχωρῆσαι τῇ σαρκὶ, καὶ τοῖς γηΐνοις τὰ ἐπουράνια, δέξῃ τὴν παῤῥησίαν. Οἶδ' ὅτι πρόβατον εἶ τῆς ἐμῆς ποίμνης τῆς ἱερᾶς ἱερὸν, καὶ θρέμμα τοῦ μεγάλου ποιμένος &c. Viden, ut Epiſcopi principatum & præſtantiorem, & perfectiorem obtineant, inque rebus ſacris, non ſubjici ipſi Principi civitatis, ſed princeps ipſis ſubmitti debeat?

verum etiam continendum ab Sacerdotibus in officio principatum eſſe argumentando concludere poſſe videretur. Qui autem S. Thomam Aquinatem ad Grotii opinionem pertrahere conantur, næ illi turpiſſime labuntur. Non enim Sacerdotium ſubdit Imperio, ſed hoc eſſe Sacerdotibus, Principibuſque enitendum, laborandumque confirmat in eo opere, quod eſt de Regimine (1) Principum, ut populum ita moderentur, atque gubernent, ut & vitam agere tranquillam, & conſequi tandem ſempiternam ſalutem poſſit. Atque is quidem vir incredibili doctrina, & ſanctitate, quid de Sacerdotii, Imperiique poteſtate ſenſerit, in Theologica ſumma tam clare, tamque perſpicue demonſtrat, ut nullus ſuperſit de illius opinione dubitandi locus. Quamobrem ut adverſarii cognoſcant, quam abuti ſoleant teſtimoniis veterum ſcriptorum, illius ego ex Parte Secunda Summæ deſcribam ſententiam. Sic autem habet (2). „ Dicendum; quod poteſtas ſecularis ſubditur ſpirituali, ſicut „ corpus animæ; & ideo non eſt uſurpatum judicium, ſi „ ſpiritualis Prælatus ſe intromittat in temporalibus, quantum ad ea, in quibus ſubditur ei ſecularis poteſtas.

Tertium, quod eſt ductum ex Tertulliano, tam leve eſt, quam ſunt argumenta ſuperiora. Non enim Tertullianus

N 2 aucto-

1 S. Th. *lib. 1. de Reg. Princip. cap.* VII. *ſeqq. pag.* 290. *ſeq. edit. an.* 1588.

2 II. II. *qu.* XX. *art.* VI. *ad* 3. *arg.* Idem S. Doctor in eodem priore libro *de Reg. Princip. cap.* XIV. *pag.* 295. „ Quia finem fruitionis divinæ non conſequitur homo per virtutem humanam, ſed virtute divina juxta illud *Apoſt. ad Rom. cap.* VI. *Gratia Dei vita æterna*, perducere ad illum finem non humani erit, ſed divini regiminis. Ad illum igitur Regem hujuſmodi dominium pertinet, qui non eſt ſolum homo, ſed etiam Deus, ſcilicet ad Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui homines filios Dei faciens in cæleſtem gloriam introduxit. Hoc igitur eſt regimen ei traditum, quod non corrumpetur, propter quod non ſolum Sacerdos, ſed Rex in ſcripturis ſacris nominatur, dicente Hieremia cap. XXIII. Regnabit Rex, & ſapiens erit: unde ab eo regale ſacerdotium derivatur, & quod eſt amplius, omnes Chriſtifideles in quantum ſunt membra ejus, Reges, & Sacerdotes dicuntur. Hujus ergo Regni miniſterium, ut a terrenis eſſent ſpiritualia diſtincta, non terrenis Regibus, ſed Sacerdotibus eſt commiſſum, & præcipue ſummo Sacerdoti ſucceſſori Petri Chriſti Vicario Romano Pontifici, cui omnes Reges populi Chriſtiani oportet eſſe ſubditos, ſicut ipſi Domino Jeſu Chriſto. Sic enim ad quem finis ultimi cura pertinet, ſubdi debent illi, ad quos pertinet cura antecedentium finium, & ejus imperio dirigi... In nova lege eſt Sacerdotium altius, per quod homines traducuntur ad bona cæleſtia, unde in lege Chriſti Reges debent Sacerdotibus eſſe ſubjecti. Propter quod mirabiliter ex divina providentia factum eſt, ut in Romana urbe, quam Deus præviderat Chriſtiani populi principalem ſedem futuram, hic mos paullatim molleſceret, ut civitatum rectores Sacerdotibus ſubjacerent „. Hæc ille. Confer *lib.* III. *ejuſd. opuſc. cap.* X. *pag.* 313. quo loco rem copioſius perſequitur.

auctoritatem Eccleſiæ cum poteſtate confert Imperatorum. Ethnicos alloquitur homines improbos, qui noſtros calumniarentur, dicerentque contemni ab eis Principes Reipublicæ, propterea quod his ipſis Principibus divinos honores tribuere recuſarent. Itaque facile concedit Cæſarem, qui Deus non ſit, coli quaſi Deum non oportere. Chriſtianos autem, qui talem eſſe Cæſarem, qualis revera eſſet, oſtenderent, hoc eſſe Ethnicis meliores, quo hi anteferendos Imperatori Deos, qui nuſquam erant; illi uno vero, conditorique hujus univerſitatis rerum Deo minorem eſſe Imperatorem arbitrarentur, (1) Diiſque Ethnicorum, & falſis, & errore, fraudeque in mundum invectis præſtantiorem, majoremque eſſe defenderent. Atque Tertullianus ſolo Deo minorem appellat Cæſarem non omnino, ſed habita reipublicæ, rerumque civilium ratione. In adminiſtranda enim civitate, regendoque imperio primus eſt Imperator poſt Deum, qui Deus Imperatori gubernandi tribuit poteſtatem. Alioqui ſi loquutus *ſimpliciter*, non *comparate* fuiſſet, Martyribus, Angelis, Chriſto denique ipſi, qua homo eſt, prætuliſſet Imperatorem, quod de homine Chriſtiano (2) ne ſuſpicari quidem poſſumus. Quod ſi ille de Imperatore egit comparate, hoc eſt habita, ut dixi, reipublicæ ratione, non erat neceſſe, ut de Eccleſia diceret, inquireretque utra eſſet major atque excellentior, Eccleſiaſtica ne poteſtas, an civilis, qua præſtabant Imperatores. Rurſum quamquam ille a Chriſtianis & pendenda tributa, & leges, quæ de civilibus erant rebus, obſervandas cenſet; tamen Eccleſiam, qua reſpublica ſpiritalis eſt, reſque Chriſtianorum ſacras numquam ſubjecit Imperatori. Neque enim ab Imperatore, ſed ab Antiſtitibus Ecclesiæ & conſtituendos (3) Presbyteros, & con-

1 „ Colimus Imperatorem ſic, quomodo & nobis licet, & ipſi expedit, ut hominem a „ Deo ſecundum, & quidquid eſt a Deo conſequutum eſt, & ſolo Deo minorem. Hoc & ipſe „ volet. Sic enim omnibus major eſt, dum ſolo Deo vero minor eſt; ſic & ipſe diis major eſt, „ dum & ipſi in poteſtate ſunt ejus. *Lib. ad Scap. c.* II. *p.* 69.

2 Niſi forte velint hæretici coronam, & regnum cæleſte, quod martyribus paratum eſſe Tertullianus ſcribit *lib. ad Mart. cap.* III. *pag.* 158. *edit. an.* 1748. poſtponi oportere coronæ, & imperio terræ. Qua re quid dici poteſt obtuſius? De Angelis, & Chriſto, quæ memoravi, ſatis perſpicua ſunt, quamobrem non egent longiore oratione.

3 Confer *lib. de Præſcript. Hæreticor. cap.* XXXII. *pag.* 213. *&* *lib. de jejuniis c.* XIII. *pag.* 551. De Conciliis dicam alio loco, ex Tertulliani ſententia, opportune.

concilia cogenda, & ſtationes, jejunia, inſtituta, canones præſcribendos, quibus diſciplina magis magiſque confirmaretur, & quæcumque ad vitam Chriſtianam, moreſque pertinent, ſtabilienda putavit; quod ſane numquam putaſſet, si poteſtatem Ecclesiaſticam civili ſubjiciendam exiſtimaſſet. Eodemque modo explicandus eſt Optati Milevitani quarti ſeculi ſcriptoris locus (1). Jam vero, quod Optatus adjungit, Ecclesiam in republica eſſe, non eſt ejuſmodi, ut nos ab ſententia deterrere poſſit. Hoc enim propoſitum Optato erat, ut oſtenderet, Imperatori honorem adhibendum a Chriſtianis eſſe. Nam quum Donatiſtæ invecti in Conſtantem Imperatorem fuiſſent, qui argentum in Africam miſerat, ut opem pauperibus, qui maxime laborabant, ferret; Optatus, qui & ubi orta eſſet Eccleſia, & qua in ſocietate hominum tutius conſiſteret, & quid a Chriſto, Apoſtoliſque de colendis, obſervandiſque principibus reipublicæ ſtatutum eſſet, plane cognoverat; ut hæreticorum temeritatem, audaciamque reprimeret, eis primum arrogans, impudenſque Donati dictum exprobravit, qui furens nihil eſſe Impe-

1 *Lib.* III. *num.* III. *p.* 55. *edit.an.* 1702. ,, Quis negare poteſt rem, cui tota Carthago
,, principaliter teſtis eſt? Imperatorem Conſtantem, & Macarium primitus non ad facien-
,, dam unitatem miſiſſe, ſed cum eleemoſynis, quibus ſublevata per Eccleſias ſingulas poſ-
,, ſet reſpirare, veſtiri, paſci, gaudere paupertas. Qui cum ad Donatum patrem tuum ve-
,, nirent, & quare venerant, indicarent, ille ſolito furore ſuccenſus, in hæc verba protu-
,, rupit, *quid eſt Imperatori cum Eccleſia?* & de fonte levitatis ſuæ multa maledicta effu-
,, dit, non minus quam in Gregorium aliquando, ad quem ſic ſcribere non dubitavit:
,, *Gregori macula ſenatus, & dedecus præfectorum*, & cetera talia: cui Donato præfatus
,, patientia Epiſcopali reſcripſit. Harum Epiſtolarum exemplaria multorum ore ubique can-
,, tantur. Jam tunc meditabatur contra præcepta Apoſtoli Pauli, poteſtatibus, & Regibus
,, injuriam facere, pro quibus, ſi Apoſtolum audiret, quotidie rogare debuerat. Sic enim
,, docet Beatus Apoſtolus Paulus. *Rogate pro Regibus, & poteſtatibus, ut quietam, &*
,, *tranquillam vitam cum ipſis agamus*. Non enim reſpublica in Eccleſia eſt, ſed Eccleſia
,, in republica eſt, id eſt in imperio Romano, quod Libanum appellat Chriſtus in Canticis
,, Canticorum, cum dicit, *veni ſponſa mea inventa de Libano*, ideſt de Imperio Romano,
,, ubi Sacerdotia ſancta ſunt, & pudicitia, & virginitas, quæ in barbaris gentibus non ſunt,
,, & ſi eſſent, tuta eſſe non poſſent. Merito Paulus docet orandum eſſe pro Regibus, & po-
,, teſtatibus, etiam ſi talis Imperator eſſet, qui gentiliter viveret; quanto quod Chriſtia-
,, nus, quanto quod Deum timens, quanto quod religioſus, quanto quod miſericors, ut ipſa
,, res probat? Miſerat enim ornamenta domibus Dei, miſerat pauperibus eleemoſynam,
,, nihil Donato. Cur ergo inſanivit? cur iratus eſt? cur quod miſſum fuerat, repudiavit?
,, Et quum illi, qui miſſi fuerant, dicerent, ſe ire per Provincias ſingulas, & volentibus
,, accipere ſe daturos, ille dixit, ubique ſe litteras præmiſiſſe, ne id quod allatum fuerat,
,, pauperibus alicubi diſpenſaretur ... Carthaginis principatum ſe tenuiſſe crediderat, &
,, cum ſuper Imperatorem non ſit, niſi ſolus Deus, qui fecit Imperatorem, dum ſe Donatus
,, ſuper Imperatorem extollit, jam quaſi hominum excesſerat metas, ut prope ſe Deum,
,, non hominem æſtimaret, non reverendo eum, qui poſt Deum ab hominibus timebatur.

Imperatori cum Eccleſia commune dixit: tum addidit, eos qui tam pauci eſſent, ſeſeque Africæ finibus continerent, ſejunctos eſſe a vera Chriſti Eccleſia, ut qui negligerent, quæ ſtatuta a Chriſto de honorandis Principibus fuiſſent. Reminiſcerentur Chriſtianorum maximum numerum, adeoque maximam Eccleſiæ partem, in Republica, hoc eſt in Imperio Populi Romani tutius, quam in ditionibus barbararum gentium verſari; quamobrem honorem adhibere Imperatori ne recuſarent, qui eamdem rempublicam moderaretur. Hinc autem quemadmodum eſſe conſequens poſſit, quod adverſarii concludunt, ſubditam eſſe civili Eccleſiaſticam poteſtatem nullo modo prorſus intelligo. Non enim id voluit Optatus. Hoc a Chriſtiano omnes, quicumque tandem ſint, poſtulant, atque hoc ille unum concludit, orare nos pro principibus, dareque operam oportere, ut eis honos, qualem Chriſtus præſcripſerat, adhibeatur.

Ecquod vero Scriptor ille Africanus, qui Valentiniani I. ætate vigebat, commemoravit, ex quo Imperatorem quidquam in rebus Eccleſiaſticis poſſe colligeretur? Si autem nihil ejuſmodi meminit, quid eſt, quod hoc ejus ſive pronunciatum, ſive dictum ab Grotio, ejuſque ſectatoribus opponatur iis, qui civili ſubdi Eccleſiaſticam poteſtatem negant? At Optatus extolli ſupra Imperatorem poſſe, defendit, neminem? Extollerent autem ſeſe ſupra Imperatorem Antiſtites Eccleſiarum, ſi poteſtas Eccleſiæ ſuperior, præſtantiorque civili eſſet. Sed poteſtatem Eccleſiæ multo eſſe civili excellentiorem, quoniam Gregorii Nazianzeni, aliorumque veterum Scriptorum clariſſimis teſtimoniis perfectum eſt, nulla eſt cauſſa, cur eſſe iterum demonſtrandum putem. Neque enim arbitror, Optatum ita fuiſſe affectum, atque inſtitutum, ut, modo Donatiſtas refelleret, quæ firmata conſenſione omnium fuiſſent, pervertere auderet. Namque idem in priore adverſus Parmenianum libro (1), Epiſcopos apices, & principes omnium, qui eſſent in Eccleſia conſtituti, vocat. Erat autem in Eccleſia Imperator. Quare Imperatoris, qua Chriſtiani, Epiſcopi *apices*,

1 *Lib.* 1. *cap.* XIII. *pag.* 14. „ Ipſi apices, & principes omnium &c.

ces, *principeſque* erant, Optati ſententia. Quid? ſi etiam judices? Eſſe quippe Epiſcopos *judices* (1) *in Eccleſia* ſtatuit. Age vero qui *apices*, *principes*, *judices* omnium Chriſtianorum Epiſcopos appellavit, is ne ſubdendam civili poteſtatem Eccleſiaſticam cenſuiſſet? Quæ igitur fuit ratio, quæ illum impelleret, ut extolli diceret *ſupra Imperatorem* Epiſcopum non poſſe, eumque Deum videri velle, qui ſe Cæſari præferret, qui Cæſar ſecundus a Deo eſſet? Ego vero ſic exiſtimo. Eſſe quidem Imperatorem aliquo ſenſu *ſecundum a Deo* poſſe, quin ſit alio ſenſu ab eodem *ſecundus Deo*. Qui enim civitati præeſt, quique gladium geſtat, neque pendet a quoquam niſi a Deo in ea re, is ſecundus a Deo dici in eo ipſo genere poteſt; in alio autem genere non item. Præeſt autem civitati, ſeu reipublicæ Imperator, gladiumque geſtat, ut in eos, qui nocent ſocietati, animadvertat, timenduſque (2) proinde eſt; neque exſtat, præter Deum, quiſquam, a quo ille, *directe* (3) ſaltem, ut ajunt, pendeat. Dici igitur *a Deo ſecundus* poterat Imperator. Non eſt tamen hinc conſequens, ut alio in genere eſſe alius quiſquam, qui excellat dignitate, & poteſtate præſtantiore; vocarique a Deo ſecundus non poſſit, eoque in genere, quo *ſecundus a Deo* eſt, nullo modo pendeat ab Imperatore. Atque hujuſmodi quidem ſunt, qui poteſtatem obtinent in Eccleſia, appellanturque ab Optato *apices*, *judices*, ac *principes* Chriſtianorum. Quid? ſi ne illud quidem concedendum ſit, eodem in genere, quo *ſecundus a Deo* dicitur Imperator, ullum alium exſiſtere nequire, qui perinde & eſſe, & appellari *ſecundus a Deo* poſſit? An Rex Perſarum ſuo in imperio *ſecundus a Deo* dici non poterat, qui tanta in ditione ſua poteſtate valebat, quanta in Romana republica Imperator? Quid igitur? Regis ne Perſarum poteſtatem, contendent, ſubjectam eſſe poteſtati Imperatoris Populi Ro-

1 *Lib.* VII. *cap.* VII. *pag.* 106. Paullo ante caſtigari Macarium, qui magiſtratu fungebatur, ab Epiſcopis potuiſſe, ac etiam debuiſſe, ſi peccaſſet, ſcripſerat.

2 Vide Optatum *ibid. lib.* III. *cap.* III. *pag.* 56. ubi de Donato. „ Carthaginis, *inquit*, principatum ſe tenuiſſe crediderat, & cum ſuper Imperatorem non ſit, niſi ſolus „ Deus, qui fecit Imperatorem, dum ſe Donatus ſuper Imperatorem extollit, jam quaſi „ hominum exceſſerat metas, ut prope, ſe Deum, non hominem æſtimaret, non reverendo „ eum, qui poſt Deum ab HOMINIBUS TIMEBATUR.

3 De hac re alias §. *ſeqq.*

Romani? Hoc ſi negant, cur poteſtatem Eccleſiaſticam civili eſſe obnoxiam pugnant, propterea quod Imperator *ſecundus a Deo* non ſolum ab Optato, ſed etiam ab Tertulliano vocari conſueviſſet? Nam quæ inſtituta a Deo ſine conſenſu Imperatorum; ſine conſenſu autem Imperatorum? immo vero invitis Imperatoribus eſt, ea certe Imperio ſubdita eſſe non poteſt.

Sed Epiſcopum reprehendit Optatus, qui quoniam Imperatorem contemſerat, arrogare ſibi velle divinum quidpiam videbatur. Epiſcopum? Nego enim vero. Sacrilegum (1) debebant dicere, impium, ſceleſtum, omnium Epiſcoporum judicio damnatum, dignum denique hominem, qui ob flagitia extremo ſupplicio afficeretur. Nam is erat Donatus, cujus eo in loco ab Optato fit mentio. Sed fac Epiſcopus, qualem adverſarii vellent, fuerit. Epiſcopus ne Regis officium in re civili uſurpet, Imperatorique & recte, & ſapienter adminiſtranti rempublicam maledicat, pro quo certe Imperatore Paulus Apoſtolus ſtatuerit Chriſtianum quemque, quantacumque tandem dignitate præcelleret, orare oportere? Hoc autem illud eſt, quod Optatum permovit (2) ut acriter Donatum reprehendendum arbitraretur, ſubderetque, Eccleſiam eſſe ortam vigereque in Romano Imperio, in quo Imperator quod ad civilem ſtatum pertinet, ſecundus a Deo haberetur, adjuvarique precibus deberet Chriſtianorum, quin tamen poteſtatem Eccleſiaſticam ſubjiciendam civili contenderet.

Redeo ad Optati locum, qui eſt de Eccleſia in Republica conſtituta. Quæro quid nomine intelligant Reipublicæ; Imperium ne Romanum, an regiones orbis terrarum univerſas, quæ in aliorum etiam principum ditionem veniſſent, quaſque Chriſtiani incolerent? Imperium, arbitror, Romanum, dicent. Eſt enim hoc unum, excluſis ceteris, ab Optato commemoratum. At Eccleſiam non ii ſolum Chriſtiani conſtituebant, qui parebant Imperatori Populi Romani, ſed etiam, qui apud Getas, Seras, Perſas, ceteraſque gen-

1 Vide de Donato, & Donatiſtis Optatum *Lib.* 1. *cap.* xxv. *ſeqq. pag.* 24. *ſeq. & lib.* 111. *cap.* 11I. *ſeqq. pag.* 55.

2 Optatus *loco ſupra deſcripto ex cap.* 11I. *lib.* 111. *pag.* 55. *ſeq.*

gentes barbaras (1) verſabantur. Scilicet hæc ratio eſt, cur Eccleſia ut una, ita quoque catholica vocaretur, & eſſet. Non ergo erat Eccleſia in republica. Reſtat igitur ut is omnino ſit Optati verborum ſenſus, quem nos paullo ante explicavimus.

Atque hæc de Patrum ſententiis dicta ſunto. Quamquam mirum videri debet qua confidentia adverſarii ad Patres confugiant, cum ubi ſe horum conſenſione convictos cernunt, nihil ſe eorum dicta morari reſpondent, quod controverſiæ inter Chriſtianos ortæ non hominum, ut illi ajunt, qui implicantur magnis erroribus, ſed ſacrorum Bibliorum auctoritate, dijudicandæ, expediendæque (2) ſint. Scripturarum

Tom. IV. O autem

1 Jam hoc oſtenſum alias eſt teſtimoniis Tertulliani, Juſtini, Irenæi, &c. Nunc quoniam de Optato agitur, hujus quoque teſtimonio utamur neceſſe eſt. Is igitur *lib.* II. *cap.* II. *pag.* 30. ,, Ergo probavimus, *inquit*, eam eſſe Eccleſiam Catholicam, quæ eſt in toto terrarum orbe diffuſa ,,. Similia habet *cap.* 1. *ejuſdem lib. pag.* 29. *ſeqq.*

2 Scripturis in hoc genere agendum, non Eccleſiæ auctoritate, quaſi errare Eccleſia poſſit, contendit J. G. Voſſius *epiſt. ad Hugonem Grotium*, *quæ eſt* CCLXVI. *inter epiſt. Eccleſ. & theol. præſtantium, & eruditorum virorum edit. Amſtelod. an.* 1704. Sed idem ipſe, oblitus inſtituti ſui, mox ad conſuetudinem veteris Eccleſiæ confugit, quem nos paullo poſt refutabimus. Inconſtantiam autem hæreticorum carpit idem his verbis *pag.* 441.
,, Quid magis Luthero, aliiſque doctoribus primitus objici ſolet, quam Papæ, & Eccleſiarum
,, multarum diſſentientium auctoritas? Sed Doctores noſtri ab Eccleſiis ad ſcripturæ judicium,
,, a Papa ad magiſtratus judicium ,, (Egregios nobis judices rerum fidei narrat. Recte ſcilicet ejus opinione Ethnici provocabant contra Chriſtianos ad Imperatores. Hoc quam ſit impium ipſe viderit.) ,, provocabant. Bona cauſſa multis locis triumphavit. Sed cum Lu-
,, therus homo quoque eſſet, a quo idcirco humani nihil alienum putari debet, factum, ut
,, cum bono ſemine zizania alicubi ſeminaret.. Hic, qui in Lutheri ſententiam juraſſent,
,, quaſi quæ de ſcripturarum unico, ac perfectiſſimo canone dicta eſſent, adverſus Pontifi-
,, cios ſolum valerent, ecce iiſdem, vel geminis plane armis, aggredi eos auſi ſunt, qui
,, zizania in Eccleſiis ſuis recens orta eruncare vellent. Nam ut Pontificii Pontificem, ita hi
,, Lutheri ſectatores Lutherum, ut illi Eccleſiam Romanam, ita hi Eccleſias Saxonicas, &
,, alias, ut illi mediæ fere, aut infimæ antiquitatis concilia aliquot, ita hi, tamquam quod
,, Conciliorum ſibi multorum inſtar eſſet, confeſſionem Auguſtanam urgere adverſus diſſen-
,, tientes cœperunt. Habuit hoc alios peſſime, imprimis eos, qui in re Sacramentaria ab
,, iis diſſentientes, hac parte Zuinglium, & Calvinum ſequi ſe profiterentur. Aurem igitur
,, iſtis vellere, memoriamque priorum temporum refricare, quibus armis illiuſmodi pugnan-
,, dum fuiſſet, cauſſa fuiſſent longe inferiores. Sed ſurdo canebatur fabula. Nam qui quaſi
,, rerum dominarentur, hi ut Pontificii olim, ita jam ipſi quoque in omnes a ſe diſſentien-
,, tes de umbone, tamquam de plauſtro omnis generis convicia jactare cœperunt: commu-
,, nitati etiam in poſterum renunciarunt. Atque in his tuebantur ſe Lutheri... exemplo ....
,, Tandem ... in Britannia, in Germania, in Galliis, in Belgica efflorescere etiam Eccle-
,, ſiæ cœperunt ... At aliquantiſper quidem hæ memores priſtinæ conflictationis & cum Pa-
,, piſtis, & cum Lutheranis, nihil aliud urſere, quam Prophetica, & Apoſtolica ſcripta, ſum-
,, mumque in Eccleſiaſticis judicium magiſtratibus ſponte detulerunt. Sed poſtquam pleri-
,, que earum doctores rem omnem in vado eſſe viderunt, inque veterum multorum locum
,, jam ſucceſſerant oratores novi, adoleſcentuli, quam in Papiſtis prius, ac mox Luthera-
,, nis tantopere damnarunt, hanc ipſi cum alibi, tum imprimis in Belgica hac calcare
,, etiam cœperunt. Si quod enim dogmatum ſuorum in dubium vocaretur, non jam ad ſcri-
,, ptu-

autem quem umquam locum indicare poterunt, ex quo poteſtatem Eccleſiaſticam civili eſſe ſubjectam intelligatur? An uſquam lectum in ſacris Litteris eſt, Presbyteros, Epiſcopoſque, quos Apoſtoli in urbibus, atque provinciis populi Romani inſtituere conſuerant, magiſtratus voluntate aut confirmatos, aut de gradu dejectos; ſynodoſque quas Apoſtoli celebrarunt, coactas, adprobata decreta, Hierarchiam conſtabilitam, gradus varios, variaſque claſſes Chriſtianorum diſtributas, rem denique ullam, quæ ad diſciplinam Eccleſiæ pertineret, ſancitam fuiſſe, non poteſtate dicam, nam eſt id quidem graviſſimum, ſed conſenſu Imperatorum? Nonne hæc omnia ab Apoſtolis, hiſque exactis, ab Epiſcopis, qui in eorum locum ſucceſſiſſent, quin a magiſtratu civili penderent, adminiſtrabantur? At ſi poteſtas Eccleſiaſtica civili ſubdita eſſet, quemadmodum hoc tantum facinus admiſiſſent, qui a Chriſto diſciplinam acceperant, contra rationem, contra inſtitutionem Dei, contra Magiſtri, quem & admirarentur, & maximopere colerent, voluntatem.

Sed dicent fortaſſe, Ethnicos tunc fuiſſe Imperatores; quamobrem non fuiſſe opus, eorum opera in rebus ſacris, auctoritateque uti. Ridiculum! Quaſi vero tunc Imperatoribus plurimum acceſſerit auctoritatis, cum Chriſtianam profiteri cœperunt (1) religionem. Quibus enim ſacrorum Bibliorum monumentis efficient, magiſtratum Chriſtianum plus in Eccleſia, quam Gentilem poſſe? Nam Pauli decreta de omni anima poteſtati ſublimiori obnoxia, de precibus pro Imperatore fundendis, deque parendo principibus, quæ tantopere ab adverſariis jactantur, non minus in Ethnicum, quam in Chriſtianum cadunt Imperatorem. Ea vero ſi Apoſtolos,

„ pturas ſolas, immo nec ad primævam antiquitatem provocari ſe patiebantur; ſed ut Lu„ therani illi Lutherum, ita hi Calvinum, aut Bezam, ut illi Auguſtanam Confeſſionem, „ ita hi Confeſſionem Belgicam, vel *Catecheſim* Palatinam, ut illi Saxonicarum, ita hi Re„ formatorum in Provinciis hiſce jactabant conſenſum „. Multa alia diſputat Voſſius in hanc rem, ex quibus intelligitur, quam fuerint, ſintque etiamnum hæretici in ſe ipſis tuendis, inque aliis oppugnandis leves. Eccleſia autem Romana nunquam judices controverſiarum fidei Principes eſſe voluit, idque jam fecit non ſcripturarum auctoritate modo freta, ſed etiam exemplis Apoſtolorum, omniumque ætatum verorum Chriſtianorum. Eadem fere exprobrat Remonſtrantibus Gisbertus Voetius *Polit. Eccl. P.1. t. 1. p.125. ſeq. edit. an.* 1663.

1 Vide, ſi licet, Jacobum Triglandum *Antapol. adv. Remon. c.LIX. p.722. ſeq. ed. a.*1664.

ſtolos, eorumque diſcipulos numquam induxerunt, ut poteſtatem Eccleſiaſticam ſubditam civili, juſque in ſacra Imperatoribus Ethnicis ullum eſſe putarent, quid eſt, quod nos moveat, ut ſecus ſentiendum de Chriſtianis Imperatoribus eſſe arbitremur?

Nunc videamus de Socrate. Hujus eſſe, ajunt, inſignem locum in libro quinto Hiſtoriæ. Nam ut (1) primum imperium adepti Chriſtiani ſunt, res Eccleſiaſticas ab Imperatoribus pependiſſe ſcribit. At is, quo tandem modo pependerint, neque explicavit eodem in loco (2), neque ubi explicavit, tantum eſſe concedendum Imperatori affirmavit, quantum qui Grotianas, Voſſianaſque partes ſequuntur, vellent. Nihil enim ille ab iis, qui Regnum in Republica obtinebant, decretum, nihil permiſſum, nihil, quod ad res ſacras ſpectaret, in Eccleſiam introductum narrat; ſi quid autem aliquando factum eſt, id vero non auctoritate, arbitrioque eorum, ſed poſt conſultationem, ſanctionemque Eccleſiæ, voluntate, conſenſione, rogatu denique Epiſcoporum fuiſſe factum (3) teſtatur. Noſtrum autem nemo eſt, qui cum Eccleſia laboret, egeatque præſidio Principum, fas non eſſe putet opem Imperatoris, Regumve implorare, ab eiſque petere, ut, quoniam poteſtatem obtinent in civitate, vindiceſque Dei ſunt, gladiumque ad malos puniendos geſtant; coerceri improbos, hæreticos Epiſcopoporum judicio damnatos plecti, pacem ab omnibus coli, ſervari ſanctiones, diſciplinamque Eccleſiæ, quemadmodum Antiſtites ſacrorum ex uſu eſſe Reipublicæ Chriſtianæ cognoverint; Epiſcopos, qui ad ſynodum religionis cauſ-

1 Συνεχῶς δὲ καὶ τοὺς βασιλεῖς τῇ ἱστορίᾳ περιλαμβάνομεν, διότι ἀφ' οὗ χριστιανίζειν ἤρξαντο τὰ τῆς ἐκκλησίας πράγματα ἤρτητο ἐξ αὐτῶν, καὶ αἱ μέγισται σύνοδοι τῇ αὐτῶν γνώμῃ γεγόνασί τε καὶ γίνονται. „Sed & ipſos Imperatores in hoc opere perpetuo includimus, „ propterea quod ex quo illi Chriſtiani eſſe cœperunt, ex illis pependerunt res Eccleſiaſti- „ cæ, & maxima quæque concilia eorum arbitrio tum facta ſunt antea, tum hodieque „ fiunt „. Socrat. *lib.* v. *H. E. in Proœmio pag.* 263. *ſeq. edit. Cantabrig.* Hoc autem loco non modo Grotius, & Hennigeſius, quorum ante meminimus, ſed J. G. Voſſius etiam *epiſtola ad Hugonem Grotium ſupra indicata pag.* 447. aliique ejuſdem factionis Proteſtantes abuti ſolent.

2 Nam etſi de Conciliis ab Imperatoribus indictis, congregatiſque mentionem fecit, tamen quo fuerint modo coacta, non explicavit. Qua de re agemus nos ubi de Conciliis erit quæſtio diligenter.

3 Ut conſtabit librum hunc quartum percurrenti.

ſa vocati ſint, rebus omnibus juvari curent. Immo vero ſumma omnes conſenſione defendimus, laudandum magnopere Regem eſſe, qui talem ſe Eccleſiæ præſtet, qualem ipſa vindicem libertatis, atque defenſorem vellet. Sed ferri adverſariorum in hoc genere inconſtantia, temeritaſque non poteſt, qui poſteaquam acriter invecti in Imperatores, Regeſque ſunt, conjurationeque facta, id demum pluribus in provinciis obtinuerunt, ut ſubditi a principe, qui eos tamdiu rexiſſet, deficerent, aliorumque imperia ſequerentur; ubi novas hæreſes locum habere, in quo ſatis tuto conſiſterent, principeſque nactos ſe fuiſſe viderunt, qui moribus, religioneque ſimiles ipſorum eſſent, horum ſummum jus in res ſacras eſſe vociferari cœperunt (1) noſtroſque inſectari, carpere, lacerare, qui Patres, qui Eccleſiam, qui Apoſtolos imitati, id juris eſſe laicis negandum defenderent. Extant Lutheri (2) Buceri, (3) aliorumque ex eadem ſecta Germanorum libri. Quot in iis leguntur contume-

1 Confer Boſſuetium *lib.* II. *Hiſt. Variat. num.* XLIV. *pag.* 83. *tom.* II. *opp. edit. Venet.* & *lib.* IV. *num* 1. *ſeq. pag.* 145. qui Philippi Melanthonis, & Sleidani, aliorumque teſtimoniis rem confirmat. *Lib.* VIII. *num.* 1. *pag.* 360. & *lib.* X. *n.* XXIV. *p.* 473. *ſeqq.*

2 Confer Boſſuetium *lib.* VIII. *num.* 1. *pag.* 360. *ſeqq.*

3 In Conſultatione Lutheri, Melanthonis, Buceri, Gorvini, Adami, Leningli, Vintferti, Melantheri ad Langravium Haſſiæ miſſa, qui ſe ad Imperatorem Carolum confugere velle dixerat, ut facultatem ſecundæ uxoris ducendæ peteret, hæc adverſus Imperatorem ipſum ab illis jactata leguntur, qui ſummum in ſacra Imperium Principi concedendum, cum e re ſua eſſe putarent, pugnabant *num.* XXII. „ Quod attinet ad Conſilium hanc rem apud Cæſarem tractandi, exiſtimamus, illum adulterium inter minora peccata numerare; nam magnopere verendum, „ illum Papiſtica, Cardinalitia, Italica, Hiſpanica, Saracenica imbutum fide non curaturum veſtræ celſitudinis poſtulatum, & in proprium emolumentum vanis verbis ſubſtentaturum, ſicut intelligimus perfidum, ac fallacem virum eſſe, moriſque Germanici oblitum. Videt celſitudo veſtra ipſa, quod nullis neceſſitatibus Chriſtianis ſincere conſulit. „ Turcam ſivit imperturbatum, excitat tantum rebelliones in Germania, ut Burgundicam „ potentiam efferat. Quare optandum, ut nulli Chriſtiani Principes illius infidis machinationibus ſe miſceant „. Ita illi rerum novarum ſtudioſi, ſeditionum, conjurationumque vel auctores, vel fautores de Imperatore, qui jure conſequutus eam dignitatem, atque potentiam erat, loquuntur. Sed video quorſum hæc evadant. Nam quos Principes judices eſſe, inque hoc genere imperium obtinere velint, ſatis indicat Brentius *epiſtola ad Chriſtophorum Ducem Wirtembergenſem præfixa tom.* II. *Antidot. Theologorum Tubing. edit. an.* 1561. „ Oſtendemus, inquit, quod non ad Prælatos illos tantum, immo ne quidem ulla ex parte „ ad ipſos, quippe qui non ſint Eccleſiæ membra „ (loquitur autem de Prælatis Catholicis homo novus, novæ Pſeudo Eccleſiæ Doctor, quæ nuſquam antea fuit) „ ſed præcipue ad pios „ Principes, & ad eos, cui tam ex miniſtrorum Eccleſiæ numero, quam ex reliquo hominum „ qui doctrinam Chriſti agnoſcunt, cœtu, in conſilium adhibentur, pertinet de doctrina „ religionis cognoſcere, & judicare „. Pios vero Principes, quos appellet, conſtat. Nempe eos, qui Lutheranis partibus ſtudebant. Non enim alios, qui aut ab Eccleſia Romana, aut a Zuinglio ſtabant.

melioſiſſime dicta de Imperatore? Scimus (nec enim res tam teſtatæ, tamque manifeſtæ quemquam prætereunt) conjurationes, ſeditioneſque in Germania (1), in Galliis (2), in Belgio (3), Britannia, hæreſeos tuendæ, firmandæque cauſſa, a Proteſtantibus immaniter in eos commotas, quos ſeditioſi illi homines, ſi conſtitiſſent ſibi, ſummum obtinere in Eccleſia imperium dixiſſent. Scilicet quum converſis rebus, mutent, ita ut pueri ſolent, ſententiam; id cogitant, idque enituntur, atque laborant, ut ſubdere civili poteſtatem Eccleſiaſticam, juſque ſummum Principi in res ſacras, ſi cum ipſis conſentiat, tribuere, ſin autem ab iiſdem diſſentiat, adimere videantur. Sed hæc paucis, non quo vim huic ſive obſervationi, ſive animadverſioni ad eos convincendos ineſſe ullam putarem (quid enim cum hominibus agas, qui nihil vident, quærunt, defendunt, niſi quod lubet?) ſed ut omnes quibuſcum nobis luctatio, pugnaque eſſet, cognoſcerent.

At Auguſtinus leges ab Imperatoribus de Chriſto ſcribi fatetur. Quaſi vero, quæ decreta, ſancitaque auctoritate Chriſti fuerunt, ea nos negemus introduci in civitatem, poteſtateque publica retineri, defendi, vindicarique ab Imperatore poſſe. Atque eſt hujus rei ſimile, quod adverſæ cauſſæ patroni adjungunt de pace. Nam ſi Reges, Imperatoreſque hæreticorum, improborumque hominum temeritate perturbari Eccleſiam cernant (quos quidem hæreticos, & improbos homines, ut finem vexandorum bonorum, ſeducendorumque imperitorum faciant, coercendos, puniendoſque eſſe ſacrorum Antiſtites judicaverint) non ſolum eos, ut errare deſinant, hortari, ſed etiam latis legibus conſtringere, ut pareant, repugnanteſque carcere, exilio, ſupplicio denique, modo ſit opus, extremo plectere, excru-

1 Vide Boſſuetium *loc. ſup. indic. ex lib.* 1. *Variat. num.* 1. *ſeqq.*

2 Confer eumdem loc. cit. *lib.* x. *num.* XXIV. *ſeqq.*

3 Seculo XVI. medio quum Margarita Philippi II. Regis Soror Provinciam adminiſtraret, infeſta erant omnia in Belgio armis hæreticorum.

4 Nolo equidem hiſtoricos ſive Catholicos, ſive Proteſtantes recenſere, qui de Anglorum in Regem Carolum I. conjuratione, ac parricidio ſcripſerunt. Conſuli tantum volo Rapinum Toiraſium *hiſt. Angleterr. lib.* XXI. *tom.* VIII. exque eo uno intelligetur, quam magni faciant hæretici Regiam in rebus ſacris auctoritatem. Idem de Anglorum in Jacobum II. Opt. Regem ſcelere dici poteſt & vero debet.

excruciareque poſſunt (1). Quo magis adverſariorum sive ſtuporem, sive inconsiderantiam miror, qui cum ad religionis cujuſquam cultum defenderent legibus, vi, pœniſque cogi oportere neminem (propterea quod sibi, ut qui novis rebus ſtuderent, hiſce doctrinis proſpiciendum arbitrarentur) tum ubi de commenticia *ſumma* principum *circa ſacra poteſtate* egerunt, modo aliquid proferrent, quod conducere ad eorum ſententiam confirmandam poſſe videretur, ea Auguſtini, aliorumque Patrum dicta deſcripſerunt, quibus omnis ipſorum evertitur ratio de non cogendis mortalibus ad illam, quam colere nolint, religionem. Auguſtinus enim hoc maxime in epiſtola ad Vincentium (2), inque libris adverſus Gaudentium ſtudet, ut oſtendat injuria Donatiſtas conqueri quod religionis cauſſa ab Imperatoribus vexarentur.

Leonem autem Primum Pontificem Maximum pertrahere ad eorum partes velle, qui poteſtatem Eccleſiaſticam civili eſſe ſubjectam putant, hominum eſt rebus claris obducere noctes conantium. Sunt enim Sanctiſſimi viri & multa, & luculentiſſima teſtimonia, quibus efficitur poteſtatem Eccleſiaſticam, Romanis imprimis Pontificibus divinitus datam præſtantiorem, ſuperioremque (3) eſſe civili. Neque

1 Auguſtinus *epiſt.* XCIII. *alias* XLVIII. *ad Vincentium cap.* XII. *ſeqq. pag.* 235. *ſeqq. Tom.* II. *opp. edit. Pariſ. Monach. s. Mauri*.

2 Auguſtinus *ibid. cap.* XVI. *pag.* 238. „ Non illos, aut illos homines, ſed multas civitates fuiſſe videmus Donatiſtas, nunc eſſe Catholicas, deteſtari vehementer diabolicam „ ſeparationem, diligere ardenter unitatem. Quæ tamen timoris hujus, qui tibi diſplicet, „ occaſionibus, Catholicæ factæ ſunt per leges Imperatorum a Conſtantino, apud quem „ primum veſtri ultro Cæcilianum accuſaverunt, uſque ad præſentes Imperatores, qui judicium illius, quem veſtri elegerunt, quem JUDICIBUS EPISCOPIS PRÆTULERUNT (ſcilicet hoc Auguſtinus Donatiſtis vitio dat, quod Judicibus Epiſcopis in rebus religionis prætulerint Imperatorem) „ juſtiſſime contra nos cuſtodiendum eſſe decernunt. His ergo exemplis „ a collegis meis mihi propoſitis ceſſi. Nam mea primitus ſententia non erat, niſi neminem ad unitatem Chriſti eſſe cogendum, verbo eſſe agendum, diſputatione pugnandum, „ ratione vincendum, ne fictos Catholicos haberemus, quos apertos hæreticos noveramus. „ Sed hæc opinio mea non contradicentium verbis, ſed demonſtrantium ſuperabatur exemplis. Nam primo mihi opponebatur civitas mea, quæ cum tota eſſet a parte *Donati*, ad „ unitatem Catholicam timore legum Imperialium converſa eſt, quam nunc videmus ita „ hujus veſtræ animoſitatis perniciem deteſtari, ut in ea numquam fuiſſe credatur. Ita aliæ „ multæ, quæ mihi nominatim commemorabantur ... His omnibus harum legum terror, „ quibus promulgandis Reges ſerviunt Domino in timore, ita proficit, ut nunc alii dicant, „ jam hoc volebamus &c.

3 *Epiſt.* LXXXIX. *ad Epiſc. per Vienn. Provinciam conſtitutos pag.* 160. *edit. Veneta*. „ Divinæ cultum religionis, quem in omnes gentes, omnes nationes Dei voluit gratia co- „ ru-

Neque vero ſentire aliter poterat is, qui in ſcripturis admirabilem in modum eſſet exercitatus, planeque ſciret, quæ de auctoritate Sedis Apoſtolicæ a majoribus monumentis mandata fuerant litterarum. Non movet autem nos, quod ſcribit: pro integritate religionis Chriſtianæ ſollicitum eſſe Chriſtianum Principem oportere; idque magnopere niti, atque curare, ut pax Eccleſiæ, conſenſioque ſervetur, quod regia poteſtas conceſſa non ſolum ad Reipublicæ adminiſtrationem ſit, verum etiam ad Eccleſiæ univerſæ præſidium. Immo vero ita ſumus animis inſtituti, ut Principem, qui hæreſes oriri, damnataſque ab Eccleſia ſerpere, latiuſque manare patiatur; qui pacem Eccleſiæ perturbari æquo animo ferat; rogantibuſque ſacrorum antiſtibus, ut ſubſidio veniat, in auctores diſſidiorum non animadvertat, oſtendatque:

„ ruſcare, ita Dominus noſter Jeſus Chriſtus .. inſtituit, ut veritas, quæ antea legis, & „ prophetarum præconio continebatur per Apoſtolicam tubam in ſalutem univerſitatis exi- „ ret, ſicut ſcriptum eſt .... Sed hujus muneris Sacramentum ita dominus ad omnium A- „ poſtolorum officium pertinere voluit, ut in Beatiſſimo Petro Apoſtolorum omnium ſum- „ mo principaliter collocaret, ut ab ipſo quaſi quodam capite dona ſua velut in corpus om- „ ne diffunderet, ut exortem ſe myſterii intelligeret eſſe divini, qui auſus fuiſſet a Petri „ ſoliditate recedere. Hunc enim in conſortium individuæ unitatis aſſumptum, id quod ipſe „ erat, voluit nominari ... ut æterni templi ædificatio mirabili munere gratiæ Dei in Petri „ ſoliditate conſiſteret, ac Eccleſiam ſuam firmitate corroborans, ut illam nec humana te- „ meritas poſſet appetere, nec portæ contra illam inferi prævalerent. Verum hanc petræ „ iſtius ſacratiſſimam firmitatem Deo ... ædificante conſtructam nimis impia vult præſum- „ tione violare quiſquis ejus poteſtatem tentet infringere ... id quod accepit a veteribus „ non ſequendo.

1 S. Leo ibid. „ Nobiſcum itaque veſtra fraternitas recognoſcat Apoſtolicam Sedem pro „ ſui reverentia a veſtræ etiam provinciæ Sacerdotibus innumeris relationibus eſſe con- „ ſultam, & pro diverſarum (quemadmodum vetus conſuetudo poſcebat) appellatione cauſ- „ ſarum, aut retractata, aut confirmata fuiſſe judicia, adeo ut ſervata unitate ſpiritus in „ vinculo pacis commeantibus hinc inde litteris, quod ſancte agebatur, perpetuæ profi- „ ceret caritati. Quam ſollicitudo noſtra non ſua quærens, ſed quæ ſunt Chriſti, di- „ gnitatem divinitus datam nec Eccleſiis, nec Eccleſiarum Sacerdotibus abrogat; ſed „ hunc tramitem SEMPER INTER MAJORES NOSTROS ET BENE TANTUM, ET SALUBRI- „ TER CONSTITUTUM, Hilarius Eccleſiarum ſtatum, & concordiam Sacerdotum novis „ præſumtionibus turbaturus exceſſit, ita ſuæ vos cupiens ſubdere poteſtati, ut ſe Beato A- „ poſtolo Petro non patiatur eſſe ſubjectum, ordinationes ſibi omnium per Gallias Eccleſia- „ rum vindicans, & debitam metropolitanis Sacerdotibus in ſuum jus transferens dignita- „ tem, ipſius quoque Beatiſſimi Petri reverentiam verbis arrogantioribus minuendo, cui „ cum præ ceteris ſolvendi, & ligandi tradita ſit poteſtas, paſcendorum tamen ovium cura „ ſpecialius mandata eſt. Cui quiſquis principatum æſtimat denegandum, illius quidem nul- „ lo modo poteſt minuere dignitatem; ſed inflatus ſpiritu ſuperbiæ ſuæ ſemetipſum ad in- „ ferna demergit „. Confer quæ ſequuntur. Ex iis autem facile intelligitur, quæ fuerit Leonis, ejuſque deceſſorum de poteſtate Eccleſiæ Romanæ ſententia. Sed de Romanorum Pontificum, ſanctorumque Patrum ceterorum doctrina diſſeram poſt eo in loco, ubi de primatu poteſtateque Romani Antiſtitis copioſe agam.

datque indiligentem eſſe in eo genere ſe,ac ſuo munere fungi recuſet, merito eſſe accuſandum, reprehendendumque putemus. Sed non hæc quærimus. De poteſtate Eccleſiaſtica, ſubſit ne civili, tota inter nos adverſarioſque eſt concertatio. Id autem quemadmodum ſit ex Leonis ſententiis conſequens, demonſtrari nobis volumus, non verborum circuitione, quæ ad rem minime pertineant, ſed accurate, preſſe, ſtrictim, more dialecticorum. Id vero efficere Grotius, ejuſque defenſores non poterunt.

Venio nunc ad quartum argumentum, quod eſſe concluſum diximus ex rebus geſtis, exempliſque Chriſtianorum Imperatorum. Sed hoc prædico; non eum eſſe me, qui nihil ab eis minus recte fuiſſe actum, contractumve putem. Si quid autem illi arrogarunt ſibi, quod eorum proprium non eſſet, hoc tantum apud nos valere non poterit, ut canonis loco habendum arbitremur. Ac majores quidem noſtri, etſi fieri quædam a Principibus cernerent,quæ probanda non judicarent, parebant tamen interdum, ne majora incommoda,perturbationeſque in Eccleſiam,ſua loquendi,reſiſtendique libertate, inveherentur. Quamquam negari nullo modo poteſt,quin aliqui quandoque reſtiterint,quod tacendo, metuerent, ne ſuo muneri defuiſſe, deſeruiſſeque officium viderentur. Neque eſſe aliquem adeo civili poteſtati faventem cenſeo, ut quæcumque ab Conſtantio Cæſare Conſtantini magni filio tentata,geſta, præſcripta de Eccleſiaſticis rebus ſunt, ea, cum magnam partem ab Ethnicis ipſis reprobata fuerint, tum probari oportere ab Orthodoxis defendat. Principio igitur ab jure vim ſejungendam ſtatuo.Qua re poſita,quid ex rebus jure ab Imperatoribus geſtis ſequatur, quod plane efficiat, poteſtatem Eccleſiaſticam civili eſſe ſubjectam, ne ſuſpicari quidem poſſum.

Nam quod ajunt, Conſtantinum Auguſtum Epiſcopis confirmaſſe,id ſe magnopere laborare, ut una Chriſtianorum erga verum Deum religio coleretur, quamquam eſt verum, vim tamen habet ad Catholicorum ſententiam aut labefactandam, aut debilitandam omnino nullam. Quis enim neget Imperatori Chriſtiano jus, faſque eſſe doctrinam,

quæ

quæ propoſita ſibi ad credendum ab Eccleſia fuerit, pro virili parte defendere ?

Neque eſt gravius, quod de eodem ſubdunt Imperatore, qui cum Præſules, ſacerdoteſque alloqueretur, eſſe quidem eos Epiſcopos illorum, quæ intra, ſe vero Epiſcopum eorum, quæ extra Eccleſiam eſſent, dixit. Reſpondere namque principio poſſumus, ita ut reſponſum a Petro de Marca adverſariis eſt, quum de hac Conſtantini oratione in ſecundo libro de Concordia Sacerdotii, & Imperii ageret (1): „ re-
„ poni, ſcilicet, poſſe verbis græcis aliam ineſſe ſententiam,
„ quæ ad perſonas, non ad res ipſas ſit referenda, ita ut ſi-
„ gnificetur, Epiſcopos eorum curam gerere, qui Ecclesiæ
„ adſcripti fidem Chriſtianam profiterentur; ſe vero Genti-
„ lium, qui eſſent extra Ecclesiam, ſaluti conſulere, ſacri-
„ ficiis paganorum vetitis, dominici diei cultu, & feria-
„ tione præcepta etiam ipsis Gentilibus, quemadmodum
„ ſuperioribus, & ſequentibus capitibus explicuit Euſebius.
Deinde quid obſtat, quin is locus intelligi ita poſſit, ut Epiſcopos rerum Eccleſiaſticarum, Imperatorem civilium curam gerere ſignificet: quæ res civiles, quoniam ad inſtitutum Ecclesiæ non pertinent, extra Ecclesiam eſſe dicantur? Atque is idem Euſebius, ubi hæc dicta fuiſſe ab Imperatore ſcripsit, ut quo tandem modo eorum, quæ ad Ecclesiaſticam gubernandi rationem minime ſpectarent, rector, adminiſtratorque Conſtantinus eſſet, oſtenderet, caviſſe illum, teſtatur, ne qui Ethnici rem divinam ſuo more facerent, ne ariolos, aruſpices, vateſque conſulerent, ne simulacra erigerent, ne arcanis ſacris operam darent, neve gladiatorios ludos ederent. In Ethnicos autem, eorumque inſtituta, ceremoniaſque, quoniam illi foris, ut Apoſtolus ſcribit, erant, poteſtas Ecclesiæ extendi non poterat (2). Quid, si idem ipſe Imperator ultro confeſſus (3)

 eſt,

1 Petrus de Marca *lib.* II. *de Concord. Sacerd. & Imperii cap.* X. *num.* VII. *pag.* 135. *edit. an.* 1708.

2 Euſeb. *lib.* IV. *cap.* XXV. *pag.* 638. *edit. Cantabrig.*

3 Vide Ruſinum *lib.* 1. *hiſt. cap.* 11. *pag.* 195. *edit. an.* 1570. Sunt qui hunc Ruſini locum ſollicitare, atque in dubium revocare conentur. Cujus rei cauſſa eſt, quod id affirmet, quod adverſariis minime placeat. Ita illi veterum auctoritatem non ratione, neque contraria opinione veterum Hiſtoricorum, ſed ſua voluntate metiuntur.

eſt, non Epiſcoporum judicem ſe, ſed Epiſcopos ſui eſſe judices oportere? Rurſum is, qui Epiſcopos in ſynodis congregatos tanta auctoritate præſtare affirmavit, ut quæcumque ſtatuerent (1), ea eſſe referenda ad divinam voluntatem arbitraretur, ſive ad doctrinam ſpectarent, sive etiam ad diſciplinam, eorumque poteſtatem, tanti fecit, ut cum ipsi in judicio adeſſent, Chriſtum residentem judicare exiſtimaret; iſne, inquam, Imperator eis ſe anteponere, quos Chriſti loco habebat, non dubitaſſet, eorumque poteſtatem ſubdere auſus fuiſſet ſuæ?

At Epiſcopus omnium communis alio loco appellatur (2) ab Euſebio Conſtantinus, laudaturque, propterea quod ſynodos cogi juſſerit, cumque ſacrorum Antiſtitibus in concilio ſederit, deque rebus religionis cognoverit, curaveritque, ut diſſidentes in unam ſententiam convenirent, contendereque desinerent.

Verum quæ ſit ejus appellationis apud Euſebium in primo de vita Conſtantini libro ſignificatio, plane conſtat. Non enim Epiſcopus dici proprie poteſt is, qui vocatus non fuerit tamquam Aaron ad regendam, adminiſtrandamque Eccleſiam. Nam ſi talem ſe exiſtimaſſet eſſe Conſtantinus conſentiente Euſebio, qualem adverſarii vellent, numquam dixiſſet, ſibi eſſe Epiſcopos divinitus judices datos; non tantam eorum conventibus tribuiſſet auctoritatem, quantam ſibi numquam tribuerat; non Chriſti eos loco de controverſiis religionis, ac diſciplinæ dijudicandis considere in ſynodo confirmaſſet. Itaque non alio ſenſu Epiſcopus dici potuit, quam quod, ne perturbatio in Ecclesia noſtrorum cauſſa oriretur, pro-

1 *Lib.* III. *de vita Conſtantini cap.* XX. *pag.* 589. *edit. Cantabrig.* „ Quidquid in ſanctis „ Epiſcoporum conciliis geritur, id omne ad divinam referendum eſt voluntatem „. Agit autem ibidem de ratione celebrandi Paſchatis. Idem Conſtantinus *epiſt. ad Epiſcopos* poſt Concilium Arelatenſe *tom.* I. *Concilior. Hard. edit. pag.* 268. „ Dico enim, *inquit*, ut ſe „ veritas habet. Sacerdotum judicium ita debet haberi, ac ſi ipſe dominus reſidens ju- „ dicet. Quid igitur ſentiunt Donatiſtæ ... Perquirunt ſecularia, relinquentes cæleſtia.

2 Euſebius *lib.* II. *de vit. Conſtantini cap.* XLIV. *pag.* 524. Verum Eccleſiæ Dei præci- „ pue curam gerens, cum per diverſas provincias quidam inter ſe diſſentirent, ipſe veluti „ communis omnium Epiſcopus a Deo conſtitutus, miniſtrorum Dei concilia congregavit. „ Nec deſignatus adeſſe, & conſidere in medio illorum conventu cognitionis particeps fuit, „ ea quæ ad pacem Dei pertinent, cunctis procurans. Porro ſedebat in medio tamquam „ unus e multis ... Cæterum quoſcumque ſaniori ſententiæ acquieſcere, & ad quietem, & „ concordiam propenſos eſſe animadverterat, eos maxime probabat.

proſpiceret, rogatuſque a Patribus, Epiſcopos ut in locum unum concurrerent, quidque facto eſſet opus ſtatuerent, hortaretur, quæque ab ipſis decreta eſſent, rata haberi curaret. Quo in genere non tam Epiſcopum proprie dicere ipſum par erat, quam ſententiæ Epiſcoporum *exequutorem*.

Sed quoniam Conſtantini Auguſti auctoritate, rebuſque geſtis adverſarii abutuntur, fueruntque aliqui tam male in Eccleſiam animati, ut poteſtatem in res ſacras præcipuam Imperatoribus adſcripturi, libros contra Bellarminum de Epiſcopatu Conſtantini Magni publicarint, paullo diligentius demonſtrandum eſt, quam ille Princeps caute, prudenterque agere, cum in hujuſmodi quæſtiones, controverſiaſque vocaretur, ſoleret. Ut autem ordine rem omnem deſcribam, ordiar ab Donatiſtis, quorum prius eſt nomen delatum ad Imperatorem. Nam cum (1) Anulino Proconſuli Provinciæ Africæ oblati libelli fuiſſent, in quibus Cæcilianum Carthaginienſem Epiſcopum ab æmulis vexari, exagitarique ſcriptum eſſet, iique libelli miſſi ad Conſtantinum fuiſſent, ut quid facto eſſet opus decerneret, Imperator, qui optime ſciret, non ad ſe pertinere, ſed ad Præſides, Antiſtiteſque Eccleſiarum hoc genus controverſiarum expedire, litteras ad Melchiadem Romanum Pontificem dedit, quibus ſignificavit, pacem reipublicæ ſibi ſummæ eſſe (2) curæ, quamobrem coacta ſynodo, cauſſam Cæciliani cognoſceret, idque ſtatueret, quod juſtum eſſe videretur. Lege namque Chriſtiana præſcriptum eſſe, adjunxit, nemo ut Eccleſiaſticus, indicta apud Epiſcopos cauſſa, damnari, dejicique de gradu poſſet. Re a Pontifice, Epiſcopiſque in ſynodo præclare geſta, & Cæciliano abſoluto, omniumque ſententia Donatiſtis, ita ut ratio, juſque poſcebat, damnatis, Schiſmatici ad Imperatorem confugerunt, utque de cauſ-

1 Euſebius *lib. x. hiſt. Eccl. cap. v. pag. 484. edit. Cantabrig.*

2 *Conſtant. Imp. epiſt. ad Miltiadem Pontificem apud Euſebium* ibid. „ Quod quidem „ permoleſtum mihi videtur, in iſtis provinciis, quas divina providentia meæ devotioni „ ſpontanea deditione tradidit, & in quibus maxima eſt populi multitudo, plebem quaſi in „ duas partes diviſam ad deteriora deflectere, & Epiſcopos inter ſe diſſentire. Placuit mi„ hi, ut idem Cæcilianus una tum decem Epiſcopis, qui accuſare ipſum videntur, & cum „ decem aliis, quos ipſe ad ſuam cauſſam neceſſarios eſſe judicaverit, Romam naviget, ut „ ibi coram vobis, & coram Reticio, Materno, ac Marino Collegis veſtris, quos ea cauſſa „ Romam properare juſſi, poſſit audiri, ὡς ἂν καταμάθοιτε τῷ σεβασμιωτάτῳ νόμῳ ἁρ„ μόττειν *quemadmodum ſanctiſſimæ legi convenire optime noſtis*. Vide Auguſt. *ep. cap. v. pag. 299. tom. II. opp.*

cauſſa rurſum cognoſci præciperet (1), poſtularunt. Paucitatem Epiſcoporum, qui convenerant, que runtur, utque jam mentiri conſueverant, clam omnia in ſynodo facta dixerunt. Conſtantinus etſi ægre ferens, tamen quod pacem reſtitui Eccleſiæ, reipublicæque poſſe confideret, ſi eis, quod petebant, concederetur, ut Arelate Epiſcopi congregarentur, deque Africana cauſſa cognoſcerent, imperavit. Donatiſtæ iterum condemnati (2) cum conquieſcere noluiſſent, tertioque jam ad Imperatorem acceſſiſſent, exiguumque numerum (3) Præ-

1 Confer Euſebium *ibid. pag.* 485., quo loco refert Epiſtolam Conſtantini ad Chreſtum Syracuſanorum Epiſcopum. ,, Jam quidem antea, cum nonnulli pravo, ac perverſo animo a ſancta religione, cæleſtique virtute, & ab Eccleſiæ Catholicæ ſententia diſſidere cœpiſſent, hujuſmodi eorum contentionem præcidere cupiens, ita conſtitueram, ut miſſis e Gallia quibuſdam Epiſcopis, accitis etiam ex Africa iis, qui duas in partes diviſi pertinaciter inter ſe obſtinateque contendunt, præſente quoque Romanæ Urbis Epiſcopo, quod commotum fuiſſe videbatur, ſub horum præſentia poſſet diligentiſſima examinatione componi. Sed quia nonnulli .... privatas adhuc ſimultates prorogare non ceſſant, prolatæ jam ſententiæ acquieſcere nolentes, aſſerenteſque paucos admodum Epiſcopos ſententiam tuliſſe, qui nec omnibus, quæ prius oportebat, diligenter excuſſis, ad depromendum judicium properanter acceſſiſſent. Unde fit, ut & ipſi ... deteſtanda ſeceſſione diſſideant, & iis hominibus, qui a ſanctiſſima religione alieno ſunt animo ſubſannandi occaſio præbeatur. Idcirco mihi ſedulo providendum fuit, ut hæc, quæ poſt depromtum judicium voluntaria aſſenſione jam finita eſſe debuerat, nunc tandem multorum interventu finem poſſint accipere. Quoniam igitur plurimos ex diverſis, ac prope infinitis locis Epiſcopos in urbem Arelatenſem intra calendas Auguſti juſſimus convenire, tibi quoque ſcribendum eſſe cenſuimus &c.

2 Donatiſtæ implicari hiſce cauſſis Imperatorem non oportere ajebant. Id non negat Optatus. Quamobrem cur ille ſe implicarit, non Catholicos, ſed Donatiſtas fuiſſe in cauſſa ſcribit. *Lib.* 1. *adv. Parmen. num.* XXII. *pag.* 23. *edit. Pariſ. an.* 1702. ,, Nam quod de nobis dicitis, inquit, quid Chriſtianis cum Regibus? aut quid Epiſcopis cum palatio? Si nota eſt noſſe Reges, vos tota perfundit invidia. Nam majores veſtri Lucianus, Dignus, Naſutius, Capito, Fidentius, & ceteri Imperatorem Conſtantinum, harum rerum adhuc ignarum, his precibus rogaverunt, quarum exemplum infra ſcriptum eſt. *Rogamus te Conſtantine optime Imperator, quoniam de genere juſto es, cujus pater inter ceteros Imperatores perſecutionem non exercuit, & ab hoc facinore immunis eſt Gallia. Nam in Africa inter nos, & ceteros Epiſcopos, contentiones ſunt. Petimus ut de Gallia nobis judices dari præcipiat pietas tua.* Quibus lectis Conſtantinus pleno livore reſpondit. In qua reſponſione, & eorum preces prodidit, dum ait: PETITIS A ME IN SECULO JUDICIUM, CUM EGO IPSE CHRISTI JUDICIUM EXPECTEM (ad quæ verba egregie Albaſpinæus in notis *ibid. not.* 84. *Hoc reſponſum eſt notatu dignum, quo Imperator voluit oſtendere Epiſcoporum controverſias ab ipſis potius, quod Chriſti vicem gerant, dijudicandas eſſe, quam a laicis*), ,, Et tamen dati ſunt judices ... His decem, & novem conſedentibus Epiſcopis, cauſſa Donati, & Cæciliani in medium miſſa eſt. A ſingulis in Donatum ſunt hæ ſententiæ latæ, quod confeſſus ſit rebaptizaſſe &c. ... ſufficit ergo & Donatum tot ſententiis eſſe percuſſum, & Cæcilianum tanto judicio eſſe purgatum. Et tamen Donatus appellandum eſſe ad Epiſcopos credidit. Ad quam appellationem Conſtantinus Imperator ſic reſpondit. *O rabida furoris audacia! ſicut in cauſſis gentilium fieri ſolet, appellationem interpoſuerunt* ,,. Vide Notationes in eumdem locum Albaſpinæi, Dupinii, & Caſauboni.

3 Vide Cardinalem Noriſium virum eruditiſſimum *hiſt. Donatiſt. P.* 1. *c.* XII. *pag.* 119. *ſeq. tom.* IV. *opp. edit. Veronenſis Ballariniorum.*

Præſulum cauſſati eſſent, Conſtantinus, qui plane cum de Eccleſiaſticis rebus ageretur, ſacrorum Antiſtitibus, qui præſertim in unum locum convenerant, decretis parendum, deſiſtendumque a contentione eſſe intelligeret, mirari ſe dixit, quid eſſet, quod qui ſe Chriſtianos eſſe prædicarent, Ethnicorum more ad Imperatorem confugere auderent. Non eſt autem veriſimile, ut is, qui primum in Eccleſia eſſe ſe, poteſtateque in ſacris ſumma potiri exiſtimaret, temeritatis eos, improbitatiſque condemnandos diceret, qui interponendam cenſerent eſſe *appellationem*. Sed cum nullum fieri diſſidiorum finem videret Cæſar, Donatiſtæque continenter premerent, ab eoque dirimi controverſiam non vellent modo, verum etiam obſecrarent, non quod ad ſe jus illud (1) ſpectare arbitraretur, ſed quod aliam ſedandarum turbarum excogitare rationem nequiret, paſſus tandem eſt, ut Donatiſtæ, ac Cæcilianus Mediolanum accederent; modo qui cauſſa cecidiſſent, ii furere, atque (2) altercari deſinerent. Quum innocens Cæcilianus abſolutus eſſet, leniorque in Donatiſtas, quam oportebat, Imperator fuiſſet, propterea quod lenitate futurum ſperaret, ut reſipiſcerent, majorum turbarum cauſſa fuit, quæ diu Provinciam Africam infeſtarunt. Atque de Donatiſtis dicta hæc ſunto, ut quiſque perſpiciat, non eo fuiſſe judicatos ab Conſtantino, quo ſuum id eſſe officium ille putaret, qui faſſus eſſet, quæ in conciliis a Præſulibus ſtatuuntur (3), ea loco præceptorum Chriſti haberi oportere, idque inſtitutum religionis Chriſtianæ poſcere, ut quæ ad Eccleſiaſticos pertinent, ſancte, integreque ab Epiſcopis dijudicentur, ſed quo finem diſſidiis, contentionibuſque imponeret, quibus reſpublica perturbabatur.

Al-

1 Colligitur id quidem ex modo deſcripto Optati Milevitani loco.

2 Confer Noriſium *ibid. P.* 1. *cap.* XI. *pag.* 191. *ſeqq.* Tillemontium *tom.* VI. *Monum. hiſt. Eccl. art.* XXV. *p.* 57. *ſeqq. edit. Pariſ. an.* 1699. Baron. *ad an.* 314 *n.* XIX. Pagium *ad an.* 313. *ſeq. num.* VII. *ſeqq.* & Valeſium *Hiſt. Donatiſt. ad Euſeb. H. E. pag.* 775. *ſeqq. edit. Cantabrig.* De Donatiſtis præterea copioſe e Proteſtantibus egerunt Thomas Ittigius *hiſt. Donatiſt. p.* 241. *ſeqq. edit. an.* 1690. & Hermannus Witſius *hiſt. Donatiſt. c.* 11. *ſeqq. p.* 748. *ſeqq. edit. an.* 1712. Mitto ceteros, ut qui longior nolim eſſe, quam par ſit, quamque oporteat.

3 Vide acta *Concilii Arelatenſis apud Harduinum tom.* 1. *Concilior. pag.* 268. & Euſebium *lib.* III. *de vita Conſtantini cap.* XX. *pag.* 589. *edit. Cantabrig.*

Altera autem orta Conſtantini ætate eſt inter Catholicos, Arianoſque diſſenſio. In eo vero genere cauſsæ, quid umquam ipſe per ſe Imperator fecit? Primum Hoſium (1) Cordubenſem Antiſtitem, cui ob egregiam fidem, integritatemque morum plurimum tribuebat, Alexandriam miſit, ut pacem Ægyptiis reſtitueret. Cum is nihil profeciſſet, conſilio Epiſcoporum ad Præfectos Eccleſiæ ſcripſit, ut Nicæam ad celebrandam ſynodum proficiſcerentur. Id ut commode fieret, Præſidibus Provinciarum, Patres ut rebus omnibus juvarent, (2) præcepit. In ſynodo nihil ab ipſo, ab Epiſcopis omnia de religione (3), de paſchatis feſto die (4), de Metropolibus Eccleſiaſticis, de ſacris, ceremoniiſque ſancita ſunt. Cumque Patres puniri hæreticos, horumque partem in exilium pelli oportere judicaſſent, dicto audiens, nihil eorum prætermiſit, quæ factu opportuna illi eſſe (5) conſtituiſſent. Euſebium deinde Nicomedienſem, nonnulloſque alios Antiſtites, qui juſſi fuerant hæreſeos cauſſa abire exulatum, cum fateri culpam, deteſtarique impietatem intellexiſſet, non ſuo arbitratu, ſed conſenſu, voluntateque Epiſcoporum patriæ reſtituit. Quod ſi Arium reduci Alexandriam imperavit, fecit id quidem, non culpa ſua, ſed conſilio, hortatu, precibus Antiſtitum (6) aliquorum, quos Catholicos eſſe arbitrabatur, cum tamen novis rebus ſtuderent, fidemque Nicænam evertere conarentur. Jam vero quamquam multa perpetrata fuiſſe ab Athanaſio ſcelera audiſſet ab his, quos ob actam pœnitentiam (ſic enim Imperator ſibi perſuaſerat, tametſi illi fraude, doloque malo ſynodo Nicænæ aſſenſos ſe fuiſſe ſimularent, ut Orthodoxos potentia (7) Principis perderent) magno in honore habebat; tamen ejus cauſſam ab Epiſcopis aliquot ini-

tio

1 Vide Athanaſium *Apolog. pag.* 191. *tom.* 1. *opp. edit. Pariſ. Montfauc.* Socratem *lib.* 1. *cap.* VII. *pag.* 15. *ſeqq. edit. Cantabrig.*

2 Euſeb. *lib.* III. *de vita Conſtant. cap.* VI. *pag.* 579. Socrat. *lib.* 1. *cap.* VIII. *pag.* 18. *ſeq.* Sozomenus *lib.* 1. *cap.* XVII. *pag.* 34. *ſeqq.* Theodoritus *lib.* 1. *cap.* VII. *pag.* 15. *edit. an.* 1612. Rufinus *lib.* 1. *cap.* II. *pag.* 195. *edit. an.* 1570.

3 Socrates *lib.* 1. *cap.* VIII. *pag.* 18. *ſeqq.*

4 Euſeb. *lib.* III. *de vita Conſtant. cap.* XVIII. *pag.* 588. *ſeqq.* Vide Canones Synodi. Socrates *lib.* 1. *hiſt. Eccl. cap.* VIII. *pag.* 19. *ſeqq.*

5 Socrates *lib.* 1. *cap.* IX. *ſeqq. pag.* 26. *ſeqq. edit. ejuſd. Cantabrig.* & *cap.* XIV. *pag.* 43.

6 Socrates *lib.* 1. *cap.* XXIV. *pag.* 60.

7 Socrat. *lib.* 1. *cap.* XXIII. *pag.* 56. *ſeqq.*

tio dijudicari, tum mutata voluntate ab ſynodo Tyrenſi (1) diſcuti oportere ſtatuit, atque ubi cognovit, non juſtitia ductos Epiſcopos, ſed partium ſtudio permotos virum innocentem ſceleris per ſummam injuriam condemnaſſe, Præſules ipſos ut ad ſe venirent, quæque audierant, referrent (2), juſſit. Quid enim egiſſet optimus, paciſque ſtudioſiſſimus Imperator, cum plena eſſe omnia turbarum, bonoſque in periculum continenter venire cerneret? Ac ſi calumnia Euſebii, ſociorumque hæreticorum (qui propter ſimulationem virtutis, atque μετανοίας, quam nos reſipiſcentiam dicere poſſumus, accepti Conſtantino erant) calumnia, in Gallias miſſus Athanaſius eſt, quaſi frumentum, quod Alexandria comportari in urbem Conſtantinopolim (3) Auguſti juſſu ſolebat, negare vellet; ne id quidem ipſi ſoli, quod tam facile crediderit, ſed calumniatoribus imprimis eſt crimini tribuendum, qui cum eſſent Epiſcopi de hujuſmodi cauſſis ſententiam dicere poſſe videbantur. Ceterum idem ipſe Imperator neque judicem Epiſcoporum (4) ſe, neque auctorem eorum, quæ in conciliis agerentur, dixit. Nam Epiſcopos Chriſti locum tenere, eaque ut a Chriſto decreta haberi debere affirmavit, quæ in ſynodis ſtatui conſueſſent. Concilia autem & rogatus convocavit, & quod unum ſe perſpiceret eſſe, qui vi nolentes venire cogeret, ſubminiſtrareque omnia poſſet, quæ neceſſaria ad inſtituendum iter (5) eſſent. Sed de auctoritate cogendorm conciliorum alias. Nunc de Marciano. Ac Sacerdotem quidem, doctoremque fidei dictum a Patribus eum in ſynodo Chalcedonenſi fuiſſe facile (6) patior. Quid? Si etiam ab Leone Magno (7) Ponti-

1 Athanaſ. *Apolog. tom.* 1. *pag.* 130. *ſeqq. edit. Montfauc.* Socrates *l.* 1. *c.* XXVIII. *p.* 65.

2 Athanaſius *ibid.* Socrates *lib.* 1. *cap.* XXXI. *pag.* 67. *ſeq.*

3 Athanaſius *ibid.* Socrates *ibid. cap.* XXXV. *pag.* 71. *ſeqq.*

4 Vide quæ diximus ſupra freti Euſebii, Rufini, & Optati auctoritate.

5 Euſebius *lib* X. *hiſt. cap.* V. *pag.* 485. & Socrates *lib.* 1. *hiſt. Eccl. cap.* VIII. *pag.* 19. *edit. ejuſdem Cantabrig.*

6 Vide locum ſupra deſcriptum *pag.* 83. *not.* 5.

7 S. Leo *epiſt.* LVII. *ad Marcianum Auguſtum pag.* 134. & *epiſt.* LXXI. *pag.* 143. *edit. ann.* 1741. Sed idem ipſe Leo *epiſt.* LIV. *pag* 132. *edit. ejuſdem* ubi de Conſtantinopolitano Epiſcopo agit, quem Imperator magnis honoribus ornari optabat, utque de ea re in ſynodo ſtatueretur, egerat. „ Alia, inquit, ratio eſt rerum ſecularium, alia „ divinarum, nec præter illam petram, quam Dominus in fundamento poſuit, ſtabilis erit „ ulla conſtructio. Propria perdit, qui indebite concupiſcit. Satis ſit, quod prædicto ve- „ ſtræ

tifice ? Verum quod inde ſibi præſidium Grotius, Symmyſtæque polliceantur, non video. An vere Sacerdotio initiatum dicent? Non arbitror. Nam Sacerdotes preſſe, anguſte, proprieque ii ſolum appellabantur, & erant, quibus Epiſcopus manus impoſuiſſet (1). Marciano autem impoſitas ab Epiſcopo manus, ut rem divinam faceret, fuiſſe, quis credat? Ego vero ſic ſtatuo: conſueviſſe majores noſtros Sacerdotum vocabulo eos item, ſed minus accurate, proprieque ſignificare, qui pie ſanċteque viverent, ac vero Chriſtianorum Deo cultum, honores, preces offerrent, quas quidem preces, ſignificationeſque cultus, atque honorum (2) ſacrificia interdum appellaverunt. Eſt præterea Sacerdotum hoc munus proprium, ut pro religione ſingulari quadam fortitudine contra Eccleſiæ hoſtes (3) pugnent. Cum autem talem ſe Marcianus præſtitiſſet, qualem Patres optaverant in eo genere ſacerdotem, ecquid obſtabat, quo minus

,, ſtræ pietatis auxilio, & mei favoris aſſenſu Epiſcopatum tantæ urbis obtinuit. Non dedignetur Regiam civitatem (Anatolius), quam Apoſtolicam non poteſt facere ſedem
,, nec ullo ſperet modo, quod per aliorum poſſit offenſionem augeri. Privilegia enim Eccleſiarum Sanctorum Patrum canonibus inſtituta, & venerabilis Nicænæ ſynodi fixa decretis, nulla poſſunt improbitate convelli. In quo opere auxiliante Chriſto fideliter exſequendo neceſſe eſt me perſeverantem exhibere famulatum, quoniam diſpenſatio mihi credita eſt, & ad meum tendit reatum, ſi paternarum regulæ ſanctionum, quæ in ſynodo Nicæna, ad totius Eccleſiæ regimen Spiritu Dei inſtruente, ſunt conditæ, me (quod abſit) connivente, violentur, & major ſit apud me unius fratris voluntas, quam univerſæ domus Domini communis utilitas. Et ideo ſciens glorioſam clementiam veſtram Eccleſiaſticæ ſtudere concordiæ, & iis quæ pacificæ congruunt unitati piiſſimum præſtare conſenſum, precor, & ſedula ſuggeſtione vos obſecro, ut auſus improbos unitati Chriſtianæ, pacique contrarios ab omni pietatis veſtræ abdicetis aſſenſu, & fratris mei Anatolii nocituram ipſi, ſi perſtiterit, cupiditatem ſalubriter comprimaris; nec ea, quæ veſtræ gloriæ atque temporibus inimica ſunt, cupiens, major ſuis velit eſſe prioribus ... Nam & veſtræ pietatis apices, & ipſius ſcripta declarant, Legatos Sedis Apoſtolicæ (ſicut oportuit) contradictione juſtiſſima ei reſtitiſſe, ut inexcuſabilior eſſet præſumtio, quæ ſe nec increpata cohiberet ,,. Similia habet nonnullis aliis in Epiſtolis. Haccine vero ad Marcianum Cæſarem ſcripſiſſet, ſi primas illum in regenda, adminiſtrandaque Eccleſia obtinere partes putaſſet, exiſtimaſſetque Imperatorem id ſibi arrogaſſe auctoritatis? Credat Iudæus Apella, non ego.

1 Confer Canonem Apoſtolicum 1. *&* 11. *pag.* 10. *tom.* 1. *Concilior. edit. Hard.* Sed de hac re alias.

2 Multa ejuſmodi exempla recenſet Svicerus in Lexico *ad vocem* ἱερεὺς, quæ cum ſint nota, prætereo.

3 Hoc ſenſu Leo Pontifex Maximus ad Leonem Auguſtum *anno circiter* 457. *epiſt.* LXXV. *pag.* 146. *edit. an.* 1741. ſcripſit. ,, Sacerdotalem, & Apoſtolicum tunc pietatis animum ,, etiam hoc malum ad juſtitiam ultionis debet accendere, quod Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ puritatem peſtilenter obſcurat, in qua inveniuntur Clerici quidam hæreticorum ,, ſenſui conſonantes &c.

minus Sacerdos, hoc tamen, quo dixi, ſenſu ab Epiſcopis vocaretur? Ex qua re intelligitur, cur aliquando Imperatoribus tributa laus fuerit Pontificum, & Apoſtolorum. Non enim delecti divinitus erant, ut regiones, propagandæ religionis Chriſtianæ cauſſa, peragrarent, neque in ordinem Epiſcoporum cooptati fuerant manuum impoſitione, ut Sacerdotes conſtituerent, orationes de religione, ac diſciplina ad populum haberent, ſynodos convocarent, canones ederent, de cauſſis Eccleſiaſticorum cognoſcerent, eoſque vel innocentes abſolverent, vel ob ſcelus aliquod condemnarent. Hæc enim omnia ad ſe minime ſpectare (1) confitebantur Auguſti, imprimiſque is, de quo nunc agimus, Marcianus. Quid igitur eſt? Dicam aperte, quod ſentio. Ego cum Chriſtianos omnes, tum Imperatores, ac Principes, qui primas inter laicos in Eccleſia partes obtinent, id potiſſimum curare, ſtudere, conari debere, cenſeo, ut quibus ſtudiis, laboribus, opibus poſſunt, religionem ſacris litteris, majorumque traditione contentam, ſibique ab Eccleſia ad credendum, tenendum, defendendum propoſitam, integram, atque inviolatam non ab ſe ſolum, ſed ab aliis etiam (2) ſervari faciant. Ergo cum, ſtatutis rebus ab ſynodis, quæ credendæ, agendæque eſſent, quod Epiſcopi hortatu, minis, cenſuris curabant, id Imperatores Auguſti, interque eos Marcianus (nam de hoc præcipue ſermo eſt) auctoritate, potentiaque ſua perficere conarentur; factum hinc eſt, ut Pontifices interdum, Apoſtolique fuerint appellati. Quam-

1 Confer ſynodum Chalcedonenſem *act.* VI. *pag.*463. *ſeq. t.* II. *Concilior. edit. Hard.* Eodem fere tendunt, quæ ſcribit Theodoſius junior Imperator *epiſt. ad ſynodum Epheſinam part.* I. *pag.*1346. *edit. ejuſd. tom.* I. „ Et nullo quidem modo, inquit, commune „ quidquam habere oportet (laicum) cum non liceat, ut qui relatus in Epiſcoporum ca- „ talogum non eſt, implicet ſeſe negotiis Eccleſiaſticis „. Efficiant autem Adverſarii, ſi poſſunt, Imperatorem numerari in Epiſcopis oportere.

2 Quare s. Cæleſtinus epiſt. ad Theodoſium Imperatorem an. 431. ſcripta *tom.* I. *Concilior. edit. Hard. pag.*1474. *inter act. ſynod. Epheſ. action.* II. „ Major vobis fidei cauſſa „ debet eſſe, *inquit*, quam regni, ampliuſque de pace Eccleſiarum clementia veſtra de- „ bet eſſe ſollicita, quam pro omnium ſecuritate terrarum; ſubſequuntur enim omnia pro- „ ſpera, ſi primitus, quæ Deo ſunt cariora ſerventur .... Pro veſtri enim Imperii ſalute „ geritur, quidquid pro quiete Eccleſiæ, vel ſanctæ religionis reverentia laboratur „. Auguſtinus præterea *lib.* III. *contra Creſconium cap.* LI. *pag.*458. *edit. Pariſ. Monach. s. Mauri tom.* IX. s. Leo *epiſt.* CXXV. *al.* LXXV. *edit. an.*1741. *pag.*145. idem ſtatuunt. Confer Johannem Antonium Biancum *tom.* IV. *della Polizia della Chieſa lib.* II. *cap.* IV. *pag.*400. *ſeqq. edit. an.* 1746.

obrem mirabile non eſt, ſi eiſdem ipſis magiſtrorum fidei doctorumque fuiſſe conſtet appellationem datam. Etſi namque minime docebant, tamen quæ docti fuerant, eadem a ſubditis teneri, obſervarique curabant. Neque enim is ego ſum, qui Imperatoribus, ceteriſque Principibus tuendæ religionis, defendendæque diſciplinæ Eccleſiæ ab ſynodis, Pontificibuſque ſancitæ poteſtatem detraham (nam expetendum id quidem ab eo, qui gladium geſtat eſſet) ſed qui ſententiam de religione, quaſi judices ſint controverſiarum, ferre, canoneſque ipſos de diſciplina condere ſua auctoritate poſſe, negem. Hoc majores noſtri, hoc Imperatores ipſi, hoc denique concilia, poſtulant, quibus ego aſſentior.

Nam regulam fidei propoſitam ad credendum Chriſtianis ab Imperatore uſquam (1), legeſque de verſione ſacrorum Bibliorum (2), de inſtitutione, ac muneribus Clericorum (3), de Epiſcopis (4), de Feriis, de ſacris Ordinationibus (5) latas fuiſſe, vehementer nego. Non enim illi

novum

1 In Baſilieis *lib.* 1. *tit.* 1. *de ſumma Trinitate*, *& fide catholica lib.* 1. *pag.* 1. *ſeqq. tom.* 1. *edit. Pariſ. an.* 1647. hæc Gratianus, & Valentinianus, & Theodoſius ſcribunt. „ Chriſtianus eſt, qui credit unam eſſe Deitatem ſub pari majeſtate Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Qui vero diverſum ab his ſentit, hæreticus eſt. Cunctos populos, quos clementiæ noſtræ regit Imperium in tali volumus religione verſari, quam divinum Petrum „ Apoſtolum Romanis tradidiſſe, religio uſque adhuc ab ipſo inſinuata prædicat, quam „ Pontifex Damaſus ejuſdem ſucceſſor ſequitur &c. Viden, ut fidem defendant quam ipſis Eccleſia ad credendum proponebat? Memorant ſubinde Nicænam ſynodum, eique parendum præſcribunt, neminique fas eſſe, affirmant, contra Eccleſiam quidquam ſentire. Quid aliud autem id eſt, quam exſequi, quæ Patres in ſynodis, imprimiſque ſedes Apoſtolica ſanxiſſent. Hinc *lege* VIII. *ejuſd. tituli pag.* 10. *& ſeq.* profertur Epiſtola Johannis Pontificis maximi qui ſic habet. Inter claras manſuetudinis veſtræ laudes Chriſtianiſſime principum, puriore luce, tamquam aliquod ſidus, irradiat, quod amore fidei, quod caritatis „ ſtudio edocti Eccleſiaſticis diſciplinis Romanæ Sedis reverentiam conſervatis, ut ei cuncta „ ſubijciatis, & ad ejus deducatis unitatem, ad cujus auctorem, hoc eſt Apoſtolorum primum, „ Domino loquente præceptum eſt, paſce oves meas. Compertum igitur habeo, glorioſiſſime „ Imperator, ut lectionis tenor, & legatorum veſtrorum relatio pateſecit, vos Apoſtolicis „ eruditionibus ſtudere, cum de Religionis Apoſtolicæ fide ea ſapitis, ea ſcribitis, ea populis fidelibus publicatis, quæ ſicut diximus, & Sedes Apoſtolica docet, & Patrum veneranda decrevit auctoritas, & nos confirmavimus „. En quas res Imperatores præſciberent, obſervarique juberent. Itaque non ut legislatores, ſed ut *exequutores* ſanctionum „ Eccleſiaſticarum jubebant.

2 Vide *Novell.* CXLVI. *c.* III. *pag.* 197. *tom.* II. *corp. Juriſ. edition. Heinecii*.

3 *Cod. Juſt. lib.* 1. *tit.* III. *lege* 2. *ſeqq. pag.* 18. *ſeqq. edit ejuſd.*

4 Codicis Juſtinianæi *lib.* 1. *titulo* III. qui inſcribitur *de Epiſcopis*, *& Clericis*, *& Orphanotrophiis*, *& Xenodochiis &c. lege* 1. *ſeqq. pag.* 18. *ſeqq. edit. Heinecii Lipſ.*

5 *Codic. l.* 1. *tit.* III. *de Epiſcopis*, *& Clericis*. *Lege* XLII. *ſeqq. edit. Pariſ. an.* 1606. Sed Petrus, & Franciſcus Pithoei fratres in adnotationibus ad eam, inſequenteſque leges

plane

novum quidpiam ſtatuerunt, ſed quæ decreta a Conciliis

Q 2 fue-

plane oſtendunt, ex quibus ſtatutis ſynodorum, dictiſque ſanctorum Patrum expreſſæ hujuſmo-
di leges fuerint. Quamobrem eo omnia recidunt, ut evincant nihil novi ſanxiſſe Imperato-
res, ſed quæ ſancita de Eccleſiaſticis rebus a Patribus ſynodiſque erant, curaſſe, ut ne obſole-
ſcerent deſuetudine, legumque proinde Chriſtianarum exequutores, vindiceſque fuiſſe. Mi-
rum autem, quod adverſarii Juſtinianum ſibi faviſſe defendunt, cujus extant de Eccleſiaſti-
ca poteſtate præclariſſima teſtimonia. Etſi enim legiſlatorem ſe videri optabat, eaque laude
gloriabatur, ut cum ab aliis permultis, tum ab Joh. Antonio Bianco viro eruditiſſimo ob-
ſervatum eſt *tom.* IV. *della Polizia della Chieſa lib.* II. *cap.* III. §. II. *pag.* 402. cum
tamen ſciret ab ſynodo Chalcedonenſi *an.* 451. *can.* XII. *tom.* II. *Concil. edit. Hard. pag.*
606. diſtributionis novæ civilium Provinciarum, atque Diœceſeon nullam fuiſſe habitam ra-
tionem, ſtatutumque, ut qui ante Metropolitani Eccleſiarum fuiſſent, ſuis privilegiis,
poteſtateque frui pergerent; diviſione rurſum aliquarum civilium Provinciarum facta, nihil
ſe Imperator de Eccleſiaſticis ſtatuere dixit velle. *Collat.* IV. *tit.* VII. *Novella* XXVIII.
cap. II. *pag.* 62. *tom.* II. *corp. jur. civ. edit. Heinec. an.* 1735. ubi ,, Metropolitani qui-
,, dem, *inquit*, in hac urbe, qui vero ſub Metropolitanis collocati ſunt, ab his, qui Me-
,, tropoles ſub cura ſua habent, ut hactenus in more fuit, ordinentur. Nihil enim circa
,, Sacerdotium illarum innovamus, cum multas ejuſmodi inſtitutiones inter Dei amantiſſi-
,, mos Epiſcopos in una etiam Provincia exſiſtere, tam vetuſtum ſeculum, quam quod per
,, nos modo exornatur noverit ,, . Confer *Novell.* XXIX. *cap.* I. *pag.* 64. *Novell.* XXXI.
c. II. *p.* 69. Idem Juſtinianus, quam ſit abſoluta, neque pendens ab civili poteſtas Eccleſiaſtica
innuit. *Collat.* IV. *tit.* XXI. *Novell.* XLII. *præf pag.* 76. ,, Rem non inſolitam imperio &
,, nos facientes ad præſentem venimus legem. Quoties enim Sacerdotum ſententia quoſdam
,, indignos Sacerdotio de ſacris ſedibus depoſuit . . . toties imperium ejuſdem ſententiæ, &
,, ordinationis cum Sacerdotum auctoritate fuit. Sicque divina, & humana pariter concur-
,, rentia, unam conſonantiam rectis ſententiis facere ,, . Confeſſus item eſt, ſummam eſſe
Romani Pontificis in Eccleſia poteſtatem, conjungique ei propterea omnes Epiſcopos opor-
tere, neminique fas eſſe ab ejus ſententia diſcedere; idque proinde ſeſe operam dare affirma-
vit, ut ei Chriſtiani quique ſubmitterentur ,, . Scripſit autem eam epiſtolam Juſtinianus an.
533. quæ extat *cod. lib.* I. *tit.* I. *de ſumma Trinit. & fid. Cathol. apud Pithoeos Fratres*
pag. 28. *ſeqq. obſervat. ad Codicem*, *& Novellas &c. edit. Pariſ. an.* 1689. habentque
hoc modo. ,, Reddentes honorem Apoſtolicæ Sedi, & veſtræ ſanctitati, quod ſemper nobis
,, in voto fuit, & eſt, & ut decet Patrem honorantes veſtram beatitudinem, omniaque ad
,, Eccleſiarum ſtatum pertinent, feſtinavimus ad notitiam deferre veſtræ ſanctitatis; quo-
,, niam ſemper nobis fuit magnum ſtudium unitatem veſtræ Apoſtolicæ Sedis, & ſtatum
,, ſanctarum Dei Eccleſiarum cuſtodire, qui hactenus obtinet, ea incommode permanet,
,, nulla intercedente contrarietate. Ideoque omnes Sacerdotes Orientalis tractus, & ſubji-
,, cere, & unire Sedi veſtræ ſanctitatis properavimus ,, . De reſponſo Johannis II. Pontifi-
cis Maximi actum ſupra eſt, quod non ſolum in Baſilicis, ut ſupra demonſtratum eſt, conti-
netur, ſed etiam in *cod. eodem Pithoeorum pag.* 26. *& tom.* II. *Concilior. edit. Hard.*
epiſt. II. *pag.* 1148. ut in aliis quibuſdam collectionibus ſynodorum, & epiſtolarum Roma-
norum Pontificum. Scripſit præterea Juſtinianus ad s. Agapetum anno circiter 535. cumque
obſecravit, ut Arianos ad Chriſtiana ſacra converſos honoribus Eccleſiaſticis, ſi digni
viſi fuiſſent, ornari pateretur. *Ep. Agapet. t.* V. *Concil. edit. Venet. p.* 936. *ſeq.* Rurſum quum
de Juſtinianæ Epiſcopo ſtatuiſſet, ad Agapetum litteras miſit, quibus obſecrabat, ut rebus
ab ſe conſtitutis adderet ſua conſenſione auctoritatem. Itaque reſcripſit Agapetus. ,, De
,, Juſtiniana civitate glorioſi natalis veſtri conſcia, nec non de noſtræ Sedis vicibus injun-
,, gendis, quid ſervato Beati Petri, quem diligitis principatu, & veſtræ pietatis affectu
,, plenius deliberari contigerit, per eos quos ad vos dirigimus legatos, Deo propitio, ce-
leriter intimamus &c. *epiſt.* IV. *tom.* V. *Concilior. edit. Venet. pag.* 941. Quid? ſi principem,
magiſtratuſque civiles implicari rebus, negotiiſque Eccleſiæ poſſe neget, idque ſe facere
non inficietur, ut canones ſequatur Eccleſiarum? *Auth. Collect.* VI. *tit.* XI. *Novell.* LXXXIII.
cap. I. *pag.* 117. ,, Si Eccleſiaſticum ſit delictum, agens caſtigatione Eccleſiaſtica, & mul-

,, cta,

fuerant, ſervari voluerunt. Quam rem facile quiſque perſpiciet, ſi quæ Baſilicis, Codice Theodoſiano, Novellis, Epiſtolis, Digeſtis, Codiceque Juſtinianæo ad res Eccleſiæ ſpectantia comprehenduntur, cum Collectionibus canonum conferantur. Quod ſi Juſtinianus Imperator, nonnullique alii plus ſibi in hoc genere arrogarunt (1), quam eſſe Cæſari Chriſtiano concedendum Patres, Auguſtique ipſi cognorunt; uſurpatio quidem juris loco legis, ſanctioniſque Chriſtianæ haberi non debet.

Non reſtitiſſe autem Imperatoribus, Regibuſque Patres, cum eos hoc moliri, atque agere viderent, ut in jura Eccleſiaſticæ poteſtatis invaderent, falſum eſt. Reſtitit Athanaſius (2), reſtitit Hoſius, reſtitit Lucifer Calaritanus, reſti-

,, cta, Deo amabilis Epiſcopus hoc diſcernat, nihil communicantibus clariſſimis provinciæ ,, judicibus. Neque enim volumus talia negotia omnino ſcire civiles judices, cum opor- ,, teat talia Eccleſiaſtice examinari, & emendari animas delinquentium per Eccleſiaſticam ,, mulctam, ſecundum ſacras, & divinas regulas, quas etiam noſtræ ſequi non dedignantur ,, leges ,,. Innumera ſunt alia documenta, quæ plane efficiant, Juſtinianum, cum bona fide ageret, & agnoviſſe Eccleſiæ, imprimiſque Romani Pontificis non ſubjectam principi poteſtatem, & curaſſe, ut neque alii, neque ipſe ſibi eam arrogaret.

1 Confer Liberatum Diaconum *Breviar. cap.* XXIII. Annuit Imperator faciillime gau- ,, dens, ſe de talibus cauſſis judicium ferre; & e novis Baronium ad ann. *538.* n. LXXIII. *ſeqq.* & Biancum *tom.* V. *p.* II. *lib.* III. *cap.* V. §. XXIII. *pag.* 445. *ſeq.*

2 Athanaſius *H. A. ad M. tom.* I. *opp. pag.* 376. *edit Montfauconi.* ,, Si illud judicium ,, Epiſcoporum, quid commune cum eo habet Imperator ,,? Mitto cetera loca ejuſdem, ne longus ſim. Huc enim omnia recidunt. Hoſius apud Athanaſium *hiſt. Arian. ad Monachos num.* XLIV. *pag.* 371. *t.* I. *opp.* ,, Quemadmodum qui tuum imperium malignis oculis carpit ,, contradicit ordinationi divinæ, ita & tu cave, ne quæ ſunt Eccleſiæ ad te trahens, magno ,, crimini obnoxius fias ... neque igitur fas eſt nobis in terris imperium tenere, neque tu ,, thymiamatum, & ſacrorum poteſtatem habes Imperator ,,. Lucifer Calaritanus *l.* I. *pro Athan. p.* 184. *edit. an.* 1677. *Bibl. PP. t.* IV. ,, Proba te (Conſtanti) ſuper nos factum judicem... ,, cum probare non poſſis, quum præceptum ſit tibi non ſolum non dominari Epiſcopis, ſed ,, etiam eorum obedire ſtatutis, ut ſi ſubvertere eorum decreta tentaveris, ſi fueris in ſu- ,, perbia comprehenſus, morte mori juſſus ſis. Quomodo dicere poteris judicare te poſſe de ,, Epiſcopis, quibus niſi obedieris, jam quantum apud Deum mortis pœna fueris multatus?,, s. Ambroſius *epiſt.* XXI. *tom.* II. *opp. pag.* 861. *edit. Monachor s. Mauri*: ,, At certe ſi vel ,, ſcripturarum ſeriem divinarum, vel cetera tempora retractemus, quis eſt qui abnuat, in ,, cauſſa fidei Epiſcopos ſolere de Imperatoribus Chriſtianis, non Imperatores de Epiſcopis ,, judicare? *Et epiſt. ead.* XXI. *al.* XIII. *p.* 860. ,, Nec quiſquam contumacem judicare me de- ,, bet, quum hoc aſſeram, quod Auguſtæ memoriæ pater tuus (Valentinianus) non ſolum ,, ſermone reſpondit, ſed etiam legibus ſuis ſanxit, in cauſſa fidei, vel Eccleſiaſtici ali- ,, cujus Ordinis eum judicare debere, qui nec munere impar ſit, nec jure diſſimilis. Hæc ,, enim verba reſcripti ſunt, hoc eſt, ſacerdotes de ſacerdotibus voluit judicare ,,. Ac Valentinianus quidem primus cum a quibuſdam rogatus eſſet, ut de re quapiam dijudicanda Epiſcopos in locum aliquem cogi juberet, reſpondit, ut eſt apud Sozomenum *lib.* VI. *hiſt. Eccl. cap.* VII. *pag.* 227. *edit. Cantabrig.* ἐμοὶ μετὰ λαοῦ τεταγμένῳ οὐ θέμις τοιαῦτα

πα-

reſtitit Ambroſius, uno verbo omnes, cum fas ſibi eſſe loqui, & proficere loquendo ſe poſſe perſpicerent, reſtiterunt. Atque errant vehementer, qui Tertullianum, Irenæum, Origenem, Johannem Chryſoſtomum, Baſilium Grotio eſſe præſidio putant. Poteſtatibus enim illi parendum ſtatuerunt, ſi de civilibus rebus ageretur, ſi vero de adminiſtratione Eccleſiarum, non item. Etenim ne fando quidem eſt auditum, ab iis, qui tum principatum in republica obtinerent, paſſos illos fuiſſe, ut de religione, deque diſciplina Eccleſiaſtica leges ferrentur, aut ſi latæ fuiſſent, obſervarentur. Ipſi enim Epiſcopi per ſe de jejuniis, de ſacris ordinationibus, de conventibus ſacris, de agapis, de clericorum inſtitutione, de pœnitentibus, de religione quid eſſet credendum, agendumve conſtituebant, quin edicta, minas, cruciatus metuerent. Hoc idem poſteriores Præſules fecerunt. Quod ſi Gregorius (1) Magnus legi a Mauritio ſcriptæ,

πολυπραγμονεῖν. Οἱ δὲ ἱερεῖς οἷς τούτου μέλει καθ' ἑαυτοὺς ὅτι βούλονται συνίτωσαν. Mihi „ in populi ordine conſtituto non licet his rebus implicari. Sacerdotes, quibus hoc incumbit, „ ubicumque volunt, congregentur „. Felix III. epiſt. ad Zenonem Imperatorem to. v. Concilior. pag. 178. edit. Venet. „ Certum eſt, hoc rebus veſtris eſſe ſalutare, ut cum in cauſſis „ Dei agitur, juxta ipſius conſtitutum regiam voluntatem ſacerdotibus Chriſti ſtudeatis ſubdere, non præferre, & ſacroſancta per eorum præſules diſcere potius, quam docere, Eccleſiæ formam ſequi, non huic humanitus ſequenda jura præfigere, neque ejus ſanctionibus velle dominari, cui Deus voluit clementiam tuam piæ devotionis colla ſubmittere.

1 S. Gregorius *lib.* III. *epiſt.* LXVI. *pag.* 677. *edit. Monach. S. Mauri tom.* II. eſt autem ea epiſtola ſcripta ad Theodorum medicum Mauricii Imperatoris, habetque hoc modo. „ Peccatis meis facientibus, ex quorum ſuggeſtione, vel conſilio, neſcio, tranſacto anno „ talem in republica ſua legem protulit (Mauricius) ut quiſquis eum pure amat, flere vehementer debeat... præcipit enim, ut nullus, qui actionem publicam egit, nullus, qui „ optio, vel manu ſignatus, vel inter milites fuit habitus, ei in monaſterio converti liceat, „ niſi forte ſi militia ejus fuerit expleta. Quam legem primum, ſicut ii dicunt, qui leges veteres noverunt, Julianus protulit, de quo ſcimus omnes quantum Deo adverſus fuerit.... „ Valde autem mihi durum videtur, ut ab ejus ſervitio milites ſuos prohibeat, qui ei & omnia tribuit, & dominari eum non ſolum militibus, ſed etiam Sacerdotibus conceſſit... „ quia mihi valde dolent, eidem domino ſuggeſſi „. Similia habet *ibid. epiſt* LXV. *ad Mauritium pag.* 676. ubi „ Ad hoc, Inquit, poteſtas ſuper omnes homines dominorum „ meorum pietati cælitus data eſt, ut qui bona appetunt, adjuventur... Ad hæc ecce per „ me... reſpondebit Chriſtus dicens: Ego te de notario comitem excubitorum, de comite „ excubitorum Cæſarem, de Cæſare Imperatorem, nec ſolum hoc, ſed etiam Patrem Imperatorum feci. SACERDOTES MEOS TUÆ MANUI COMMISI, & tu a meo ſervitio milites tuos ſubtrahis?... Ego quidem juſſioni ſubjectus, eamdem legem per diverſas terrarum partes „ tranſmitti feci, & quia lex omnipotentis Dei minime concordat, ecce per ſuggeſtionis „ meæ paginam ſereniſſimis Dominis nunciavi: utrobique ergo, quæ debui, exſolvi, qui & „ Imperatori obedientiam præbui, & pro Deo quod ſenſi, minime tacui „. Ex his adverſarii concludunt, ſubjectam eſſe poteſtatem Eccleſiaſticam civili, cum Gregorius fateatur, „ de-

ptæ, quæ adverſari commodis Eccleſiæ, utilitatibuſque videretur, obtemperavit, inque Provincias, ut ab aliis etiam probaretur,obſervareturque miſit,non eo paruit,aut miſit,quo id actum jure ab Imperatore putaret eſſe,ſed quo turbas concitare nollet, magnamque in rempublicam civilem, inque Eccleſiam inveheret partem incommodorum. Ceterum Gregorius quæ eſſet poteſtas Eccleſiæ plane norat,neque commiſit umquam, ut ſubditam civili eſſe concedere videretur. Quid? ſi civilem ſubdi Eccleſiaſticæ affirmavit, in eaque re habuit Bernardum (1), cujus teſtimoniis adverſarii abuti ſolent,conſentien-

„ debuiſſe ſe principi parere, & dominari Sacerdotibus Imperatorem „.Ego vero Bellarmino aſſenſior, qui adverſus Barclajum *cap.* III. *num.* X. *pag.*37. *edit. an.*1721. *t.*V. & contra Paulum Sarpium *Apol.* italice ſcripta *p.*79. *ſeq. edit.an.*1606.diſputans,coactum fuiſſe, ut obtemperaret Gregorium ſcribit, non obediſſe autem voluntate, ne majora incommoda in Chriſtianam rempublicam redundarent. Legem enim injuſtam, quam cum divinis pugnare noſſet, quemadmodum lubens ſervaſſet? At debuiſſe principi parere, atque adeo ſolviſſe ſcribit ſe, quod debuerat, obtemperando. Sed ut debuerit diſquirendum eſt. Duplex enim eſt ea debendi ratio, aut ex præcepto quoquam, aut ex coactione orta. Ex præcepto autem divino non poterat, erat enim injuſta lex Mauricii, auctore Gregorio; igitur ex coactione, ne ſi obſequi renuiſſet, magnam in rempublicam Eccleſiaſticam inferret partem incommodorum. Sed dicet quiſpiam, Gregorio teſte, conceſſum Imperatori divinitus fuiſſe, ut Sacerdotibus dominaretur. Fateor dicta hæc a Gregorio fuiſſe. Verum colligi inde nequit, poteſtatem Eccleſiaſticam civili ſubeſſe. Hoc unum ſequitur, quod Bellarminus, ut paullo ante vidimus, defendit, Sacerdotes, ut cives ſunt, leges civiles exſequi debere, quæ cum Eccleſiaſticis non pugnant. Atque hoc pacto dominari Imperatorem Sacerdotibus dictum eſt, alio pacto non item. Nam quod ad Eccleſiaſticam poteſtatem attinet, eam Gregorius negat ſubjectam eſſe poteſtati civili ſive regia illa ſit, ſive propria Imperatorum. In commentariis enim in *Pſalmos Pœnitentiales part.* V. *tom.* III. *operum edit. Monachorum s. Mauri pag.* 532. ſive Mauritium, ſive Juſtinum Juniorem perſtringens (nam de Imperatore, quem Gregorius accuſat magna eſt inter Scriptores diſſenſio, aliis, ut Baronio *ad an.* 593. *n.*XIX. a quo non omnino diſſident Maurini Monachi in cenſura *p* 464. *ejuſd tom.* quo loco Guſſanvilium de ſinceritate horum commentariorum addubitantem, refellunt, & Bianeus *lib.* I. *della Polizia della Chieſa cap.* I. §. VII. *pag.* 68. *ſeqq.* Mauricium; aliis Juſtinum Juniorem, ut Marco Antonio de Dominis *lib. de republ. Eccl. cap.* XI. *num.* XXXI. aliis Autarim Regem Longobardorum, ut Bianco, qui accepit a Maurinis *ibid.* fuiſſe aſentibus)
„ Quid enim Nero, *inquit*, quid Diocletianus, quid denique iſte, qui hoc tempore Eccle-
„ ſiam perſequitur, numquid non omnes portæ inferi„? Et paullo ante *p.*518. Nulla ratio fuit
„ ut inter Reges habeatur, qui deſtruit potius, quam regat imperium, & quotcumque habe-
„ re poteſt perverſitatis ſuæ ſocios, eos a conſortio Chriſti efficit alienos. Qui turpiſſimi
„ lucri cupiditate illectus, ſponſam Chriſti captivam cupit abducere, & paſſionis Dominicæ
„ Sacramentum auſu temerario contendit evacuare. Eccleſiam quippe, quam ſui ſanguinis
„ pretio redemtam SALVATOR NOSTER VOLUIT ESSE LIBERAM, HANC ISTE POTESTATIS RE-
„ GIÆ JURA TRANSCENDENS, FACERE CONATUR ANCILLAM. Quanto melius foret SIBI DO-
„ MINAM SUAM ESSE AGNOSCERE, eique religioſorum principum exemplo, devotionis obſe-
„ quium exhibere.... In tantum autem ſuam temeritatem extendit, ut caput omnium Ec-
„ cleſiarum Romanam Eccleſiam ſibi vindicet, & in DOMINA GENTIUM TERRENÆ JUS PO-
„ TESTATIS USURPET. Quod omnino ille fieri prohibuit, qui hanc Beato Petro Apoſtolo
„ ſpecialiter commiſit, dicens *Tibi dabo Eccleſiam meam &c.*

1 Sanctus Bernardus *ep.* CLXXXIII. *An.* 1139. ſcripta ad Conradum Regem Romanorum.

„ Legi

ſentientem ? Neque negarunt Imperatores, quibus quam eſſet magna poteſtas Eccleſiæ perſpectum atque exploratum erat. Itaque exſtat in Baſilicis Johannis (1) Pontificis Maximi Epiſtola, qua laudat Imperatorem, propterea quod omnes Chriſtianos Cathedræ Apoſtolicæ ſubdi confiteretur.

De Conſtantino Imperatore diſputatum ſatis accurate paullo ante eſt; quare non eſt neceſſe, ut actum agam. Athanaſium vero ad eum confugiſſe, petiiſſeque, ut de illius cauſſa ipſe cognoſceret, tam eſt falſum, ut nihil eſſe magis alienum a veritate poſſe videatur. Petiit enim ille, ut non ab Tyrenſibus judicaretur, quos in ſe innocentem male eſſe animatos perſpiceret, ut autem ab Imperatore judicaretur, aut numquam, aut vim, atque impetum hoſtium propulſaturus ægre petiit. Sciebat ſane res Eccleſiaſticas ab Eccleſiaſticis(2), non ab Laicis tractandas eſſe, planeque intelligebat, judicia de

„ Legi, *inquit*, *omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*, *& qui poteſtati re-*
„ *ſiſtit*, *Dei ordinationi reſiſtit*, quam tamen ſententiam cupio vos, & omnimodis moneo
„ cuſtodire in exhibenda reverentia ſummæ, & Apoſtolicæ Sedi, & B. Petri Vicario, ſicut
„ ipſam vobis vultis ab univerſo ſervari imperio „. Hæc ille ad Regem Romanorum.

1 *Loco ſupra deſcript. not.* 1. *pag.* 122.

2 Apolog. contra Arianos *num.* ix. *pag.* 131. *edit. Montfauconi Pariſ. tom.* 1. *opp.*
„ Epiſcopus quidem Athanaſius, ut vim ſibi illatam effugeret, religioſiſſimum Imperatorem adiit, una Comitem, & illorum (Arianorum, qui congregati calumnia ſatis manifeſta eum perdere, aut in exilium pellere conſtituerant) conſpirationem deprecans, rogansque, ut legitima Epiſcoporum ſynodus cogeretur, aut ipſe Imperator de objectis criminibus ſeſe purgantem audiret „. Itaque Athanaſius primum petiit ſynodum, tum ut ipſum Imperator de objectis criminibus ſeſe purgantem audiret. Nempe Athanaſius qui ſe oppreſſum videbat, voluit, ut Imperator cognoſceret quidem de cauſſa, fore enim norat, ut ſi Imperator in rem inquiſiſſet, calumnias, falſoque objecta crimina intelligeret, neque damnari innocentem pateretur. Nam cum Ariani Imperatoris gratia abuterentur, vis quædam, atque neceſſitas cogebat ad Imperatorem adire, eorumque artes fraudeſque detegere, ne majores in Eccleſia turbæ orirentur. Quamquam noverat Athanaſius, fas non eſſe principi judiciis Eccleſiaſticis immiſceri. Quod ut oſtendam, deſcribam illius teſtimonia neceſſe eſt, tumque jam procacem me appellari patiar, ſi quid afferam, quod minus eſſe perſpicuum videatur. Ergo ille *in hiſtoria Arianorum ad Monachos tom.* 1. *opp. num.* xi. *pag.* 350. de judicio in ſynodo Romana perficiendo, quæ juſta eſſet, agens „ Euſebiani ubi ſolum audiere, „ inquit, Eccleſiaſticum ibi fore judicium, ubi nec Comes adeſſet, nec milites pro foribus „ ſtantes, ubi nec ſynodi Acta ex Imperatoris juſſu ederentur . . . tanto ſunt horrore perculſi, ut presbyteros ultra præfinitum tempus detinerent „. En autem qualia Athanaſius Eccleſiaſticorum judicia poſceret. Et *num.* xiv. *pag.* 351. de Gregorio ſcribens, qui in ſedem Alexandrinam auctoritate Imperatoris invaſerat. „ Neque juxta Eccleſiaſticum ca- „ nonem, inquit, ordinatus fuit Epiſcopus, ſed ex palatio cum militari manu, & pompa „ miſſus fuit, quaſi ſecularis ſibi magiſtratus traditus eſſet „. Viden, ut Imperatori nefas fuiſſe in jura Eccleſiaſticorum invadere defendat? *Pag.* 152. *num.* xv. ubi de ſynodo Sardicenſi *an.* 347. celebrata, & Arianis eo convenire nolentibus diſſerit. „ Occidentales, *inquit*, „ Epiſcopi ſoli erant ſecum habentes Patrem Hoſium, Orientales vero pædagogos, advocatoſque ſecum adducebant Muſonianum comitem, & Heſichium Caſtrenſem, quorum ope freti

„ ala-

de gravibus Eccleſiæ rebus inſtitui ab Epiſcopis, Romano Pontifice non probante, nullo modo poſſe. Niſi enim ita ſibi perſuaſiſſet, non fuiſſet Julio aſſenſus, qui Epiſcopos Antiochiæ congregatos reprehendiſſet, quod, ſe neſcio, & concilium,

,, alacri animo acceſſere, rati ſe omnia deinceps eorum potentia acturos.. At ubi acceden-
,, tes adverterunt Eccleſiaſticum ibi fore judicium, abſque comite, vel militibus.. ſeſe re-
,, cludunt in Palatium &c ,,. Quid? ſi quæ præſcripta ab Imperatore fuerant, jure irrita
fuiſſe ab Synodo declarata ſcribat? *num.* XVII. *pag.* 353. ,, Stephanum, *inquit*, Meno-
,, phantum, Acacium, Georgium Laodicenum, Urſacium, Valentem, Theodorum, & Nar-
,, ciſſum depoſuere. Nam Gregorium ab Imperatore Alexandriam miſſum, ita proſcripſe-
,, runt, ut qui numquam Epiſcopus fuiſſet. *Num.* XXXIII. *pag.* 363. de Paulino Trevi-
renſi, Lucifero Calaritano, Euſebio Vercellenſi, Dionyſio Mediolanenſi, quos Conſtan-
tius, ut Athanaſium condemnarent, juſſit, diſputans ,, Rei, *inquit*, novitatem ſtupentibus,
,, ac dicentibus id Eccleſiaſtici non eſſe canonis, ſtatim ille, quod ego volo, id pro ca-
,, none, inquit habeatur... His auditis Epiſcopi... manibus ad Deum tenſis compellare
,, virum, docereque non ſuum eſſe imperium, ſed Dei, qui tradidiſſet, ut eum timeret, ...
,, ſuadereque, ne Eccleſiaſticas res peſſumdaret, *μηδὲ ἐγκαταμίσγειν τὴν ῥωμαϊκὴν ἀρχὴν*
,, *τῇ τῆς ἐκκλησίας διαταγῇ neque Romanum principatum cum Eccleſiaſticis ſtatutis com-*
,, *miſceret* ,,. *Num.* XXXVI. *pag.* 365. ubi de Liberio Pontifice Maximo loquitur, quem
dolis circumvenire Conſtantius conabatur *nihil reveritus Apoſtolicum Thronum* ſic ipſum
inducit reſpondentem. ,, Non Eccleſiaſtici canonis illud eſt, nec talem umquam a Patribus
,, accepimus traditionem, quas videlicet traditiones ipſi (Romani) a Beato, & magno A-
,, poſtolo Petro accepere. Sed ſi Imperator Eccleſiaſticam curat pacem, ſi jubet abrogari,
,, quæ apud nos de Athanaſio ſcripta ſunt, abrogentur item quæcumque ab illis adverſus
,, eum geſta fuerunt, abrogentur, quæ adverſus alios ſunt acta, ac demum Eccleſiaſtica ſy-
,, nodus procul palatio cogatur, ubi nec Imperator compareat, ne Comes accedat, nec
,, judex comminetur, ſed Dei timor ſufficiat cum Apoſtolica conſtitutione &c ,,. *Num.* LI.
pag. 375. Conſlantium accuſans ,, Dum ſe ſimulat, inquit, Eccleſiaſticum curare canonem,
,, omnia contra canonem agere molitur. Quis canon præcipit, ut e Palatio mittatur Epiſco-
,, ſcoſ us? Quis canon jubet milites invadere in Eccleſias? Quis tradidit Comites... Eccle-
,, ſiaſticis præeſſe rebus, aut edicto judicia eorum, qui Epiſcopi vocantur, promulgare?....
,, Dum litteris ſuis judicium obtendit Epiſcoporum, arbitrio ille ſuo rem gerit?.. Si
,, namque illud decretum Epiſcoporum eſt, quid illud attinet ad Imperatorem... Quan-
,, donam a ſeculo res hujuſmodi audita eſt? Quandonam Eccleſiæ decretum ab Imperatore
,, accepit auctoritatem? aut pro decreto illud habitum eſt? Multæ antehac ſynodi coactæ
,, ſunt, multa prodiere Eccleſiæ decreta, ſed numquam Patres res hujuſmodi Imperatori
,, ſuaſere, numquam Imperator Eccleſiaſtica curioſe perquiſivit. Ex Cæſaris Domeſticis qui-
,, dam Paulo Apoſtolo amici fuere... Sed nequaquam illos judiciorum conſortes admiſit ,,.
Poſſet ne quiſquam noſtrum luculentius de libertate Eccleſiaſtica, auctoritateque diſſerere?
Rurſum *num.* LXXIV. *pag.* 389. ,, Velut gigas, *inquit*, adverſus altiſſimum arroganter in-
,, ſurgere eſt auſus. Hic exiſtimavit ſe legem immutaturum, dum ſtatuta Domini per Apo-
,, ſtolos tradita violavit, Eccleſiæ mores invertit, novumque adinvenit ordinationum ge-
,, nus &c. *Num.* LXXVII. *pag.* 350. Gravia, & pluſquam gravia ſunt iſta, conſentanea tamen
,, ei, qui Antichriſti figuram gerit. Quis enim videns illum iis, qui Epiſcopi putantur,
,, præfici, in Eccleſiaſticiſque judiciis præſidere, non jure dicat, hanc eſſe illam a Daniele
,, prædictam abominationem deſolationis? Chriſtianiſmo quippe amictus ille... abrogans
,, canonibus, vi cogit, ut ſua obtineant decreta ,,. Negat igitur preſici Imperatorem Ec-
cleſiaſticis viris, aut præſidere judiciis Eccleſiaſticorum, aut abrogare canones poſse.
num. LXXVI. *pag.* 390. ,, Quid iſte, quod Antichriſto congruat prætermiſit?.. Namque
,, ille Eccleſiarum vice in Palatium judicia ad ſe transfert Eccleſiaſtica, quibus ipſe præſi-
,, det ,,. Mitto cetera. Longiore enim uterer quam par eſſet oratione. Ac ſatis quidem hæc
ſunt, ut pateat, quanto in errore verſentur, qui Athanaſium, quaſi auctoritatem in res ſa-
cras tribuat Imperatori, ſubigatque civili poteſtatem Eccleſiaſticam, teſtem citant.

cilium celebraſſent, & Athanaſium de ſede, deque gradu dejicere non dubitaſſent. (1)

Ad Conſtantium quod attinet, dabo equidem plus illum ſibi ſumſiſſe, quam religio Chriſtiana pateretur. Itaque non ſolum a Lucifero (2), Athanaſio, atque Hoſio Epiſcopis, ſed etiam ab Ammiano Marcellino ſcriptore ethnico redargutus eſt.

Nihil de Joviano dico. Is enim cum ab Athanaſio, aliiſque permultis catholicis Antiſtitibus eam defendi, præ-

1 Probat enim Athanaſius, quæ ſcripta ab Julio an. 342. ad Euſebianos fuerunt, ut qui eam epiſtolam referat *Apolog. contra Arianos pag.* 141. *ſeqq. tom.* 1. *opp.* laudetque. Habet Julius hoc modo. „ Oportuit omnibus nobis ſcripſiſſe, ut ita ab omnibus, quod juſtum „ eſſet decerneretur. Epiſcopi enim erant, qui patiebantur . . . Cur autem de Alexandrina „ potiſſimum Eccleſia nihil nobis ſcriptum eſt? An ignoratis hanc eſſe conſuetudinem ut „ primum nobis ſcribatur, & hinc, quod juſtum eſt decernatur? Sane ſi qua hujuſmodi ſuſpi- „ cio in illius urbis Epiſcopum cadebat, ad hanc Eccleſiam ſcribendum fuit. Nunc autem illi „ re nobis non indicata, poſteaquam, quod libuit, egere, nos quibus ea crimina explorata „ non ſunt, ſibi demum ſuffragatores eſſe volunt. Nequaquam talia ſunt Pauli ſtatuta, non „ hæc Patres tradiderunt, ſed aliena eſt forma, novum hoc inſtitutum „. *Apud Coutant. tom.* 1. *collect. epiſt. Rom. Pont. pag.* 386. *num.* XXII. Hinc Socrates *lib.* II. *cap.* XV. *p.* 92. *edit. Cantabrig.* „ Julius, *inquit*, quæ eſt Romanæ Eccleſiæ prærogativa, liberioribus lit- „ teris eos commonitos in Orientem remiſit, ſingulis ſedem ſuam reſtituens, ſimulque per- „ ſtringens illos, qui ſupradictos Epiſcopos temere depoſuiſſent „. Scilicet aſſenſi ſunt veteres Julio, quæ decreta ab Imperatore de Epiſcopis ſede pellendis eſſent, abroganti. Idem *cap.* XVII. *pag.* 96. „ Julius . . reſcribens Epiſcopis, qui Antiochiæ convenerant, graviter „ conqueſtus eſt . . . quod contra canones ipſum ad ſynodum non vocaſſent, cum Eccleſia- „ ſtica regula interdictum ſit, NE PRÆTER SENTENTIAM ROMANI PONTIFICIS QUIDQUAM „ AB ECCLESIIS DECERNATUR „. W. Lowthus *in not.* ad hunc Socratis locum, *Illam quidem*, inquit *regulam ſive conſuetudinem Eccleſiaſticam fuiſſe libenter agnoſcimus: iſtam vero, qua primas partes Epiſcopo Romano vindicat, unde hauſerit Julius neſcire me fateor.* At hauſit ex traditione Eccleſiarum. Niſi enim ita ſe res habuiſſet, quemadmodum omnes ei orthodoxi Epiſcopi aſſenſi fuiſſent?

2 Confer eorum teſtimonia, quæ paullo ante produxi. Ad Hoſium autem quod attinet res paullo copioſius deſcribenda eſt. Is igitur *epiſt.* ad Conſtantium apud Athanaſium *hiſt. Arianor. ad Monachos num.* XLIV. *pag.* 370. *tom.* 1. *opp.* „ Deſine vim inferre, *inquit*, „ nec litteras, nec comites miſeris, ſed exſules remitte, ne cum tu vim redarguas, majorem „ illi vim exerceant. Quidnam ejuſmodi a Conſtante actum eſt? Quis Epiſcopus exſulavit? „ Quandonam ille Eccleſiaſticis judiciis medius interfuit? Quis ſub illo Palatinus contra „ quem ſubſcribere coegit? . . Deſine quæſo te, & memineris te mortalem hominem eſſe . . . „ Ne te rebus miſceas Eccleſiaſticis, neu nobis his de rebus præcepta mandes, ſed a nobis po- „ tius hæc ediſcas. Tibi Deus Imperium tradidit, nobis Eccleſiaſtica concredidit. Ac quem- „ admodum qui ſibi imperium ſubripit Deo ordinanti repugnat, ita metue, ne ſi ad te Ec- „ cleſiaſtica pertrahas, magni criminis reus fias. Reddite ſcriptum eſt, quæ ſunt Cæſaris Cæſa- „ ri, & quæ ſunt Dei Deo „. Neque vero de re divina faciunda, deque adminiſtratione ſacrorum actum ab Hoſio eſt, ut viſum quibuſdam fuiſſe intelligo, qui epiſtolam aut non legerunt, aut non legiſſe ſimularunt, ſed de Eccleſiaſticæ reipublicæ gubernandæ ratione. Quamobrem inſectatus Conſtantium eſt, quod contra atque jura poſcerent, implicare, immiſcereque ſe rebus Eccleſiaſticis auderet, Epiſcopoſque in exilium ſuo arbitratu pelleret, ſynodis præſideret &c. quæ omnia pugnant adverſarii ſpectare ad Imperatorem.

dicarique religionem (1), quæ Nicænæ, Sardicenſis, aliarumque Synodorum auctoritate propoſita Chriſtianis ad credendum eſſet, juſſoſque eos fuiſſe unius religionis cauſſa exſulare, ſciret (2); litteras ad ipſos, continuo fere atque dictus eſt Imperator, dedit, præcepitque, ut ad Sedes quique ſuas reverterentur. Quod autem Arianos audiendos non putarit, fecit ille quidem ſapienter, utque orthodoxum decebat Imperatorem. Cur enim eis aut geſſiſſet morem, aut judices dandos exiſtimaſſet, quos improbos, ſceleſtos, mendacii, calumniæ, omnium denique flagitiorum reos, tot Epiſcoporum diverſarum gentium, qui non gratia, non vi, non minis Imperatorum adacti, ſed veritatis, juſtitiæque ſtudio permoti, in ſynodos conveniſſent, graviſſimis ſententiis damnatos fuiſſe perſpiceret? Sæpe autem, ac multum animadverſum a nobis eſt, principem decretorum, ſanctionumque Eccleſiaſticarum exſequutorem eſſe, non judicem. Quare implicaſſe Jovianum controverſiis Sacerdotum ſe, ita ut vel ſynodis præſideret, vel leges de rebus ſacris Chriſtianorum, de quibus Epiſcopi minime cognoviſſent, ſcriberet, vel aliud quidquam ageret, ex quo intelligeretur, poteſtatem Eccleſiaſticam ſubjectam ab eo fuiſſe ſuæ, tam eſt falſum, ut

1 Vide Joviani Epiſtolam ad Athanaſium an. 363. ſcriptam inter opera s. Athanaſii *tom.* 1. *p.* II. *pag.* 779. *edit. Montfaucon.* ubi hæc leguntur: ,, Nullum laborem, nullumque perſequutorum terrorem extimuiſti, pericula, gladiorumque minas ne flocci quidem feciſti atque clarum caræ tibi, *othodoxæque fidei* ὀρθοδόξου πίστεως hactenus certaſti pro veritate.. Te revocat majeſtas noſtra, atque ad ſalutis doctrinam reverti jubet. Remigra igitur ad ſanctas Eccleſias, & paſce Dei populum &c. Confer etiam petitiones Arianorum & reſponſa Joviani apud eumdem Athanaſium *ibid. pag.* 781. *ſeqq. ſcripta anno* 363. Gregorius item Nazianzenus *Oratione* XXI. quæ eſt de *s. Athanaſio pag.* 394. *edit. Colon. anno* 1690. eadem fere habet.

2 Harum autem rerum cum ab aliis, cum etiam ab Athanaſio fuiſſe Jovianum certiorem factum conſtat. Conſule Athanaſii ejuſdem *epiſtolam ad Jovianum de fide ibid. pag.* 780. *ſeqq.* ,, Cum ſua pietas, inquit, fidem Catholicæ Eccleſiæ a nobis cupiat perdiſcere, poſtquam gratias eam ob rem domino egimus, nihil nobis melius viſum eſt, quam quod Patres Nicææ confeſſi ſunt, commonefaceremus .... Nos neceſſario perpendentes damnum, quod populis affert impietas (Arianorum), fidem, quam (Patres) Nicææ confeſſi ſunt, tuæ religioni tradere abſque mora curavimus... Scito religioſiſſime Auguſte hæc ab omni ævo eſſe prædicata, hancque ipſam fidem Patres, qui Nicææ convenerunt, confeſſos fuiſſe, eamque ſuffragio ſuo comprobare univerſas totius Orbis Eccleſias, nempe Hiſpaniæ, Britanniæ, Galliæ, totius Italiæ, Dalmatiæ, Daciæ, Myſiæ, Macedoniæ, Græciæque, & Africæ, nec non Sardiniæ, Cypri, Cretæ, Pamphiliæ, Lyciæ, Iſauriæ, Ægypti, Lybiæ, Ponti, Cappadociæ, vicinas quoque nobis, nec non Orientales Eccleſias, paucis exceptis, qui Arii hæreſim ſequuntur. Quæ enim ſit omnium illarum Eccleſiarum ſententia, & experientia novimus, & earum habemus litteras &c.

ut ſine ſumma impudentia, defendi non poſſe videatur.

Quod Voſſius jactat a Valentiniano Seniore latam fuiſſe neſcio quam adverſus Donatiſtas legem (1), nihil nobis negotii exhibet. Non enim negamus Regi in hæreticos, tot Antiſtitum judicio condemnatos, qui præſertim pacem Eccleſiæ, reipublicæque perturbent, animadvertere licere. Atque hoc illud eſt, quod Auguſtinus ſcribit, in litteris ad Donatiſtas, quibus idem Voſſius, ejuſque ſimiles abutuntur. Idem Auguſtinus, ut quam eſſent ea ætate orthodoxi Imperatores ab arroganda ſibi in ſacrorum Antiſtites auctoritate diſtantes demonſtraret, *auſum non fuiſſe Conſtantinum* teſtatur cognoſcere de Epiſcopi cauſſa. Quod ſi tandem cognovit, non quaſi ad ſe res ejuſmodi pertineret, ſed victus importunitate hæreticorum, quod alioqui exiſtimaret (2) reſtitui reipublicæ pacem non poſſe, cognovit. Sed ſatis multa de Conſtantino. Redeo ad Valentinianum. Quam hic magnifice de poteſtate Eccleſiæ ſentiret, non ex Hiſtoricis ſolum, ſed etiam ex Ambroſio plane liquet, quo viro, dum vixit, utebatur per quam familiariter (3). Extat præterea ejus Imperatoris inſigne dictum apud Socratem de (4) conciliis. Quod cum deſcriptum paullo ante fuerit, nunc omittatur.

De Valente prorſus eadem dici poſſunt, quæ dicta ſupra ſunt de Conſtantio. Nam ſi quod ille molitus in Eccleſiam eſt, ſatis eſſe grave argumentum Voſſius putat, ut jus eſſe aliquod in res ſacras principi ſtatuatur; jam Imperatori, regique concedatur neceſſe eſt, ut bono jure in exilium pellere, ceteros miniſtros ſacrorum incognita cauſſa condemnare, violare denique non ſolum humanas leges, ſed etiam divinas poſſit. Legant, qui contra nos pugnant,

1 Voſſius *l. c. pag.*446. Auguſtinus *epiſt.* cv. *al.* clxvi. *num.* ix. *pag.* 300. *tom.* II. *opp. edit. Monachor. s. Mauri*. „ Valentinianus, inquit, o *Donatiſtæ*, legite quæ contra vos „ juſſerit.

2 s. Auguſtinus *ibid. pag.* 299. *num.* viii. „ Sed quia Conſtantinus non eſt auſus de cauſ„ ſa Epiſcopi judicare, eam diſcutiendam, atque finiendam Epiſcopis delegavit „. Confer quæ ſequuntur. Vide præterea, quæ ſupra *pag.* 124. *ſeq.* attulimus ex Athanaſio, Hoſio, Lucifero, Ambroſio, & *pag.* 129. *not.* i. & ii.

3 Vide *ſupra pag.* 124. *not.* 2.

4 Confer cum locum paullo ante *pag.* 124. *ſeq. not.* 2. *deſcriptum*.

gnant, Socratem (1), legant Sozomenum (2) Theodoritum (3) ipſos Gregorium Nazianzenum (4), atque Baſilium (5), qui poſtremi duo cum Valente vixerunt, ex iiſque plane intelligent, quam ejus fuerit immite, atque injuſtum in Antiſtites Eccleſiarum imperium.

At Gratianus, Valentinianus, Theodoſius Senior orthodoxi erant, magnaque apud Ambroſium, Patreſque ceteros in celebritate verſabantur. Jam hoc ſæpe dixi, Chriſtianum quemque, ut vires, opeſque ferunt, religionem non colere modo, ſed etiam defendere debere; quamobrem cum maxima ſit Imperatoris in civitate poteſtas, huic omni ſtudio, diligentia, opera enitendum, laborandumque eſſe, ut doctrina, quam ſibi eſſe ab Synodis œcumenicis, Eccleſiaque propoſitam ad credendum noverit, propagetur, obtrectatoreſque ejus, atque inimici Epiſcoporum judicio, ſententiiſque damnati, aut errare deſinant, aut plectantur, ne quam in Eccleſiam inferre perturbationem pergant, neque ſint Chriſtianis ceteris detrimento. Atque id quidem eſſe conſtat, quod Athanaſius (6), quod Auguſtinus (7), quod Leo (8), quod Iſidorus Hiſpalenſis (9), quod alii a principe poſtulant. Nam quod Grotius, Voſſius, Hennigeſius expetunt, ut qui primas in republica partes tenet, is quoque regat Eccleſiam, ne fando quidem umquam eſt auditum. Quamobrem ſi Gratianus,

1 Socrat. *lib.* II. *cap.* XV. *ſeqq. pag.* 231. *ſeq. edit. Cantabrig.*

2 Sozomenus *lib.* VI. *cap.* X. *ſeqq. pag.* 230. *ſeqq. edit. Cantabrig.*

3 *Lib.* IV. *hiſt. Eccl. cap.* XII. *ſeqq. pag.* 162. *ſeqq. edit. Cantabrig.*

4 *Orat. in laudem Baſilii Magni, quæ eſt* XX. *p.* 337. *ſeqq. ed. laudatæ & p.* 346. *ſeqq.*

5 Vide Baſilii Epiſtolas LXX. *al.* LVIII. *pag.* 211. *ſeq. ſcript. an.* 373. CXXIX. *al.* LIX. *pag.* 221. *ſcriptam eodem anno* CCXLIII. *al.* LXX. *p.* 373. *ſeqq. ſcriptam ad Orientales Epiſcopos an.* 376. Mitto ceteras, quod & plures ſint, quam ſine moleſtia numerari poſſint, & alio properem.

6 Vide loca Athanaſii *ſupra pag.* 127. *ſeq. not.* 2.

7 Confer Auguſtini librum II. *contra litteras Petiliani cap.* XCII. *pag.* 276. *tom.* IX. *opp. edit. Pariſ. Monach. S. Mauri. Epiſt. de Correptione Donatiſtarum ad Bonifacium cap.* VI. *& cap.* XIII *pag.* 654. *tom.* II. *& lib.* III. *contra Creſconium Grammaticum cap.* LI. *pag.* 463. *tom.* IX.

8 *Epiſt.* IX. *ad Theodoſium pag.* 104. *edit. Venetæ.* „ Pro integritate fidei Chriſtianiſſimum principem convenit eſſe ſollicitum „. Idem *epiſt.* LXXV. *ad Leonem Auguſtum pag.* 145. „ Cum enim clementiam tuam Dominus tanta ſacramenti ſui illuminatione ditaverit, debes incunctanter advertere, regiam poteſtatem ſibi non ſolum ad mundi regimen, ſed maxime ad Eccleſiæ præſidium eſſe collatam.

9 Iſidorus Hiſpalenſis *loco ſupra cit. pag.* 64. *not.* 2.

nus, Valentinianus alter, Theodoſiuſque leges de tenenda religione, quam Damaſus Petri ſucceſſor, quamque ſynodus Nicæna (1) unam eſſe veram dicerent; de coercendis Donatiſtis (2); de hæreticis non ex Eccleſiis ſolum, ſed etiam ex urbibus pellendis (3); de ſacris ædibus Catholicis Antiſtitibus reſtituendis (4); de conventibus non celebrandis ab iis, qui Nicænam fidem non colerent (5), tulerunt; non ut rectores adminiſtratoreſque Eccleſiæ, ſed ut exſequutores, vindiceſque ſententiarum Eccleſiaſticarum tulerunt.

Ad Arcadium, Honoriumque quod ſpectat, demonſtratum paullo ante eſt (6) quam illi ſibi tribuerint in res Eccleſiaſticas poteſtatem. Itaque non eſt neceſſe, ut lectorem obtundam de eadem re ſæpius. Neque vero de his tantum diſputatum ſupra eſt, ſed etiam de Theodoſio, & Marciano Auguſtis (7) qui ſcilicet parere ſe Epiſcoporum ſynodis, atque opere perficere, quæ juſſiſſent, demonſtraverunt, non præcipere quidquam, ex quo vel conjectura concluderetur, ſummam eſſe auctoritatem in res Eccleſiæ Imperatori. Nam Valentinianum III. cum neſcio quid ſtatuere eſſet auſus, quod componi cum Eccleſiaſticis decretis, ſanctionibuſque nequiret, Epiſcopi, Romanique (8) imprimis Pontifices reprehenderunt. Quod ſi ille dicto audiens non fuit, Marcianus certe, qui ſumma deinde rerum potitus in imperio eſt, cuique ſatis perſpectum erat, quid in Eccleſia Princeps poſſet, eam abrogavit (9) legem, ut libera Epiſcopis in ejuſmodi rebus adminiſtrandis, concedendiſque poteſtas eſſet. Neque enim Epiſcopi, ſi pervicax in ſententia, quæ diſciplinæ adverſaretur, Imperator manebat, committendum putabant, ut ei vehementer reſiſteretur, non quod ne-

1 Vide apud Theodoritum *hiſt. Eccl. lib. v. cap. 11. pag. 194. edit. Cantabrig.* Sozomenum *lib. VII. cap. IV. pag. 282. edit. ejuſd. Baſilicon, & Codicem tom. 1. p. 1. & ſeqq. edit. Pithœorum an. 1689. pag. 1. ſeq.*

2 Vide Auguſtinum *epiſt.* CV. *pag. 300. edit. Monachor. S. Mauri Pariſ. tom.* II.

3 Vide Sulpicium Severum *hiſt. ſacræ lib.* II. *num.* LXIX. *pag. 172. edit. an. 1574.*

4 Sozom. *lib.* VII. *cap.* V. *pag. 283. edit. Cantabrig.*

5 Sozom. *lib.* VII. *cap.* XII. *pag. 292. ſeq.*

6 *Pag. 96. ſeq. hujus volum.* 7 Vide *quæ dixi ſupra pag. 97. ſeq.*

8 Rem totam ex authenticis monumentis deſcribit Baronius ad *an. 452. num.* III.

9 Vide Baronium ad *an. 455. num.* XXV. *ſeqq.*

nequirent contra facere, ſed quod vererentur, ne reſiſtendo, quin adjuvarent, majorem in modum vexari viderent Eccleſiam. Sed vellem equidem, ut quemadmodum adverſarii leges recenſent Imperatorum, ita ſanctorum Patrum, qui tum florebant, pronunciata colligerent, quibus ad veritatem plane oſtenditur, quibus limitibus poteſtas regia contineatur. Illi autem Athanaſii, Hoſii, Luciferi, Ambroſii, Auguſtini, Leonis, quæ nos produximus teſtimonia, taciti prætermittunt, contorquentque in eam leges Auguſtorum, quam tuentur opinionem, ut in errorem incautos, nihil mali metuentes illiciant. Nam quo id alio conſilio faciant, ne ſuſpicari quidem poſſum. Sed ſatis multa de Theodoſio, ac Marciano. Hoc breve addam. Cum Marcianus civiles metropoles nova quadam ratione diſtribuiſſet, Epiſcopique reperirentur, qui ut majorem conſequerentur auctoritatem, Eccleſiaſticam civili eſſe diſtributioni aptandam defenderent, Patres, qui in Synodum Chalcedonenſem convenerant, nihil eſſe civili cum Eccleſiaſtica partitione commune voluerunt (1), juſſeruntque, ne conſulto quidem Imperatore, ut qui in nova metropoli civili reſidebant Epiſcopi, iis jus metropoliticum nullum eſſet. Quod ſane numquam feciſſent, ſi ſummum eſſe Cæſaris in hoc genere imperium cenſuiſſent. Quod opponunt de Leone non eſt ejuſmodi, ut nos deterrere a ſententia poſſit. Nam quod Ægypti (2) Antiſtites eum eſſe obſervandum dixerint ſecundum Deum, ſimile eſt ejus, quod dictum fuiſſe oſtendimus a Tertulliano. Demon-

1 Vide *act. Concil. Chalced. can.* XII. *tom.* II. *Concilior. edit. Harduini Pariſ. pag.* 606.

2 Ægypti Epiſcopi *epiſt. ad Leonem Auguſtum*, *apud Harduinum tom.* II. *Concilior. pag.* 692. „ A ſuperna gratia modo divinitus condonatus, juſte non ceſſas pro communi utilitate cogitare poſt Deum cunctorum venerabilis Imperator ... Quando repente in ipſo „ principio voce veſtra ex ſcripto procedente piiſſima ad ſanctiſſimos metropolitanos Epi- „ ſcopos, inerruptibilem Eccleſiæ Catholicæ crepidinem roboraſtis, & primorum omnium, „ piiſſimorumque principum conſtituta pro orthodoxa religione firmaſtis. Inſuper & ea, „ quæ nuper a ſanctæ memoriæ Marciano principe noſtro ſancita ſunt, conſona decernentes, „ nihil aliud eſtis mercati, quam pacem omnium, & ſtabilitatem reipublicæ, refrenantes „ linguas eorum, qui adverſus Eccleſias Chriſtianas conſurgunt, & blaſphemant Deum, „ aut in eum quocumque modo delinquunt. Injuria manuque Dei manifeſta eſt, & hæretico- „ rum abſcindentium ſemetipſos a recta fide licentia. Quapropter hanc optime ſciens vene- „ rabilis Imperator, maligni prolem exiſtere ſemper inſidiantis quieti ſanctarum Chriſti Ec- „ cleſiarum, earumque immutilatam pacem conſiſtere non ſinentes, recte providentiam „ tuam ſtuduiſti mox adhibere ei per omnia reſiſtentem, quod eſt opus piiſſimorum principum „ pro recta fide pugnantium.

monſtratum autem quod eſt, nova oratione non eget. De legibus, quas a Marciano latas, confirmaſſe Leonem ferunt, ſic ſtatuimus, non eos eſſe nos, qui cum latas a Marciano ſciamus leges tuendæ religionis cauſſa, quam doctus a Patribus Chalcedone congregatis fuiſſet, eodem consilio non fuiſſe ab Leone confirmatas putemus.

Mittimus de iis dicere, qui Juſtinianum, Carolum Magnum, Ludovicum Pium, alioſque commemorant, eoſque ſummum obtinuiſſe in Eccleſia principatum defendunt. Quibus tam eſt facile ſatisfacere, quam fuit facile iis, qui exemplis abutebantur Cæſarum ſuperiorum. Nolumus enim lectorem diu reſponsis eiſdem obtundere.

Sed Athanasius cum a Coſtantio Alexandria excedere juſſus eſſet, parendum (1) putavit, ut qui non ſolum crederet, non eſſe resiſtendum Regi, ſed ne Quæſtori quidem civitatis. Nos autem quorſum hoc argumenti genus evadat, neſcimus. Quid enim? An jus eſſe principi arbitrantur, injuſte quidquam præcipere? Id si negant, cur exemplum Athanasii proferunt? Juſtumne fuiſſe dicent, hunc tam egregium virum cogere, ut Alexandria in Italiam contenderet exſulatum? Non cenſemus. Legibus autem, quas perſpicue eſſe injuſtas conſtet, obligari ne quemquam contendent? Ne id quidem. Quid igitur Athanasium nominant. Igitur sic exiſtimamus. Cum majores noſtri præceptum a Paulo fuiſſe ſcirent, ut nemo, quiſquis tandem eſſet, principi reipublicæ quidquam de re civili jubenti repugnaret; factum hinc eſt, ut si juſſi fuiſſent e provincia, quæ in ejus ipsius principis ditionem veniſſet, diſcedere, obtemperandum arbitrarentur, ut ipsi, cæterique omnes, qui crediti eorum curæ eſſent, vitam agerent tranquilliorem. Verumtamen non ſequitur, Eccleſiaſticam poteſtatem poſtponendam civili eſſe, ullumque regis eſſe in res Eccleſiarum imperium. Norat id ſcilicet Athanasius, quamobrem ut principi resiſtendum eſſe negabat, ita jus illi in res ſacras eſſe pugnabat omnino nullum. Cujus teſtimonia cum ſupra deſcri-

1 Confer quæ ſcribit Athanaſius Apologia *ad Conſtantium Imperatorem tom.* 1. *num.* XIX. *pag.* 307. *edit. Montfauconi Pariſ.*

ſcripta sint, non eſt neceſſe, ut iterum deſcribantur. Atque eadem ſane ratione expediri poſſunt, quæ ab Theodorito de Samoſatensi Euſebio monumentis mandata ſunt litterarum.

Eſt quintum *argumentum*, quod urgent de *Vicariatu*, leviſſimum. Nam principes loco Dei primas in civitate partes tenere aſſentimur, in Eccleſia autem, non aſſentimur. In hac enim primus eſt in ordine laicorum, in orordine contra miniſtrorum, non item. Sed eſt, ajunt, Deo jus in eas res ſummum, quæ ſpectant ad religionem. Quis negat? Datum ergo, concludunt, jus idem Principi ſaltem sic eſt, ut quæ ſunt de cultu ſacrorum, præſcribere, ſancireque poſſit. Nihil dicimus nobis videri minus. Eſt enim hoc jus proprium Eccleſiaſticorum. Id vero & oſtenſum teſtimoniis Patrum alibi eſt, & oſtendetur auctoritate ſacrorum Bibliorum paullo poſt diligenter. Quod addunt, eum, qui alterius partes gerat, hoc eniti præcipue debere, ut Domino ſuo honos quam maximus adhibeatur ab his, quibus præsidet, verum eſt; modo iis cautionibus fiat, quas poſtulat Chriſtiana religio. Eſt autem inſtitutum quoddam, ſcitumque religionis Chriſtianæ, ut qui ſacris præſunt, hoc eſt Epiſcopi, Præsideſque Eccleſiarum, ii, quid creditu, factu ve neceſſe sit, explicent, ſtatuantque; cæteri & credant, & pareant, & quibus modis poſſunt, decreta, ſanctioneſque ſacras defendant, ac tueantur. Quare cum Princeps viribus plus reliquis valeat in civitate, plus item reliquis propaget, vindicet, confirmet jubendo, tueatur oportet non religionem modo, ſed etiam canones, atque præſcripta Eccleſiarum. At ſcripturis, ſubdunt, religionis decreta continentur. Quid hoc ſit rei, ne conjectura quidem aſſequi poſſumus. An non eſt opus decretis, inſtitutiſque aliorum, quibus rex aſſenſionem adjungat, quæque ſervari ab ceteris curet, neque contemni ab hoſtibus Chriſtianorum? Cur ergo reprehenſores noſtri & ſynodos celebrant, & confeſſiones edunt, quibus ſuas explicent de religione ſententias? Danda eſt, inquiunt, opera, ne in ſenſum aut pravum, aut falſum ſcripturarum loca contorqueantur. Itaque conſenſione

ſione multorum oſtendendum eſt, quo tandem modo eadem explicare oporteat. Non ergo omnia, quæ ſacris Bibliis continentur, tam ſunt perſpicua, quam ipſi dictitant. Niſi enim ita ſe res haberet, nulla de religionis decretis oriretur inter Chriſtianos contentio. Eſt igitur opus eorum in hoc genere ſtudio, diligentia, conſenſione, qui cum ſacris præſint, tum proponere cuique debent, non modo quid Chriſtiano credendum ſit, ſed etiam quid ſit agendum. Nos hoc breve addimus, non omnia, quæ creditu, factuque neceſſaria ſint explicate ſacris codicibus comprehendi. Quamobrem confugiendum item eſſe ad traditiones Eccleſiarum. Id cum a Majoribus noſtris (1) acceperimus, quidvis perpeti eſſe ſatius arbitramur, quam ferre,ut quiſquam nos ipſos de hac tam vera,tamque penitus animis noſtris inſita perſuaſione dejiciat. Traditiones autem, verumque ſcripturarum ſenſum proponi ab Eccleſia oportere contendimus, ne ſi data cuique facultas ſit, ut quo velit modo, de religionis decretis dijudicet, in factiones, ita ut hæretici conſuerunt, Chriſtiani homines diſcindantur. Una enim veritas cum ſit, conſenſione quidem conſiſtet, diſſenſione autem nullo modo. Nam diſſentientium opiniones ita ſunt comparatæ, ut quoniam tam variæ, tamque inter ſe repugnantes ſunt, alterum profecto fieri poſſit, ut earum nulla, alterum fieri non poſſit, ut plus una vera ſit. Neque vero de dogmatibus ſolum cogitent neceſſe eſt, qui Eccleſiæ præſident, verum etiam de rebus, quas agere quemque debere intelligunt, ut ſanctitas in cœtu Chriſtianorum, animorum conjunctio, tranquillitaſque ſervetur. Hoc Apoſtoli (2), quique eis ſucceſſerunt, Patres fecerunt. Etenim utriuſque generis rerum curandarum onus, ſibi eſſe impoſitum plane noverant.

1 Hoc enim modo ſemper majores noſtri hæreticos oppugnarunt. Confer Irenæum *l.* III. *contra hæreſes c.*xv.*p.*178.*edit. an.*1734. & *Tertullianum l. de præſcriptionibus c.* xx. *ſeqq. pag.*208.*ſeqq. edit. an.* 1748. Sed mitto ceteros; ſpero enim fore,ut aliquando hoc dogmatis genus demonſtrem etiam ipſe adverſus eos, qui rebus novis ſtudere pergunt.

2 Confer Acta Apoſtolorum *c.*xv. *v.*6. *ſeqq.* Hine tot ſynodi ab Epiſcopis celebratæ tribus primis Eccleſiæ ſeculis, ut adminiſtraretur recte Chriſtiana reſpublica, quarum Tertullianus *lib.de jejun.c.*XIII.*ſq.p.*551.*ſq.*& Euſebius *l.*v.*ſq.H.Ec.c.*XXIII.*ſq.p.* 241.*ſq. ed. Cantabr.*, aliique memoriæ tradiderunt. Hinc tot canones ſanciti ſunt, quos vocant Apoſtolorum quoſque permulti, imprimiſque Beveregius in *Vindiciis Canonum* oſtendit editos fuiſſe temporibus Ethnicorum Imperatorum.

Quare ſynodos congregabant, in iiſque de controverſiis dijudicabant, ſtatuebantque quid ſentiendum, agendumve eſſet. Quæ præſcribebant, ea ſane præcepta appellabantur, & erant (1). Sed principem civitatis, etſi obſervarent, deque civili republica præcipientem audirent, tamen in ſacris, inque adminiſtratione Eccleſiæ conſulendum non putabant; propterea quod in hiſce rebus virum, qui in civitate imperium obtineret, ſubjici præſidi ſacrorum, moremque gerere debere intelligebant, ſi quis umquam ejuſmodi futurus Chriſtianus eſſet. Hoc pacto cum a diſcipulis Chriſti Servatoris, eorumque auditoribus, Epiſcopiſque univerſis, qui poſt uſque ad Conſtantinum ſaltem vixerunt, adminiſtrata Chriſtiana reſpublica fuerit, cur immutaſſet deinceps regiminis rationem? Neque enim ulla eſt cauſſa, cur Imperatoribus Chriſtianis factis, ademtam ſacrorum Antiſtitibus, translatamque fuiſſe omnem in Auguſtos putemus regendæ Eccleſiæ poteſtatem. Quodſi egeat Eccleſia præſidio Imperatoris, is quia gladium geſtat, eſtque Dei adverſus eos, qui malum perpetrant, vindex; civilem ejuſmodi, quæ Dei eſt vicaria, auctoritatem adhibeat omnem neceſſe eſt, ut impetus hoſtium reprimat, improbos puniat, ſanctam, quam a patribus acceperit, teneri imperet religionem, quæque ſancita ſint, ut verus, dictoque audiens Eccleſiæ filius, non modo exſequatur ipſe, ſed etiam qua valet virtute, opera, diligentia, poteſtate ab aliis obſervari curet. Hoc principis munus eſt proprium, non autem illud, quod adverſarii jactant, quodque Apoſtolorum, majorumque noſtrorum ſententia, proprium eſſe conſtat Epiſcoporum, ejuſque imprimis, qui cum Romanæ præſit, tum univerſam Eccleſiam quam latiſſime patet, regit, ac moderatur. Itaque veniamus ad ſextum argumentum. Satis enim conſtare arbitror, quibus modis ſubditos a ſuperſtitione liberare, confirmare in decretis religionis, ſchiſmata, hæreſeſque delere, ritus ceremoniaſque Chriſtianas tueri, ac defendere princeps poſſit.

Sextum

1 *Act. Apoſt. cap.* xv. *v.* 41. „ Perambulabat Syriam, & Cyliciam confirmans Eccleſias, præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum, & Seniorum. Sed de hac re alias. Novi enim eſſe aliquos, qui opponant, hæc in Græcis codicibus non extare.

Sextum etſi perplures, non omnes tamen eadem ratione argumentum refellerunt. Atque fuiſſe quidem ſcriptores intelligo, qui rebus ſacris Hebræorum Reges præfuiſſe inficiarentur. Nam in vetere Teſtamento diviſa fuiſſe officia animadverterant, ac Regem ſane civilem rempublicam, Pontificem vero rem ſacram geſſiſſe pugnabant, quin alterutri in jura, poteſtatemque alterius invadere liceret. Utebantur autem iis potiſſimum teſtimoniis, quibus ſupra demonſtratum eſt, duas eſſe in hominum ſocietate poteſtates poſſe, quarum ſit una ab altera diſcrepans, itaque comparata, ut ab eadem minime pendeat. Moſis vero, & Joſue exempla nihil ad rem pertinere cenſebant, propterea quod non virtute regiæ poteſtatis, ſed afflatu, inſtinctuque Dei incitati leges tulerunt, quæ ſpectarent ad cultum, ceremoniaſque religionis. Nam judices nihil ſtatuiſſe de ritibus, adminiſtrationeque ſacrorum ajebant. Quod ſi Saul Ariolos, Magoſque pellendos ex regno Iſraelis edixit, feciſſe eum, quod Reges etiam Chriſtianos poſſe perſpicuum eſt. Davidem autem, quæ de ſtationibus Levitarum, aliiſque rebus conſtituit, quæ in ſacris numerantur, non ſuo arbitratu, neve Regia poteſtate, ſed inſtinctu divino conſtituiſſe. Abiatharem quoque ab Salomone juſſum, ut in agrum ſecederet ſuum, fungique deinceps Pontificatu deſineret, nutu, voluntateque Dei fuiſſe. Ab regibus autem, qui Salomoni ſucceſſerunt, multa fuiſſe acta injuſte. Joſaphatum, ſi miſit, qui cultum Dei in civitatibus Judæ docerent, laudandum certe fuiſſe, ut qui fecerit, quod optimum decebat Regem. Atque idem eſſe de Joſia pio imprimis Rege ſtatuendum.

Alii vero & hi quoque eruditione præſtantes (1) eorum rationem non probant, qui auctoritatem dignitatum civilis, atque Eccleſiaſticæ inſtitutis Judaicis metiuntur. Nam Judæorum Reges interdum ſeſe rebus Eccleſiaſticis (2) immiſcebant, id quod Principibus Chriſtus in ſua republica negavit,

1 Vide Petrum de Marca *lib.* II. *de concord. Sacerdot. & Imperii cap.* v. *num.* III. *ſeqq. & num.* VI. *pag.* III. *ſeq. edit. an.* 1708.

2 Confer *lib.* III. *Regum cap.* II. *v.* 26. *ſeq.*

vit, cum Cæſari, quæ Cæſaris; Deo autem, quæ Dei ſunt, reddi oportere præceperit. Quamobrem non ſolum ipſe cum ſuos moderaretur, nihil in eo genere Præſidi Imperatorique concedendum putavit, ſed ne Apoſtoli quidem, iique Patres, qui acceperunt ab Apoſtolis diſciplinam. Atque haud ſcio, an ejuſmodi principe, quem adverſarii vellent, in Eccleſia conſtituto, ſervari inter Chriſtianos, ſtabilirique illa poſſit, quam Jeſus Servator tantopere nobis commendavit, conſenſio. Chriſtus enim non unius regni finibus contineri religionem, ut anguſtiis Judææ olim verus Dei cultus continebatur, ſed propagari, dilatarique per orbem terrarum univerſum præcepit. Quod ſi Rex quique in Provinciis, quæ in ejus imperium, ditionemque venerunt, tanta circa res ſacras auctoritate potiretur, cum eadem ſemper eſſe de rebus iiſdem mortalium omnium ſententia minime ſoleat, ex decretorum, legumque de rebus ſacris diverſitate, magna in Eccleſia perturbatio oriretur, & ſumma confuſio. Eſtque proinde recte animadverſum (1) a Thorndicio ſcriptore Britanno, poſtquam quid Eccleſiaſticæ poteſtatis nomine (2) intelligeret, indicavit; quidquid controverſiæ, cauſſæve, quod vel ad religionem, vel ad Eccleſiæ unitatem ſpectet, naſcatur, hoc totum eſſe ab Eccleſiaſtico ordine dirimendum, ſi ſalvam Dei legem velimus eſſe. Cum enim inſtitutam Eccleſiam fuiſſe conſtet, antequam ulla civilis poteſtas religionem Chriſtianam, quam profiteretur, & coleret, defendendam ſuſciperet (3), quæ ratio, quis pudor

1 *In Origibus Eccleſiaſticis, ſive de Jure, & Poteſtate Eccleſiæ Chriſtianæ edit. Londinen. an. 1674. cap.* xxxi. *pag. 611. ſeq.*

2 Thorndicius *ib.* „ Eccleſiaſticam poteſtatem quid intelligam, obſcurum eſſe non poteſt, „ qui Dei lege inſtitutam Eccleſiæ communionem in ſacris divini cultus officiis oſtendi, tum „ propagandi ordinis Eccleſiaſtici, condendarum legum, communionis Eccleſiaſticæ jure ſanciendarum, denique diſpenſandi fiſci Eccleſiaſtici jure definiendam. Nam quidquid ex Inſtitutione Eccleſiæ naſcitur, ad hominum jura pertinens, ex diſcrimine plebis ab ordine „ Eccleſiaſtico nata, quidquid cauſſæ ſubnaſci poteſt, ex communi Chriſtianiſmo quod vel ad „ fidem, vel ad unitatem Eccleſiæ pertinere videri poteſt; illud totum Ordini Eccleſiaſtico ab „ Apoſtolis mandato ſolius Dei propagato, tractandum, finiendumque erit, ſi Dei legem „ ſalvam velimus.

3 Hinc Thorndicius jus defendendæ Eccleſiæ Principibus Chriſtianis conceſſum ait, regendæ autem Eccleſiæ non item; *Ibid. pag. 610.* „ Quidquid ad fidem pertinet (ut tota „ Chriſtianiſmi religio fidei nomine hic cenſeatur) jure Eccleſiæ divinitus indulto definitum,

pudor feret, ut Principi civitatis Chriſtianiſmi jure plus auctoritatis, poteſtatiſque, quam eis accedat, a quibus, conſtituta jam Eccleſia, acceperit Chriſtianiſmum? Sint Dei voluntate inſtituti Reges, habeant auctorem Deum; ex cruce tamen Chriſti, ex Spiritus Sancti dono, exque Apoſtolorum legatione eos eſſe profectos, quis credat? Ad hujus enim ſeculi pacem tuendam introductæ poteſtates fuerunt, ut regna, reſque publicæ quas moderantur, ſint velut hoſpitia quædam, domiciliaque Eccleſiarum. Jam vero cum fuerit, futuraque ſemper ſit una Eccleſia, legibus iiſdem, quibus unio conſiſtit, vigetque, utatur ubique in re divina, rebuſque ſacris neceſſe eſt. At multa regna, reſque publicæ multæ ſunt, eſſeque novis diviſionibus, multo etiam plures poſſunt; quæ niſi unionem ſervent, pacemque cum Eccleſia Catholica colant, erunt ſine dubio in ſchiſmaticis numerandæ. Verum quid religio, quid Eccleſiarum conjunctio poſtulet, non poteſt eſſe unius regni, reipublicæve judicium, cum latius pateant Chriſtianiſmi fines. Ei ergo ordini tribuendum id juris eſt, *quem (ab eadem origine ducta auctoritas Eccleſiæ uni omnium regnorum, & rerum publicarum) Eccleſiæ præponit*. Quod ſi recte conſtitutum eſt, eum, qui Deo militet, implicare ſe rebus *ſecularibus* non oportere; multo magis credendum eſt, Principibus ad Chriſtianam religionem adductis, nihil fuiſſe ordini Eccleſiaſticorum poteſtatis, qua ante valeret, ademtum. Fac rempublicam eſſe quam Eccleſiam tempore antiquiorem, quod inſtitutum Imperium Romanum fuerit, priuſquam in eo oriretur, augereturque Eccleſia Chriſtianorum, hujus certe Eccleſiæ, quæ diffuſa ubique gentium eſt, unitatem, communionemque, a veteris populi legibus, & ſynagogæ unitate repetere non licet, cum numquam promiſſum ſynagogæ; promiſſum autem Eccleſiæ ſit, fore, ut ipſi gentes inſererentur. Rurſum cum Eccleſia ſtudio, opera, labore Apoſtolorum, quamvis in Imperio Romano, tamquam in hoſpitio

„ tum, eo ipſo ſacroſanctum eſſe neceſſe eſt, nec niſi per ſacrilegium violari poſſe. Itaque
„ ſuperveniens poteſtas publica, nihil aliud quam Eccleſiam tuetur, quoties vel fidem,
„ vel quod ad fidem (*hoc eſt religionem, & ſacra*) pertinet, quoquo modo, legitimo
„ Eccleſiæ jure definitum, in vim, & effectum vindicat, appoſitis, ſicubi opus eſt, pœnis.

ſpitio quodam, primum conſtituta ſit, tamen invitis Imperatoribus populi Romani, Regibuſque gentium barbararum, creverit, hoſque tandem prece, doctrina, oratione, ac patientia vicerit, ſibique ut parerent, ſeque ut defenderent volentes adduxerit, antiquior ſit omnino Eccleſiæ ratio neceſſe eſt, fateamurque oportet ea etiamnum in res ſacras jura Eccleſiaſticis concedenda eſſe, quibus ante reges ad religionem Chriſtianam adductos potiebantur. Hæc ille, quamquam non utatur iiſdem verbis. Paullo autem poſt (1): qui regibus, inquit, jus in res ſacras ſupremum adſcribunt, nituntur exemplis Regum, qui Pontifices aliquot Hebræorum in ordinem redegerunt. Sed hi vehementer errant, ut qui diſcrimen quod eſt inter ſynagogam, & Eccleſiam non animadvertant. Nam ſynagoga non omnium gentium populos complectebatur. Contra Eccleſia ex omnium fere nationum hominibus coaleſcit; quamobrem *non poſſunt poteſtates Chriſtianæ, niſi Eccleſia Catholica duce, atque auctore, de his agere, quæ totius Eccleſiæ intereſſe videri poſſunt. Vocatis enim ad Eccleſiam gentibus, non eiſdem poteſtatibus ſubditis, non amplius plebs totius Eccleſiæ unius cujuſvis ſummæ poteſtatis imperio ſubeſt. Non agit autem ſumma poteſtas ultra ſuos fines, ultra quos abſit ut non ſit prolata Eccleſia.*

Ac Thorndicius quidem hactenus. Age vero, Chriſtus, qui Apoſtolis, ut regiones quaſque orbis terrarum peragrarent juſſerat Evangelium promulgatum, quoſque eſſent laborum fructus reportaturi proſpexerat, atque iis, qui ipsi ſe dedidiſſent, ubicumque tandem degerent, pacem, concordiamque tantopere commendaverat, caveratque, ne qua in re, quæ ad religionem pertineat, diſſiderent; jus ne circa res ſacras ſummum in Principes transtuliſſet, ex qua re, quoniam non eadem eſt principum omnium de religione, deque diſciplina ſententia, perſpicuum eſſet, incredibilem rerum in Eccleſia, quam unam eſſe ubique gentium voluit, perturbationem, confuſionemque futuram? Id cum ne veri quidem eſſe ſimile videatur, tum falſum omnino eſſe non exemplis Apoſtolorum modo, de quibus alio loco & dicemus, si uſus fuerit, & ſæpe diximus; ſed etiam majo-

1 *Ibid. pag. 614. ſeqq.*

majorum decretis, inſtitutiſque plane conſtat. Cumque a primo Chriſtianiſmi ortu unus ſemper in Eccleſia fuerit, qui primas obtineret partes; quemque ceteræ Eccleſiæ, ut centrum unitatis ſuſpicerent, cuique conjunctæ ſocietate communionis eſſent; conſtitutum eum divinitus fuiſſe credendum eſt, ut quæ vel ab ipſo, vel ab ſynodis, quas idem probaſſet, decreta de religione, de ſacris, de ceremoniis, de adminiſtratione, diſtributioneque Eccleſiarum eſſent, velut ex fonte in cœtus Chriſtianorum manarent, ſummaque omnium eſſet de rebus iiſdem conſenſio. Sed de Romano Pontifice ſucceſſore Apoſtoli Petri, quem voluntate Chriſti & magiſtrum omnium Eccleſiarum, & unitatis centrum eſſe veteres tradiderunt, quibus nos de rebus, inſtitutiſque Chriſtianorum ſcribentibus plurimum credimus, agemus alias opportune. Interea illud nos aſſequutos arbitramur eſſe, ut ſi *ſumma* erat Principum Hebræorum in res ſacras, inque Levitas, Sacerdotes, ipſoſque Pontifices poteſtas (de qua ſane poteſtate dicere, quoniam non id agitur hoc tempore, prætermitto, etſi ea neque tam conſtans, quam adverſarii noſtri putarent, neque tam magna, quam vellent, erat) non ſit conſequens ullo in rebus ſacris imperio potiri Chriſtianum Regem, cum ſit Eccleſiæ novi Teſtamenti ab inſtitutis reipublicæ Judæorum longe diſcrepans ratio.

Venio ad ſeptimum argumentum. Quæro, quibus argumentis victi, negent adverſarii Epiſcopis fuiſſe regendæ Eccleſiæ poteſtatem datam? Nam quod aliqui opponunt, præceptum a Chriſto fuiſſe (1), ne qui noſtrum ita ſe gererent in Eccleſia, ut dominari viderentur, caveant, ne ſi aliorſum atque ſit dictum accipiatur, eo tandem evadat, ut efficiat, vel arcendos ab Eccleſia eſſe illos qui aliquid imperent, vel nullos Reges eſſe umquam Chriſtianos poſſe. Non enim ad Epiſcopos ſolum Petrus, ſed etiam ad omnes, qui veram religionem colebant, ſcripſit. Itaque fuerunt, qui ut demonſtrarent, magiſtratum obire Chriſtiano viro minime licere, hoc Evangelii loco abuterentur. Fuit hæc tamen Chriſti Servatoris ſententia; non eſſe adimendam aut Anti-
ſtitibus

1 Lucæ *cap.* XXII. *v.* 25.

ſtitibus ſacrorum regendæ Eccleſiæ, aut Chriſtiano viro adminiſtrandæ reipublicæ poteſtatem; ſed hoc inter Chriſti, diſcipulum quemlibet, imprimiſque Apoſtolum, & Ethnicos Principes intereſſe; Apoſtolum autem? immo vero Chriſtianum quemque non faſtu, non ſuperbia, ſed animo ab hiſce vitiis vacuo, ac libero verſari in Eccleſia, atque in civitate, aliiſque ſervire potius, quam dominari debere: Principem Ethnicum etſi talis eſſe, quales eſſe volumus Chriſtianos, debeat; ſuperbe nihilominus imperare civibus conſueſſe. Nam vos, inquit, me magiſtrum, & dominum appellatis, ac recte quidem; ſum enim. Si igitur ego is & magiſter, & dominus lavi pedes veſtros, multo ſane magis debebitis vos ita eſſe animis comparati, ut alter alteri lavetis pedes, hoc eſt obſequio, opera, diligentia, labore ſatisfaciatis? Non ergo regendæ (monendo, præcipiendo, redarguendo, puniendo eos, qui male agerent) Eccleſiæ Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus detraxit poteſtatem; cum eos fuerit hortatus, ut ex ſe ipſo exemplum ſumerent, qui ſe & magiſtrum, & dominum jure vocari affirmarit; ſed ut ne ſuperbe imperarent, juſſit.

Neque eſt gravius, quod alii ex priore Petri (1) Epiſtola concludunt. Nam ſi cavit ille ne vim cuiquam presbyteri inferrent, neve turpis lucri cauſſa gregem paſcerent, neve in cleris dominarentur, ſed aliis exemplo eſſent; cavit quidem, quod mores Phariſæorum merito averſaretur, a quibus abhorrere virum quemque Chriſtianum par eſt. Ac Phariſæi ſublato (2) ſupercilio ceteros deſpiciebant, inque ſynagogis regio, ut apud Ethnicos erat, ſpiritu, verſari videbantur. Ita fit, ut majores noſtri, non omnem regendi poteſtatem in Eccleſiaſticos, laicoſque, qua ſunt Chriſtiani, ſed illam, quæ conjuncta eſſet cum (3) ſuperbia, & cupiditate

1 *Cap. v. v. 3. ſeqq.*

2 Confer Interpretes in hunc Petri locum, ut Lorinum, ut Calmetium, ut Harduinum, ut ipſum Grotium hominem alioqui de numero Proteſtantium, nobiſque in hoc etiam controverſiæ genere inimicum. Adeundus item Bellarminus *lib.* 1. *de Clericis cap.* 1. *pag.* 218. *edit. Veneta. an.* 1721. *tom.* II.

3 Subdit enim Petrus *v.* 5. *ὅτι ὁ θεὸς ὑπερηφάνοις ἀντιτάσσεται, quia Deus ſuperbis reſiſtit*. De elatione igitur animi agit.

tate (1) pecuniæ, Præfectis Eccleſiæ a Petro fuiſſe ademtam arbitrarentur. Quo in genere præclara ſunt Baſilii (2) Magni, S. Auguſtini (3), & ſynodorum Hiſpanicarum (4), atque Gallicarum (5), ut reliqua prætermittam, loca.

Neque vero tollere poterat, quam iis fuiſſe a Chriſto datam certo ſciret. Atque adminiſtrandæ quidem, regendæque Eccleſiæ auctoritatem, quis neget fuiſſe divinitus conceſſam iis, quibus Chriſtus, ut quæcumque in (6) terris ligaſſent, ſolviſſentque, ligata eſſent, atque ſoluta in cælis, utque gregem paſcerent (7) poteſtatem fecit? De doctrina autem, deque adminiſtratione ſacramentorum ſolum, non vero de jure ferendarum legum, coercendorumque eorum,

Tom. IV. T qui

1 Vide *ep. eamdem ibid. v.* 2.

2 *Homilia* xx. *quæ eſt de humilitate num.* VII. *pag.* 162. *tom.* II. *opp. edit. novæ Pariſ. Monachor. s. Mauri*. „ Adeptus es præclaram dignitatem, hominesque te colunt, at„ que obſervant, & gloria ornant? Eſto ſubditis ſimilis, *non velut dominium*, inquit, *in* „ *cleris* exercens, neque te geras more mundanorum Principum &c.

3 *Epiſt.* CCIX. *quæ eſt* 1. *tom.* 1. *inter Celeſt. Pont. Max. collect. epiſtolar. Romanor. Pont. edit. Pariſ. Coutantii pag.* 1057. „ Non ſine iſta fieri, obſecro te, per Chriſti ſan„ guinem, per Apoſtoli Petri memoriam, qui Chriſtianorum præpoſitos populorum monuit, „ ne violenter dominarentur in fratres „. Quo etiam ſpectant, quæ ſcribit s. Leo *epiſt.* LXXXIV. *pag.* 153. *cap.* 1. *edit. Lugdunenſ. an.* 1633. „ Etſi plerumque, *inquit*, exiſtant „ inter negligentes vel deſides fratres, quæ oporteat majore auctoritate curari, ſic tamen „ eſt adhibenda correctio, ut ſemper ſit ſalva dilectio ... Quæ moderatio ſi quibuſcumque „ inferioribus membris ex Apoſtolica inſtitutione debetur, quanto magis fratribus, & coe„ piſcopis noſtris ſine offenſione reddenda eſt?

4 Concilium Toletanum x. celebratum *an.* 656. *can.* III. *pag.* 179. *tom.* III. *Concilior. edit. Harduini*. „ Reverentiæ totius auditum, quia res adiit dura, non fruſtra cogimur „ hanc duriori extirpare cenſura. Agnovimus enim quoſdam Pontifices præceptis principis „ Apoſtolorum, qui ait, *Paſcite qui in vobis eſt gregem, non coacte, ſed ſpontanee, nec* „ *dominantes in clero, ſed forma facti gregis*, ita eſſe immemores, ut quibuſdam monaſteriis, „ parochialibuſque Eccleſiis, aut ſuæ conſanguinitatis perſonas, aut ſui favoris participes „ iniquum ſæpe ſtatuant in prælatum &c.

5 Concilium Pariſienſe VI. celebratum anno 829. *cap.* XXIII. *pag.* 1312. *edit. ejuſd. tom.* IV. „ Quia ſunt plerique, qui non paternum affectum circa gregem ſibi commiſſum, „ ſed quemdam exercere videntur dominatum, eumque non ut Dominicum, ſed flatibus „ ventoſæ arrogantiæ inflati, ut ſuum proprium tractare non verentur, quantum a paterni„ tatis officio aberrent, ſubter collecta documenta declarant. Dominus in Evangelio. „ (*Johann.* XXI.) *ſi diligis me paſce oves meas*, inquit, non tuas. Item (*Matth.* XX.) „ *qui major eſt veſtrum erit miniſter veſter*. Et non poſt multa: *Non ita erit*, inquit, „ *inter vos, ſed qui voluerit inter vos major fieri, erit veſter ſervus*. Petrus: *neque domi*„ *nantes in Clero, ſed forma facti gregis ex animo*. Salomon (*Eccleſ. cap.* XXXI.) *Prin*„ *cipem te conſtituerunt? Noli extolli, ſed eſto in eis ſicut unus ex ipſis* „. Confer quæ ibidem referuntur ex II. ſancti Fulgentii libro *de veritate prædeſtinationis, & gratiæ*; & Lorinum *in* V. *epiſtola prima B. Petri caput v.* 3. qui multa ex aliis Patribus, quæ eodem pertinent, collegit.

6 *Matth. Evang. cap.* XV. *v.* 19. *& cap.* XVIII. *v.* 18.

7 *Joh. cap.* XXI. *v.* 15. *ſeq. Act. cap.* XX. *verſ.* 28.

qui peccarent, intelligi hæc oportere, neminem arbitror, qui credat, futurum, ſi conſideret, & lata præcepta ab Apoſtolis fuiſſe (1), & ſcriptas ad Eccleſias litteras, quibus in eos, qui lapſi eſſent, neque reſipiſcerent, graviter animadvertere ſe poſſe (2) ſignificarent. Quid enim vultis, inquit Paulus in iis litteris, quæ ſunt ad Corinthios datæ, *in virga* ne veniam (3) ad vos? Jam vero qui jure præcipiunt, puniuntque.

1 *Act. Apoſt. cap.* xv. *v.* 6 „ Convenerunt Apoſtoli, & ſeniores *videre*, hoc eſt *conſulere de verbo hoc*. Dyoniſius Petavius *l.* III. *hier. Eccl. cap.* IX. §. I. *pag.* 353. *edit. Pariſ.*
„ En, inquit, *primo magiſtratus actio ab Ariſtotele tradita* βουλεύσασθαι, *hoc eſt deliberare,*
„ *ſequitur deinde judicium, & decretum. Jacobus enim*: propter quod ego judico non inquie-
„ tari eos, qui ex gentibus convertuntur. *Communi omnes auctoritate c.* XVI. *v.* 4. „ Viſum
„ eſt Spiritui Sancto, & nobis inquiunt Apoſtoli, & ſeniores Hieroſolymis congregati, ni-
„ hil ultra imponere vobis oneris, quam hæc neceſſaria &c. & *v.* 41 διερχόμενοι δὲ τὰς
„ πόλεις ἐκήρυσσον, καὶ παρεδίδοσαν αὐτοῖς μετὰ πάσης παῤῥησίας τὸν κύριον, ἅμα πα-
„ ραδιδόντες καὶ τὰς ἐντολὰς τῶν ἀποστόλων. Ita codex Cantabrigienſis, qui erat Bezæ,
ut animadvertit Millius *In not. in nov. Teſtamentum Græc. ed. p.* 366. *ed. Oxon. an.* 1707.
„ Pertranſeuntes civitates, prædicarunt, & tradiderunt ipſis cum libertate omni Dominum,
„ ſimul tradentes & præcepta Apoſtolorum „. *Et cap.* xv. *v.* 41. „ Perambulabat autem
„ Syriam (Paulus) & Ciliciam confirmans Eccleſias, præcipiens cuſtodire præcepta Apoſto-
„ lorum, & ſeniorum „. Hæc poſtrema verba quoniam non reperiuntur in codicibus Mſ. Græ-
cis, nullius eſſe ponderis adverſariorum quidam cenſent. At verſio tam vetus, cujuſmodi eſt
vulgata, rejici tam facile non debet. Verum quid multa? Si *cap.* XVI. *v.* 4. *Actor.* ſimilia
in codicibus Græcis latiniſque leguntur. ὡς δὲ διεπορεύοντο τὰς πόλεις παρεδίδουν αὐτοῖς
φυλάσσειν τὰ δόγματα τὰ κεκριμένα ὑπὸ τῶν ἀποστόλων. „ Cum autem pertranſirent ci-
„ vitates tradebant eis cuſtodire *dogmata* (hoc eſt decreta) ab Apoſtolis judicio firmata.

2 Paulus *epiſt.* II. *ad Corinthios cap.* x. *v.* 8. „ Nam & ſi amplius aliquid gloriatus fuero
„ de poteſtate noſtra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in deſtructionem.
En ut poteſtas data Apoſtolis a Chriſto fuit. Ac ne quis putet de poteſtate docendi agi a
Paulo, animadvertendum ex *v.* 6. ejuſdem *capitis* hæc haberi „ In promptu habentes ul-
„ ciſci omnem inobedientiam & *v.* 9. Ut autem non videar tamquam terrere vos per epi-
„ ſtolas, quoniam quidem epiſtolæ, inquiunt, graves, & fortes, & præſentia corporis in-
„ firma, & ſermo nihili factus, hoc cogitet talis, quia quales ſumus verbo per epiſtolas
„ abſentes, tales & præſentes opere „. Quid hoc eſt? niſi enim poteſtatem puniendi ſigni-
ficet, quid obſecro ſignificabit? Mitto, quæ ſupra de *ſubjectione*, & *obedientia* præpoſitis
Eccleſiæ *præſtanda* ex actis Apoſtolicis deſcripſi.

3 *Epiſt. ad Corinth. cap.* IV. *v.* 21. S. Auguſtinus *lib.* III. *contra epiſtolam Parmeniani*
cap. I. *num.* 3. *pag.* 56. *tom.* IX. *opp. edit. Monachor. S. Mauri.* „ *Quid vultis*, inquit,
„ *in virga veniam ad vos*? Jam hic apparet eum loqui de vindicta, ad cujus ſignificatio-
„ nem virgam nominavit. Numquid tamen & virga ſine caritate eſt, quia contexuit: *In*
„ *virga veniam ad vos, an in caritate*? Sed quod ſequitur, ſpiritu manſuetudinis admo-
„ net intelligi, quia & virga caritatem habet. Sed aliud eſt caritas ſeveritatis, aliud cari-
„ tas manſuetudinis. Una quidem caritas eſt, ſed diverſa in diverſis operatur . . . Cum ergo
„ ad talem vindictam neceſſitas cogit, humilitas languentium debet impetrare miſericordiam,
„ quam repellit ſuperbia ſævientium: nec illius ipſius, qui de medio fratrum tollitur, de-
„ bet negligi ſalus; ſed ita agendum eſt, ut ei talis vindicta ſit utilis; & agendum voto, &
„ precibus, ſi corrigi objurgationibus non poteſt. Ideoque ſequitur & dicit: (*v.* 3.) *Ego*
„ *quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu judicavi quaſi præſens eum, qui ſic ope-*
„ *ratus eſt, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti congregatis vobis & meo ſpiritu cum*
„ *virtute Domini noſtri Jeſu Chriſti tradere hujuſmodi Satanæ in interitum carnis, ut*
„ *Spi-*

puniuntque (neque enim Apoſtolos injuria aut præcepiſſe quidquam, aut puniſſe quemquam cenſendum eſt) ii ne regendæ, gubernandæque Eccleſiæ poteſtate vacent? Nam quæ ſit regendi poteſtas, niſi hæc ſit, ne ſuſpicari quidem poſſum.

At negat Petrus, cogendum eſſe Chriſtianum, ut recte agat. Quaſi vero quiſquam ſit noſtrum, qui quod hortatu, amicitia, benignitate obtineri poſſit; ingratiis, atque vi potius obtinendum putet. Hoc enim Petro erat propoſitum, ut moneret Præfectos Eccleſiis, ne ſuperbe imperarent, neve vi extorquere a Chriſtianis conarentur, quod liberalitate, ac beneficio impetrare poſſent. Quod ſi nihil his modis proficerent, cautum numquam a Petro eſt, ne qui ſua ſponte recte facere nollent, inducerentur ad moderate, beneque vivendum metu. Non enim Paulum reprehendiſſet, qui obſtinatos, ac pervicaces, obſecratione quidem, modo reſipiſcant, ſin minus, redargutione, ac pœna ab improbitate ad virtutem innocentiamque morum revocandos exiſtimavit. Quid? Si Ananiæ (1), uxoriſque Saphyræ caſu demonſtratum ab eodem Petro eſt, quibus pœnis Apoſtoli, ut alios a peccandi licentia abſterrerent, veritatis inimicos, cum poſſent, plecterent? Age vero, qui communione ſacrorum reos ſcelerum prohibebant (2) eoſque, qui meriti tam gravem pœnam fuiſſent,

T 2 trade-

„ *Spiritus ſalvus ſit in die Domini*. Quid ergo agebat Apoſtolus, niſi ut per interitum „ carnis ſaluti ſpiritali conſuleret, ut ſive aliqua pœna, vel morte corporali, ſicut Ananias „ (*Act.* v. *v.* v.) & uxor ejus ante pedes Apoſtoli Petri ceciderunt, ſive per pœnitentiam, „ quoniam ſatanæ traditus erat, interimeret in ſe ſceleratam carnis concupiſcentiam?.. „ Non tamen fraternam ab eo ſeparat caritatem, quem de fraterna congregatione præcipit „ ſeparari. Hoc enim apertius ad Theſſalonicenſes (*epiſt.* II. *cap.* III. *v.* 14.) dicit. *Si* „ *quis autem non obaudit verbo noſtro per epiſtolam, hunc notate, & non commiſceamini cum illo, ut erubeſcat, & non ut inimicum eum æſtimetis, ſed corripite, ut fratrem*... (*Et ep. ad Cor.* II. *c.*XIII. *v.*2.) *Prædixi, & prædico præſens ſecundo, & nunc* „ *abſens, his qui ante peccaverunt, & ceteris omnibus, quia, ſi venero, iterum non* „ *parcam*.

1 Vide notationem ſuperiorem.

2 Dionyſius Petavius vir eruditiſſimus *lib.* III. *de Eccleſiaſt. Hierarch.* *cap.* XI. *p.* 867. *tom.* III. *Theologicor. Dogm. edit. Pariſ. num.* VII. De excommunicatione, deque Apoſtoli loco *ex* I. *ad Cor. cap.* v. agens. „ In hoc, *inquit*, judiciaria poteſtas elucet, & pœnæ mo- „ dus, quo, Eccleſiaſticorum præſidum auctoritate, delicta coercentur, nimirum excommu- „ nicatio, & ſegregatio a communione fidelium. Ac plerique præter hanc, aliam oſtendi

„ vo-

tradebant in dæmonum poteſtatem, exque finibus Eccleſiæ (1) exterminabant; ab iiſque, etſi deteſtati flagitium, quod perpetrarant, fuiſſent, graviſſimas pœnas repetebant, ipſiſque aditum in ædes ſacras intercludendum jubebant, quoad Deo (2), hominibuſque ſatisfeciſſent; hi ne poteſtate gubernandi Chriſtiani cœtus, jureque in res ſacras præcipuo caruerunt? Si autem Apoſtolis, ſucceſſoribuſque eorum (3) Epiſcopis hoc tantum jus, atque hanc tantam poteſtatem adverſarii negant; oſtendant cui nam tandem primis Eccleſiæ ſeculis tribus competeret. Imperatori fortaſſe dicent? Sed ad Imperatorem Apoſtoli, ut de rebus ſacris dijudicaret, numquam confugerunt (4)? Quid? ſi ne Epiſcopi quidem, qui deinceps

„ volunt extraordinariam, & illorum temporum propriam pœnam: uti ſatanæ dederetur „ variis modis excarnificandus, palamque vexandus, aut morbo cruciandus, idque verba „ illa præſeferre; *tradere ſatanæ in interitum carnis*. Ita Chryſoſtomus, Theodoretus, „ Græcique ceteri, nec pauci Latini, ut Ambroſius libro *primo de Pœnitentia cap.* XII. & „ Auguſtinus, Primaſius, Sedulius, Anſelmus &c. Alii ſimpliciter excommunicationem „ intelligunt; ut Commentarius, qui Ambroſio tribuitur, qui tradi ſatanæ ſic exponit, „ ut ſit ejici ex Eccleſia. Utramque expoſitionem refert Pſeudo Hieronymus, qui vulgo „ Pelagius habetur. Poſteriorem hanc ex recentioribus approbat Guillelmus Eſthius, & „ priorem argumentis aliquot refellit. Quinetiam Calvinus, Beza, & Petrus Martyr ſolam „ excommunicationem ſignificari putant. Quam pœnam utique conſtitutam ab Eccleſia, „ ejuſque paſtoribus non negabit Catharus (Salmaſius) ſi magiſtris ſuis auſcultabit „. Sed de *excommunicatione* dicam alias diligenter.

1 Hoc a Chriſto Apoſtoli didicerant, qui *cap.* XVIII. *Evang. Matth. v.* 17. De fratre poſt admonitionem fraternam, accuſato apud Eccleſiam ſine fructu, agens: *ſi Eccleſiam*, inquit, *non audierit, ſit tibi tamquam Ethnicus, & Publicanus*. Hinc Paulus *epiſt. ad Titum cap.* III. *v.* 10. „ Hæreticum hominem poſt unam, & ſecundam admonitionem devita „. Vide *epiſt.* II. *s.* Johann. *v.* 10. *ſeqq. & Apocalypſis cap.* II. *v.* 15. ubi Antiſtitem Pergamenum reprehendit, quod non expelleret ex Eccleſia adſertores doctrinæ Nicolaitarum.

2 De hac re diſſeram accurate in eo libro, qui erit de Sacramento *Pœnitentiæ*.

3 Conſtat id quidem non Patrum modo, omniumque Eccleſiarum auctoritate, verum etiam ſcripturarum. Ac oſtendetur a nobis diligenter, ſed tempore.

4 Hoc ab ſe argumentum, quod eſt graviſſimum, refelli facile poſſe Hennigeſius arbitratur *lib. de ſumm. Imp. Rom. poteſt. circa ſacra cap.* II. §. XXII. *pag.* 92. Principio carpit Bellarminum, quod *lib.* III. (non *lib.* I. ut ille ſcribit) *de Laicis cap.* XVII. *pag.* 271. adverſus Brentium *in Prolegomenis*, Philippum Melanthonem *in locis cap. de magiſtratu*, aliosque, Reges non cuſtodes, ac defenſores ſolum, ſed etiam judices, & magiſtros religionis eſſe ajentes ſcripſerit: Chriſtum Eccleſiam Petro, & Epiſcopis regendam commiſiſſe, non Tiberio; atque 300. annorum intervallo a ſolis Epiſcopis eam fuiſſe adminiſtratam. Deinde animadvertit Hennigeſius, eodem ſpatio temporis non eo numero principes decreto Apoſtolorum fuiſſe privatos, ſed excluſiſſe ipſos ſe ab ratione gubernandæ, regendæque Eccleſiæ, ut qui hanc vexare potius, exagitareque inſtituiſſent. Tertio ſtatuit, Antiſtites ſacrorum, ſtatim ut Imperator Chriſtianus eſt factus, huic ſubmiſiſſe faſces, recteque de Eccleſiaſticis rebus imperanti, paruiſſe. Ac malo, inquit, Auguſtini verbis Bellarmino ſatisfacere, quam meis. Recitat mox Auguſtini ſententiam, de qua dicam expli-

deinceps rebus egregie, ſtrenueque geſtis Chriſtianum nomen explicate, diſtincteque, quod ſentio. Interea quam ſint Hennigeſii obſervationes falſæ, demonſtrandum eſt. Igitur quod ait non *excluſos* ab adminiſtratione ſacrorum Chriſtianæ religionis decreto Principes fuiſſe, ſed ipſos ſe ſponte *excluſiſſe*, ſi cui umquam, Hennigeſio certe probandum non erat. Non enim Lutherano, qui ſcripturas ſemper jactitat, traditionem autem, atque exempla majorum averſatur, ac reſpuit, fas eſt miſſis ſcripturis, ſuo arbitratu metiri rationem gubernandæ Eccleſiæ. Scripturas autem novi teſtamenti omnem Chriſtianæ rei adminiſtrandæ rationem Apoſtolis, Præſulibuſque Eccleſiarum tribuere, quin umquam Principum mentionem faciant, & oſtenſum eſt ſupra, & tam eſt perſpicuum, ut a nemine revocari in controverſiam poſſe videatur. Quid autem ſcripturas commemoro, cum ne in libris quidem veterum hujuſce auctoritatis veſtigium ullum extet? Immo vero ex uſu, & conſuetudine majorum colligitur, quæ eſſet illorum de ſuprema adminiſtrandæ Eccleſiæ poteſtate ſententia. Atque, ſi ita, ut ille putat, ſeipſos Imperatores excluſiſſent ab eo regiminis genere, indicatum id ſcilicet ab aliquo fuiſſet. Nunc tanto ſilentio majorum, tot locis ſacrorum Bibliorum, tot exemplis repugnantibus, quid Hennigeſius ſomnians afferet, ut quod affirmat, efficiat eſſe ſaltem ſimile veri? Eſt igitur ſatis grave Bellarmini argumentum in tuto. Quod autem ſubdit Hennigeſius, Imperatoribus de rebus Eccleſiaſticis jubentibus, ubi Chriſtianam religionem colere cœperunt, Epiſcopos paruiſſe, quaſi eis hanc poteſtatem eſſe tributam Patres cognoſſent, inane eſſe oſtendimus ſupra teſtimoniis Luciferi, Hoſii, Athanaſii, Ambroſii, Valentiniani ipſius Imperatoris, aliorumque, quorum maximam eſſe liquet in hoc genere auctoritatem. Atque conſideret etiam, atque etiam adverſarius Athanaſii illam ſententiam, quam ex *hiſtoria Arianorum ad Monachos* deſcripſimus, quo loco agit de judiciis Epiſcoporum, deque ſuo in patriam reditu adverſus Conſtantium *num.* LII. *pag.* 375. „ Cur itaque, inquit, ſi fratris tantum gratia nos remigrare „ conceſſit, poſt ejus obitum litteras miſit? Quod ſi illius memoriæ gratia ea ſcripſerit, „ cur tandem poſtea ſeſe fratri ingratum præſtitit, ubi hominem perſequutus eſt? Atque „ hæc ſcribens in litteris quidem judicium obtendit Epiſcoporum. *Agit autem ipſe, ut ipſi* „ *videtur* πράττει δὲ αὐτὸς ὡς ἂν αὐτῷ δόξῃ, licet minime lateat, ſed in proximo ſint „ vaſritiei ejus argumenta. εἰ γὰρ ἐπισκόπων ἐστὶ κρίσις, τί κοινὸν ἔχει πρὸς ταύτην „ βασιλεύς; εἰ δὲ βασιλέως ἐστὶν ἀπειλή, τίς ἐνταῦθα χρεία τῶν λεγομένων ἐπισκόπων; „ πότε γὰρ ἐκ τοῦ αἰῶνος ἠκούσθη τοιαῦτα; πότε κρίσις ἐκκλησίας παρὰ βασιλέως ἔσχε „ τὸ κῦρος, ἢ ὅλως ἐγνώσθη τὸ κρίμα; πολλαὶ σύνοδοι πρὸ τούτου γεγόνασι. πολλὰ κρί„ματα τῆς ἐκκλησίας γέγονεν, ἀλλ᾽ οὔτε οἱ πατέρες ἔπεισάν ποτε περὶ τούτων βασιλέα, „ οὔτε βασιλεὺς τὰ τῆς ἐκκλησίας περιειργάσατο. Παῦλος ἀπόστολος εἶχε φίλους τοὺς τῆς „ τοῦ καίσαρος οἰκίας, καὶ γράφων ἠσπάζετο τοὺς Φιλιππησίους ἀπὸ τούτων. ἀλλ᾽ οὐκ εἰς „ κρίματα τούτους κοινωνοὺς παρέλαβε. Νῦν δὲ θέαμα καινόν, καὶ τοῦτο τῆς ἀρειανῆς „ αἱρέσεώς ἐστιν εὕρημα. *Si enim Epiſcoporum eſt judicium, quid commune habet ad* „ *illud Rex? Si autem comminatio eſt regis, quid opus eſt in his rebus iis, qui dicuntur* „ *Epiſcopi? Quandonam enim a ſeculo audita hæc ſunt? Quando judicium Eccleſiæ ab* „ *Rege habuit auctoritatem, aut omnino agnitum eſt ut judicium? Multæ Synodi antehac* „ *factæ ſunt. Multa judicia Eccleſiæ facta, ſed neque Patres circa hæc quidquam ſuaſerunt Regi, neque Rex Eccleſiaſtica curioſe egit. Paulus Apoſtolus habuit amicos eos,* „ *qui erant e domo Cæſaris, & ſcribens eorum nomine ſalutavit Philippenſes. At hos* „ *conſortes judiciorum habere noluit. Nunc autem ſpectaculum novum, & hoc Arianæ* „ *hæreſeos inventum eſt* „. Hæc Epiſcopi de Auguſtorum poteſtate ſcribebant, cum jam Imperatores Chriſtiani eſſent. Potuit ne luculentius agere Bellarminus? Agat nunc Hennigeſius, ac ſi poteſt ad Imperatores, Patreſque, qui poſt tertium ſeculum floruerunt confugiat. Venio nunc ad Auguſtini, quem Hennigeſius jactat, locum. Nego jus ullum a ſanctiſſimo Præſule in ſacra fuiſſe tributum Imperatori. Nam judicia ille, rerumque ſacrarum omnium adminiſtrationem, ac regimen omne Epiſcoporum eſſe proprium cognovit, non Imperatorum. *Epiſt. enim* XLIII. *alias* CLXII. *ad Glorium, Eleuſium &c. num.* XX. *pag.* 97. *tom.* II. *opp. edit. Pariſ. Monachor. s. Mauri* „ Neque auſus eſt, *inquit*, Chriſtianus Im„perator ſic eorum (*Donatiſtarum*) tumultuoſas, & fallaces querelas ſuſcipere, ut de judi„cio Epiſcoporum, qui Romæ ſederant, ipſe judicaret, ſed alios, ut dixi, Epiſcopos de„dit,

men illuſtrauerunt? An his, qui cœtus congregabant, qui ſtatio-

,, dit, a quibus tamen illi (*Donatiſtæ*) ad ipſum rurſum Imperatorem provocare malue-
,, runt, qua in re illos (*Donatiſtas*) quemadmodum deteſtetur (*Imperator*) audiſtis. At-
,, que utinam ſaltem ipſius judicio inſaniſſimis animoſitatibus ſuis finem poſuiſſent, atque
,, ut eis ipſe ceſſit, ut de illa cauſſa poſt Epiſcopos judicaret, a ſanctis Antiſtitibus poſtea
,, veniam petiturus, dum tamen illi (*Donatiſtæ*) quod ulterius dicerent, non haberent, ſi
,, ejus ſententiæ non obtemperarent, ad quem ipſi provocaverunt, ſic & illi aliquando ce-
,, derent veritati ,, . Tria hic obſervanda ſunt. Primo. Non *auſum fuiſſe Imperatorem de judicio Eccleſiaſtico judicare*. *At auſum non fuiſſe* numquam Auguſtinus dixiſſet, ſi judicandi auctoritate præditum Imperatorem, poteſtatemque Eccleſiaſticam ſubditam regiæ eſſe exiſtimaſſet. Neque enim audaciæ reus eſt, qui jus ſuum perſequitur. Secundo. *Deteſtatum* Imperatorem fuiſſe Donatiſtas. Quamobrem autem? Scilicet quod ab Epiſcopis, quorum id munus erat proprium, ad *Laicum*, qualis erat Imperator judicandi res ejuſmodi poteſtate carens, provocaviſſent. Tertio. *A ſacris Antiſtitibus petiturum fuiſſe veniam Imperatorem*. Cur? quia ſibi, pacis reſtituendæ cauſſa, arrogarat, quod ad ſe minime pertinebat. Satis hæc ſunt perſpicua, ut implicari nullo modo poſſint. Igitur mitto cetera, cum non ſit neceſſe omnia Auguſtini teſtimonia recenſere. Nam quæ opponit Hennigeſius ad rem non ſpectant. Agit enim in iis Auguſtinus de Regibus, quorum implorat auxilium Eccleſia, ut quos damnarit ipſa, puniant, puniendoque vi cogant, ut maleficiis abſtineant, ceſſentque bonos pervertere. Eſt autem prior locus, quem adverſarius objicit, hujuſmodi. *Ep.* XCIII. *al.* XCVIII. *ad Vincentium cap.* III. *num.* 9. *pag.* 233. *tom.* II. *opp. edit. Pariſ. Monach. S. Mauri*. ,, Dicent enim Donatiſtæ. Non invenitur exemplum in Evangelicis, & Apoſtoli-
,, cis litteris, aliquid petitum a regibus terræ pro Eccleſia, contra inimicos Eccleſiæ ,, .
En Lutheranam oppoſitionem. Reſpondet Auguſtinus more Catholicorum. ,, Quis negat,
,, non inveniri? Sed nondum implebatur illa Prophetia: *Et nunc Reges intelligite, erudi-*
,, *mini, qui judicatis terram, ſervite Domino in timore*. . . . Verumtamen ſi facta
,, præterita in Propheticis libris figuræ fuerunt futurorum in Rege illo, qui appella-
,, batur Nabucdonoſor, utrumque tempus figuratum eſt, & quod ſub Apoſtolis fuit, &
,, quod nunc habet Eccleſia. Temporibus itaque Apoſtolorum, & Martyrum illud im-
,, plebatur, quod figuratum eſt, quando Rex memoratus pios, & juſtos cogebat adorare
,, ſimulacrum, & recuſantes in flammam mittebat, nunc autem illud impletur, quod paullo
,, poſt in eodem Rege figuratum eſt, cum . . . decrevit in regno ſuo, ut quicumque blaſphe-
,, maret Deum Sidrac &c. . . pœnis debitis ſubjaceret. Prius ergo tempus illius Regis ſi-
,, gnificabat priora tempora Regum infidelium, quos paſſi ſunt Chriſtiani pro impiis, po-
,, ſterius vero tempus illius Regis ſignificavit tempora poſteriorum Regum jam fidelium,
,, quos patiuntur impii pro Chriſtianis. Sed plane in eis, qui ſub nomine Chriſti errant
,, ſeducti a perverſis, ne forte oves Chriſti ſint errantes, & ad gregem taliter revocandæ
,, ſint, temperata ſeveritas, & magis conſuetudo ſervatur, ut coercitione exiliorum, at-
,, que damnati admoneantur conſiderare quid, quare patiantur, & diſcant præponere ru-
,, moribus, & calumniis hominum ſcripturas, quas legunt ,, . *Epiſt.* CLXXXV. *cap.* V. *n.* XIX. *pag.* 650. ,, Quod dicunt, qui contra ſuas impietates leges juſtas inſtitui nolunt, non petiiſ-
,, ſe a regibus terræ Apoſtolos talia, non conſiderant aliud fuiſſe tunc tempus, & omnia ſuis
,, temporibus agi. Quis enim tunc in Chriſtum crediderat Imperator, qui ei pro pietate
,, contra impietatem leges ferendo ſerviret, quando adhuc illud propheticum complebatur,
,, *quare fremuerunt gentes &c.*? Nondum autem agebatur, quod paullo poſt in eodem pſal-
,, mo dicitur: & nunc Reges intelligite &c. Quomodo ergo Reges domino ſerviunt in timo-
,, re, niſi ea, quæ contra juſſa domini fiunt, religioſa ſeveritate prohibendo, atque ple-
,, ctendo? &c. ,, De vindicta igitur, & punitione malorum agit Auguſtinus, deque defenſione Eccleſiæ, quam nemo noſtrum negat Chriſtiano Imperatori, quum Paulus dicat vindicem Dei eſſe poteſtatem adverſus eos, qui male agunt, non de auctoritate, ac jure in res ſacras, quod Apoſtoli, Patreſque, ut vidimus adſcribunt Antiſtitibus Eccleſiarum. Ac pœnam quidem capitalem nemini intulerunt Apoſtoli, majoreſque noſtri, antequam Imperatores facti eſſent Chriſtiani, quod poteſtas civilis, cujus hæc exequi eſt peculiare,
non-

ſtationes definiebant, qui canones de ritibus, de ceremoniis, de jejuniis, de univerſis denique ſacris rebus publicare (1) conſueverant, qui definiebant, quas pœnas lapſi luere deberent, quæque ſtatuebant, opere, cum uſus eſſet, perficiebant, jus illud, eamque in res ſacras poteſtatem detrahendam, in alioſque transferendam defendent, quibus id juris neque dicto, neque facto majores noſtri umquam indicarunt eſſe concedendam? Manet igitur, non Principi civitatis, ſed Antiſtitibus Eccleſiarum jus præcipuum in res ſacras competere; magniſque in erratis Buddei (2) eſſe, multorumque Proteſtantium hujuſce ætatis ſententiam, qui docendi munus Præſidibus ſacrorum conceſſum; jus autem in res ſacras, regendæque Eccleſiæ poteſtatem (contra Scripturarum Novi Teſtamenti auctoritatem, contra majorum traditionem, contra Patrum, qui vel Conſtantino Imperatore, vel poſt ea tempora (3) claruerunt, luculentiſſima teſtimonia) negatam cenſent. Atque de jure quidem, ac poteſtate in ſacra, qua Epiſcopi præſtant, alias & diligenter, & copioſus. Nunc ſatis hæc ſunto ad delendam invidiam.

Eſt autem, quod adjungunt; jus nullum in res ſacras a Sriptoribus Librorum Novi Teſtamenti Romano Pontifici, Epi-

nondum agnoviſſet veritatem; ſed quæ ad ſacra ſpectabant, adminiſtrarunt, & gubernarunt, ut qui plane intelligerent, jus in ea omne ſuum eſſe proprium, non Imperatorum, poteſtatiſque civilis. Quid ſi cum adhuc Imperatores implicati ſuperſtitione Deorum erant, horumque interdum nonnullos Patres non tam eſſe nobis iniquos animadvertebant, ad hos ipſos confugerunt, ut hæreticos, qui parere concilio nollent, parere cogerent? De qua re inſignis eſt Euſebii locus de Aureliano Cæſare *in hiſtoria lib.* VII. *cap.* XXX. *pag.* 634. *edit. Cantabrig.* „ Cum Paulus (Samoſatenſis), inquit, a recta fide ſimul, & Epiſcopatu excidiſ-
„ ſet, Domnus, ut dictum eſt, adminiſtrationem Antiochenſis Eccleſiæ ſuſcepit. Sed cum
„ Paulus e domo Eccleſiæ nullatenus excedere vellet, Interpellatus Imperator Aurelianus,
„ rectiſſime hoc negotium dijudicavit, iis Domnum tradi præcipiens, quibus Italici Chri-
„ ſtianæ religionis Antiſtites, & Romanus Epiſcopus ſcriberent. Hoc modo vir ſupra nu-
„ meratus cum ſummo dedecore per ſecularem poteſtatem ab Eccleſia exturbatus eſt „.
Scilicet hoc agunt Proteſtantes, ut Epiſcopis ne ius quidem dijudicandi de rebus Chriſtianorum ſacris concedant, quod Imperatores Ethnici ipſis conceſſum voluerunt.

1 Id jam univerſo hoc opere conſtabit. Imprimiſque ea hujus libri parte, quæ eſt *de diſciplina Eccleſiæ*, *&* *lib. de Pœnitent.* Interea confer Bianchum *tom.* III. *della Polizia della Chieſa pag.* 472. *tom.* IV. *pag.* 690. *ſeq.* *&* *tom.* V. *p.* II. *pag.* 653. & Petavium *l.* III. *Hierarchiæ Eccleſiaſticæ cap.* XIII. *per tot. pag.* 874.

2 Eſt hoc argumentum Johannis Franciſci Buddei *Inſtit. Theol. moral. c.* III. *ſect.* VIII. §. XXI. *pag.* 588. *ſeqq. edit. an.* 1727.

3 Vide ſupra teſtimonia Athanaſii, Luciferi, Hoſii, Ambroſii *pag.* 124. *not.* 2. *hujus libri.*

Epiſcopiſque in unum convocatis locum tributum fuiſſe: ne gravius dicam, ridiculum. Vivo enim Petro quemadmodum eſſet in ſacris Litteris ſucceſſorum auctoritatis facta mentio? Verumtamen qua poteſtate in res ſacras Romani Pontifices, Epiſcopique congregati in Synodis inſtructi eſſe deberent, cum multis aliis in locis, tum in actis Apoſtolorum demonſtratum eſt, ubi concilium Hieroſolymitanum (1) in quo primas Petrus partes obtinuit, quodque de non comedendis ſuffocato, & ſanguine leges tulit, deſcribitur. Exque iiſdem Actis intelligitur, quorſum verba Chriſti de paſcendis ovibus pertinerent. Nam ſi Chriſtus de ſola doctrina, diſtributioneque Sacramentorum, non de regendo cum poteſtate populo Chriſtiano loquutus eſſet, numquam Apoſtoli commiſiſſent, ut uſurpare, quam non obtinuiſſent, auctoritatem viderentur. Atque eſt etiam inde conſequens, non noſtram, quæ ſacris Litteris conſtat, ſed adverſariorum, qui Principi adſcribant, quod eſt proprium Epiſcoporum, magno eſſe in errore ſententiam. Quid autem illud ſit de collegio, fateor, non eſſe me aſſequutum. Ac velim equidem collegii, ſocietatiſque notionem explicent, ut intelligam, cur hæc una in Eccleſiam cadere poſſit; reipublicæ vero notio non poſſit. Collegium (2) enim ordinem eſſe aliquorum in civitate facile patior, tam late autem patere, ut omnes multorum regnorum ordines, omnes ſocietates, ipſos magiſtratus complectatur, prorſus non patior. Nam ſi tam late patens ſocietas hominum collegium dici poteſt, cur non item erit collegium eodem ſenſu reſpublica? Sed ut grammaticos mittam; tædet enim me hiſce in nugis verſari, quæ nihil ad rem illuſtrandam afferunt adjumenti; hoc breve dico: appellent Proteſtantes, quo tandem ipſis nomine placet, Eccleſiam; erit tamen certiſſimum, id quod auctoritate ſacrorum Bibliorum, Apoſtolorum exemplis, teſtimoniiſque majorum oſtenſum eſt, non Principibus ullum, niſi defenſionis, ſed Antiſtitibus Eccleſiæ circa ſacra jus omne com-

1 Confer ſupra *pag.* 146. *notat.* 1.
2 Conſule Petavium *lib.* III. *de Eccl. Hierarch. cap.* XV. *pag.* 887. *ſeq.*

competere, atque eam, quæ contraria eſt, novam eſſe, adeoque reprobandam opinionem.

Sed dicet quiſpiam: Juſtinus martyr (1) eſſe dignum Imperatore ſcribit, de rebus religionis cognoſcere. Ego vero dignum eſſe fateor, modo ne Rex ſit judex, atque diremtor controverſiarum religionis. Nempe id unum Juſtinus poſtulat. Cum enim Ethnici, quin eſſe Chriſtianos audiendos putarent, grave de ipſis ſupplicium ſumere ſolerent, orabant noſtri etiam atque etiam Reges, ut ſi fieri eorum voluntate poſſet, cognoſcerent, utra eſſet cauſſa æquior; propterea quod confiderent, fore, ut perſpecta veritate, hoſtibus aut finem vexandorum noſtrorum hominum, aut modum faciendum imperarent. Quod ſi Rex in religionem inquiſiviſſet, ſtatuiſſetque nihilominus Chriſtianos ſpoliari, cruciari, interfici debere; perſtitiſſent tamen in ſententia noſtri, quod non eſſe Regis proprium arbitrarentur, decreta religionis mortalibus ad credendum proponere. Quæ cum ſatis perſpicua ſint, numquam mihi, eſſe aliquos poſſe, qui nobis hunc locum Juſtini objicerent, perſuaſiſſem; niſi hoc idem in Voſſii (2) ad Hugonem Grotium epiſtola legiſſem.

Extremum argumentum, bona venia me audient adverſarii, ineptum eſt. Duorum enim, triumve, ſi modo ulli fuerunt, qui lapſi in hoc genere ſint, Catholicorum opinione, pervertere, labefactareque omnium ſumma conſenſione firmatam ſententiam velle, hominum eſt, ob anteceptam opinio-

 nem,

1 S. Juſtinus *Apologia* II. *num.* IV. *pag.* 94. *edit. Venetæ opp. an.* 1747. „ Atque ut verum a me dici pateat, paratus ſum, ſi diſputationes illæ (contra Creſcentem Cynicum) ad vos perlatæ non ſunt, coram vobis interrogationes iterum proponere. Regium ſane hoc etiam opus fuerit... Sed ne quis ita dicat: omnes igitur, morte vobis ipſis illata, jam nunc abite ad Deum, nec nobis negotia faceſſite, dicam quid cauſſæ eſt, cur id non faciamus „. Hæc ergo diſputabat Juſtinus, ut Imperatores excitaret, ut vexandorum Chriſtianorum finem fieri juberent. Confer *Apolog.* I. *num.* III. *pag.* 45. *& num.* XVII. *pag.* 55. ubi „ Nos ſolum Deum adoramus, *inquit*, vobis autem in rebus aliis læti ſervimus, Reges, ac principes eſſe agnoſcentes, & ſimul precantes, ut cum regia poteſtate ſanam quoque mentem obtinere comperiamini. Quod ſi nos precantes, atque omnia in lucem proferentes, non curaveritis, nihil nos quidem capiemus detrimenti, quippe cum credamus, vel potius perſuaſum habeamus, pro actionum meritis, unumquemque pœnas per æternum ignem daturum.

2 *Præſtant. & eruditor. viror. epiſt. Eccleſ. & Theolog. edit. Amſtelod. an.* 1704. *epiſt.* CCLXVI. *pag.* 447.

nem, & otio, & litteris abutentium. Mirabile autem videri cuiquam poteſt, tanta confidentia ab Hennigeſio (1)) qui Grotium (2) deſcripſit, Franciſcum Victoriam nominari, quaſi erroris patrocinium, defenſionemque ſuſceperit. Is enim in diſputatione, quam inſcripſit de Poteſtate Eccleſiæ, Summum Pontificem, ſi ratio ſacrorum, finiſque conſideretur, ampliſſimam, eamque jam *temporalem*, in omnes Principes, Reges, atque Imperatores poteſtatem obtinere, dicit, neque dicit ſolum, ſed etiam argumentis (3) confirmat. Statuit deinde, Pontificem Maximum tanta auctoritate valere, ut ſi intelligat a populo Chriſtiano dictum unum aliquem regem eſſe, qui cum animo ſit alieno ab orthodoxa religione, tum ſubditos in errorem inducere conetur; monere debeat omnes, qui in ejus Principis poteſtatem venerunt, ut eum, quamquam eſt verus Princeps, dignitate privent; ſin recuſent, ipſe per ſe, jure quidem ſuo, illum de gradu dejicere regem poſſit. Poſt uti Pontifi-

1 De ſumma *Imp. Rom. circa ſacr. poteſt. cap.* 11. *pag. 65.*

2 Grot. *tract. de jur. ſumm. pot. circa ſacra cap.* 1. *pag.* 23. *edit. an.* 1648.

3 *De Poteſt. Eccl. ſect.* v. *num.* 12. *pag.* 36. *a tergo edit. an.* 1565. ,, In ordine ad finem ſpiritualem Papa habet ampliſſimam poteſtatem temporalem ſupra omnes principes, & Reges, & Imperatores. Et primo, quod in Eccleſia ſit poteſtas temporalis in ordine ad finem ſpiritualem, probatur; quia temporalia, ut ſupra dictum eſt, aliquo modo ſunt neceſſaria, & ordinata ad finem ſpiritualem. Ergo Chriſtus non ſatis providiſſet, & caviſſet rebus ſpiritualibus, ſi non reliquiſſet aliquam poteſtatem, ad quam ſpectaret, quando opus eſſet, ordinare, & uti temporalibus convenienter ad finem ſpiritualem: ſed hoc non ſpectat ad officium principum ſecularium, qui ignorant proporrionem rerum temporalium ad ſpiritualia, nec habent curam rerum ſpiritualium. Ergo iſta cura utendi temporalibus ad ſpiritualia, eſt poteſtatis Eccleſiaſticæ... *Et pag. 37. a tergo*. ,, Dico ergo, quod Papa primo debet uti poteſtate ſpirituali, jubendo ſcilicet illud revocari, quod ſi nolit princeps ſecularis, tunc poteſt ipſe, & debet propria auctoritate revocare, & erit revocatum. Et eodem modo dico, ſi populus Chriſtianus eligeret principem infidelem, de quo merito timeretur, quod populum averteret a fide, ille nihilominus, manendo in jure divino ſolum, eſſet verus princeps; nihilominus Papa deberet admonere populum, immo præcipere, ut tolleret illum, quod ſi nollet, aut non poſſet, tunc Papa ſua auctoritate poſſet eum tollere, & qui prius erat verus princeps, auctoritate Papæ, perderet principatum. Et ſimiliter dlco in aliis negotils temporalibus, quod Papa non poteſt prævenire poteſtatem temporalem... Si hoc non vergit in detrimentum rerum ſpiritualium... Sed ſi hoc vergit in jacturam gravem ſpiritualium, poteſt adhibere remedium eo modo, quo dictum eſt. Et ſimiliter ſi principes inter ſe belligerant de aliqua Provincia cum manifeſto detrimento, & malo religionis, non ſolum poteſt interdicere eis bellum, ſed, ſi aliter convenire non poſſunt, poteſt judicare inter illos per auctoritatem propriam, & dare jus uni eorum, & auferre alteri &c. Mitto reliqua, quæ cum multa ſint, ſi afferrentur, moleſtiam Lectori exhiberent. Hoc animadverto, aut ludere adverſarios, aut mala fide agere, qui auctores pro Pontificum poteſtate agentes, calumnia ad ſuas partes trahere conantur.

tificem, ſubdit, hac eadem poteſtate in omnes, quacumque tandem dignitate excellant, poſſe, ſi eorum id culpa exigat, ne grave Chriſtiana reſpublica capiat detrimentum. Quod ſi temporalem rempublicam perfectam, & integram in eo genere ſcribit eſſe, ſic tamen eſſe integram ſcribit, ut aliquo modo ſubditam eſſe ſpiritali defendat; quare ſi quid agat temporalis, quod vergat in damnum rerum ſpiritualium, hoc totum ita revocari, emendarique poſſe, ut etiam, qui peccavit, rex puniatur, ac ſi opus eſſe conſtet, deturbetur de principatu (1). Rogerium Widdringtonum verbo Catholicum, re autem vera hæreticum hominem nihil (2) moror. Quamobrem quid potiſſimum mirer, imperitiam ne, an audaciam Hennigeſii, neſcio. Cum enim reſponſum ab aliis Widdringtono fuerit & graviter, & diligenter, id ſi Hennigeſius ingnoravit, imperitiæ; ſi novit, impudentiæ arguatur neceſſe eſt, ut qui res egregie a viris doctiſſimis confutatas proponat, quaſi novæ ſint, magnamque vim obtineant ad Catholicum hominem & implicandum, & convincendum.

Atque horum eſt ſimile, quod ex Joh. Pariſienſi O.P. (3) profert. Nam explicatum dilucide eſt ab Adolpho Schulckenio, in eo libro, qui Apologia pro Roberto Cardinali Bellarmino inſcribitur. Etſi enim Johannes fas eſſe regi affirmat impetum ejus, injuriamque vi tandem repellere, qui poteſtate ſpiritali abuteretur, numquam tamen Eccleſiaſticam poteſtatem ſubdendam eſſe civili putavit. Immo vero in eo ipſo (4) libro, quem Hennigeſius ſibi eſſe præſidio arbitratur,

1 *Sect.* VII. *pag.* 48. *num.* VIII.

2 Adolphus Schulckenius *l. c. cap.* 1. *pag.* 2. *edit. Colon. an.* 1613. „ Quod ad nomen, „ titulumque auctoris, *inquit*, indigitat ſe Rogerum Widdringtonum Catholicum Anglum, „ quod quam ſincere, ac recte faciat, paullo accuratius diſpiciendum videtur. Rogerium „ Widdringtonum intelligo eſſe juvenem Catholicum, & nobilem; at hunc auctorem multa „ ſunt, quæ hæreſeos accuſant, & omnino reum peragunt, ut mox videbimus. Quare non „ levis multorum eſt ſuſpicio, auctorem hujus libri eſſe, non Rogerum Widdringtonum, „ ſed aliquem alium impoſtorem, qui hæreticus cum ſit, velit ſub nomine Catholici latere, „ ut viros Catholicos facilius circumveniat. Et hoc non mirum, quia ipſe Satanas transfi„ gurat ſe in Angelum lucis &c.

3 *De Poteſt. Reg & Pap. cap.* XXI. *pag.* 138. *tom.* II. M. Gold. *edit. an.* 1616.

4 *Ibid. cap.* VII. *pag.* 116. „ Papa quia eſt ſupremum caput non ſolum Clericorum, ſed „ etiam omnium fidelium, ut fideles ſunt, tamquam generalis informator fidei, & morum.... „ in

tur, poteſtatem civilem Pariſienſis contendit Eccleſiaſticæ quodammodo eſſe ſubjectam (1).

V.

Jus in res ſacras non competit laicæ, quæcumque tandem ſit, poteſtati.

Jus enim in res ſacras ejus eſt proprium, cui eſſe a Chriſto tributam, auctoritate majorum, exempliſque Apoſtolorum, poteſtatem in ſacra conſtat. Demonſtratum autem ejuſmodi argumentis eſt, Eccleſiaſticis eſſe eamdem ipſam poteſtatem datam. Eſt ergo eorum magno in errore ſententia, qui *ſummum jus* in res quaſque ſacras conceſſum eſſe *ſummo Imperanti* docent. Quod ſi & vera dicerent, eſſet poteſtas Eccle-

„ in quo caſu omnia bona fidelium ſunt communicanda, & calices Eccleſiarum habet bona fidelium diſpenſare, & exponenda decernere, prout expedit neceſſitati communi fidei, quæ alioqui ſubverteretur propter irruptionem Paganorum, aut aliud hujuſmodi „. *Et c.* XIV. *pag.* 127. „ Si rex eſſet hæreticus, & incorrigibilis, & contemtor Eccleſiaſticæ cenſuræ, poſſet Papa aliquid facere in populo, unde privaretur ille ſeculari honore, & deponeretur a populo. Et hoc faceret Papa in crimine Eccleſiaſtico, cujus cognitio ad ipſum pertinet, excommunicando ſcilicet omnes, qui ei, ut Domino obedirent „. Criminis autem Eccleſiaſtici nomine intelligit Johannes peccatum in *fidem admiſſum*, *matrimonium & alia hujuſmodi*, *quorum juriſdictio ad judicem Eccleſiaſticum pertinet*. Subdit. „ Ubi vero Rex peccaret in temporalibus, quorum cognitio ad Eccleſiaſticum non pertinet, tunc non habet ipſum corrigere primo, ſed Barones, & Pares de Regno, qui, ſi non poſſunt, vel non audent, poſſunt invocare auxilium Eccleſiæ, quæ requiſita a Paribus in juris ſubſidium, poteſt monere Principem, & procedere contra ipſum modo prædicto „. Fateor minus Johannem Pontifici tribuere, quam velint noſtri. Sed quod tribuit ſatis eſt, ut oſtendat, ſpiritalem Poteſtatem eſſe civili præſtantiorem, cogereque cenſuris poſſe Regem, ut vel pareat, vel regno privetur.

1 Hactenus de graviſſima controverſia, quam copioſe, miſſis iis, quos ſupra nominavi, tractavit, præter eorum aliquos, quorum opuſcula collegit, ſuæque *Bibliothecæ Pontificiæ* inſeruit Johannes Baptiſta Roccabertus Archiepiſcopus Valentinus, Petrus a Soto vir doctiſſimus Ordinis Prædicatorum, cum alibi, *tum in opere inſcripto: aſſertio Catholicæ Fidei circa articulos confeſſ. nomine Illuſtriſſimi Ducis Wirtembergenſis oblatæ ab ejus legatis Concilio Tridentino, editionis Antuerpienſis an.* 1557. *& opere adverſus Brentium editionis Antuerp. edit. an.* 1552. *Et* II. *parte libri inſcripti: defenſio Catholicæ confeſſionis, & Scholiorum circa confeſſionem Ducis Wirtembergenſis nomine editam adverſus Prolegomena Johannis Brentii edit. Antuerp. an.* 1557. Cujus quidem operis ſecundam eamdem partem oppugnare conatus eſt Jacobus Heerbrandus Lutheranus *libro inſcripto: Refutatio ſecundæ Partis Sotici ſcripti, cui auctor titulum fecit, de uno præſente, & certo judicio Eccleſiaſtico in dubiis fidei neceſſario, & ratione ejus, edit. an.* 1561. Sed is non ratione pugnare, ſed contumelia voluit. Cum enim vim nullam roburque habeant, tum ſunt ejus oppugnationes plenæ dicteriorum. Neque graviora his attulerunt tot ſcriptores, quos numerat Gisbertus Voetius *loc. ſup. cit.* quos ſane eſſe permultos conſtat. Suntque jam eorumdem ſimilia, quæ collegerunt Thomas Mortonus Anglus in eo *libro*, qui inſcribitur, *de auctoritate, & dignitate Principum Chriſtianorum*, & Johannes Joachimus Schepferus *diſſertat. de uſu, & abuſu Elenchi Eccleſiaſtici edit. Roſtochii an.* 1699. Puffendorfius, iique omnes Proteſtantes, quorum teſtimonia deſcribit Voſſius *l.c.* contra quos ſenſit Samuel Bochartus Epiſt. ad Morleium *t.* I. *opp. edit. Lugd. Batav. an.* 1720. *p.* 988.

Eccleſiaſtica ſubjecta civili, cum id juris Principi tribuendum exiſtiment, *ſubordinationis*, ut ajunt, cauſſa. *Subordinatam* autem non eſſe Eccleſiaſticam civili oſtenſum eſt ſupra ſatis, ut arbitror, accurate. Non ergo jus *ſummum* in ſacra concedendum eſt ei, qui principatu potitur in civitate.

VI.

Quemadmodum ſcriptores permulti ex iis, quæ diſputata ſunt, concludant, Eccleſiaſticos legibus principum non teneri, quæ cum ſacris canonibus pugnent; niſi canones ſint ob utilitatem præſentem Chriſtianæ Reipublicæ auctoritate Sacrorum Præſulum revocati.

Sunt autem Theologi, & ii quidem multi, ac nobiles (1), qui hiſce conſtitutis, conſequens eſſe defendant, homines, qui ſeſe Eccleſiæ conſecraverint, non teneri legibus Principum laicorum, quæ cum canonibus ſacris pugnent. Sic autem diſputant. Ei, qui poteſtatem in ſocietate obtineat, ineſt jus condendarum legum. Obtinent vero ſacrorum Antiſtites in Eccleſia poteſtatem. Ineſt igitur ſacrorum Antiſtitibus poteſtas ferendarum legum. Atque eam quidem poteſtatem conſtat civili eſſe præſtantiorem. Quæ autem poteſtas ſublimior eſt, inque præſtantioribus, ſublimioribuſque rebus verſatur, ea ſi leges ferat, plus ab ſuis obedientiæ exigat neceſſe eſt, quam poſtulet poteſtas non tanta ſublimitate, excellentiaque præſtans, cujus leges repugnent legibus ab excellentiore poteſtate ſcriptis. Utriſque autem teneri Eccleſiaſticus non poteſt, ut quæ componi inter ſe nequeant. Tenebitur ergo legibus a præſtantiore latis, cui ſe obſtrinxit, contrariiſque civilibus non tenebitur. Quod ſi revocatæ Eccleſiaſticæ leges, aut majoris commodi Eccleſiæ, aut vitandarum perturbationum cauſſa ſint, tum Eccleſiaſticus, ut civis, legi Principis non repugnanti ſacris parebit. Atque hæc quidem illi pluribus. De jure autem

1 Multa in hanc ſententiam diſputant Franciſcus Victoria Ord. Præd. *relect.* 1. *de Poteſt. Eccl. quæſt.* VII. *num.* 3. *pag.* 45. *ſeqq. edit. an.* 1565. Bellarminus *lib.* 1. *de Clericis cap.* XXVIII. *ſeq. pag.* 160. *ſeqq. tom.* II. *opp. edit. Venetæ an.* 1721. aliique.

autem in *perſonas* ſacras, deque auctoritate convocandorum Conciliorum agemus aliis locis opportune, & copioſius.

ſ. IV.

Jus ne ullum in temporalia Regum obtinere Pontifices Maximos majores noſtri putarint, nec ne?

CUm jus in res ſacras *ſummum* nemini aut Regum, aut Imperatorum datum eſſe oſtenderim paragrapho ſuperiore, poſtulat inſtituti ratio, ut ad ſacrorum Antiſtites veniam, inveſtigemque, jus ne ullum in *temporalia* Principum laicorum Pontifici Maximo, cui *plenitudo Eccleſiaſticæ Poteſtatis* omnium quidem Orthodoxorum ſententia conceſſa eſt, ineſſe Majores noſtri putaverint. Igitur eorum omnium, qui Pontificem Maximum caput eſse Chriſtianæ reipublicæ confitentur, gaudentque Catholicæ Eccleſiæ communione, magna in hoc genere diſsenſio (1) eſt, quorum ſi propoſitæ fuerint accurate, diligenterque opiniones, ſpero, quæ vera ſit, eos, qui legerint, rationeſque, quibus quæque maxime nitatur, expenderint, perfacile cognituros,

I.

Proponitur Gallorum, qui negant, ſententia.

Fuerunt autem olim (2), ſuntque etiamnum (3) permulti in Galliis, qui Reges, ac Principes in iis, quæ ad *tem-*

1 Nunc enim non agimus adverſus Proteſtantes.

2 Rogerus Widdringtonus *loc. cit.* hujus ſententiæ patronos fuiſſe Johannem Pariſienſem Ordinis Prædicatorum, Jacobum Almainum, & Johannem Majorem cenſet; verum de his agemus paullo poſt. Interea confer Adolphum Schulekenium: *Pro Illuſtr. D. D. Roberto Bellarmino S. R. E. Cardinali adverſus librum falſo inſcriptum Apologia &c. cap.* 11I. *pag.* 59. *ſeqq. edit. an.* 1613.

3 Dici vix poteſt, quot Galli hiſce poſtremis temporibus de hoc genere argumenti, quantaque contentione animorum ſcripſerint. Atque omnes quidem horum recenſendo numerare difficile eſt. Itaque præcipuos indicabimus. Ludovicus Elias Dupinius *de antiqua Eccleſ. diſcipl. diſſert.* VII. *pag.* 433. *ſeqq. edit. an.* 1688. Natalis Alexander O. P. *hiſt. Eccl. ſec.* XVI. *diſſert.* V. *tom.* XVI. *pag.* 478. *edit. Lucenſis an.* 1734. Jacobus Benignus Boſſuetius Epiſcopus Meldenſis *declarat. Conventus Cleri Gallicani an.* 1682. *defenſ. p.* 1. *lib.* 1. *ſeqq. edit. an.* 1745. *p.* 89. *ſeqq.* Maimburgus *Traité Hiſt. de l' Etabl. e Prér. de l' Egliſ. de Rome edit. an.* 1685. *c.* XXVI. *p.* 303. *ſeqq.* Mitto ceteros, ne ſim longior, quam oporteat.

temporalia, quæ vocant, pertinent, nulli Eccleſiaſticæ poteſtati divinæ inſtitutione ſubjectos eſse, auctoritateque, quam Chriſtus Ecclesiæ dedit *ligandi*, atque *ſolvendi*, quæ quidem auctoritas *clavium* appellatur, *directe*, vel *indirecte* dejici de principatu, vel (ſubditis fide, quam dederint, juriſque jurandi religione ſolutis) in periculum amittendi regni venire non poſse, defenderent (1). Cumque eſse quamplurimos viderent, qui vehementer reſiſterent, conventus (2) interdum non ſolum Doctorum virorum in Academia (3), ſed etiam totius Cleri (4) habendos cenſuerunt, quibus ſuam ſententiam conſtabilirent, quam Eccleſiæ, Imperioque utilem, & ſcripturæ, majorumque traditionibus conſentaneam, ſanctorumque virorum exemplis firmatam eſſe arbitrabantur (5).

Sic autem diſputant. Certum eſt, ſupremam civilem pote-

1 Vide Cleri Gallicani *declarat. prop.* 1. *apud Boſſuetium ibid. poſt. præfat. pag* XLV.

2 In ſolemni omnium Ordinum Regni conventu habito ann. 1615. ut auctor *Mercur. Franc. tom.* III. *ann.* 1615. *pag.* 351. *& ſeqq.* & Boſſuetius *ibid. pag.* 1. *lib.* 1. *cap.* III. *pag.* 95. ſcribunt, actum de hac re fuit. Loquutum autem in hanc ſententiam Regi Ludovico XIII. Henricum Borbonium Condæum primum Regii ſanguinis Principem referunt. „ Haudquaquam eſt dubium, o Rex, quin Papæ ut ſupremo Paſtori a Chriſto conſtituto ſua „ majeſtas eodem jure ſubſit, quo ceteri fideles etiam infimæ ſortis, ita ut ea poteſtate ab„ ſcindi ab Eccleſiæ membris, & excommunicari poſſis, ſiquidem id tua peccata mereantur, „ qua quidem excommunicatione anima ſatanæ tradita, tu Rex Eccleſiæ communione pul„ ſus, ſacramentorum extorris, omni etiam Eccleſiæ limine arceare. Ceterum quod attinet „ ad temporalia, ſibi haud ſecus a ſubditis populis obedientia, ac tributa deberentur, „ Chriſto, & Apoſtolis verbo, & exemplo præeuntibus. Qui contrariam tuentur ſenten„ tiam, quamvis inimici regiæ poteſtatis, non tamen eo uſque acti ſunt in rabiem, ut Reges „ cædi poſſe dicerent. At ſi rem penitus introſpiciamus, facile intelligemus nec tuam ſan„ ctam perſonam a cæde tutam eſſe. Fac enim admonitum, excommunicatum, depoſitum „ eſſe te, jam Ludovicum XIII. quamdiu Rex erat, non potuiſſe cædi, certum; at poſtquam „ exrex factus eſt, alio legitimo Rege conſtituto, ſi ſpreta Papæ ſpirituali, & novi Regis „ temporali Poteſtate, pro Rege ſe gerat, invaſor profecto, & ut talis, reus neci addi„ ctus, & ut publicus hoſtis a quocumque cædendus.

3 Vide facultatis Pariſienſis cenſuram in librum Antonii Sanctarelli S. J. latam *die* IV. *Aprilis an.* 1626. apud Boſſuetium *ibid. cap.* IV. *pag.* 97. ubi hæc præter cetera leguntur. „ Facultas Theologica Pariſienſis, ut majorum veſtigiis inhærendo, ſuum erga ſapientiſſi„ mum Regem noſtrum, iſtudque præſertim Chriſtianiſſimum Regnum, animum, ſtudium„ que declararet, bonorumque omnium votis ſatisfaceret, præ ceteris nuperum Antonii San„ ctarelli Jeſuitæ opus . . . a quibuſdam ſelectis doctoribus examinandum cenſuit &c. Confer eumdem Boſſuetium *ibid. cap.* V. *pag* 98. *ſeq.* ubi cenſuras a facultate Pariſienſi in Sanctarellum eumdem, & Malaguiam Ord. Præd. latas commemorat.

4 Celebratus eſt Conventus Gallici Cleri an. 1682. Atque eam inter ceteras de Eccleſiaſtica poteſtate, quam ſupra deſcripſimus, probavit propoſitionem. Confer Boſſuet. *l. c. pag.* XLV. *ſeq. poſt Præfat.* Itaque ortæ inter noſtros, Galloſque magnæ contentiones fuerunt. Sed earum hiſtoriam prætermitto, quod & longus eſſe, & obligata jam vulnera reſricare, ut ajunt, nolim.

5 Confer Boſſuetium *ibid.*

poteſtatem jam inde ab initio fuiſſe legitimam, idque Scripturarum auctoritate, & conſenſione veterum Chriſtianorum (1) conſtare. Atque eam quidem ſive ex Deo ἀμέσως, ſive ex populorum conſenſu, quem Deus probet, extiterit, ex Deo tamen eſſe profectam contendunt, iiſque argumentis efficiunt, quæ ſupra deſcripta ſunt, cum de eo quæſtionis genere ageremus. Addunt regiam nulli alteri eſſe poteſtati divina voluntate, inſtitutioneque ſubjectam, ſummamque in hac re eſſe omnium Ethnicarum gentium (2) conſenſionem. Exempla enim Druidum, atque Aruſpicum, quæ objici ab adverſariis ſolent (quoniam Druides, atque Aruſpices imbuti ſuperſtitione Deorum erant, ſacerdotioque vero carebant) nihil morantur. Quod ſi ſubjecta nulli poteſtas ſuprema civilis eſt, conſiſtere eam ſeipſa poſſe, concludunt; eoque magis in ſententia confirmantur, quo ſine vera religione, veroque ſacerdotio noverint, diu regna pleraque, eaque jam perfecta, atque abſoluta obtinuiſſe. Negant deinde fuiſſe quidquam inſtitutione legalis ſacerdotii de regia, hoc eſt de ſuprema civili poteſtate dereptum, idque Deuteronomii (3), Regumque (4) libris, quorum eſt auctoritas divina, comprobare ſe poſſe putant. Nam quæ contra produci ex Deuteronomio (5), libriſque Regum conſue-

1 Boſſuetius *ibid. p. 1. l. 1. ſect. 11. pag. 125. ſeqq.*

2 Boſſuetius *ibid. cap. iv. pag.* 129.

3 *Deuteronom. cap.* xvii. *v.* 14. „ Cum ingreſſus fueris terram, quam Dominus Deus „ tuus dabit tibi, & poſſederis eam, habitaveriſque in illa, & dixeris: conſtituam ſuper „ me Regem, ſicut habent omnes per circuitum nationes &c. „. Indicarat igitur Deus fore, ut Hebræi Regem ſibi præficerent. At ubi Sacerdotum, Pontificiſque Maximi meminit, numquam ſignificavit ineſſe his dejiciendi de gradu Regis poteſtatem. Hæc Boſſuetius *ibid. cap.* vi. *pag.* 133.

4 1. *Reg. cap.* viii. *v.* 15 „ Conſtitue nobis Regem, *inquiunt Hebræi alloquentes* „ *Samuelem*, ut judicet nos ſicut ceteræ habent nationes „. *Et v.* 10. *ſeq.* „ Rex erit ſuper nos, & erimus nos quoque ſicut omnes gentes, & judicabit nos Rex noſter, & egredietur ante nos, & pugnabit bella noſtra pro nobis „. Supremum ergo, ſubdit Boſſuetius, principem poſtulabant, qui a nulla alia poteſtate, ut mos erat gentium ceterarum, penderet. *Ibid. pag.* 134.

5 Bellarminus *lib.* v. *de Romano Pontifice cap.* vii. *pag.* 440. *tom.* 1. *novæ edit. Venet. an.* 1721. hoc utitur argumento. *Deuteron. cap.* xvii. *verſ.* 14. *&* *ſeq.* hæc habentur. „ Cum ingreſſus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & poſſederis eam .... „ & dixeris, conſtituam ſuper me Regem, non poteris alterius gentis hominem Regem „ facere, qui non ſit frater tuus „. Eſt autem, ſubdit, eodem in vitio, qui *infidelem* elegit, & qui electum non deturbat de gradu Regem. Deturbandi ergo ſunt ejuſmodi Reges de digni-

conſueverunt, quoniam vel inſtinctu ſingulari Divini Numinis geſta (1) ſunt, vel ad rem minime pertinere cenſent (2), non æque curant. Quinetiam Synedrium Senatorum ſeptuaginta, quod aliqui apud Judæos inſtitutum a Moſe fuiſſe dixerunt, ut de Regum, de Prophetarum, legiſque cauſſis cognoſceret, ferretque ſententiam; non hac tanta valuiſſe auctoritate pugnant; cum proditum nuſquam a ſacris Scriptoribus memoriæ ſit, redactos in ordinem ejus magiſtratus potentia reges fuiſſe, conſtetque ſeptuaginta Senatores fuiſſe a Moſe primum delectos, non ut reges in officio continerent, ſed ut Moſi eidem, qui in litibus civium dirimendis maxime laboraret, adjumento eſſe (3) poſſent. Ac ſi Herodem Senatus, ut cauſſam diceret, juſſit, factum id fuiſſe affirmant, quod is eo tempore non Rex Judæorum, ſed Galilææ Procurator (4) eſſet. Itaque nihil eos agere decernunt, qui fas Pontifici Hebræorum fuiſſe in Reges animadvertere cenſuerunt, propterea quod is ſynedrium moderaretur. Accedunt ad novum Teſtamentum, negantque inſtitutione novi Sacerdotii quidquam fuiſſe immutatum in regnandi jure, aut ullam poteſtatem ſacrorum Præſidibus datam, qua Regem mulctare imperio (5) valerent. Argumentantur autem hoc modo: ſi quibus umquam, Pontificibus quidem certe veteris Teſtamenti tributa hujuſmodi in Reges poteſtas fuiſſet, quorum erat terreno imperio, terreniſque promiſſis nixa religio. Tributa autem numquam hæc tanta poteſtas eſt Pontificibus Judæorum. Multo minus igitur Chriſtianis. Quid? ſi Chriſtus, cum Apoſtolos ad pro-

gnitate. Reſpondet Boſſuetius: Non eſſe id quidem ad rem, quod id ipſum populo, non Pontifici præcipiatur. Deinde plus effici hoc genere argumenti, quam Bellarminus velit. Expellendos enim probat Reges, qui etſi ſunt *infideles*, tamen neminem a cultu religionis veræ abducere conantur. Quod ſane Bellarmino haud placet. Boſſuetius *ibid. cap.* VIII. *pag.* 136. *ſeq.*

1 Nam exempla Jeroboami, & Jehu, non eſſe ad rem defendit Boſſuetius, cum non *ordinaria*, ſed *extraordinaria* quadam ratione evenerint. Itaque Baronium magnum, qui his exemplis uteretur, refellit *cap.* IX. *pag.* 138. Addit paruiſſe Iſraelitas Ethnicis Regibus, idque late perſequitur *pag.* 138. *ſeqq.*

2 Boſſuet. *ibid. cap.* VIII *pag.* 137. *ſeqq.*

3 Boſſuetius *ibid. cap.* VII. *pag.* 135. *ſeq.*

4 Ibid. Quid? ſi adnotatores Boſſuetii a Pontifice fuiſſe rectum Synedrium negent, utanturque Joſephi ſilentio? *Ibid. pag.* 135. *ſeq.*

5 Boſſuetius *ibid. cap.* XIII. *pag.* 146. *ſeqq.*

pagandam religionem mitteret, duorum eis generum poteſtatem dedit, quarum altera *ordinaria*, hoc eſt de *prædicando regno cælorum*, altera extraordinaria, nempe *de curandis infirmis* (1) erat? *Ordinaria* vero (nam de *extraordinaria* nihil attinet dicere) quemadmodum ſequetur, a Pontificibus dejici de gradu, exturbarique ex Imperio regem poſſe? Prædicent quidem Evangelium (2) miniſtri ſacrorum, conſecrent myſteria, hoc eſt ſacramenta religionis, negent communionem Eccleſiaſticam iis, qui in flagitia inciderunt (eſt enim hoc munus eorum proprium, quibus impoſitum prædicandæ Doctrinæ Evangelicæ onus fuit); adimendi tamen cuiquam regni auctoritate vacabunt, cum hujus auctoritatis non ſit alicubi in ſacris Bibliis facta mentio. Latiſſime quidem paſcendi gregis Chriſtiani poteſtas patet, ſed iis finibus contineatur neceſſe eſt, quibus & ſe continuit Chriſtus, & contineri Apoſtolos, eorumque ſucceſſores voluit. Nam *ſpiritalia* adminiſtrari ab his oportere ſæpe dixit, temporalia nuſquam. Quamobrem reddenda eſſe Cæſari, quæ (3) Cæſaris erant; Deo autem, quæ Dei, præcepit, ne quis novis rebus ſtudere, perturbareque auderet Rempublicam. Age vero, cum Chriſtus proſpiceret fore, ut diſcipuli, ejuſque ſectatores permulti in judicium religionis cauſſa adducerentur, tum vexarentur, poſtremoque interficerentur, ecquid eis, præter patientiam (4), commendavit? Promiſit ille quidem, laturum eis opem ſe, facturumque, ut ſapienter interrogantibus ſatisfacerent, ſuppliciaque æquo animo ſuſtinerent. Addidit facultatem in aliam civitatem proficiſcendi, ſi in una quapiam quæſiti ad necem fuiſſent, ſin autem comprehenſi eſſent, hortatus eſt, ut patienter cruciatus ferrent; quod hiſce ſibi pararent ad Regnum Cælorum conſequendum viam. Sed ut eis vi regiæ obluctari, reſiſtereque liceret, non conceſſit. Si enim conceſſiſſet, non commiſiſſent Apoſtoli, ut hujuſce rei memoria intercideret. At hi cum omnes homines poteſtati ſublimiori ſubditos

ditos

1 Lucæ *cap.* IX. *v.* I. *ſeqq. Evang.* Confer Boſſuetium *ibid. pag.* 146. *ſeqq.*
2 Boſſuetius *ibid. cap.* XIII. *pag.* 147. *ſeq.*
3 *Matth. cap.* XXII. *v.* 21. Boſſuetius *ibid. cap.* XIV. *pag.* 148.
4 Boſſuetius *ibid. cap.* XIV. *pag.* 149. *ſeq.*

ditos eſſe oportere ſanxerunt, ſas eſſe aliquando Antiſtiti ſacrorum in regem ſententiam dicere, eumque deturbare de throno dicendum non putarunt. An exceptionem nullam ei tam late patenti præcepto de (1) auſcultando Principi adjunxiſſent, ſi regem, qui aut eccleſiam perturbet, aut religionem evertere conetur, etſi ante Chriſto nomen dediſſet, multari regno a Pontificibus Maximis judicaſſent poſſe? Neque eſt ullius momenti, quod quidam opponunt, diſtinguenda eſſe tempora infirmæ, atque adoleſcentis Eccleſiæ, quaſi principio, cum viribus minime polleret, neſas eſſet; nunc autem, quum adoleverit, viribuſque aucta ſit, reſiſtere Principibus Eccleſiæ liceat. Quid enim? An obediendum regi fuit *propter conſcientiam* (2), cum opibus minime valeret Eccleſia; obſiſtendum autem, quin habeatur *conſcientiæ* ratio, quod ea opibus creverit? Hæc tot ſeculis inaudita, ac poſtremis demum nata temporibus, cujuſcumque viri nomine in lucem efferantur, ſi ferri utcumque poſſunt, coli certe, probarique nullo modo poſſunt. Sed quid multis eſt opus? Annon Chriſtus regnum ſuum non eſſe *de hoc mundo* (3) dixit? His autem verbis nonne indicavit, nihil umquam Principibus ab Apoſtolis, eorumque deinceps ſucceſſoribus eſſe metuendum? Quum enim ex ipſo Pilatus quæreret, rex ne eſſet, noviſque proinde rebus contra Imperatorem ſtuderet; ut ex ejus animo omnem, quæ nata de ſe erat, evelleret ſuſpicionem, nihil ſe regii aut expetere, aut habere, nihilque ſuis legibus præſcripſiſſe reſpondit, unde quidquam in Principes incommodi proficiſci poſſe videretur. Multa autem, eaque jam graviſſima incommoda redundaſſent in Principes civitatum, atque Regnorum, ſi auctis Chriſtianorum opibus, jus eſſe ſuis voluiſſet, reges de dignitate, graduque deturbare, qui moliri, aut agere aliquid auderent in religio-

1 Boſſuetius *ibid. cap.* XVI. *pag.* 150. Id vero, quod eſt de patientia, confirmat ſententia Auguſtini *q.* VIII. *in Matthæum*, *Tom.* III. *opp. part.* II. *pag.* 277. & *Enarrat. in Pſ.* LVII. *num.* 10. *tom.* IV. *pag.* 548. *edit. Pariſ. Monachor. s. Mauri*. Quod vero honos ſit Cæſari adhibendus, cum ſuis etiam rebus reſiſtit, auctoritate Tertulliani *Scorpiaces cap.* XIV. *pag.* 499. *edit. le Prieur*, oſtendi facile poſſe arbitratur: gravius præterea nihil affert.

2 *Epiſt. ad Rom. cap.* XIII. *v.* 5. Vide Boſſuetium *ibid. cap.* XVII. *pag.* 152.

3 Lucæ *cap.* XVII. *Evang. v.* 21. Boſſuetius *ibid. cap.* XVIII. *pag.* 153. *ſeq.*

gionem. Itaque majores noſtri ſummam ſemper in Chriſto Servatore animi demiſſionem ſunt (1) admirati, qui cum divina virtute præſtaret, tum ſubjici regibus, eiſque, quamquam ſceleſtis, impiiſque parere minime recuſaret. Nam, quæ nonnulli animadverterunt, numquam a Chriſto fuiſſe dictum, *Regnum meum non eſt hic, ſed regnum meum non eſt hinc*, inania ſunt, neque digna videri, quæ refellantur. Atque hinc ſane factum eſſe ajunt, cum regnum terrenum obtinere Chriſtus, auctoritatemque in Principes ullam exercere noluiſſet, conſtitutum ſe judicem (2) negaret fuiſſe, qui de litibus, controverſiiſque civilibus ſententiam diceret. Pontificem enim fuiſſe Chriſtum Apoſtolus in litteris ad Hebræos tradidit (3), poteſtatem vero in Reges ſibi aſſumſiſſe, nullo modo. Quod ſi eam ille minime voluit, quid eſt, quod ſibi Antiſtites ſacrorum expetendam eſſe arbitrentur? Nam, quod ajunt, auxiliis, præſidiiſque iis munitam eſſe Eccleſiam oportere, quibus ſalutem ſuorum curare poſſit; ac niſi poteſtate dejiciendi de throno reges, qui detrimentum Chriſtianæ Reipublicæ afferre non dubitent, iiſdem ipſam præſidiis, auxiliiſque carere; componi cum Evangelii, Apoſtolorumque decretis (4) nequit. Ferenda enim æquo eſſe animo, quæcumque eveniant adverſa, a Chriſto, ejuſque diſcipulis præſcriptum eſt; non autem quidquam in Regum Majeſtatem eſſe tentandum. Quamobrem veteres Pontifices de exturbandis e Regno Principibus, qui religioni Orthodoxæ interitum minarentur, ne congitarunt quidem. Neque vero, quoniam Chriſtus prohibendum eſſe ſacrorum communione (5) hominem, qui Eccleſiæ auſcultare detrectet, dixit, concludendum continuo eſt, jure ſuo, quo in temporalibus gaudet, privatum eſſe eum (6), cui ſacris ſit interdictum. Reddenda enim eſſe conſtat Cæſari, quæ Cæſaris propria ſunt; Deo vero, quæ ſunt Dei.

Patrum

1 *Auguſt. tract.* II. *in Johann. num.* IV. *tom.* III. *par.* II. *opp. pag.* 635. *edit. Pariſ. Monachor. S. Mauri.* Confer Boſſuet. *ibid. pag.* 153. *ſeq.*

2 Luc. *Evang. cap.* XII. *v.* 13. *ſeq.* Conſule Boſſuetium *ibid. cap.* XX. *pag.* 155.

3 *Cap.* V. *v.* 5. *ſeqq.* Adeundus Boſſuetius *ibid. cap.* XX. *pag.* 155. *ſeqq.*

4 Conſule Boſſuetium *ibid. cap.* XXI. *pag.* 156.

5 Vide Matth. *cap.* XVIII. *v.* 17. *ſeq.* & Boſſuetium *cap.* XXII. *pag.* 158. *ſeqq.*

6 Boſſuet. *ibid. pag. ead. ſeqq.*

Patrum deinde conſenſionem opponunt, atque hoc modo diſputant. Juliano Imperatori, qui ſane diris devotus a noſtris ſuerat, propterea quod ejurata religione Chriſtiana ad Ethnicos per ſummam impietatem defeciſſet, verumque Dei cultum delere conaretur, Chriſtiani quarti ſeculi paruerunt. Id autem rebus geſtis Valentiniani (1) ſenioris, auctoritateque Patrum (2), qui ea ætate florebant, ſatis eſt, ut Boſſuetius exiſtimat (3), demonſtratum. Immo vero judicis loco habitum eum fuiſſe a noſtris, qui virum neſcio quem Chriſtianum, qui aram (4) dejecerat, ſacrificiumque Ethnicorum turbarat, capitis condemnavit, memoriæ traditum ab Ambroſio eſt, cui plurimum de rebus noſtris agenti credimus. Quid? ſi Baſilius Præſidem (5) Lybiæ, Syneſius Ptolemaidenſis Epiſcopus (6) Andronicum Præfectum communione Eccleſiaſtica prohibuerunt, quin privare potuerint eos, qua erant præditi, dignitate? Hoc idem de Valente, de Conſtantio, de Leone Iſaurico, aliiſque dicendum eſt, quos, tametſi communione ſacrorum prohibitos noverant, numquam Patres pelli Epiſcoporum auctoritate ex Imperio poſſe cenſuerunt. Quinetiam fuerunt nono ſeculo Antiſtites, qui juſſi a Pontifice, ne ſalutare, neve alloqui Regem (7) adulterum, privatumque communione ſacrorum auderent, reſponderunt, nihil umquam ſimile fuiſſe Epiſcopis a Sede Apoſtolica imperatum. Multo eſt gravius putare, ob incommoda in Eccleſiam illata Impe-

1 Theodoretus *lib.* III. *hiſt. Eccl. cap.* XVI. *pag.* 136. *edit. Cantabrig.* de Valentiniano agens, qui poſt Auguſtus fuit. „ Cum lanciarios, inquit, ad palatii cuſtodiam conſtitutos „ tribunus regeret, *Julianum* in templum genii publici intrantem præcedebat. At aſperſam „ clamydi luſtralis aquæ guttam conſpicatus, æditum pugno percuſſit, inquinatum ſe di- „ cens, non autem purgatum „. Qua re geſta, cum dejectus de dignitate ab Juliano fuiſſet, numeratus in Confeſſoribus Valentinianus fuit, quod cum in re, officioque neceſſario Principi præſto fuiſſet, in ſacrilegio tamen ab ejus ſocietate abhorreret. Principi ergo communione ſacrorum prohibito, parere, atque officia, honoremque adhibere ſubditum neceſſe eſt.

2 Confer Gregorium Nazianzenum *epiſt.* XVII. *pag.* 779. *edit. an.* 1690.

3 Boſſuetius *ibid. cap.* XXVI. *pag.* 163.

4 Ambroſ. *epiſt.* XL. *ad Theod. Aug. num.* XVII. *tom.* II. *pag.* 951. *edit. Monachor. s. Mauri.*

5 *Baſil. epiſt.* LXI. *al.* XLVII. *pag.* 155. *tom.* III. *opp. edit. Monachor. s. Mauri Pariſ.*

6 Syneſius *epiſt.* XLVIII. *pag.* 201. *ſeqq. edit. Pariſ. an.* 1640.

7 Hincmarus Remenſis *opuſc.* XLI. *tom.* II. *opp. pag.* 693. *edit. Sirmondi.*

Imperatorem, aut Regem de throno dejiciendum. Ac vi quidem *excommunicationis* non ſequitur, ut qui ſubditi ſunt, ii verſari cum hero, atque adeo cum rege, eumque alloqui non poſſint. Atque id ſane Gregorii VII. (1) Gregorii IX. (2) Romanorum Pontificum, S. Thomæ Aquinatis (3), aliorumque auctoritate plane conſtat. Redeo ad veteres Patres. Itaque certum eſt, eos, qui primis tribus ſeculis viguerunt, ſemper monuiſſe noſtros, ut Imperatoribus, qui de republica quidquam decernebant, obſequerentur, patienterque omnia, quæ contra religionem ſtatuebant (4) ferrent. Erat autem maximus numerus eo tempore Chriſtianorum, ut eſt auctor (5) Tertullianus; quamobrem viribus pollebant, quibus, ſi poteſtas ipſis facta a Chriſto fuiſſet, reſiſtere inque periculum amittendi Imperii Auguſtos cunjicere valerent. Quod ſi in Ethnicos, qui numquam Chriſtianis ſacris initiati fuiſſent, nihil poteſtatis noſtri Antiſtites obtinebant, obtinuiſſent profecto in Julianum, ſi vera eſt Baronii, Bellarmini, Perronii, Victoriæ, aliorumque plurimorum ſententia. Neque deerant vires, opeſque Eccleſiæ, quibus id perficere, ſi auctoritatem a Chriſto conſecuta eſt, (6) potuiſſet. Verum nullus fuit ea ætate Chriſtianus, qui fas eſſe Præſidibus Eccleſiarum aut Sacramento religionis, quo ſe Principi obligarant, milites ſolvere, inque Imperatorem arma ſumere, huncque de regno deturbare (7) ſcriberet.

1 Synodus Romana Gregorio Septimo præſide an. 1078. celebrata. *Tom.* IV. *p.* I. *Concilior. edit. Pariſ. Harduini pag.* 1588. ſic ſtatuit. „ Quoniam multos . . . pro cauſſa excom-
„ municationis perire quotidie cernimus, partim ignorantia, partim etiam nimia ſimplici-
„ tate, partim timore, partim etiam neceſſitate, devicti miſericordia, anathematis ſen-
„ tentiam ad tempus, prout poſſumus, opportune temperamus. Anathematis namque vin-
„ culo hos ſubtrahimus, videlicet uxores, liberos, ſervos, ancillas, ſeu mancipia, nec
„ non ruſticos, & ſervientes, & omnes alios, qui non adeo curiales ſunt, ut eorum conſilio
„ ſcelera perpetrentur, & illos, qui ignoranter excommunicatis communicant, ſeu illos,
„ qui communicant cum eis, qui communicant excommunicatis &c.

2 Vide ejus *epiſt.* II. *tom.* XI. *Concilior. edit. Pariſ. Labbei pag.* 315. & Boſſuetium *ibid. cap.* XXIX. *pag.* 168. *ſeq.*

3 *Supplem. quæſt.* XXIII. *art.* II. Confer Boſſuetium *ibid. pag.* 169. *ſeq. cap.* XXX.

4 Boſſuetius *ibid. p.* I. *lib.* II. *cap.* I. *pag.* 185. *ſeq.*

5 Tertull. *Apolog. cap.* XXXVIII. *pag.* 30. *edit. Rigaltii.* Adeundus Boſſuetius *ibid. pag.* 186. *ſeq.*

6 Confer Gregorium Nazianzenum *orat.* III. *in Jul. pag.* 80. Adeundus rurſum Boſſuetius *ibid. pag* 188. *cap.* II.

7 Immo vero ferendum patienter ejus imperium indicarunt. Vide Auguſt. *in Pſ.* CXXIV. *num.* VII. *pag.* 1415. *tom.* IV. Conſulendus Boſſuetius *cap.* II. *pag.* 190.

beret. Immo omnes ferendum eſſe Apoſtatam, quod Deus Principi parendum, honoremque adhibendum eſſe ſanxiſſet, tradiderunt. Hoc ipſum ſtatuerunt de Conſtantio (1), de Valente (2), de ceteris denique Imperatoribus, qui deinceps ad XI. uſque ſeculum principatum in republica Populi Romani obtinuiſſent, quique aut in hæreſim lapſi eſſent, aut aliquid juſſiſſent, quod pugnare cum religione, diſciplinave Eccleſiæ (3) videbatur. Exempla enim, quæ contra

1 Veterum de Conſtantio teſtimonia collegit Boſſuetius, deſcripſitque *ibid. cap.* III. *pag.* 191. Confer Hoſii locum, quem ſupra retulimus *pag.* 124. *not.* 2. hujuſce voluminis.

2 Confer, quæ de Valente ſcribunt Gregorius Nazianzenus *Orat. Funeb. s. Baſil. quæ eſt* XX. *pag.* 337. *& pag.* 349. 350. Socrates *lib.* IV. *hiſt. cap.* XXXI. *pag.* 255. *edit. Cantabrig.* Theodoritus *lib.* IV. *cap.* XII. *pag.* 163. *edit. Cantabrig. & cap.* XIX. *pag.* 170. Vide Boſſuetium *ibid. cap.* IV. *pag.* 196. *ſeqq.* Conſule, quæ *ibid. pag.* 198. Boſſuetius de Juſtina Valentiniani primi Imperatoris uxore ex Ambroſio Mediolanenſium Epiſcopo ſcribit.

3 Idem Boſſuetius *cap.* V. *pag.* 199. de Theodoſio ſeniore agens, contra Bellarminum, qui ex facto Ambroſii, neſcio quid, contra poteſtatem Principum temporalem tentatum fuiſſe arbitratur, agens, oſtendit, nihil Eccleſiaſtica auctoritate adverſus Imperatorem, qui male ſe geſſerat, factum eſſe. Immo vero idem Boſſuetius *cap.* VI. *pag.* 203. rem nullam adverſus Arcadium, qui Johannem Chryſoſtomum de ſede dejecerat, aut fuiſſe ab Epiſcopis Romanis geſtam, aut geri potuiſſe defendit. Quid autem adverſus Arcadium? Immo vero ne adverſus Arianos quidem Reges Theodoricum Oſtrogothum, Hunericum Vandalum, Odoacrem Herulum, & Zenonem Imperatorem auctorem Henotici. Jam vero Anaſtaſium Auguſtum tot ſententiis Epiſcoporum, præſertim Romani auctoritate damnatum, prohibitumque communione Eccleſiæ, quis credat quidquam perpetratum mali fuiſſe, deque imperio ipſum dejectum? Boſſuetius *ib. c.* VII. *p.* 205. *ſeqq.* Memorabilem præterea eſſe animadvertit Boſſuetius *cap.* VIII. epiſtolam Gregorii Magni ad Mauricium, cujus eſt paullo ante facta mentio, qua cum fateatur Imperatorem contra inſtituta religionis Chriſtianæ peccaſſe, nihil ſe tamen in eum poſſe ſignificat, ut qui obtemperaſſe affirmet Imperatori ſe, quemadmodum erat a Chriſto præſcriptum. Age vero quid unquam Romani Pontifices adverſus Monothelitas Principes ſtatuerunt, ex quo intelligeretur, Epiſcopos Sedis Apoſtolicæ dejiciendorum de regno Principum auctoritate pollere? Boſſuetius *cap.* X. *pag.* 211. *ſeq.* Hoc ipſum eſt de Iconoclaſtis dicendum. Boſſuetius *cap.* XI. *pag.* 212. *ſeq.* Quinetiam Leonem Iſauricum, quem Baronius, & Bellarminus, quaſi exemplo eſſe ad auctoritatem Pontificum in regum temporalia demonſtrandam poſſit, numquam fuiſſe depulſum ex regno, pugnat Boſſuetius *cap.* XII. *pag.* 213. Idque jam efficere ſe poſſe cenſet epiſtolis Gregorii II. P. M. *Ibid. cap.* XIII. *ſeq. pag.* 216. *& ſeq.* Quod autem de Leone, hoc idem de Conſtantino filio, cui Copronymi eſt cognomen tributum, dicendum eſt. Boſſuet. *cap.* XVIII. *p.* 223. *ſeqq.* Exemplum de tranſlato ad Francos Imperio non eſt ad rem. Tunc enim Imperatores Orientis Orthodoxi erant. Boſſuetius *cap.* XIX. *pag.* 225. *ſeqq.* Errant autem, Boſſuetio auctore *cap.* XXI. *pag.* 229. *ſeq.* qui quidquam elici ex depoſitione Ludovici pii Imperatoris poſſe arbitrantur ad Baronii ſententiam demonſtrandam. Rem enim omnem ſecus atque veritas poſceret fuiſſe intellectam cenſet. Lotharius Junior privatus communione Eccleſiæ fuit, depoſitus autem de throno, non item. *Cap.* XXII. *pag.* 252. Hoc idem eſt de Carolo Calvo ſentiendum. *Cap.* XXIII. *pag.* 233. Stephanus V. P. M. nihil ſe in Imperatores poſſe confeſſus eſt. Boſſuetius *cap.* XXIV. *pag.* 234. Quid? ſi ſeculo decimo privatus ſacrorum communione Robertus Rex Francorum fuit, nulla depoſitionis mentione facta? *cap.* XXVII. *pag.* 237. Atque id omnino poſtulare Petri Damiani, aliorumque Gregorii Septimi æqualium

contra proferri ab adverſæ ſententiæ defenſoribus conſueverunt (1), nullius ponderis eſſe Boſſuetius, Natalis Alexander, & Dupinius exiſtimant, quod privati numquam a Pontificibus ii reges, Imperatoreſque fuerint, quos tanta diligentia numerarunt. Quis deinde ſibi perſuadeat, Majores noſtros, ſi hac tanta auctoritate præſtare Eccleſiam putaſſent, tam ſegnes, tamque indiligentes fuiſſe, ut nullum canonem (2), nullam ſententiam, dictum denique nullum veteris cujuſpiam Chriſtiani producendum, commemorandum ve judicarent, ex quo vel conjectura cognoſceretur dejiciendorum de gradu Principum fuiſſe divinitus Eccleſiæ poteſtatem datam? Qui enim res minoris momenti diligentiſſime deſcripſerunt, ii ne tam gravem, tamque inſignem ſilentio præteriiſſent? Non ſcripturæ igitur, non traditionis, non exemplorum veterum auctoritate, ſed ſuo arbitratu, primus omnium Gregorius VII. Pontifex Maximus Henricum Imperatorem regno privavit. Nam Alexander II. (3) Pon-

llum ſcriptorum ſententiam, exiſtimat Boſſuetius *ibid. cap.* XXVIII. *pag.* 137. *ſeqq.* Jam vero ſic putaſſe, feciſſeque Gregorium VII. ad annum uſque 1076. Boſſuetius idem contendit *cap.* XXX. *pag.* 240. *ſeq.* Nihil ergo agit Cardinalis Perronius, dum ad veteres confugit, ſi adhibenda eſt Boſſuetio fides *cap.* XXXI. *pag.* 242 *ſeqq.* Confer quæ de Childerico Regum Merovingianorum poſtremo Rege ſcribit Boſſuetius *ibid. cap.* XXXIII. *pag.* 244. *ſeqq.* Nam quæ geſta ab Zacharia Pontifice tunc fuerunt, nihil ad rem facere defendit. *Cap.* XXXIV. *ſeq. pag.* 246. *ſeqq.* Idipſum contendit Boſſuetius, cum Carolo Magno tributum imperium fuiſſe, adjutore Romano Pontifice, ſcribit. *Cap.* XXXVII. *p.* 254. *ſeqq.* Neque vero de Carolo ſolum ſic eſſe rem intelligendam defendit, ſed etiam de ceteris Imperatoribus, qui deinceps regnum obtinuerunt. *Cap.* XL. *pag.* 260. *ſeqq.*

1 Confer Boſſuetium *ibid. cap.* XVIII. *pag.* 223. *ſeqq.*

2 Vide Boſſuetium *p.* 1. *lib.* 1. *ſect.* II. *cap.* XXXVI. *pag.* 179.

3 Boſſuetius *ibid. lib.* II. *cap.* XXIX. *pag.* 239. „ Petrus Damiani, *inquit*, an. 1062.
„ ſub Alexandro II. proximo Gregorii VII. anteceſſore adverſus Cadaloum Parmenſem Antipapam ſcripſit dialogum, qui inſcribitur *Diſceptatio Synodalis*, quo in Dialogo hanc tractat quæſtionem: An Alexander II. ſine auctoritate Imperatoris rite electus fuerit, adverſus conſuetudinem, & conceſſa Imperatoribus privilegia. Petrus Damiani ea quidem privilegia agnoſcebat, ſed Regis pueritatem, ac neceſſitatem cauſſabatur. Qua quidem in diſceptatione multa de Regum, multa de Pontificum auctoritate occurrebant, iſtud imprimis, quo s. Cardinalis ſermonem concluſit: *Amodo igitur dilectiſſimi, illinc regalis aulæ conſiliarii, hinc Sedis Apoſtolicæ comminiſtri, utraque pars in hoc uno ſtudio conſpiremus laborantes, ut ſummum Sacerdotium, & Romanum ſimul confœderetur imperium, quatenus humanum genus, quod per hos duos apices in utraque ſubſtantia regitur, nullis, quod abſit, partibus, quod per Cadaloum nuper factum eſt, reſcindatur, ſicque mundi vertices in perpetuæ caritatis unione occurrant, ut inferiora membra per eorum diſcordiam non reſiliant, & quatenus ab uno mediatore Dei, & hominum, hæc duo, regnum ſcilicet, & Sacerdotium divino ſunt conflata myſterio, ita* „ *ſub-*

Pontifex Henricum IV. Romanorum Imperatorem, qui Simoniacis ſeſe conjunxerat, Romam accedere juſſit, ut Eccleſiæ ſatisfaceret. Non enim eſt auſus cum imperio, regnove multare, quod ea res nova omnino eſſet, novumque quod eſt, haberi nequeat in numero Eccleſiaſticarum traditionum.

Deſcendunt porro ad ſynodos, negantque omnia, quæ eorum decretis, ſanctionibuſque continentur (1), ad *Fidem* Catholicam pertinere. Atque ſic agunt: Qui Romanum Pontificem falli in dirimendis definiendiſque controverſiis Religionis non poſſe arbitrantur, iidem non eſſe loco decretorum *fidei* habenda aliqua putant, quæ ab his monumentis mandantur litterarum. Idque jam Melchiorem (2) Canum, Bellarminum (3), & Raynaldum (4) defendere, Boſſuetius (5) animadvertit, exemplaque recenſet, quibus ſuam confirmet opinionem. Quamobrem etſi ab Gregorio VII. dejectus de Regno Henricus, deturbatuſque Romanæ ſynodi conſulto fuit, tamen conſequens eſſe, ab eodem eſt Boſſuetio (6) negatum, teneri id ab orthodoxis debere, quaſi decretum ſit Chriſtianæ religionis, cum ſit plane novum. Accedit Boſſuetii ipſius, aliorumque argumentum, quod eſt concluſum ex perverſa, falſoque intellecta majorum de vitandis iis, qui Eccleſiæ communione prohibentur, ſententia (7). Quod ut efficiant, confugiunt ad Gebhardi Antiſtitis Juvavienſis, aliorumque auctoritatem, qui eſ-

„ *ſublimes iſtæ duæ perſonæ tanta ſibi met unitate jungantur, ut quodam mutuæ caritatis glutino, & Rex in Romano Pontifice, & Romanus Pontifex inveniatur in Rege, ſalvo ſcilicet ſuo privilegio Papæ, quod nemo præter eum uſurpare permittitur.*
„ *Ceterum eos ipſe delinquentes, cum cauſſa dictaverit, forenſi lege coerceat, & Rex cum ſuis Epiſcopis ſuper animarum ſtatu, prolata ſacrorum canonum auctoritate decernat; ille tamquam parens paterno ſemper jure præmineat, ille velut unicumque, ac ſingularis filius in amoris illius amplexibus requieſcat* . . . Hic ambæ poteſtates inter ſe, ut
„ duo apices comparantur.

1 Conſule Boſſuetium *p.* 1. *lib.* III. *pag.* 268. *ſeqq.* qui laudat Melchiorem Canum *de locis Theologicis edit. Lovan. an.* 1564. *lib.* v. *pag.* 340. Bellarminum *de Romano Pontifice lib.* IV *cap.* XII. & XIV.

2 Vide locum modo indicatum.

3 Confer locum ſupra indic.

4 *Tom.* XV. *Annal. ad an.* MCCCXXIV. *num.* 32.

5 *Lib.* III. *cap.* I. *pag.* 270. *ſeqq.*

6 *Ibid. cap.* II. *pag.* 272. *ſeqq.* & *cap.* III. *pag.* 274.

7 Boſſuetius *ibid. cap.* IV. *pag.* 275.

ſe Henrico ſacris interdictum ſcripſit;quin ejuſdem dejecti de gradu Imperatoris fecerit(1) mentionem. Quin etiam multos deinceps fuiſſe, ſubdunt, qui vehementer a Gregorio (2) diſcreparent. Itaque deſignatos ab Henrico Epiſc opos ab orthodoxis Eccleſiis (3) ſuſceptos; Leodienſes conciliata inter ipſos,& Eccleſiam Romanam pace,non revocaſſe,quam contra decretum animo (4) conceperant, opinio nem; nihil denique de hac re in legitima ſynodo definitum fuiſſe, cenſent (5). Accedunt mox ad Philippum Francorum regem. Prohibitum communione Eccleſiæ (6) fatentur, deturbatum de gradu negant. Tum minus modeſte, quam agi ipſi ſecum vellent, per *ſummam inſcitiam* obiici ſibi ab adverſariis, contendunt (7) Ivonis Carnotenſis locum. Veniunt deinde ad Henricum V. cui ſeculo XII. Paſchale II. & Gelaſio II. Pontificibus, in Synodis, quamquam eſt ſacris interdictum, tamen nihil de ejus majeſtate detractum fuiſſe, ajunt (8). Nam ſi quid actum,judicatumque contra eſt,hoc totum ab iis judicatum fuiſſe, qui ſuſpicerent exemplum (9) Gregorii. At Bernardum quidem Clarevallenſem, Ivonem Carnotenſem,

1 Boſſ. *ibid.* Gebh. *ep. ad Herm. ex lib. inſcripto vet. Monum. Schiſm. edit. Ingolſt. an.* 1612. *pag.* 10. „Hac puritate contenti, eo quod in præſenti verſatur negotio, hoc „ ſolum tenemus, quod Eccleſia Catholica ſemper tenuit, quod ab initio cœptæ Chriſtiani- „ tatis ad monſtroſa hæc tempora ſtabile, & inconcuſſum perſtitit, ſcilicet quod excommu- „ nicatis non eſt communicandum. Hæc namque diſſenſionum cauſſa eſt, & ſeditionum, quod „ illi ab exommunicatis non abſtinent, & non abſtinendum docent; nos vero & abſtinemus, „ & abſtinendum perſuademus, præcipue ab illis, qui a prima, & præcipua Sede excom- „ municantur.

2 Laudat Boſſuetius *ibid. cap.* VI. *pag.* 280. exemplum Brunonis Archiepiſcopi Trevirenſis.

3 s. Othonem enim Bambergenſem Epiſcopum dictum a depoſito Imperatore, & ſanctum Ermenoldum Abbatem, Henricum V. appellaſſe Imperatorem; & deſignationes ab Imperatore depoſito factas probatas multis fuiſſe, ſcribit Boſſuetius *ibid. cap.* VII. *pag.* 282. *ſeqq.*

4 Boſſ. *cap.* XIII. *pag.* 285. *ſeqq.*

5 Confer Boſſuetium *ibid. cap.* IX. *pag.* 287. *ſeqq.*

6 Idem *ibid. cap.* X. *pag.* 289.

7 Boſſuet. *ibid. cap.* XI. *pag.* 291. *ſeqq.* Eſt autem Ivonis locus hujuſmodi *epiſtol. ad Urb. II.* „ Venturi ſunt ad vos in proximo nuncii ex parte Regis Francorum ... qui confi- „ dentes in calliditate ingenii ſui, & venuſtate linguæ ſuæ, prædictis de cauſis impunitatem „ flagitii ſe impetraturos Regi a Sede Apoſtolica promiſerunt: hac ratione ex parte uſuri, „ Regem cum regno ab obedientia veſtra diſceſſurum, niſi coronam reſtituatis, niſi Regem „ ab anathemate abſolvatis „. Ad hæc Boſſuetius, videmus, inquit, nihilominus anathemate percuſſum pro Rege agnoſci, ac Juretum nimis imperite obſervanda hæc verba dixiſſe; *Niſi coronam reſtituatis &c.*

8 Boſſ. *cap.* XII. *pag.* 293. *ſeqq.*

9 Boſſ. *cap.* XII. *pag.* 295.

ſem, Anſelmum Cantuarienſem de auctoritate Eccleſiæ expellendi e regno Imperatores, ceteroſque principes, qui eſſent inimici Eccleſiarum, nihil umquam (1) ſcripſiſſe, quod non feciſſent, ſi tanta poteſtate præſtare Pontifices Maximos putaviſſent. Quod ſi Hugonem a S. Victore (2) Romani opponunt, viderint, jure ne, an injuria ſibi eſſe præſidio hominem arbitrentur, qui utriuſque poteſtatis fines eſſe divinitus conſtitutos pugnat, negatque in regios Eccleſiaſticæ poteſtati invadere (3) licere. Sequitur de Friderico I. diſceptatio. Ejus varia fuiſſe, adverſarii, cum Romanis diſſidia (4) confitentur. Dejectum, addunt, ex regno fuiſſe ab Alexandro III. Pontifice; eodemque tempore habitum ab ipſo Alexandro (5), ut Imperatorem. Henricum deinceps ſextum, a Cæleſtino III. (6), & Philippum Auguſtum Francorum (7) Regem ab Innocentio III. ejectos a communione Eccleſiæ fuiſſe, facile concedunt, depoſitos vero, non item. Othonem IV. Imperatorem, cum privatus regno ab Innocentio eodem III. (8) fuiſſet, magnam in Eccleſiam intuliſſe, confirmant, perturbationem rerum. Nam Johannis Regis Anglorum, cui *ſine Terra* cognomen fuit, exturbati auctoritate Innocentii ex Imperio, poſteaque throno reſtituti, exemplum verti in odium (9), contemptumque Apoſtolicæ Sedis

1 Boſſuet. *ibid. cap.* XIII. *ſeqq. pag.* 296. *ſeqq.*

2 Hugo Victorinus S. Bernardi æqualis *tom.* III. *opp. pag.* 607. *lib.* II. *de Sacram. p.* II. *cap.* IV. „ Illa poteſtas, *inquit*, dicitur ſecularis, illa ſpiritualis nominatur. In utraque „ poteſtate diverſi ſunt gradus, & ordines poteſtatum, ſub uno tamen utrinque capite di„ ſtributi, & velut ab uno principio deducti, & ad unum relati. Terrena poteſtas caput ha„ bet Regem; ſpiritualis poteſtas ſummum Pontificem. Ad poteſtatem Regis pertinent, quæ „ terrena ſunt, & ad terrenam vitam facta omnia: ad poteſtatem ſummi Pontificis pertinent, „ quæ ſunt ſpiritualia, & vitæ ſpirituali attributa univerſa. Quanto autem vita ſpiritualis „ dignior eſt, quam terrena, & ſpiritus, quam corpus, tanto ſpiritualis poteſtas terrenam, „ ſive ſecularem poteſtatem honore, ac dignitate præcedit. Nam ſpiritualis poteſtas ter„ renam poteſtatem & inſtituere habet, ut ſit, & judicare, ſi bona non fuerit, ipſa vero a „ Deo primum inſtituta eſt, & cum deviat, a ſolo Deo judicari poteſt, ſicut eſt ſcriptum, „ *ſpiritualis homo dijudicat omnia, & ipſe a nemine judicatur* „. Confer Boſſuetium *cap.* XVII. *pag.* 304. *ſeqq.*

3 Hugo *ibid. cap.* VII. *pag.* 608. „ Spiritualis poteſtas non ideo præſidet, ut terrenæ in „ ſuo jure præjudicium faciat, ſicut ipſa terrena poteſtas, quod ſpirituali debetur, num„ quam ſine culpa uſurpat.

4 Boſſuetius *cap.* XVIII. *pag.* 306. *ſeqq.*

5 *Ibid. cap* XIX. *pag.* 308. *ſeq.*

6 *Ibid. cap.* XX. *pag.* 309. *ſeq.*

7 *Ibid. pag.* 310.

8 *Ibid. Depoſitionem* præterea *ab excommunicatione* ſejunctam Boſſuetius ſcribit.

9 *Ibid. cap.* XXI. *pag.* 310. *ſeqq.*

Sedis conſueſſe. Decretum Innocentii ejuſdem, cujus eſt initium: *Novit*, extatque in *Collectione* Decretorum Gregorii IX. P. M. titulo: *De judiciis*, ad rem minime (1) pertinere. Fridericum II. a Pontificibus fuiſſe Imperio multatum (2) ſed a S. Ludovico Rege, Galliſque ceteris obſervatum ut Imperatorem. Actis Bonifacii octavi adverſus Philippum tertium Gallorum Regem fuiſſe abrogatum a Clemente quinto (3) tumque jam Regem, omneſque regni ordines defendiſſe *regni in temporalibus a Papa independentiam.* Johan. XXII. ſucceſſorumque res geſtas adverſus Ludovicum Bavarum Imperatorem quæſtioni, quæ orta inter Gallos, noſtroſque eſt, nihil afferre lucis (4) poſſe. Traditum deinceps Navarræ regnum Hiſpanis, & Johannam Albertinam, comminatione graviſſimæ pœnæ Romam a Pio IV. P. M. accitam; ſed id reprobatum fuiſſe (5) conſilium. Nihili quoque habita fuiſſe decreta Sixti V. & Gregorii XIV. quæ ad *temporalia* ſpectarint, lataque ſunt in Henricum Navarrorum Regem (6). Clementem VIII. Pontificem Maximum, cum Henricum excommunicatione ſolviſſet (7), nullam feciſſe commemorationem reſtituti regni. Quod Romani ex Concilio Lateranenſi III. celebrato, cum Pontificatum Alexander III. obtinebat, ſcribunt; augere, non tollere poteſtatem Regum (8). Conſenſum enim, & conſtitutiones principum in cauſſa fuiſſe, quamobrem res ejuſmodi in ſynodo conſtituerentur, quæ ad *temporalia* pertinent. Hoc idem eſſe (9) de ſynodo Lateranenſi IV. temporibus Innocentii III. congregata, dicendum. Si quid autem geſtum in ſynodis eiſdem, ſancitumque minus recte eſt, hoc totum actum, ſancitumque, non *ſacro approbante*, *ſed ſacro præſente concilio* (10) fuiſſe. Conſtanſienſia, & Baſileenſia decreta explica-

1 *Ibid. cap.* xxii. *pag.* 312. *ſeq.*
2 Idem Boſſuetius *p.* 1. *lib.* iv. *cap.* vi. *ſeqq. pag.* 338. *ſeqq.*
3 *P.* 1. *lib.* iiI. *cap.* xxiii. *pag.* 313. *ſeqq.*
4 *Cap.* xxvii. *pag.* 325. *ſeq.*
5 *Cap.* xxvii. *pag.* 324. *ſeq.*
6 *Cap.* xxvii. *pag.* 326. *ſeq.*
7 *Ibid. pag.* 327. *ſeq.*
8 *Ibid. lib.* iv. *cap.* i. *pag.* 329. *ſeqq.*
9 *Ibid. cap.* iI. *pag.* 331. *ſeqq.*
10 *Ibid. cap.* viii. *pag.* 342. *ſeq.*

plicari facile poſſe, quin ullum Gallis exhibere (1) negotium videantur. Id ipſum eſſe de ſynodorum Lateranenſis, ac Tridentinæ decretis (2) ſtatuendum. Gallos Bellarmino, Sanctarello, Malagolæ, aliiſque ſcriptoribus, qui de poteſtate indirecta Pontificis ſcripſerant, reſtitiſſe, quin eorum fuerit ab Apoſtolica Sede notata ſententia. Atque hæc quidem nos ſummatim complexi ſumus, ordinem fere ſemper rerum ſequuti, qui in poſtrema editione operis Jacobi Benigni Boſſuetii Meldenſis Epiſcopi exhibetur, propterea quod plus ceteris Gallis ſcriptoribus ei tribuendum arbitraremur & auctoritatis, & dignitatis. Veniam nunc ad aliorum ſententias, eaſque accurate, ut potero, deſcribam.

II.

Exponitur Joh. Pariſienſis ſententia.

Ac miror equidem quid fuerit, quod Viddringtonus (3), aliique nonnulli acerrimi defenſores ſententiæ ſuperiore numero deſcriptæ Johannem Pariſienſem eam coluiſse opinionem contenderent, quæ prima cleri Gallicani propoſitione continetur. Is enim etſi minus tribuendum Pontificibus eſſe putavit, quam & poſtulet ratio, & nos velimus, tamen, ut demonſtratum ſupra eſt (4), poſſe a Pontifice fieri quidquam in populo cenſet, quo Princeps de throno ab ipſo populo deturbetur, modo Princeps idem ſeſe Eccleſiaſtico crimine implicaverit. Atque eſt etiam hujuſce rei teſtis Almainus (5) celebris fere imprimis, & magnæ apud Gallos exiſtimationis ſcriptor.

III.

1 *Ibid. cap. x. pag. 346. ſeqq.*

2 *Ibid. cap. xi. pag. 350. ſeq.* Vide, quæ *cap. xii. pag. 351. ſeqq.* de diſſidio Veneto tempore Pauli V. Boſſuetius ſcribit.

3 *Diſſert. v. in hiſt. ſec. xiv. & xv. pag. 482. edit. Lucenſis an. 1745.*

4 *Pag. 155. hujuſce voluminis not. 4.*

5 Almainus *ad* 111. *allegat. apud Schulck pag. 65. ſeq.* „ Dicit Johannes de Pariſiis breviter, quod propter nullum crimen ſpirituale, ſive civile ſpectat ad Papam Imperatorem deponere, niſi de per accidens. Unde notandum, quod ad illum ſpectat juridice aliquem deponere ab aliqua poteſtate, qui ſententia lata de depoſitione, eſt depoſitus, hoc eſt, qua ſententia lata nihil habet amplius poteſtatis. Hoc ſuppoſito dicit, qualicumque crimine irretiatur Imperator, non poteſt Papa ferre ſententiam, qua lata, ipſe Imperator

„ ſit

III.

Fuerunt aliqui ita animis comparati, ut reges vicarios, in temporalibus etiam, Pontificis eſſe dicerent, quorum eſt falſa ſententia.

Sed cum reperiantur interdum homines, qui mediam inſiſtere viam nolint; quemadmodum fuerunt, ſuntque etiam num permulti, qui ne impium quidem Regem, qui ante quam aut in ſuperſtitionem quampiam, aut in hæreſim incidiſſet, orthodoxam ſequutus religionem, ſeſeque Eccleſiæ filium profeſſus eſſet; dejici de Regno auctoritate ipſius Eccleſiæ poſſe (1) defenderent; ita inventi aliquando ſunt, qui Romanum Pontificem jure divino Regem Regum, totiuſque orbis dominum eſſe, omniaque Regna, atque imperia in ejus ditionem veniſſe, gladioſque, ſic enim appellari ſolent, *temporalis, ſpiritualiſque poteſtatis* (quamquam vicaria manu priorem ab Regibus tenendum) tamen Pontificis ejuſdem eſſe proprios (2), arbitrarentur. Inventos autem, etſi negatum a Duboiſio eſt (3); nihilominus a Bellarmino (4) concedi-

„ ſit a poteſtate priſtina depoſitus. Sed per accidens poteſt; quia poteſt excommunicare il„ lum pro crimine, & ſinguios cum eo participantes, & ſic inhibere ſubditis ne partici„ pent cum illo, & per illam excommunicationem illos cogere ad depoſitionem Imperatoris. „ Ideo dicit, non ſpectar ad Papam ſententialiter deponere ipſum, licet ſpectet ſententiali„ ter excommunicare, & finaliter per cenſuram excommunicationis cogere, ut illum depo„ nant, & ſic de per accidens deponit ſolummodo, & non directe „. Ad hæc Adolphus Schulckenius *Apolog. pro Bellarm. cap.* 11I. *pag.* 66. „ Licet Johannes Pariſienſis, *inquit*, mi„ nus tribuat Pontifici, quam debet, attamen tantum tribuit, quantum ad noſtrum propo„ ſitum ſufficit. Quid enim ad præſens inſtitutum intereſt, ſi immediate per ſententiam ſuam „ deponat Pontifex, an jure ſuo avocare ab obſequio, & cogere poſſit ſubditos ad de„ ponendum?

1 Vide §. *hujus num.* 1. *pag.* 158.

2 Confer Boſſuetium *ibid. lib.* 1. *ſect.* 1. *cap.* II. *pag.* 92. ubi Nicolaum Dubois Belgam exagitans „ ſingit, *inquit*, ſe incidiſſe in quemdam, qui iſta contenderet Sedi Apoſtolicæ „ tribui a nonnullis, ſeque continuo exarſiſſe ... ſaltem legeret a ſe laudatum Illuſtriſſimi „ Domini Nicolai Cevoli ex Marchionibus de Sarreto Antigraphum, in quo inveniſſet, „ *male a Bellarmino eſſe dictum: Pontificem, ut Pontificem non habere directe, & im„ mediate ullam temporalem poteſtatem, ſed tantum indirecte, immo eſſe penitus de fide „ tenendum ſummum Pontificem Romanum jure divino habere pleniſſimam poteſtatem in „ univerſum orbem terrarum, tum in rebus Eccleſiaſticis, tum in politicis, & temporali„ bus, & ſic poſſe directe, ut Pontificem quibuſcumque principibus imperare.*

3 Nicolaus Dubois Profeſſor Lovanienſis. Vide Boſſuetium *lib.* 1. *ſect.* 1. *cap.* 1. *partis* 1. *pag.* 91.

4 *Lib.* v. *de Romano Pontifice cap.* 1. *pag.* 433. *tom.* 1. *opp. edit. Veneta an.* 1721. Is autem

ceditur, homine & peritiſſimo harum rerum, & in controverſiis Eccleſiaſticis expendendis, dirimendiſque graviſſimo. At qui ſic ſtatuerunt, oppugnati a doctiſſimis viris ſunt, quorum paucis argumenta complectar. Nam ſi Pontifex orbis terrarum, orbis quidem certe vel univerſi, vel Chriſtiani, vel aliquarum ſaltem Provinciarum Dominus, ac princeps eſſet. Non eſt autem Pontifex ullius rerum earumdem Dominus inſtitutione Chriſti. Atque ad Ethnicos quod attinet, ii ſane in *ovibus*(1), quas Jeſus Servator Petro paſcendas credidit, non numerantur. Deinque qui judicare unum aliquem nequit, is princeps, dominuſque hujus eſſe non poteſt: Vacat autem Pontifex poteſtate Ethnicos judicandi, qui ad Chriſtiana ſacra numquam acceſſerint, ut eſt a Paulo (2) traditum in priore, quam ad Corinthios ſcripſit Epiſtola. Jam vero Ethnici Reges jure in ſua ditione ſupremum obtinent principatum. Nam poteſtas regia non religione Chriſtiana, non gratia nititur, ſed ratione, quam probat, confirmatque Deus. Qui vero ſupremum principatum jure obtinent, ii ſunt Domini ſuorum regnorum. Quod ſi Domini regnorum ſunt, neque judicari a Pontifice maximo poſſunt, ſequitur, Pontificem ſupremum Dominum eorum, regnorumque omnium, quæ in eorumdem poteſtatem, ditionemque venerunt, non eſſe. At qui non eſt Dominus regnorum, in quibus Ethnici imperium obtinent, is appellari totius orbis Dominus non poteſt.

Sed dicet quiſpiam vicariam poteſtatem, principatumque

autem numerat inter auctores, qui *directum temporale* dominium defendunt, Auguſtinum Triumphum *ſumm. de Poteſt. Eccl. q.*23. *art.* 1. *ſq. p.*136. *edit. an.*1584. Alvarum Pelagium *l.* 1. *de planctu Eccl. c.*XIII. *edit. an.* 1560. *pag.* 3. Hoſtienſem *in cap. quod ſuper his, tit. de voto, & voti redemptione in* 3. *decr. p.*129. *T.*3. *edit. ſumm. an.*1681. Panormitanum *in cap. novit. tit. de judiciis*, Silveſtrum *in ſumm. de pecc. verbo Papa* §.2. *p.*223. a tergo *edit. an.* 1619. Mox ſubdit. „ Quinetiam Hoſtienſis ulterius progreditur. Docet enim per Chriſti „ adventum omne dominium principum infidelium translatum eſſe ad Eccleſiam, & reſidere „ in ſummo Pontifice, ut Vicario ſummi, & veri Regis Chriſti, & ideo poſſe Pontificem „ Regna infidelium jure ſuo donare quibus voluerit fidelium „. His adjungi poterit Cevolus e Marchionibus de Sarreto *Conſult. Theol. Jurid.* IV. *pag.* 23. quem nominat Boſſuetius loco modo indicato, quemque contemnit Antonius Arnaldus *letr.* CCXXI. *tom.* III. *pag.* 408. *ſeq. edit. an.* 1727.

1 *Joh. Evang. cap. ult. v.* 15. *ſeq.*

2 Paulus 1. *ad Cor. cap.* V. *v.* 12. „ Quid enim mihi de iis, qui foris ſunt? Nonne de „ iis, qui intus ſunt, vos judicatis?

tumque obtinere in ſua ditione Ethnicos Reges, adeoque illis eſſe parendum. Ridiculum! Quaſi vero Pontifex ejuſmodi homines loco ſui, non orthodoxos imperio potiri velit. Ac ſi poſſet ille quidem, atque liceret, non committeret, ut ſua voluntate Chriſtianæ religionis inimici in magnis regionibus imperarent, noſtroſque aut ſervitute premerent, aut ex Regni finibus exterminare conarentur.

At eſt, inquiunt, Pontifex ſacrorum in univerſo terrarum orbe ſupremus Princeps, quin reipſa ubique gentium ſuo munere ſungi poſſit. Quare etſi principatum in ampliſſimis regionibus ab Ethnicis teneri ferat, non eſt tamen conſequens, ſupremum ei non fuiſſe divinitus datum totius orbis imperium. Itaque patitur, ut inimici ſacrorum Chriſtianorum in aliquot regionibus ſumma potiantur rerum, non quò nobis, aut ſibi licere non arbitretur eos dignitate, imperioque privare, ſed quo vires deeſſe cernat, quibus aſſequi, quod velit, poſſit. Verumtamen qui ſic diſputant, non animadvertunt, Pontificem in iis, quæ ad res ſacras pertinent, Chriſtianis quibuſque imperare; non omnibus ubique terrarum hominibus, quorum ſunt plerique hoſtes infenſiſſimi Chriſtianorum. Quod ſi gentes, nationeſque univerſæ Chriſtianam religionem amplecterentur, præeſſet quidem Pontifex terrarum orbi univerſo, ſed *ſpirituali* juriſdictione, ut diximus. Quamquam eſt a Chriſto ſucceſſoribus Beati Petri poteſtas data mittendi in Ethnicorum ditionem viros, qui mortales in ſumma rerum divinarum ignoratione verſatos inſtituant doctrina, & moribus Chriſtianorum.

Intelligo autem eſſe aliquos, qui Alexandrum VI. (1) Pontificem Maximum regna Ethnicorum, quæ recens inventa eſſent, regibus Hiſpanis, Luſitaniſque diſtribuiſſe defenderent. Quibus equidem verbis Bellarmini (2) ſatiſfacere malo, quam meis. Itaque is vir tantus, tamque excellens doctrina, eruditione, dignitate, integritateque morum in quinto de Romano Pontifice libro: „ Non diviſit, inquit,

1 Vide Bellarmin. *ibid. cap.* 11. *pag.* 434.

2 Bellarminus *lib.* v. *eodem cap.* 11. *pag.* 434. Confer Franciſci Victoriæ viri clariſſimi relectiones *de Indis* p. 131. *ſeqq. edit. an.* 1565. Nihil autem eſt cauſſæ, cur plures de hac re diſſerentes recenſeam.

inquit, Alexander in eum finem, ut reges illi proficiſcerentur ad debellandos Reges infideles novi orbis, & eorum regna occupanda, ſed ſolum, ut eo adducerent fidei Chriſtianæ prædicatores, & protegerent, ac defenderent cum ipſos prædicatores, tum Chriſtianos ab eis converſos, & ſimul ut impediret contentiones, & bella Principum Chriſtianorum, qui in illis novis regionibus negotiari volebant„.

Sequitur alterum, quod ſumtum paullo ante eſt: Pontificem non eſſe Dominum univerſi Chriſtiani orbis. Nam ſi divinitus conſtitutus Dominus Chriſtiani orbis fuiſſet, conſtaret id quidem vel ſcripturarum auctoritate, vel traditione Apoſtolorum. Ex ſcripturis autem datas Apoſtolis claves regni cælorum intelligimus; claves autem regni terrarum, non item. Nihil de Apoſtolorum traditione dico, cujus nulla ſit ab adverſariis mentio. Rurſum ademtum nemini Ethnico a Chriſto Regnum fuiſſe, certum eſt. Quod ſi Pontifex in orbe Chriſtiano ſupremum obtineret principatum, qui Reges noſtris ſacris initiantur, iidem reges eſſe deſinerent. Quamobrem amitterent & gradum, & poteſtatem, qua, cum eſſent Ethnici, potiebantur. Itaque deſtruxiſſet Chriſtus, quæ recte ſe haberent, non perfeciſſet; id quod dici, ſine impietatis nota, nullo modo poteſt. Neque vero eſſe quemquam arbitror tam ineptum, qui cum diligenter conſideret, profuiſſe regibus Chriſtianis, gratiæ religioniſque beneficio ſervatorem Chriſtum, non obfuiſſe; tum ubi facti Chriſtiani ſunt, dereptam illis, qua ante gauderent, poteſtatem fuiſſe, putet. Eſtque illud ſapienter a Sedulio (1) ſcriptum, quod publice quotannis canere ſolet Eccleſia, non eripi ab eo mortale, qui regnum cæleſte Chriſtiano polliceatur. Accedit etiam quod recte eſt de Epiſcopis animadverſum a Bellarmino (2). Si enim Pontifex

1 Sedulius *Bibl.PP.p.472.ed.an.1677.* Ita canebat Eccleſia latina univerſa fere, ante correctionem Breviarii curatam ab Urbano VIII. P. M. Nunc aliquot *Regularium* ordines eadem verba retinent, canuntque *in Veſp. Epiphaniæ Domini*:

„ Hoſtis Herodes impie
„ Chriſtum venire quid times?
„ Non eripit mortalia,
„ Qui regna dat cæleſtia.

2 Bellarmin. *ibid. c. 11I. pag. 434. ſqq.* vide Victoriam *ibid. pag. ead. ſqq.*

ſupremus eſſet Dominus Chriſtiani orbis, Epiſcopi quoque in civitate, in qua præfecti Eccleſiæ ſunt, dominium obtinerent. Qua re quid dici poteſt abſurdius? Sed plura perſequi non eſt opus, cum ſatis perſpicua ſint in hoc genere Pontificum (1) teſtimonia, qui certe ſibi non detraxiſſent, quam ſe divinitus accepiſſe auctoritatem ſcirent.

Reſtat tertium, quod erat de *temporali*, ut vocamus, *dominio* in aliquot ſaltem Provinciis jure divino Pontifici maximo tributo. Id autem iiſdem argumentis oſtendi, efficique poteſt, quibus demonſtravimus, quod erat propoſitum hujuſce quæſtionis parte ſuperiore. Deinde Chriſtus, dum in terris vixit, neque Provinciæ cujuſquam, neque oppidi *dominium* temporale voluit. Pontifex autem maximus Servatoris in Eccleſia partes vicaria poteſtate tenet. Caret igitur eo *Dominio*, quod ſibi ſumere Chriſtus noluit. Jam vero Chriſtus tametſi ut Deus, Deique filius Dominus eſt totius univerſitatis rerum, potuitque,ut homo, regnum, ſupremumque dominatum *temporalem* in univerſo orbe *exercere*, ſi voluiſſet, tamen tollere hominum imperia renuit. Quæ res cum auctoritate ſacrorum Bibliorum (2), conſenſioneque Patrum (3) ad veritatem plane conſtet, longiore certe oratione non eget.

Atenim Chriſtus, inquiunt, in Evangelio Matthæi datam (4) ſibi omnem fuiſſe, ait, in cælo terraque poteſtatem. Quapropter Nicolaus II.Pontifex in ea, quæ eſt ad (5) Me-

1 Conſule *Epiſt.* XLIII. S. Leonis P. M. *pag.* 123. *edit. Venetæ an.* 1741. ad *Martianum Imperatorem*, quæ ſic habet. „Per ipſum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui „ regni veſtri eſt auctor, & rector &c. Vide præterea Gelaſiii verba, quæ ſupra deſcripſi *pag.* 63. hujuſce voluminis *not.* 1. Gregorii Magni *Epiſt.* ad Mauritium, quam ſupra *pag.* 125. *not.* 1. *hujus vol.* indicavi, Nicolai I. ad Michaelem Imperatorem ſeribentis dictum *ſupra p.* 64. *not.* 1. propoſitum. Confer quæ ex Alexandri III. Innocentiique III. Epiſtolis decerpſit Bellarminus *Lib.* V. *De Rom. Pontif. cap.* III. *pag.* 434. *ſq.*

2 Nam Chriſtum ſcripturæ pauperem exhibent, non Regem, qui poteſtatem obtineret regiam, divitiiſque abundaret. Confer Evangelia, in quibus paſſim ejus inopia rerum, qua laborabat, prædicatur.

3 Adiſis Bellarminum *ibid. cap.* IV. *pag.* 435.

4 *Evang. Matth. c.* XXVIII. *v.* 18.

5 Nicolaus Pontifex Max. hujus nominis II. non I. ut quidam ſcribunt Epiſt. ad Mediolanenſes, quæ refertur *Diſt.* XXII. *cap.* I. *omnes* „ non *oves*, ut errore Typographi apud Bellarminum *ibid. pag.* 347. „ Beato (*Petro*) æternæ vitæ clavigero (Chriſtus) terreni „ ſimul, & cæleſtis imperii jura commiſit. Non ergo quælibet terrena ſententia, ſed illud „ verbum, per quod denique omnia condita ſunt elementa.

Mediolanenſes Epiſtola Chriſtum Beato Petro vitæ æternæ clavigero cæleſtis ſimul, & terreſtris Imperii jura commiſiſſe ſcribit. Sed negant noſtri poteſtatem, de qua Chriſtus agit, *temporalem* eſſe, cujuſmodi eſt poteſtas terrenorum Regum. Quare ſubdunt, vel ut Hieronymo placuit, ſpiritualem indicari a Chriſto poteſtatem, vel ſummam quamdam, ut viſum Theophilacto eſt, in res omnes creatas, non *temporalem*, ſed *divinæ* ſimillimam, quæ communis eſſe homini nequeat, poteſtatem, Nicolai Pontificis teſtimonium facillimum explicatu eſt. Nam is datum quidem Petro jus Imperii non cæleſtis modo, ſed etiam terreni ſcribit, non quo Petrum Regem fuiſſe Regum divinitus conſtitutum arbitraretur; ſed quo ligata, ſolutaque in cælis quæ ab Apoſtolo fuiſſent, eadem ligata, ſolutaque in terris Chriſti voluntate eſſe ſciret. Habita enim eſt verborum Chriſti, quæ Evangelio Matthæi capite ſextodecimo continentur, a Nicolao Pontifice ratio.

Atenim duo gladii a Chriſto conceſſi Petro fuerunt, ut eſt auctor Lucas in (1) Evangelio. Nemo certe negat. Verum alter gladius non poteſtatem terrenam indicat, ut recte eſt animadverſum a Bellarmino, ſed quam res in anguſto futura brevi eſſet, oſtendit, ut vendenda eſſe tunica, comparandique, ad vim repellendam, gladii viderentur. Quamquam ne id quidem religio Chriſtiana ferret, ut gladio Apoſtoli vim repellerent.

Sed inſtant, urgentque: jus dirimendi civiles controtroverſias ad Pontificem pertinere, idque jam eſſe Eccleſiæ cautionibus conſtitutum. Deſcribunt autem ad eam rem demonſtrandam adverſarii canones omnino duos, quorum alter incipit *quicumque* (2) *litem*, alter *quæcumque* (3) *contentiones*. Verumtamen prior eſt canon deſcriptus ex Theodoſii Imperatoris ſtatutis, qui non neceſſitate, ſed, voluntate, ſingularique in Eccleſiam, qua erat, pietate id eſſe honoris

1 *Cap.* XXII. *v.* 38.

2 *Cauſſa* XI. *q.* 1. *cap.* XXV. *Quicumque litem*. Extat etiam *in Codice Theodoſiano l.* XVI. *tit. de Epiſcopali judicio, lege* 3. *pag.* 311. *tom.* VI. *edit. an.* 1665. In Concilio Valentino III. *ſub Lothario an.* 855. *tom.* V. *Concilior. edit. Hard. pag.* 92.

3 Vide Bellarminum *ibid. pag.* 437.

noris Epiſcopis concedendum putavit. Ex qua etiam re intelligitur, quam magno in errore verſentur, qui quod commune omnium Epiſcoporum eſſe Imperator dixit, hoc totum in unum Pontificem translatum cenſent. Quid? ſi Interpretes (1) abrogatum eumdem eſſe canonem ſtatuant? Alter eſt canon non Eccleſiarum, neque Pontificum, ſed neſcio cujus hominis privati voluntate ſcriptus, cujus nulla eſt in hoc genere auctoritas. Quod autem aliqui exiſtimant, mortuo Imperatore jus eſſe Pontifici regere, adminiſtrareque Imperium, idque confirmari Innocentii Tertii (2), & Clementis Quinti (3) ſententia, ii ſi conſiderent, uſu id contigiſſe, non divino jure, ut poteſtas dijudicandarum quarumdam civilium rerum, quas ſolus dirimere Imperator poſſet, eaque *directa* Pontifici competat, non plus tribuent Apoſtolicæ Sedi, quam ratio ferat, & ipſa poſtulet.

Scio eſſe aliquos, qui ſanctum Thomam ab adverſariis ſtare contendant, deſcribantque nonnulla ex libris de Regimine Principum, exque commentariis in libros Sententiarum ad eam rem demonſtrandam loca. Sed S. Thomam non de *directa*, quam vocamus, ſed de *indirecta* (4), poteſtate loqui,

1 Gloſſa in *cap. quicumque litem* ſupra indicatum.

2 *Cap. licet. Tit. de foro competenti.*

3 In Clementinis *cap. paſtoralis de ſentent. & re judic.*

4 s. Thomæ locum ex III. *de Regimine Principum libro cap.* x. & xix. *pag.* 314. & 320. *edit. Opuſcul. an.* 1587. proferunt, colliguntque inde Pontificem jure divino obtinere non in ſacra modo, ſed etiam in res quaſque civiles ſupremam poteſtatem. Ego vero etſi priorem, alterumque librum, veteres ſcriptores ſequutus, a Thoma perſcriptos eſſe concedam, tertium tamen, quartumque non ei tanto, tamque excellenti in hoc præſertim genere controverſiarum viro, ſed aut Tholomæo Lucenſi, aut alteri cuiquam eſſe tribuendum puto. Id quod cum ab aliis animadverſum ante fuerit, tum eſt accurate demonſtratum ab Jacobo Echardo *tom.* I. *ſcriptor. ord. Præd. pag.* 336. *ſeq. edit. Pariſ. an.* 1719. Alter autem locus extat in II. *ſententiar. lib. diſt.* XLIV. *q.* II. *art.* IV. quo quidem in loco affirmare videtur in Pontifice Maximo *apicem*, ac veluti ſummam utriuſque poteſtatis eſſe. At ei certe nobiſcum præclare convenit. Nam eſt recte, ſapienterque animadverſum a Bellarmino *l.* V. *de Romano Pont. cap.* V. *pag.* 437. Poteſtatem Pontificis proprie eſſe *ſpiritualem*, hujuſque ratione fas illi interdum eſſe decernere de *temporalibus* Chriſtianorum rebus. Ergo Sanctus Thomas in *priore operis de Regimine Principum libro cap.* XIII. *pag.* 295. „ Hujus ergo „ regni (*ſpiritualis*) miniſterium, *inquit*, ut a terrenis eſſent ſpiritualia diſtincta, non „ terrenis Regibus, ſed Sacerdotibus eſt commiſſum, & præcipue ſummo Sacerdoti Succeſſori „ Petri Chriſti Vicario Romano Pontifici, cui omnes Reges populi Chriſtiani oportet eſſe ſub„ ditos, ſicut ipſi Domino Jeſu Chriſto. Sic enim ad quem finis ultimi cura pertinet, ſubdi „ debent illi, ad quos pertinet cura antecedentium finium, & ejus imperio dirigi „. Multo in hanc ſententiam copioſius diſputat Bellarminus loco ſupra indicato, quem conſule. Confer etiam s. Th. 2. 2. *q.* XII. *art.* II. *in corpore & q.* IX. *art.* VI. *ad* 3. *arg.*

qui, perſpicua res eſt. Itaque non eſt opus, ut multis ejus ſententiam explicandam putem (1).

IV.

Quæſit, quibuſque rationum momentis confirmetur maximæ partis Catholicorum ſententia.

Poſtrema eſt, quam Catholici maximo numero tuentur, ſententia, nitique, & ſacrorum Bibliorum auctoritate, & traditione majorum pugnant. Atque eſt ea principio breviter, dilucideque explicanda nobis. Itaque ſic ſtatuunt, imperio ne princeps religionis violatæ cauſſa exciderit, ſolutique ſubditi juris jurandi religione ſint, qua ſuam illi obligaſſent fidem, declarare Pontificem poſſe, deturbare autem quemquam de principatu non (2) poſſe. Nam Regem

1 Scriptores, qui *directam* Pontifici in res *temporales* poteſtatem negant, ſunt pene innumerabiles. In his Hugo a S. Victore vir doctus, & S. Bernardi Clarevallenſis æqualis *lib.* II. *Parte* II. *De Sacramentis pag.* 607. *Tom.* III. *opp. edit. an.* 1648. Alexander Alenſis *Tertia Parte Summa Q.* XL. *Memb.* V. *pag.* 159. *ſq. edit. an.* 1575. S. Bonaventura *lib. de Eccl. Hierarch. p.* II. *cap.* I. *pag.* 274. *edit. Rom. an.* 1596 Ac præter Durandum, Turrecrematam, Driedonem, Pichium, Sanderum, Cajetanum, Victoriam, Dominicum Sotum, alioſque, quorum Bellarminus *libro modo indicato cap.* I. *pag.* 433. meminit (contra quem multa turbat Alexander Carerius Patavinus *lib. de Poteſt. Romani Pontificis adverſus Impios Politicos cap.* V. *ſeqq. pag.* 51. *ſeqq. edit. Patavina an* 1599. *capiteque* IX. *pag.* 58. *ſeqq.* ſtatuit ,, Summum Pontificem jure divino habere pleniſſimam Poteſtatem in ,, univerſum Orbem terrarum tum in rebus Eccleſiaſticis, tum in politicis) eamdem tuentur ſententiam. Alexander a S. Elpidio ſcriptor XIV. *ſeculi tract. de Eccleſiaſt. Poteſt. cap.* IV. *ſeqq. edit. Taurin. an.* 1496. *& Rom. in Bibl. max. Roccaberti an.* 1698 *p.* 17. *ſeqq.* Adolphus Schulckenius *Apolog. de Pot. Pont. adverſus Widdringtonum l. ſupra cit.* Abrahamus Bzovius O. P. *de præſt. Offic. auctor. &c. Rom. Pontificis cap.* XLII. *ſeqq. edit. Colon. an.* 1619. *& Rom. in Bibl. max. Roccaberti pag.* 490. *ſeqq. tom.* I. *edit. an.* 1698. Martinus Becanus *Refut. Tortura Torti, Parad.* VI. *ſeq. pag.* 531. *tom.* II. *Opuſculor. & refutationem Apologia Jacobi Regis Angl. p.* II. *pag.* 493. *ſeqq. tom. eod. edit. Lugdun. an.* 1621. Sed tempus me deficeret, ſi omnes numerare vellem Hiſpanos, Gallos, Germanos, Italos, qui Bellarmino conſentiunt. Confer Schulckenium *ibid. cap* III. *pag* 52. *ſeqq.* qui multos recenſet, Gretſerum, Perronium, Sfondratum, Charlaſium, Aguirreum, Roccabertum, Duboiſium, recentiſſimumque Biancum locis mox indicandis, ubi alios nominant, quos ſequuntur.

2 Vide Bellarminum *lib.* V. *de Romano Pontifice cap.* VI. *pag*: 439. *tom.* I. *opp. edit. Veneta an.* 1721. Gretſerum *defenſ. controver. Bellarmini lib.* V. *de Roman. Pont. cap.* VI. VII. VIII. *pag.* 151. *ſeqq. tom.* II. *edit. an.* 1609. Michaelem Mauclerum Pariſinum *in opere de Monarchia Divina, Eccleſiaſtica, & ſeculari Chriſtiana parte* IV. *lib.* IV. *c.* XIII. *p.* 2043 *ſeqq. edit. Pariſ. an.* 1622. Cardinalem Perronium *Harang. au Tiers etat Oevr. diverſ. pag.* 595. *ſeqq. edit. an.* 1622. Baronium *ad an.* DCCC. *num.* VI. *ſeqq.* Charlaſium *de libertatib. Eccl. Gallic. lib.* IV. *cap.* I. *ſeqq. pag.* 155. *ſeqq. edit. Leod. an.* 1684. Martinum Becanum *lib.* III. *de Republica Eccleſiaſtica cap.* IV. *Privil.* V. *num.* 48. *p.* 265. *ſeqq.*

gem, qui jurans promiſerit, ſeſe orthodoxum perpetuo futurum, daturumque operam, ne quid capiat detrimenti religio; quique deinceps ad Ethnicos, hæreticoſve defecerit, Eccleſiæque damnum attulerit; principatu, quo potiebatur, privari, obſtrictumque ſibi aut pactis, aut jurejurando habere neminem. Sed hujus ſive privationis, ob violatam religionem, regni, ſive *ſolutionis* ab jurejurando, quod affirmatio religioſa eſt, ſubditorum, ſynodum (1) Oecumenicam, Petrive ſucceſſorem, qui primas in Eccleſia partes obtinet, eſſe judicem; privatorum autem, minoreque auctoritate præditorum Antiſtitum, omnino nullum. Jam vero quidquid hoc juris eſt, *poteſtatem indirectam in Regum temporalia* fuiſſe a Theologis appellatum; propterea quod in rebus ſacris verſetur, neque ipſum per ſeſe in temporalia, quæ vocant; ſed unius religionis cauſſa, ferri poſſit. Quod ſi fuerunt, qui Pontifices & ſolvere jurisjurandi religione ſubditos, & Regem impietatis reum multare principatu poſſe defenderent, hos

ſeqq. edit. an. 1619. *& locis ſupra indicatis*. Nicolaum Sanderum *de Monarch. Eccleſ. lib.* II. *cap.* IV. *pag.* 77. *ſeqq. edit. an.* 1571. Johannem Thomam Roccabertum *de Romani Pontificis ſuprema in temporalibus Poteſtate lib.* 1. *ſeqq. cap.* 1. *ſeqq. tom.* III. *de Romani Pontificis auctoritate ed. an.* 1693. Cæleſtinum Sfondratum S.R.E. Cardinalem *Gall. vindic. diſſert.* II. §. 1. *ſeqq. pag.* 491. *ſeqq. edit. an.* 1687. utque ceteros prætermittam, qui prope ſunt innumerabiles, & eorum aliquot opera *Biblioth. Pontificiæ* inſeruit Roccabertus, Johannem Antonium Biancum Ord. Minor. virum doctiſſimum operis Italici inſcripti: *Della Poteſtà, e della Polizia della Chieſa tom.* 1. *lib.* 1. *ſeqq. cap.* 1. *ſeqq pag.* 3. *ſeqq. edit. Romanæ an.* 1745. Confer præterea eos, quos numerant locis ſupra indicatis Bellarminus, & Roccabertus. Quinetiam Cardinalis Bellarminus *ibid. cap.* V. *pag.* 438. Auguſtinum Triumphum, & Alvarum Pelagium, quos Romanum Pontificem exiſtimaſſe, paullo ante ſcripſerat, ſupremum eſſe totius mundi Dominum, in hanc ſententiam veniſſe cenſet, diſſeritque hoc modo. „ Ipſe etiam Auguſtinus Triumphus, qui apertiſſime tribuere videtur ſummo Pontifici poteſtatem temporalem in orbem terrarum univerſum, explicat ſe tamen *in quæſt.* 1. *de Poteſt. Pontificis art.* VII. *in Reſp. ad ultim.* ubi dicit *poteſtatem temporalem aliter eſſe in Pontifice ac in Rege. In Pontifice enim eſſe ut in confirmante, & corrigente, in Rege vero, ut in adminiſtrante, &* clarius *articulo* VIII. ſcribit, *Papam habere ſpiritualem poteſtatem, ſed per eam diſponere etiam de temporalibus. Et art.* IX. demonſtrat, *Chriſtum non fuiſſe Regem temporalem, ſed ſpiritualem* „. Ego vero de Triumpho ſic cenſeo, hæſiſſe hominem, neque ſibi conſtitiſſe, propterea quod ne ipſe quidem recte animo informaſſet, quam tuebatur, ſententiam. Itaque modo hoc, modo illud affirmaſſe. Idem mox ſubdit Bellarminus. „ Pari ratione Alvarus Pelagius videtur quidem *in* 1. *p. ſui operis de Planctu Eccleſiæ art.* XIII. (hoc eſt *lib.* 1. *cap.* XIII. *tom.* III. *Bibl. max. Pontific. Roccaberti pag.* 29. *edit. an.* 1698.) & Chriſtum, & ejus Vicarium Regem temporalem „ totius mundi facere voluiſſe, tamen *in* II. *parte* (*lib. eod.* 1. *cap.* LVI. *pag.* 151.) aperte „ & copioſe docet, Chriſtum in terris non habuiſſe temporale dominium totius mundi, ſed „ regnum ſpirituale tantum „. Eadem fere de Durando ſcribit Bellarminus, quem conſule.

1 De hac re vide, quæ infra diſputamus.

(1),hos verbis diſſidere re convenire,cum *poteſtatem declarandi* ſitne imperio privatus Princeps, dici quoque *poteſtatem deponendi* commode poſſe arbitrarentur. Fuiſſe aliquos ita inſtitutos, qui plus Pontificibus Maximis concedendum, cenſerent, quam ratio poſceret, & Pontifices ipſi vellent (2). Hos quidem ſe homines nihil morari. Argumenta denique, quibus confidat, nitaturque ſententia, quæ communis eſt maximæ partis orthodoxorum, hæc eſſe.

Chriſtum, cum Eccleſiam conſtituiſſet, feciſſe Petro regendarum, gubernandarumque ovium (3) poteſtatem. Ovium autem numero habendos Reges, qui Chriſtianam religionem profiterentur. Regum igitur Chriſtianorum paſcendorum, hoc eſt regendorum poteſtatem commiſſam Petro fuiſſe, exque Petro in Pontifices Maximos, quod Galli fatentur (4), manaſſe. Paſcendarum autem ovium cura, inquiunt, quid tandem eſt, niſi Chriſtianorum ita inſtituendorum, atque gubernandorum ratio, ut ſempiterna ſalute, felicitateque potiantur? Eam vero quemadmodum conſequentur, ſi præſidiis careat paſtor, quibus aut reducere ad ovile Chriſti errantem ovem, aut impedire, ne ceteri perdantur, poſſit? Impedire autem qui poterit, ſi regem impune videat in Eccleſiam furere, ſubditoſque ſibi jure jurando adſtrictos, a cultu religionis veræ ad ſuperſtitionem abducere conari? Coercere igitur Paſtor poterit ſibi in re ſacra obnoxium, ut qui vel ſit, vel fuerit aliquando Chriſtianus, furentem regem; atque iis quidem modis coercere, quos eſſe proprios gubernatorum Eccleſiæ, imprimiſque (5) Pontificis Maximi, auctoritate ſacrorum Bibliorum demonſtratum eſt. Itaque ei ſacris interdicere, jus erit. Quid? ei ne ſolum?

1 Hae dicendi ratione uti conſueverunt ſcriptores, qui auctoritatis Romanorum Pontificum defenſionem ſuſceperunt, ut Baronius, Sfondratus, Roccabertus &c. Erunt fortaſſe, qui ſententiam modo expiicatam a Joh. Pariſienſis opinione minime diſcrepare putent. Sed hi ſi conſiderent, ab Johanne poteſtatem eam populo inprimis, *ſecundum quid* autem, ut Almainus *loc. ſupra cit.* ſcribit, Pontifici tribui; a noſtris autem Pontifici præcipue adſcribi; diſcrepare eam a noſtris facile quidem intelligent.

2 Vide ſcriptores, quorum meminimus *numero ſuperiore pag.* 174. *ſeq. not.* 1. *ſeqq.*

3 Joh. *cap. ult. v.* 15. Confer Petavium *lib.* III. *de Hierarch. Eccl. cap.* 1x. *ſeqq. pag.* 853. *ſeqq. tom.* III. *Theologicor. Dogm. edit. Pariſ.*

4 Id vero ne adverſarii quidem negant. Adeundus Boſſuetius *p.* 1. *lib.* 1. *ſect.* 1. *c.* III. *p.* 95.

5 *Vide ſupra pag.* 140. *ſeqq. hujus lib. not.* 1. *ſeqq.*

lum? Immo vero, ſi intereſſe ad ſalutem Eccleſiæ cenſeat, communione ſacrorum prohibere, diriſque devovere(5) ſubditos, qui eum vel alloqui audeant, vel re quacumque juvandum putent. Chriſtianum autem, cui hæc paſtor imperet, comminatione præſertim tum gravis pœnæ, quis neget dicto audientem eſſe oportere? Nam qui oves Chriſti ſummi Paſtoris & cives, & regem (1) eſſe non negant, ii ſane quod Eccleſia ſuis ovibus, ſequuta exemplum Apoſtolorum (2) jubet; ſervandum ab ovibus eſſe confitebuntur. Facient igitur Chriſtiani ſubditi Catholico olim regi, quod faciendum Eccleſia ſanxerit. Age vero qui nefas ſibi eſſe, aut adire, aut alloqui, aut re quapiam juvare regem, cui ſacris ſit interdictum, cenſent, ei ne parebunt, quem nec alloquantur, nec adeant, nec re quapiam juvare poſſint? Cujuſmodi præterea rex ille erit, qui jus imperandi ſubditis nullum habeat? Quid enim præcipiat, ubi obtemperare fas ſibi eſſe cives negent? Exciderit igitur oportet imperio. Rurſum de jure jurando, cum ſacra religioſaque affirmatio ſit, judicare non ad regem, ſed ad ſacrorum Præſidem ſpectat. Summam enim circa res ſacras poteſtatem cadere in Principem laicum non poſſe, Scripturarum auctoritate, traditioneque majorum (3) conſtat. Dijudicabit ergo ſacrorum Præſes, teneantur ne ſubditi jurisjurandi religione, qua ſe imperata facturos promiſerint, an eadem ſolvendi religione ſint? Fac ſolutos eſſe Pontifex ſtatuat. Aget enim, ut diximus, jure ſuo. Quid? regem ne illum quiſquam Orthodoxus appellari, & eſſe dicet, cui nemo parere debeat in regno pleno Orthodoxorum? Non equidem arbitror. Amiſerit igitur imperium neceſſe eſt, quem, violatæ religionis cauſſa, Pontifex multatum imperio eſſe declaravit, cujuſque cives cenſuerint, jurejurando minime teneri, quo datam eidem Principi confirmarunt fidem.

Ne-

1 *Vide ſupra pag.* 162. *hujus lib. not.* 1. *ſeqq.*

2 Confer Boſſuetium *p.* 1. *lib.* 1. *cap.* 111. *pag.* 95.

3 Conſule *Johannis ep.* 111. *v.* 10. Petavium *lib.* 111. *de Hierarch. Eccl. cap.* IX. *ſeqq. pag.* 753. *ſeqq. t.* 111. *Theologic. dogm. edit. Pariſ.* Jodocum Coccium *l.* VII. *Theſaur. Cathol. artic.* XVI. *pag.* 903. *edit. an.* 1619. Martinum Becanum *de Republ. Eccl. cap.* IX. *priv.* V. *num.* 48. *pag.* 265. *edit. an.* 1619.

Neque fore aliquem exiſtimant,qui repugnet , ſi cogitet non tam eſſe tenax , tamque arctum vinculum , quo ſubditi conjunguntur regi,ut etiam ſi pernicies (1) reipublicæ, ſempiternique interitus & præſens , & evidens periculum ſequatur , nulla tamen poteſtate laxari , abrumpique poſſit . Nam ſi Chriſtiani principis eſt, ſubditos ita in officio continere , ut pace in ſocietate , tranquillitateque frui , tum ubi recte ab Eccleſia inſtituti ſint, conſequi vitam ſempiternam, in qua vera ſalus, felicitaſque conſiſtit, cum animi ex corporibus migrarint , queant ; quid eſt , quod præſides ſacrorum, quibus dirigendorum hominum ad beate feliciterque perpetuo vivendum,commiſſa præcipua cura eſt (ſi deflectere alio regem intueantur) cum fini ipſis propoſito finem eſſe regis ſubordinatum (2), ut ajunt, ſciant;eumdem coercere regem, ac reſiſtentem , indignum eſſe , qui rempublicam adminiſtret , declarare , ſolutoſque jurisjurandi religione ſubditos dicere non poſſint ?

Atque hæc quidem e ſcripturis concludunt . Veniunt mox ad veteris Eccleſiæ diſciplinam , ex qua effici , demonſtrarique poſſe arbitrantur , ineſſe ſacrorum Antiſtitibus , in Oecumenica ſynodo congregatis , imprimiſque Roma-

1 Vide ſupra *pag. 70. not. 1. hujus lib.*

2 S. Thomas *opuſc.* XX. *de regim. Princip. lib.* 1. *cap.* XIV. *pag.* 295. *edit. an.* 1587.
„ Quia finem fruitionis divinæ non conſequitur homo per virtutem humanam , ſed virtute
„ divina , juxta illud *Apoſt. Rom.* VI. *Gratia Dei vita æterna* ; perducere ad illum finem
„ non humani erit , ſed divini regiminis . Ad illum igitur Regem hujuſmodi regimen per-
„ tinet , qui non eſt ſolum homo , ſed etiam Deus , ſcilicet Dominum noſtrum Jeſum Chri-
„ ſtum,qui homines filios Dei faciens in cæleſtem gloriam introduxit.Hoc igitur eſt regimen
„ ei traditum , quod non corrumpetur , propter quod non ſolum Sacerdos , ſed Rex in ſcri-
„ pturis ſacris nominatur , dicente *Hierem. cap.* XXIII . *regnabit Rex , & ſapiens erit* ;
„ unde ab eo regale Sacerdotium derivatur , & quod eſt amplius omnes Chriſtifideles , in
„ quantum ſunt membra ejus, Reges, & Sacerdotes dicuntur . Hujus ergo regni miniſterium,
„ ut a terrenis eſſent ſpiritualia diſtincta , non terrenis Regibus , ſed Sacerdotibus eſt com-
„ miſſum , & præcipue ſummo Sacerdoti ſucceſſori Petri Chriſti Vicario Romano Pontifici ,
„ cui omnes Reges populi Chriſtiani oportet eſſe ſubditos , ſicut ipſi Domino Jeſu Chriſto .
„ Sic enim ad quem finis ultimi cura pertinet , ſubdi debent illi , ad quos pertinet cura an-
„ tecedentium finium , & ejus imperio dirigi . Quia igitur Sacerdotium Gentilium , & totus
„ divinorum cultus erat propter temporalia bona conquirenda , quæ omnia ordinantur ad
„ multitudinis bonum commune , cujus regi cura incumbit , convenienter Sacerdotes Gen-
„ tilium Regibus ſubdebantur . Sed & quia in veteri lege promittebantur bona terrena non
„ a dæmonibus , ſed a Deo vero religioſo populo exhibenda , inde & in lege veteri ſacerdo-
„ tes Regibus leguntur fuiſſe ſubjecti . Sed in nova lege eſt ſacerdotium altius , per quod
„ homines traducuntur ad bona cæleſtia , unde in lege Chriſti Reges debent ſacerdotibus
„ eſſe ſubjecti .

no Pontifici, pœnis Eccleſiaſticis impoſitis, dejiciendorum, eo quo diximus modo, de regno Principum poteſtatem. Nam initio, inquiunt, Chriſtiani eos, qui magiſtratum obtinerent, communione Eccleſiaſtica prohibendos exiſtimarunt (1); poſt ubi periculum peccandi in Eccleſiam aut nullum, aut minus erat, ſi noſtri adminiſtrarent rempublicam, ſtatutum ab ſynodis eſt, ut eorum, qui magiſtratum obirent, Epiſcopus curam gereret, ac ſi contra diſciplinam quidpiam agere auderent, eiſdem ſacris (2) interdiceret. Ex qua re intelligitur, Chriſtianum neque præfectura potiri, neque magiſtratus munere ullo fungi, ſine auctoritate Eccleſiæ potuiſſe. Quinetiam ſatis inde conſtat, ex quo tempore primas in civitate obtinere noſtri, principeſque Chriſtiani eſſe cœperunt, ſubjectos fuiſſe illos quidem diſciplinæ, auctoritatique Eccleſiaſticæ, iis præſertim in rebus, quæ ad eorum ſalutem, inſtitutionemque morum pertinerent. Jam vero quocumque gradu, dignitateque Chriſtiani præſtarent, ſi lapſi in grave, patenſque ſcelus fuiſſent, publicæ pœnitentiæ addicebantur, quæ ſane, ut diſciplina, quæ multis ſeculis obtinuerat, poſtulabat, reum non togata modo, ſed etiam paludata (3) militia, hoc eſt magiſtratu, armiſque rem gerendi poteſtate privabat. Ita factum eſt, ut qui juſſi canonum vi, auctoritateque erant, ut cingulum militare deponerent, iidem abdicare ſe magiſtratu, militiaque (ſi ſtipendiis publicis viverent, ut armis rempublicam tueri poſſent) vacare juberentur (4). Quare ſi qui poſt actam pœni-

1 Ita ſcilicet interpretantur ſynodi Eliberitanæ, quam anno 303. celebratam fuiſſe puto, *canonem* LVI. *apud Harduinum tom.* 1. *Concilior. edit. Pariſ. pag.* 256 ,, Magiſtratum uno anno, quo agit duumviratum prohibendum placuit, ut ſe ab Eccleſia cohibeat.

2 *Synodus Arelat.* 1. *an.* 314. *celebrata can.* VII. *ibid. pag.* 263.

3 Johannes Morinus *de diſcipl. Eccl. in adminiſtr. Sacramento Pœnit. lib.* V. *cap.* XXIV. *num.* 2. *pag.* 315. *edit. Pariſ.* ,, Militia in ſenſu canonum duplex eſt, togata, & paludata: ,, & hæc arma, & bella reſpicit, iſta artes & munera publica ,,. Vide Bianeum *tom.* 1. *lib.* III. §. II. *num.* IV. *della Polizia, e della Poteſtà indiretta della Chieſa pag.* 453.

4 S. Siricius P. M. in genuina ad Himerium Taraconenſem *epiſtola cap.* V. *p.* 6. *pag.* 628. *tom.* 1. *collect. epiſtolar. Romanor. Pontif. edit. Coutantii*. ,, De his vero non incongrue ,, diſcretio ſua Apoſtolicam Sedem credidit conſulendam, qui acta pœnitentia tamquam ca- ,, nes ad vomitus priſtinos, & volutabra redeuntes, & militiæ cingulum, & ludicras volu- ,, ptates ... quorum profeſſam incontinentiam generati poſt abſolutionem filii prodide- ,, runt &c. ,, S. Leo *epiſtola* XCII. *ad Ruſticum Epiſcopum Narbonenſem cap.* X. *pag.* 165. ,, Contrarium eſt omnino Eccleſiaſticis regulis poſt pœnitentiæ actionem redire ad militiam ,, ſecu-

pœnitentiam irrepere rurſum ad dignitates , & publica munera conati eſſent , perpetuo a ſacris , myſteriiſque noſtris arcerentur ; neque Euchariſtiæ participes , niſi extremo tempore vitæ, eſſent . Quæ ſane res tam conſtans , tamque firma ad extremum fere ſeptimum Eccleſiæ ſeculum fuit, ut Vambam piiſſimum Gothorum in Hiſpania Regem , qui adverſæ valetudinis cauſſa , de publica pœnitentia ſuſcipienda cogitarat , non ante ſacrorum Antiſtites paſſi fuerint , ut tonderetur , habitumque pœnitentium ſumeret, quam regnum filio conceſſiſſet (1) . Atque hoc inter laicos, clericoſque intererat . Laicis , acta pœnitentia, non licebat , clericis contra fungi rurſum , quod ante obibant , munere (2) licebat . Neque minus ſevera diſciplinæ ratio fuit, quæ ab VIII. ad IX. uſque ſeculum invaluit , adverſus eos , qui ſe atrocibus flagitiis implicaſſent . Ea namque non ſolum militiam paludatam , atque togatam , ut diximus , ſed etiam quodcumque negotium,miniſteriumque civile reo adimebat , cavebatque, ne quid ille in foro (3) , curiaque ageret . His autem fundamenti loco poſitis , ſic argumenti concludunt (4) ſententiam . Ineſt Eccleſiæ imponendæ *pœniten-*

A a 2 *tia*

„ ſecularem , cum Apoſtolus dicat , *nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus* . „ Unde non eſt liber a laqueis diaboli , qui ſe militiæ mundanæ voluerit implicare „ . Concilium Aurelianenſe III. celebratum *an.* 538. *cap.* xxv. *tom.* II. *Concilior. edit. Hard. Pariſ. pag.* 1428. „ Si quis pœnitentiæ benedictione ſuſcepta ad ſecularem habitum , militiamque reverti præſumpſerit , Viatico conceſſo , uſque ad exitum , excommunicatione plectatur „ . Confer , quæ ibid. indicat Biancus Concilia *pag.* 454.

1 Concilium Toletanum XII. an. 681. celebratum *cap.* 1. *pag.* 1718. *tom.* III. *Concil. edit. Harduini Pariſ.* Vide Morinum *de Pœnitent. lib.* v. *cap* VII. *n.* VI. *p.* 270. *edit. Pariſ. & cap.* XXI. *num.* v. *pag.* 308. ubi „ Cum ex regulis Eccleſiaſticis, *inquit* , neceſſe eſſet „ agentem pœnitentiam publicam militiæ ſeculari vale dicere , ipſe Rex potentiſſimus , univerſæque Hiſpaniæ , & Galliæ Narbonenſis dominus nullius criminis , quod cognitum ſit , „ conſcius , regno ſe abdicat , Ervigium Principem ſibi ſucceſſorem eligit , tonſuſque , & „ pœnitentis habitu indutus , pœnitentiam ſuſcipit „ . Confer Biancum *ibid. pag.* 1745.

2 Concilium Toletanum XIII. celebratum *an.* 683. *tom.* III. *edit. Concilior Hard. cap.* x. *pag.* 1745. „ Pœnitens abſtinere a peccatis pariter , & negotiorum ſecularium tumultibus debet , non ab iis , quæ ſancta videntur , & ſumma , ſe abſtrahere , quæ operantem plus expiant , quam commaculando deturpant . . . Ergo abigenda ſunt ab omni ſacerdote , quæ maculant , exercenda , quæ mundant .

3 Concilium Wormatienſe celebratum *an.* 868. *cap* XXVI *tom.* v. *edit. Hard. pag.* 741. „ Qui ſacerdotem morti voluntate tradiderit , carnem non comedat , nec vinum bibere „ præſumat , jejunet autem uſque ad veſperam , exceptis feſtis diebus , atque dominicis . „ Arma non ſumat , & ubicumque ire voluerit , nullo vehiculo deducatur , ſed propriis pedibus proficiſcatur &c. „ . Cetera , quæ ibidem indicat Biancus , concilia Lector coſulat *pag.* 455. Accepit autem a Morino *ibid. pag.* 309. *ſeqq.*

4 Biancus *pag.* 456. *ſeq.*

tiæ publicæ Chriſtianis, quacumque tandem dignitate excellant, quique publice peccarint, & pœnarum ſtatuendarum, quibus plectantur, poteſtas; qua quidem poteſtate effectum eſt, ut jam inde ab antiquiſſimis uſque temporibus, qui Chriſtiani aut præfectura, aut principatu illuſtres eſſent, ſi lapſi graviſſimo ſcelere publice fuiſſent, ſuis officiis, muneribuſque privarentur. Niſi enim hæc tanta poteſtas tributa Eccleſiæ fuiſſet, non cenſuiſſet poſſe in laïcos ſe ita animadvertere, ut inflicta Eccleſiaſtica pœna, *indirecte* eis poteſtatem, qua valerent, *temporalem* eriperet. Neminem autem eſſe ſcriptorem orthodoxum, addunt, qui aut Principes Chriſtianos ſubditos eſſe foro, ut dicimus, *pœnitentiali* Eccleſiæ, aut a quarto ad XI. ſeculum recte rem ab Eccleſia geſtam neget.

Quod ſi quiſquam inſtitutam ob privatos tantum de publica pœnitentia diſciplinam, non autem propter Principes ſtatuat, is etiam, atque etiam conſideret, Eccleſiæ privati ſalutem non eſſe ſalute Principum cariorem. Neque vero, quæ *excommunicatione*, graviſſima ſcilicet pœna, adverſus principes utendum aliquando, ac jure ſane, quod ne adverſarii quidem inficiantur, putavit, eadem inſtituere propter principes etiam diſciplinam de pœnitentia renuiſſet (1).

At voluntate dicet quiſpiam, ſe pœnitentiæ ſubdebant, qui implicati aliquo ſcelere fuiſſent, non neceſſitate. Quaſi vero Eccleſia judicio non ageret, accuſatoſque, ſi juſta defenſio nulla fuiſſet, non eſſe pœnis *ſpiritualibus* ad *pœnitentiam* ſubeundam cogendos exiſtimaret. Verum quidem eſt eam miſericordia uti erga homines conſueſſe, qui ſponte ſe offerrent, peccatumque confeſſi, paratos eſſe ſe dicerent perpeti, quod ex uſu eſſe Eccleſia judicaſſet (2).

Exemplum deinde illuſtre ex Hiſtoria Gallorum de Ludovico Pio Imperatore producunt noſtri: atque anno, inquiunt, DCCCXXXIII. Ebbonis Remenſis Archiepiſcopi opera celebratum (3) eſt Compendienſe Concilium, exturbavit-

1 Biancus *ibid.*
2 Biancus *ibid.*
3 Ann. 833. Compendienſe Concilium celebratum eſt. In ejus actis, ubi narratum eſt, quid

bavitque, quamquam per ſummam injuriam, cum injuſta & accuſatio, & pœna eſſet, de principatu Imperatorem. Scimus Boſſuetium (1) id maxime conari, ut quod hinc concludi argumentum ſolet, repellat. Itaque livore, atque odio, non veritate coactam eam ſynodum, falſo accuſatum Principem, iniquum judicium fuiſſe defendit. Noſtri vera hæc eſſe omnia fatentur, ſed nullius ad argumentum refellendum momenti cenſent. Nam ejus ætatis monumenta, quæ & illuſtria profecto, & multa ſunt, etſi injuria accuſatum, judicatum, damnatum fuiſſe Ludovicum ſignificant, tamen injuſtam fuiſſe damnationem futuram, ſi veræ criminationes fuiſſent, quaſi id ſibi juris, poteſtatiſque Epiſcopi arrogaſſent, quod illis non eſſet tributum a Chriſto, nuſquam ſignificant (2). Hoc tamen illud eſt, quod

quid adverſus Ludovicum a populo geſtum eſſet, & qua Epiſcopi auctoritate valeant, & quæ ſcelera ab ſe perpetrata confeſſus Imperator eſſet, *cap.* VIII. *pag.* 1382. *tom.* IV. *Concilior. edit. Pariſ. Hard.* hæc habentur „ Poſt hanc vero confeſſionem, cartulam ſuorum „ reatuum, & confeſſionis ob futuram memoriam, ſacerdotibus tradidit, quam ipſi ſuper „ altare poſuerunt, ac deinde cingulum militiæ depoſuit, & ſuper Altare collocavit, & ha- „ bitu ſeculari ſe exuens, habitum pœnitentis per impoſitionem manuum Epiſcoporum ſu- „ ſcepit, ut poſt tantam, talemque pœnitentiam, nemo ultra ad militiam ſecularem „ redeat.

1 Boſſuetius *par.* 2. *lib.* II. *cap.* XXI. *pag.* 230. *tom.* 1. *defenſ. declar. Cleri Gallic. edit. an.* 1745.

2 Duas imprimis cauſſas ſcriptores ejus ætatis opponunt, quamobrem injuſte dejectum de Imperio Ludovicum putarent: altera erat, quod cogi ad eam rem, iniquum eſſet Regem, qui ante Eccleſiæ ſatisfeciſſet, altera quod abſentem, neque confitentem, neque convictum, ſed falſo accuſatum, cingulum militare deponere, pœnitentiamque ſuſcipere nefas eſſet. Confer Anonymum *vitæ Ludovici Pii auctorem, quem Aſtronomum vocant num.* XLIX. *p.* 114. *tom.* VI. *Rer. Gall. edit. an.* 1749. *Annales Bertinianos ad an.* 833. *pag.* 195. *ibid. Fuldenſes ad an.* 834. *ibid. pag.* 210. Flodoardum *hiſt. cap.* XX. *ad an.* 834. *ibid. pag.* 214. *Narrationem Clericorum Remenſium ad an.* 833. *ibid. pag.* 251. *Walafrid. Strab. carm. ad an.* 833. *ibid. pag.* 270. *Vitam venerabilis Walæ Abb. Corbejenſis ad an.* 834. *p.* 292. *ibid.* Theganus *lib. de Geſtis Ludov. Pii Imper. num.* XLIII. *ad an.* 833. *pag.* 82. *Rerum Gallic., & Francicar. ſcriptor. tom.* VI. *edit. Pariſ. an.* 1749. „ Lotharius duxit ſecum „ Patrem ad Compendium palatium, & ibi valde afflixit eum cum Epiſcopis, & ceteris „ nonnullis. Juſſerunt enim eum ire in monaſterium, & ibi eſſe omnibus diebus vitæ ſuæ. „ Quod ille renuens non conſenſit voluntati eorum. Omnes enim Epiſcopi moleſti fuerunt „ ei „. *Num.* XLIV. „ Elegerunt tunc unum impudicum, & crudeliſſimum, qui dicebatur „ Ebbo Remenſis Epiſcopus . . . ut eum immaniter affligiſſet cum confinctionibus cæterorum. „ Inaudita locuti ſunt, inaudita fecerunt quotidie improperantes ei. Abſtulerunt ei gladium „ de femore ſuo, judicio ſervorum ſuorum induentes eum cilicio „. At is mox ſubdit: non licuiſſe id Ebboni, quod præcepto divino, ſubditus ille Regi eſſet. Illud nollem dictum a Bianco *lib.* III. §. III. *pag.* 459. *Tra tanti atti, e monumenti di quella età* NEPPUR UNO SI TROVA, CHE ATTRIBUISCA L' INGIUSTIZIA *di quella ſentenza al difetto di poteſtà ne' veſcovi, che la diedero, o aſſerire, che eſſi ſi uſurparono un autorità, che loro non apparte-*

quod nunc in quæſtionem revocatur. Quid? ſi interdum indicent, dejici de principatu merito potuiſſe a ſacrorum Antiſtitibus (1) Imperatorem, ſi reus tot ſcelerum fuiſſet, ſervatumque eſſet judicium ita, ut Eccleſiæ leges poſcerent? Non eſt autem credibile tam ſuiſſe poteſtatis regiæ inimicum Lotharium (2), ut, quamvis incredibili odio in patrem, ſummaque imperandi cupiditate duceretur, eam, modo oppreſſum innocentem cerneret, Epiſcopis ſubdendam arbitraretur. Age vero ſi Epiſcopi Galliarum ea ætate opinionem, quam nunc permulti in Gallia tuentur, coluiſſent, hoccine nomine accuſaſſent Ebbonem, ceteroſque Epiſcopos, qui adverſus Ludovicum ſententiam dicturi Compendium venerant, quod ſine (3) conſenſu Romani Pontificis rem adeo

teneva, anzi tutti gli atti, e gli ſcrittori di quel tempo, riprovando queſta condannagione come fatta ſenza cauſa, e ſenza ordine di giudizio, ſuppongono ne' Veſcovi la poteſtà di farla. Ante enim (pace tanti viri dictum hoc ſit, quem ego propter ſingularem doctrinam, facio, ut debeo, plurimi) conſulendi illi omnes erant, quam ad hæc ſcribenda appelleret animum. Nam ſcribit Theganus Chorepiſcopus Trevirenſis æqualis temporum illorum de Ebbone loquens hoc modo. „ Ille pertraxit te immeritum ad culmen Pontificale, „ tu eum falſo judicio voluiſti expellere a ſolio patrum ſuorum. Crudelis cur non intelle„ xiſti præcepta domini, *non eſt ſervus ſupra dominum ſuum*? Quamobrem contemſiſti „ præcepta Apoſtolica illius, qui ad tertium cælum raptus erat, ut inter angelos diſceret, „ quod hominibus ille ſic præciperet: *omnibus poteſtatibus ſublimioribus ſubjecti eſtote*. „ *Non eſt poteſtas niſi a Deo*? . . Tu vero Deum non ſumſiſti, nec Regem honoraſti „. Sed de Ebbone is loquitur, non de conſeſſu Epiſcoporum, cui acceſſiſſet Romani Pontificis aſſenſione auctoritas.

1 Vide *epiſtolam ſynodicam Concilii Tricaſſini ad Nicolaum Papam I. tom. v. Concil. Harduiniana edit. pag. 682.*

2 Compendienſes Patres Lotharii voluntate congregati *loc. ſupra indic. pag.* 1379. „ Et hoc quidem illi (Imperatori) *inquiunt*, ſive optimatibus illius, ſeu omni generalitati populi, quæ undique illuc confluxerat, manifeſtare juxta injunctum nobis miniſterium curavimus, qualis ſit vigor, & poteſtas, ſive miniſterium ſacerdotale, & quali mereantur damnari ſententia, qui monitis ſacerdotalibus obedire noluerint. Deinde tam memorato Principi, quam cuncto ejus populo denunciare ſtuduimus, ut domino devotiſſime „ placere ſtuderent, & in quibus eum offenderent, placare non differrent.

3 Concilium Tricaſſinum *an. 867.* celebratum in ſynodica epiſtola ſupra indicata *tom. v. Concilior. edit. Hard. pag.* 682. „ Juſto Deo judice permittente, & invidia diaboli operante, olim recolendæ memoriæ Ludovici Pii Auguſti filii, factione malevolorum hominum, „ ſine conſilio ATQUE CONSENSU PAPÆ GREGORII, quem Hlotarius ſub obtentu pacificandi „ eos cum Patre Roma promoverat, & ſecum uſque in Eliſatium pagum perduxit, patrem „ imperio pepulerit, & ſub cuſtodia uſque ad Sueſſionis civitatem perduci fecerunt. Et ut „ populo credibile poſſet fieri, quod merito fuerat e regno expreſſus, in eum quædam cri„ mina conficta fuerunt, pro quibus, prætextu publicæ pœnitentiæ ab Eccleſiæ liminibus „ eum excludi, quorumdam Epiſcoporum judicio, Ebbone, ut dicebatur, in hoc præcipue „ ſatagente, obtinuerunt „. Et paullo poſt, ubi de reſtituto Ludovico agunt: „ Ebbo, *inquiunt*, libellum manu ſua auctoritate Archiepiſcopali ſubſcriptum edidit, in quo profeſſus fuit, quidquid in IPSIUS IMPERATORIS DEHONORATIONE, ATQUE REGNI PRIVATIONE CONTUMELIOSE GESTUM FUERAT, NEC CANONICE, NEC JUSTE factum fuiſſe.

adeo gravem conſtituiſſent? Quid enim erat opus Romano Pontifice, ſi Eccleſia ratione publicæ pœnitentiæ, careret deturbandorum de imperio Regum poteſtate? Poſſe igitur Eccleſiam publicæ pœnitentiæ ratione, conſentiente Pontifice, in nocentem Regem animadvertere putabant.

Non latet noſtros quid ad hæc reſponderit Boſſuetius (1). Sed inſtant, eumque nihil agere, oſtendi ab ſe poſſe contendunt. Quod enim hujuſmodi exemplum ad rem minime pertinere, ſcribit, inane eſſe affirmant. Etſi enim, quod maxime urget Boſſuetius, in Attiniacenſi Concilio pœnitentiæ ſubjectus, non tamen dejectus Ludovicus de regno fuit; quod ea *pœnitentia privata*, & voluntate ab eo ſuſcepta, non publica (2), judicioque Eccleſiæ illi impoſita fuiſſet. Contra; quæ in Compendienſi Concilio & publica fuit, & ſolemni Eccleſiæ judicio decreta, ita ut ſanctiones, canoneſque Eccleſiæ flagitabant. Neque enim *pœnitentia publica* aut in conciliata cum fratribus pace, aut in diſtributione, largitioneque eleemoſynarum, aut in diligentia, qua quis ſe aliorum precibus commendat, aut in cura ſuſcepta corrigendi, quæ antehac ſua, aliorumque culpa eveniſſent, conſiſtit; id quod factum in Attiniacenſi concilio eſt (3); ſed in iis etiam ſubeundis pœnis, quæ ſtatutæ decretis majorum fuiſſent. Induendi enim veſtibus pœnitentium erant, qui ſeveritatem diſciplinæ ſervare volebant, tondendi, ut ſupra demonſtratum

1 Boſſuetius *ibid. pag.* 230. ſynodus Attiniacenſis an. 522. celebrata, *tom.* IV. *Concil. edit. Hard. Pariſ. ex Anonym. auct. vit. Ludovici Pii*. „ Ludovicus Imperator ſacerdo„ tum uſus conſilio, de omnibus, quæ publice perperam geſſit, publicam pœnitentiam agit. „ Poſt hæc cuncta, quæ in regno ſuo corrigenda invenire potuit, corrigere, atque emenda„ re curavit . . . Domnus Imperator conventum generalem coire juſſit in loco, cujus voca„ bulum eſt Attiniacum, in quo convocatis ad concilium Epiſcopis, Abbatibus, ſpirituali„ buſque viris, nec non & regni ſui proceribus, primo quidem fratribus reconciliari ſtu„ duit, quos invitos attonderi fecerat, deinde omnibus, quibus aliquid læſuræ intuliſſe vi„ debatur. Poſt hæc autem palam ſe erraſſe confeſſus, & imitatus Theodoſii Imperatoris „ exemplum, pœnitentiam ſpontaneam ſuſcepit, tam de his, quam quæ in Bernardum ne„ potem proprium geſſerat, & corrigens ſi quid talium vel a ſe, vel a patre ſuo geſtum re„ perire alicubi potuit, ETIAM PLURIMARUM ELEEMOSYNARUM ELARGITIONE, SED ET „ SERVORUM CHRISTI ORATIONUM INSTANTIA, NEC NON PROPRIA SATISFACTIONE, a Deo „ divinitatem ſibi placare curabat, quaſi hæc, quæ legaliter ſuper unumquemque decurre„ rant, ſua geſta fuerint crudelitate „. Confer quæ ex Agobardo ibidem referuntur ab Harduino, & Annales Laureshamenſes *ad ann.* 822. *tom.* V. *Rer. Gallic. ſcript. edit. ſupra memoratæ.*

2 Adeundus Bianeus *ibid. pag.* 465.

3 *Vide notat. ſuperiorem.*

tum eſt, exuendi armis, impoſitioneque manuum (1) accepta, omnibus honoribus, muneribuſque civilibus privandi, quibus antea uti conſueſſent.

Atqui dejectus jam fuerat de imperio, dignitateque Ludovicus antequam Patres Compendium acceſſiſſent, idque jam non aliorum ſcriptorum, qui ea ætate vixerunt (2) modo; ſed etiam Compendienſis ejuſdem conventus teſtimonio plane conſtat. In actis enim unus eſt Lotharius Imperator appellatus, Ludovicus contra nullo modo.

Fuit tamen, qui animadverteret, non deſiiſſe Ludovicum Imperatorem appellari, & eſſe, propterea quod Lotharius ornari ſoleret hoc tanto nomine. Nam anno 818. (3) collega eſt dictus a Ludovico Patre Lotharius, ut eſt a Gallis eorum temporum hiſtoricis monumentis mandatum litterarum. Ergo cum diu ante & Cæſaris, & Auguſti appellationem, dignitatemque conſequutus Lotharius fuiſſet, quam Compendienſe Concilium celebraretur, cumque in eam ſynodum, ut reus Ludovicus veniſſet, nemo ſane mirabitur, miſſo Ludovico, factam ab Epiſcopis fuiſſe unius Imperatoris Lotharii mentionem. Sed hæc noſtri obiter. Non enim eſſe hujuſmodi reſponſione opus cenſent, quum illuſtre in actis Compendienſibus monumentum extet, ex quo intelligatur, fuiſſe Ludovicum in eo ipſo conventu vocatum (4) Im-

1 De ritu impoſitionis manuum confer s. Cyprianum *epiſt.* xv. *al.* xi. *pag.* 34. *edit.* *Oxon. epiſt.* xvi. *al.* x. *pag.* 37. *& epiſt.* xvii. *al.* xii. *pag.* 39. Concilium Agathenſe celebratum *an* DVI. *tom.* II. *Concilior. edit. Hard. pag.* 999. *ſeq. can.* xv. „ Pœnitentes „ tempore, quo pœnitentiam petunt, impoſitionem manuum, & cilicium ſuper caput a ſa- „ cerdote, ſicut ubique conſtitutum eſt, conſequantur. Si autem comas non depoſuerint, aut „ veſtimenta non mutaverint, abjiciantur, & niſi digne pœnituerint, non recipiantur. Confer Morinum *ibid. p.* 377. *ſeqq. & obſervationes Albaſpinai in Optatum obſ.* v. *pag.* 165. *edit. opp. Optati an.* 1676.

2 Id enim Lothario tribuit Nitardus Caroli Magni Nepos *hiſt. lib.* 1. *p.* 69. *ad an.* 833. *Tom. eod.* VI. *Rer. Gallic. ſcriptor.* Confer Theganum *de geſt. Lud. Pii ad an.* 833. *ibid. pag.* 82. Aſtronomum *vit. Ludov. Pii edit. an.* 833. *ibid. pag.* 114. ubi „ Poſt hæc, inquit „ jam populo juramentis obſtricto, imperium inter ſe fratres terna ſectione partiuntur . . . „ Gregorius Papa talia cernens cum maximo mœrore Romam regreditur „. Poſt hæc de Compendienſi Concilio agit. Annales Bertinianos *ad an.* 833. *ibid. pag.* 195. Mitto ceteros ne lectoribus ſim moleſtus.

3 Confer Biancum *ibid. pag.* 469. *ſeq.* & Annales Laureshamenſes *ad an.* 817. *& praef. in tom.* VI. *ſcript. Rer. Gallicar. edit. ejuſdem pag.* XXXV.

4 *Loc. ſup. cit. ex collect. Concilior. Hard. & tom.* V. *Rer. Gallic. ſcriptor. pag.* 244 „ Inter-

Imperatorem. Neque negotium exhibere cuiquam locus Agobardi poteſt, qui convocatam ſynodum Compendienſem fuiſſe ſcribit contra Ludovicum, qui olim Romanorum Imperator (1) fuiſſet. Quum enim poſt ſynodum ſcripſerit, appellare noluit Imperatorem, quem a ſynodo privatum imperio fuiſſe arbitrabatur.

Sed anno primo Imperii Lotharii Auguſti (2) congregatum concilium fuiſſe liquet. Ante igitur Lotharius imperio minime potiebatur. Non equidem negarem, niſi perſpicue palam eſſet, hunc multo ante ab Ludovico, ut ſupra demonſtratum eſt, fuiſſe collegam, Auguſtumque vocatum. Quid ergo eſt? Lotharius pulſo patre, novam epocham imperii inſtituendam putavit, quæ initium ab eo tempore, quo ſolus imperare cœpiſſet, ſumeret.

Verumtamen urget vehementer noſtros Boſſuetius (3), atque non anno ſolum primo, ſed etiam quarto menſe Imperii Lotharii Compendium Epiſcopos veniſſe, deque Ludovico ſententiam tuliſſe defendit, fretus luculentiſſimo, ut cenſet, Agobardi (4) Lugdunenſis Antiſtitis teſtimonio. Quamobrem ſi novam epocham imperii Lotharius induxit, ejuſque epochæ menſe quarto congregatam fuiſſe Compendienſem ſynodum conſtat, magno ſane argumento erit, Ludovicum deturbatum de imperio fuiſſe plus menſibus tribus ante, quam ſynodus Compendienſis haberetur. Atque hoc illud eſt, quod aliquot ejus ætatis hiſtorici confirmant, qui optimatum, Lothariique imprimis ſcelere, dejectum imperio tantum, tamque pium principem fuiſſe, ne commemoratis quidem Epiſcopis, tradiderunt.

„ Inter cetera etiam commemoratum eſt a nobis, & omnibus ad memoriam reductum, qua-
„ liter Deus regnum iſtud per adminiſtrationem bonæ memoriæ Karoli præſtantiſſimi Impera-
„ toris, & prædeceſſorum ſuorum laborem, pacificum, & unitum, atque nobiliter dilatatum
„ fuerit, Dominoque Ludovico Imperatori a Deo ad regendum ſub magna pace commiſſum,
„ Dominoque protegente, ſub eadem pace, quamdiu idem princeps Deo ſtuduit, & pater-
„ nis exemplis uti, ac bonorum hominum conſililis acquieſcere curavit, conſervatum man-
„ ſerit &c.

1 Agobardus *Carthula porrecta* Lothario Imperat. *apud Harduin. ibid. & tom. VI. Rer. Gallic. ſcriptor. pag.* 247. „ Et ut verius dicam per ignaviam domini Hludovvici venerandi „ quondam Imperatoris.

2 Confer act. Compend. Concilii *ibid.* & Agobardi libellum *ibidem pag.* 246.

3 *Ibidem.*

4 *Ibidem.*

Atqui adminiſtratione imperii multatum a filio fuiſſe Ludovicum, poteſtate vero, ac jure reipublicæ recuperandæ ab Epiſcopis, reſpondent noſtri. Namque Lotharium cum ſcelus, quod eſſet ab ſe perpetratum ſecum cogitaret, metueretque, ne mutarentur militum, virorumque principum voluntates, neu ipſe qui dignitate ſpoliatus, inque monaſterium ſancti Bernardi detruſus erat, imperio reſtitueretur; ut populo perſuaderet, non improbitate cujuſquam, neque injuria, neque opera eorum, qui auctoritate carerent, ſed conſilio, jure, Eccleſiæque demum poteſtate privatum imperio eſſe Patrem, ſynodum convocaſſe, eique in mandatis dediſſe, ut jure ageret, atque illa, quam a Chriſto conſequuta eſſet, facultate (1) uteretur. Intellexiſſe namque Principem, quæ eſſet Gallorum ea ætate de poteſtate Epiſcoporum ſententiam, itaque rem omnem geſſiſſe, ut populo ſatisfaceret. Sed quoniam nihil erat cauſſæ, quamobrem privandum imperio arbitrarentur, commentos Antiſtites ſacrorum fuiſſe neſcio quæ flagitia, quaſi perpetrata eſſent (2) ab Imperatore, dignumque proinde eſſe ſtatuiſſe, qui pœnitentiæ ſubjiceretur, ſpemque omnem redeundi ad *militiam ſecularem* abjiceret. Ex qua re factum eſt, ut judicium Epiſcoporum Compendienſium *exauctoratio Ludovici Pii* appellaretur. Quinetiam Tricaſſini Epiſcopi conqueſti apud Nicolaum Primum fuerunt, quod, inſciente Romano Pontifice, Compendienſes Patres, Ebbone duce, auſi fuiſſent Ludovicum multare imperandi (3) jure. Quod ipſum cognoſci poterit ex diplomate Ludovici, quod poſt recuperatam dignitatem (4) ut eſt apud Chifletium, XXII. Imperii anno dedit. Quare ubi militum, populique voluntate potitus rurſum imperio Ludovicus eſt, non ante inſignibus, quæ propria ejus dignitatis eſſent, uti voluiſſe, quam coronam, armaque ab Epiſcopis accepiſſet (5).

Atenim

1 Confer Biancum *ibid. pag.* 471. 2 Vide *acta ſynodi Tircaſſina loc. cit.*

3 Vide locum Synodi *ſupra deſcriptum pag.* 190. *not.* 2.

4 Inter cætera Eccleſiaſticæ inſtituta diſciplinæ ſummopere ventilatum eſt, quod annis „ prioribus idem religioſiſſimus Imperator malevolorum, Deoque adverſantium tergiverſa- „ tione immerito depoſitus, paterno, hæreditarioque regno, & honore, & regio nomine fue- „ rat. *Chiflet. hiſt. Trernorch. p.* 262. 5 *Annales Bertiniani ad an.* 835. *t.* VI. *ſcriptor. Rer. Gallic. edit. ejuſd. pag.* 197. & Biancus *loc. cit. pag.* 472.

Atenim, dicet quiſpiam, ſi violatæ religionis cauſſa tantum dejici Reges de gradu, ac dignitate poſſunt, alia vero ratione non poſſunt, qua tandem fronte noſtri hujuſmodi exemplis abutuntur, quæ ad Reges pertinent, quorum ſane culpa nihil ceperat detrimenti religio?

Ad hæc Poteſtatis Eccleſiaſticæ defenſores primum reſpondent, non omnium, qui *pro indirecta* Romani Pontificis auctoritate in regum temporalia pugnant, eamdem eſſe de criminibus opinionem, quorum cauſſa excidere imperio princeps poſſit. Eſſe enim permultos, qui ob ingentia ſcelera, quæ admiſſa ab Rege ſint, ex quibus magnum in morum diſciplinam redundet damnum, fieri hoc item poſſe arbitrentur. Religionem enim Chriſtianam non doctrina modo, ſed etiam inſtitutione recta morum conſiſtere. Corrupta autem diſciplina, inſtitutioneque morum, periculum eſſe, ne grave item religio detrimentum capiat. Deinde nihil ſe de cauſſa quærere. Hoc ſibi ſatis eſſe videri, nono ſeculo ſententiam obtinuiſſe communi Gallorum conſenſione firmatam, ineſſe Eccleſiæ poteſtatem dejiciendorum, ſi juſta ſit cauſſa, de imperio Regum. Quod ſi alias ob rationes fieri hoc poſſe exiſtimatum eſt, multo magis ob violatam a Principe orthodoxam religionem (1).

Inſtant nihilominus, qui contra ſentiunt, rogantque, quid cauſſæ fuerit, cur hac non ſit uſa adverſus ſceleſtiſſimos Reges Eccleſia poteſtate? Sed noſtri, non quid fecerit, aut quid debuerit Eccleſia, ſed quid potuerit, diſquirendum eſſe cenſent. Multas eſſe cauſſas potuiſſe, quare ejuſmodi auctoritate in Conſtantium, Valentem, Leonem Iſauricum non utendum putaverit. Cur enim uteretur, cum nihil ſe utilitatis conſequi poſſe judicaret? Neque vero animadvertere in eos par eſſe, quorum improbitatem Pontifex proſpiciat, ratione pœnæ, perniciſiorem Eccleſiæ futuram.

Accedunt mox noſtri ad argumenta ſuorum adverſariorum. Atque Regum quidem auctoritatem, etſi non ἀμέσως ex

1 Vide Biancum *ibid. pag.* 473. *ſeqq.*

ex Deo profectam (1), tamen jure inſtitutam, divinituſque probatam, ſcriptores Gallos, & illuſtres (2) imprimis, & veteres auctores ſequuti, docent. Deinde apud Ethnicos principes non fuiſſe ſacerdotibus ubique gentium ſubjectos, quamquam alicubi eſſe obnoxii conſueſſent, facile patiuntur, quod ex ſuperſtitioſis hominibus non eſſe nobis exemplum ſumendum ſciant. Rurſum de Druidibus ſi quid dicunt, non eo dicunt, quo illos divino ſacerdotio excelluiſſe putent, nihil enim illis videtur minus, ſed quo rem omnino nullam ab ſe defendi oſtendant, quæ nulli umquam nationi in mentem (3) venerit. Conſiſtere præterea ſeipſa civilem poteſtatem poſſe non negant; tam vero commode, beneque conſiſtere, quam conſiſtit poſita præſtantiore auctoritate, quæ moderatur, & parat, quæ ad ſempiternam ſalutem conferunt, tollitque contraria, poſſe negant. Jam vero de vetere teſtamento non eſſe, cur tantopere ſit con-

1 Vide quæ ſupra *pag. 57. ſeq.* de hac re diximus. Iis accedunt, quæ Valentinianus ſenior Auguſtus militibus loquutus eſt, cum eum, ut fratrem collegam diceret, obſecrarent: Apud Theodoritum *lib. IV. hiſt. cap. VI. pag 152. edit. Cantabrig.* ὑμέτερον ἦν, ὦ στρατιῶται, βασιλέως οὐκ ὄντος ἐμοὶ δοῦναι τῆς βασιλείας τὰς ἡνίας· ἐπειδὴ δὲ ταύτην ἐδεξάμην ἐγὼ, ἐμὸν λοιπὸν, οὐχ ὑμέτερον, τὸ περὶ τῶν κοινῶν διασκοπεῖσθαι πραγμάτων. „ Veſtrum fuit, o milites, cum Imperator nullus eſſet, imperii mihi habenas dare. Poſteaquam vero illud ego ſuſcepi, meum deinceps, non veſtrum publicis rebus proſpicere.

2 Jacobus Almainus ſeculi XVI. ineuntis ſcriptor Gallus *lib. de auctoritate Eccl-ſiæ, & Concilii Generalis cap. 1. tom. II. opp. Gerſonii edit. Antuerpienſis an. 1706. pag. 977. ſeq.* „Communitas confert Principi auctoritatem occidendi eos, *ait*, quorum vita in perniciem „ reipublicæ cedit. Ergo illa auctoritas eſt per prius in communitate, cum nemo alteri det, „ quod non habet. Et antecedens notum eſt, cum princeps a ſe auctoritatem illam non ha„ beat, nec eam habet immediate a Deo, ſaltem ut in pluribus. Nam ut dicunt doctores, „ præſertim Durandus in tractatu de juriſdictione Eccleſiaſtica, non eſt intelligendum, „ quod auctoritas Regis ſecularis ſit a Deo ſic, quod eam immediate alicui commiſerit re„ gulariter, ſed quia ſecundum rectam rationem, quam Deus hominibus indidit, eſt alicui „ commiſſa. Et non videtur, cum non ſit a Deo immediate commiſſa, a quo ſit principi „ collata, niſi ab ipſa communitate „. Conſule quæ ſequuntur. Dionyſius Petavius *lib. III. de Eccl. Hierarch. cap. XIV. pag. 881. edit. Pariſ.* „ Quod in omnibus imperiis, ac regnis „ uſuveniſſe putant, qui de rebus publicis ſcripſerunt, ut jus, & poteſtas omnis a natura ipſa „ communitati conveniat, quæ eam poſtea vel in plures magiſtratus, ac rectores partiatur, „ vel integram in unum aliquem transferat: pro eo ac plurium regimen, vel unius elegerit, „ ex quo civilium per gentes ac populos adminiſtrationum orta ſunt diſcrimina... Porro „ ubi jus, auctoritatemque, quam habebat, in eum, quem elegit, transfudit principem, „ non eam penes ſe retinet, nec revocare amplius poteſt &c.

3 S. Thomas *Opuſculo XX. de regimine Principum lib. 1 cap. XIV. p. 295. edit. an. 1587.* „ Quia etiam futurum erat, ut in Gallia Chriſtiani ſacerdotii plurimum vigeret religio, „ divinitus eſt permiſſum, ut etiam apud Gallos gentiles ſacerdotes, quos Druidas nominabant, totius Galliæ jus definirent, ut refert Julius Cæſar in libro, quem de bello Gallico „ ſcripſit.

contendendum exiſtiment. Eſſe enim permultos, eoſque jam maximi nominis, vetuſtateque illuſtres viros concedunt, qui nihil ſibi ex Moſis, Regumque libris præſidii ad ſuam ſententiam conſtabiliendam (1) pollicerentur. Itaque mittunt etiam, quæ diſputari de auctoritate ſynedrii ſolent. Non tamen ferre poſſunt, quod adverſarii concludunt, argumentum. Contrarium enim inde concluſum a Thoma in libris de regimine (2) principum eſt, qui altus, educatuſque i Pariſienſi Academia fuit. Negat enim verum eſſe, quod Boſſuetius ſumit, Pontificibus veteris Teſtamenti tribui eam in Reges auctoritatem potius debuiſſe, propterea quod Judæorum eſſet terreno imperio terreniſque promiſſis nixa religio. Immo vero eamdem ob cauſſam mirum nemini videderi debere Thomas contendit, ſi Pontifices Judæorum Regibus obnoxii eſſent, Pontifices autem Maximi, qui in Eccleſia primas obtinent, ſubditi cuiquam mortalium eſſe non debeant, quod finis muneris, quo fungitur, ſuperior ſit, ac præſtantior fine Regis.

Deſcendunt ad loca novi Teſtamenti, quibus (3) Boſſuetius ſuam confirmare conatur opinionem, graviterque imprimis queruntur, quod noſtrorum ille defendat cum ſacris litteris pugnare ſententiam. Non enim ferendum putant, ut quam tot egregii viri, in quibus eſt Theologorum facile Princeps Thomas Aquinas, tam gravibus argumentis conſtabiliverunt, eadem ſcilicet adeo acerbe notetur ab adverſariis propoſitio. Ac ſi magnum quidpiam Boſſuetius, Dupinuſque afferrent, quod a veteribus non fuiſſe obſervatum animadverſumque conſtaret, tolerabile id quidem ſibi, noſtri ajunt, fuiſſe futurum; ſed cum ea opponant, quæ ſæpe jactata, ſæpe item a majoribus noſtris explicata ſunt, atque ita ſane explicata, ut vel ad rem minime ſpectare, vel non eſſe doctrinæ noſtrorum contraria demonſtrarentur, moleſtum

1 s. Thomas *ibid.*

2 s. Thomas *ibid.* „ Sed & quia in veteri lege promittebantur bona terrena non a dæmo-
„ nibus, ſed a Deo vero religioſo populo exhibenda, inde & in lege veteri ſacerdotes Regi-
„ bus leguntur fuiſſe ſubjecti. Sed in nova lege eſt ſacerdotium altius, per quod homines
„ traducuntur ad bona cæleſtia, unde in lege Chriſti Reges debent ſacerdotibus eſſe
„ ſubjecti.

3 Vide ſupra eadem loca relata a Boſſuetio *pag.* 162. *ſeqq. not.* 1. *ſeqq. hujus libri.*

ſtum ſibi eſſe, exagitari ſe ab his contumelia, qui ſi quid a noſtris dictum in ſe paullo liberius viderent eſſe, conflatam ſibi eſſe injuriam quererentur.

Aſſequi præterea ſe poſſe inficiantur noſtri, quid illud ſit, quod Boſſuetius de *ordinaria*, *extraordinariaque* (1) poteſtate a Chriſto Apoſtolis data diſputat. Atque *extraordinariam* quidem, quæ eſt de curandis virtute divina morbis, ad rem minime pertinere, facile concedunt; *ordinariam* vero limitibus *prædicandæ* ſolum *religionis* contineri, id vero dici, præſertim a Catholico viro, ſine nota erroris poſſe, negant. At poteſtatem paſcendi gregis, quam Chriſtus Apoſtolis dedit, latiſſime patere Boſſuetius confitetur. Recte id quidem. Cur ergo *ordinariæ* poteſtatis meminit, quam ponere in ſolo *prædicandi Evangelii* jure videtur? Sed hæc raptim. Nunc quæ ſequantur diſpiciamus. Latiſſime igitur, Boſſuetio teſte, auctoritas paſcendi patet, modo iis finibus contenta ſit, quibus ſeſe continuit Servator Chriſtus. Id ultro etiam concedunt noſtri. Subdit Boſſuetius: reddenda eſſe Cæſari, præcepiſſe Jeſum, quæ Cæſaris eſſent, ne qui *ſpiritalia* adminiſtrarent, immiſcere ſe rebus civilibus, perturbareque auderent rempublicam. Noſtri certe fuiſſe hæc a Chriſto imperata ſciunt; tamen quod Boſſuetius vellet, id vero conſequens eſſe vehementer (2) negant. Itaque principio Cæſari danda confirmant, quæ ſunt Cæſaris, quamdiu Cæſar eſt: ubi autem Cæſar eſſe deſierit, tum a Chriſto nuſquam fuiſſe decretum, ut ei, quod ſuum eſſe ceſſaſſet, redderetur. Hoc vero nunc revocari in quæſtionem, poſſit ne is, qui ſummam in Eccleſia rerum obtinet, declarare, exciderit ne princeps, cauſſa violatæ religionis, e regno, an non exciderit? Eis autem, qui affirmant poſſe, quid eſt in eodem loco Evangelii, quod repugnet? Deinde ſic agunt: neminem eſſe Chriſtianorum tam amentem, tamque impium, qui contra Chriſti Servatoris decretum,

1 Confer locum modo indicatum hujuſce libri *pag.* 162.

2 Vide Biancum *della Poteſtà indiretta della Chieſa libro* II. §. III. *pag.* 477. *ſeqq. tom.* I. *edit. Rom. an.* 1745. & Charlaſium *de libertatibus Eccleſ. Gallicanæ libro* IV. *cap.* IV. *pag.* 165. *edit. Leod. an.* 1684. Eadem fere habent ſcriptores, quorum paullo ante meminimus, cum de hoc loco Evangelii diſputant.

tum, quæ ſunt Cæſaris reddenda non eſſe Cæſari arbitretur. At ſi Cæſar non ſolum *quæ Dei ſunt*, *Deo non reddat*, ſed ſuos etiam a vera religione abducere ad ſuperſtitionem conetur cives, quidni poterit is, qui partes Dei in terris vicaria poteſtate gerit (niſi majora incommoda immigrare inde in Eccleſiam, remque publicam poſſe vereatur) declarare, eum, qui poteſtate abuteretur, & neque hortatu, neque minis, neque pœna maleficio deſiſtere velit, tyrannidemque exercere pergat, imperio excidiſſe, ſolutoſque proinde cives jusjurandi religione eſſe, quo ſuam ei, cum imperium eſt aſſequutus, obſtrinxiſſent fidem?

Quod Chriſtus Apoſtolos patienter, ut cruciatus ferrent, hortatus fuerit, monueritque, ut ſi quæſiti ad necem ab hoſtibus in una quapiam civitate eſſent, in aliam proficiſcerentur, deturbandos autem de imperio Reges eſſe numquam docuerit; ad inſtitutum minime pertinere censent. Noſtros enim, Eccleſiam in principes Ethnicos, cujuſmodi erant hi, qui Apoſtolorum temporibus vivebant, nihil potuiſſe, cognoſcere. Hoc rogare: eum ne Regem, qui jurejurando confirmarit ſe non modo Chriſtianum, ſed etiam Chriſtianæ religionis defenſorem futurum; qui, ſi fidem falleret, pœnis iis,quibus plecti a ſacrorum Præſidibus improbi ſolerent, ſeſe ſubdiderit, quique in iis regionibus ſummam imperii teneat, quas magnam partem Chriſtiani & incolunt, & moderantur; eum ne Regem, inquam, ſi erret, ſi ceteros ad impietatem pertrahere ſtudeat, ita punire ſummus Antiſtes Eccleſiarum queat, ut declaret, Regem eſſe hominem deſiiſſe, adeoque jurisjurandi religione, quo ſe illi obligarant, cives eſſe ſolutos? Id cum in locis Bibliorum novi Teſtamenti, quæ Boſſuetius, aliique proferunt, non negetur, quid eſt, quod eſſe quiſquam rejiciendum putet, quaſi ſit auctoritati Evangeliorum contrarium?

Recte quidem Apoſtolos in ſuis Epiſtolis parendum eſſe principi imperaſſe. Hoc item noſtros & profiteri, & agere. Exceptionem autem eos nullam addidiſſe perſpicuam,ex qua intelligeretur, fas eſſe præſidibus ſacrorum de throno Regem Chriſtianum, qui inimicus eſſe cœperit veræ, ſanctæque

reticis Imperatoribus eſſe dicendum. Noſtros enim, non quid fecerit, neque cur ſic fecerit, ſed quid, auctoritate ſibi divinitus conceſſa, Eccleſia potuerit, quærere. Hincmarum, qui juſſus a Pontifice, ne Regem adulterum, prohibitumque communione ſacrorum alloqueretur, neve ſalutaret, numquam ſimile quidpiam ab Sede Apoſtolica præceptum dixerit; aut ſuo more, ut qui inimicus Pontificiæ dignitatis eſſet (1), feciſſe, aut quæ canones præſcribunt; quæque geſta in Ludovicum Pium, dictaque ab ſynodo Tricaſſina fuerant, ignoraſſe. Nul-

ſe bellum fratri illaturum, niſi maleficio deſiſteret, minaretur. Alioqui ſi nefas fuiſſet, numquàm illi paſſi fuiſſent, ut propter religionem Conſtans ſe bello injurias Eccleſiæ perſequuturum diceret. Quid enim ille ſibi voluiſset, niſi aut ad bonam frugem reducere Arianum Principem, aut reſiſtentem de dignitate dejicere? Ac Conſtantem quidem minatum hæc fratri fuiſſe, auctor eſt Athanaſius, cui plurimum de rebus ſua præſertim ætate geſtis diſſerenti credimus. Confer Socratem *hiſtoria Eccleſiaſtica lib.* II. *cap.* xxII. *pag.* 108. *editionis Cantabrigienſis*. Deinde non fuiſse opportunum, animadvertit, declarare Imperatorem regno exceſſiſse, quod exercitus, palatium, præfecturæ, omnia denique loca, in quibus aliquid eſset dignitatis, occupata ab Arianis eſsent. S. Hilarius *adverſ. Conſtantium pag.*1246.*edit. Pariſ. Monachor. s. Mauri*. „ Mutati Præfecti, inquit, electi „ duces, corrupti populi, commotæ legiones, ne ab Athanaſio Chriſtus prædicaretur. „ Taceo de minoribus populis, & civitatibus, quibus per totum orientem aut terror, aut „ bellum eſt, poſtquam omnia contuliſti arma adverſus fidem occidentis, & exercitus tuos „ convertiſti in oves Chriſti. Fugere mihi ſub Nerone licuit „. Hoc pacto cum res ſeſe haberent, non erat prudentis in eum animadvertere, qui majorem Eccleſiæ attuliſset calamitatem. *Sed Conſtantium, inquit Boſſuetius*, Patres honorabant ut Imperatorem. Negat hoc principio Bianchus *ibid. pag.* 537. Nam eum loco Antichriſti, & Tyranni habebant. Vide Athanaſium *hiſt. Arianor. ad Monachos num.* 67. *ſeqq. pag.* 384. *ſeqq. edit. Pariſ. Monachor. s. Mauri tom.* 1. Ei autem obtemperabant, ut majora mala vitarent. Neque vero eos Conſtantio ſolum obtemperaſse, ſubdit, ſed etiam eamdem ob cauſam iis, quos manifeſtos eſse Imperii uſurpatores conſtabat. Vide Bianchum *ibid. pag.* 538. *ſeq.* Sed Hoſius, *inquit Boſſuetius*, Athanaſius, aliique Conſtantium & Auguſtum, & Imperatorem vocarunt, nefaſque ſibi eſse dixerunt, in ejus imperii jura invadere, ut ex iis locis, quæ ſupra ſunt producta, liquet. Vide *ſupra p.* 124. *ſeqq. hujuſce lib. not.* 2. Ad hæc ſecundo reſpondet Bianchus, nihil inde præſidii ſibi polliceri Boſsuetium poſse. Alioqui ſequeretur communione Eccleſiaſtica prohiberi Conſtantium ab Epiſcopis nequiviſse, quod illi confiterentur, fuſas ab ſe pro incolumitate ejus imperii preces ſemper fuiſse, curaturoſque promitterent, ut deinceps etiam aſſiduæ funderentur. *Epiſt ſynod. Arim. ad Conſtantium apud Athanaſ. de ſynodis tom.* 1. *opp. part.* II. *pag.* 725. *edit. Pariſ. Monach. s. Mauri*. Vide quæ ſubdit Bianchus *pag.* 544. *ſeqq.* Aliis etiam ſic videtur: Agnitum quidem ut Imperatorem fuiſse Conſtantium quod non aliquorum eſset Epiſcoporum declarare illum fuiſse privatum imperio. Ceterum potuiſse Eccleſiam, ſi habuiſset, qui ſe defenderent, de gradu hæreticum Imperatorem dejicere, colligi ex eo poſse, quod Conſtans, non abnuentibus Epiſcopis orthodoxis, minatus Conſtantio fuerit, ſe bellum ipſi indicturum, niſi Catholicos præſules ſuis ſedibus reſtituiſſet. §. x. Bianchus rationes affert, quamobrem in Valentem animadvertere non eſset opportunum. *Num.* 2. *ſeqq. pag.* 563. *ſeqq.* De Valentiniano, & Juſtina agit *ibid. num.* vi. *pag.* 574. *ſeqq.* De Theodoſio ſeniore §. xi. *pag.* 582. *ſeqq.* De ceteris denique lib. ſeq. Hoc repeti poſtremo loco poteſt: Non quid fecerit Eccleſia olim, ſed quid potuerit a nobis nunc quæri. Quamobrem exempla, quæ oſtendant, nihil in aliquos Reges, Imperatoreſque fuiſse tentatum, ad rem minime pertinere.

1 De Hincmaro Remenſi vide quæ infra dicemus.

Nullius quoque ponderis eſſe, quod Boſſuetius adjungit, interdicto ſacrorum ſubditos non prohiberi, quo minus cum Rege verſentur, agantque de commodis reipublicæ. Nam ſi cuiquam interdictum ſacris, religionis violatæ cauſſa, ita ſit, ut nemo eum alloqui, nemo Chriſtianorum adire, nemo re quapiam juvare, qua imperium exerceat, poſſit, parere tunc Eccleſiæ omnes, qui ejus ſe eſſe filios profitentur, debere. Si enim hæc in ſceleſtum quemque Chriſtianum decernere ſacrorum Præſidi ſupremo licet, cur non item in Regem Chriſtianum, non minus obnoxium auctoritati Eccleſiæ, quam ſint ceteri, qui Servatori ſe Chriſto devoverunt? Gregorium ſeptimum (1), Gregorium nonum, Thomam Aquinatem, alioſque, qui vel facultatem ſervis, domeſticiſque, ex quibus nihil periculi, malique manare in ſocietatem Chriſtianorum poſſe videretur, feciſſent, vel factam a Pontificibus dixiſſent, hoc maxime adverſari ſententiæ Gallorum, quo & potuiſſe id vetari ſervis ipſis ſignificarent, & vetari reipſa affirmarint iis, quorum conſilio, auctoritate, armis, redundare aliquam in Eccleſiam calamitatem poſſe metuerent. Quamobrem mirari noſtros, quid ſit, quod eorum teſtimoniis uti Boſſuetius voluerit, quos maximæ parti Theologorum præſidio in hoc potiſſimum genere eſſe (2) conſtaret. Exempla, teſtimoniaque Majorum, qui ante quartum ſeculum Eccleſiæ floruiſsent, parendumque Imperatoribus præcepiſsent, & ſi quid contra nos decernerent, ferendum æquo animo juſſiſsent, quamquam Eccleſiæ vires, quibus obluctari poſset, ineſſe cognoſcerent, nihil ad evertendam ſententiam, quam noſtri tuerentur, virium

1 Ex loco enim ſupra *p.* 166. *not.* 1. Greg. VII, adducto intelligitur, poſse Eccleſiam igni, atque aqua principi interdicere, impedireque quo minus eum vel ipſi ſervi, familiareſque adeant, & alloquantur, ſi id expedire putaverit. Quod vero permiſit Eccleſia ſervis, id fuiſſe indulgentia permiſſum, non lege Chriſti. Hoc idem dici debet de Gregorii IX. decretis, quæ Boſſuetius profert *p.* 1. *lib.* 1. *ſect.* 1I *cap.* XXIX *pag.* 108. S. Thomæ ſententia quid poſtulet, viſum paullo ante eſt, *pag.* 195. *not.* 1. Quod ſi *ſuppl lem.* q. XXIII. *art.* III. dicit „ Quod participans excommunicato non ſemper peccet mortaliter, ſed ſolum quan- „ do in crimine illi participat, vel in divinis, vel in contemtum Eccleſiæ „. Hoc ſuffragari Boſſuetio non poteſt, cum ex conceſſione Eccleſiæ ſequatur, nihilque proſit (iis qui dejici de gradu excommunicationis vi ob violatam religionem principem nequire putant) ſi declaratio depoſitionis formula excommunicationis contineatur, cum Th. 2. 2. ut vidimus hoc aperte ſtatuat.

2 De Gregoriis VII. & IX. qui Principes aliquot ſuorum temporum excidiſſe imperio declararunt, dicam paullo poſt.

virium habere. Quid enim Eccleſia judicaſſet de Imperatoribus, qui & in republica majorem partem ethnica, ethnico Senatu, ethnicis urbium, provinciarumque Præfectis, principatu potirentur, & numquam ſacris, myſteriiſque noſtris initiati eſſent? Nos enim de Regibus, principibuſque agere, qui aliquando fuiſſent Chriſtiani, poſtque Eccleſiæ bellum intuliſſent. Quare parvi ad inſtitutum intereſſe magnæ ne tribus prioribus ſeculis, an exiguæ copiæ, opeſque Chriſtianorum eſſent. Boſſuetium autem, qui his ſive argumentis, ſive exemplis, ſive teſtimoniis utatur, onerare quidem noſtros monumentorum copia poſſe, implicare autem nullo modo poſſe. Itaque nihil ab eodem agi contra Baronii, Bellarmini, Victoriæ, Perroniique ſententiam, quam ab ſe labefactatam, atque exploſam putat. Nam quod ad Imperatores Chriſtianos redeat, quos etſi infeſtos, atque inimicos ſibi Eccleſia cognoſſet eſſe, tamen ferendos exiſtimavit, id quum ſolutum argumentum paullo ante ſit, nova oratione non egere. Gravius fortaſſe videri quod Boſſuetius ſubdit; neminem ſcilicet perſuadere ſibi poſſe, majores noſtros, si hac tanta auctoritate præſtare Ecclesiam cenſuiſſent, tam ſegnes, tamque indiligentes fuiſſe, ut nullum canonem, nullam ſententiam, dictum denique nullum adhibuerint, commemorandumque duxerint, ex quo vel conjectura cognoſceretur, dejiciendorum de gradu Principum fuiſſe Pontificibus maximis poteſtatem datam. Verum si conſiderentur, quæ ſupra diſputata ſunt, fateri quemque debere, eſſe aliqua, quæ efficiant, eamdem poteſtatem eſſe Ecclesiæ divinitus attributam. Nam etsi Apoſtoli, Patreſque tempore Ethnicorum Imperatorum nihil explicate memoriæ tradiderunt, quod veram eſſe noſtrorum ſententiam demonſtraret, tamen quum de facultate prohibendi communione Eccleſiaſtica, interdicendique ſacris, cavendique, ne quis aut alloqui, aut verſari cum excommunicato audeat Chriſtianorum, cumque Patres interdum id fecerint, ſatis eos grave argumentum ſuppeditaſſe, ex quo efficeretur, ejuſmodi poteſtate præditam eſſe, inſtructamque Eccleſiam.

Quod Boſſuetius urget: ad XI. uſque ſeculum neminem aut

aut Regum, aut Imperatorum, qui vel in hæreſim lapſus eſſet, vel quidquam juſſiſſet, quod pugnare cum religione Catholica videretur, fuiſſe dejectum de principatu auctoritate Eccleſiæ; quamobrem exempla, quæ produci a noſtris ſolent, nullius eſſe momenti; quæque in Henricum Cæſarem a Gregorio Septimo geſta ſunt, nova, inaudita, ac proinde reprobanda eſſe; injuria objici, urgerique noſtri defendunt. Nam etſi contra Theodoricum Oſtrogothum, contra Hunericum Wandalum, contra Odoacrem Herulum Arianos Reges, contra Zenonem auctorem Henotici, contra Anaſtaſium, contra Mauritium, contra Heraclium Auguſtos nihil ejuſmodi tentatum dicant, propterea quod Pontifices timerent, ne major in Eccleſia perturbatio orietur, & ſumma confuſio; tamen factum adverſus Leonem Iſauricum Imperatorem, cum rem ſecundum exitum habituram Gregorius ſecundus confideret, arbitrantur. Quamquam vero non ii ſint, qui univerſo imperio Leonem auctoritate Eccleſiæ privatum putent, nihilo ſecius, parte ipſius imperii diminutum ab Gregorio fuiſſe contendunt, idque tam teſtimoniis multorum, graviſſimorumque (1) ejus tem-

1 Scriptores Græci, qui aut ſupparer Gregorio fuerunt, aut a majoribus acceperunt, quæ monumentis mandarunt litterarum, ſunt Theophanes omnium horum antiquiſſimus, qui in *Chronographia ad an.* XIII. *Leonis pag.* 338. *edit. an.* 1655. ,, Hoc anno, *inquit*, irreligioſius Imperator Leo de proſeribendis, & deponendis ſanctis, & venerandis imaginibus ,, primum tractatum habere cœpit: comperto cujus propoſito Gregorius Papa Romanus, ,, ſcripta prius ad ipſum Leonem Decretali Epiſtola, qua de fide quidquam ſtatuere, & an,, tiqua Eccleſiæ ſancita a ſanctis patribus firmata innovare, aut convellere non decere, ,, Imperatorem commonet. Italiæ tandem, ac Romæ tributa ad ipſum deferenda prohibuit. ,, In veteri Roma vir undequaque ſacer & Apoſtolicus Petri Apoſtolorum Coryphæi confeſſor ,, eruditione, præclariſque facinoribus clarebat Gregorius, qui Romam, atque Italiam, to,, tumque occidentem a Leonis obedientia tam civili, quam Eccleſiaſtica, & ab ejus impe,, rio ſubtraxit ,,. Zonaras *ad an.* XIII. *Leonis Iſaurici tom.* II. *Annal. p.* 104. *ſeq. edit. an.* 1687. Qua de cauſſa Gregorius, qui tum Romæ veteris Eccleſiam gubernabat, repudia,, ta ſocietate Præſidis novæ Romæ, nec non eorum, qui illum ſequerentur, illos una cum ,, Imperatore Synodico anathemate obſtrinxit, & vectigalia, quæ ad id uſque tempus pende,, bantur, inhibuit, icto cum Francis fœdere ,,. Cedrenus *an.* XIII. *Leon. Iſaur. tom.* I. *Annal. pag.* 453. *edit. an.* 1647. ,, Apoſtolicus vir, & Petri Apoſtolorum Coryphæi confeſſor ,, Gregorius... Is a Leone ob ejus impietatem defecit, & pacto cum Francis icto, tributa ,, Leoni denegavit ,,. E latinis ſcriptoribus Anaſtaſius in vita Gregorii II. *pag.* 69. *edit. an.* 1649. ,, Paulus Exarchus Imperatoris juſſione eumdem Pontificem conabatur interficere, ,, eoque cenſum in Provincia ponere præpediebat ,,. Idem ſcribit Glycas in *Annal. pag.* 281. *edit. Pariſ. hiſt. Byzant. an.* 1660. *hiſtoria Miſcellan. lib.* XXI. *pag.* 151. *ſcript. rer. Italic. edit. an.* 1723. ,, Cœpit impius Imperator Leo contra ſanctas Imagines facere verbum, quod ,, cum

pæ in Epiſtola ad (1) Anaſtaſium illuſtrem, ac celebrem locum eſſe. Eodemque ſenſu explicari, quæ de parendo principibus Apoſtoli *propter conſcientiam* ſcripſerint, oportere. Neque noſtris adverſari, quod Chriſtus in Evangelio Johannis dixit, regnum ſuum *non eſſe de hoc mundo*. Non enim *temporale* Pontifici Maximo ab ſe ſtatui, ſed *ſpirituale* conceſſum regnum. Ex qua re intelligi, eum, qui primas in Eccleſia partes teneat, in Regem, qui Chriſtianus non fuerit, exercere poteſtatem, qua uti in Chriſtianos poteſt, nequire. Nihil enim ſibi poteſtatis in eos, qui foris ſunt, tributum Pontifex & novit, & confitetur. Admirari Patres virtutem Chriſti, qui cum Dei filius ſit, utque Deus univerſitatem rerum & condiderit, & moderetur, tamen ſibi fieri paſſus eſſet tam inſignem injuriam. Hoc vero ad rem noſtram minime pertinere. Non æque curare ſe, quemadmodum a quibuſdam explicatus locus fuerit Evangelii, qui ſic habet: *regnum meum non eſt hinc*. Satis ſibi eſſe ſi de *regno temporali*, quod Chriſtus in terris recuſavit, intelligatur. *Temporale* autem Regnum numquam ſibi Pontifices vindicaſſe. Quod addit Boſſuetius, negaſſe Chriſtum, conſtitutum ſe judicem, qui civiles controverſias inter fratres, neſcio quos, ortas dirimeret, fuiſſe; id contra eos fortaſſe produci poſſe, qui Pontifici jus *directum in temporalia Regum Chriſtianorum* tribuerent; contra noſtros autem, qui *ſpirituale* tantum ei tribuendum defendant, ex quo ſequatur dominio excidere hominem, quem dominio excidiſſe Pontifex declaravit; non poſſe. Hæc qua tandem ratione cum ſacris ſcripturis pugnent, ita ut, quemadmodum Boſſuetius ſcribit, componi cum ipſis nequeant, demonſtrari ſibi, non opinione Gallorum, ſed ad veritatem plane velle. Neque enim, quod ex Evangelio rurſum idem ipſe repetit Boſſuetius, ferenda nempe patienter, quæcumque eveniant adverſa, eo pertinet, quo Galli ſibi perſuaſerunt. Eſſe nam-

1 *Sym. Papa epiſt. ad Atanaſ. Imperat. apud Baron. ad ann.* DCCC. *num.* 18. „ Fortaſſis dicturus es ſcriptum eſſe omni poteſtati nos ſubditos eſſe debere. Nos quidem poteſtates humanas ſuo loco ſuſcipimus, donec contra Deum ſuas erigunt voluntates. Ceterum ſi omnis poteſtas a Deo eſt, magis ergo, quæ rebus eſt præſtituta divinis. Defer Deo in nobis, & nos deferemus Deo in te. Ceterum ſi tu Deo non deferas, non potes ejus uti privilegio, cujus jura contemnis.

que patientiam virtutem propriam Chriſtianorum ; ſed eos, ſi videant in republica, quam orthodoxi conſtituant, in qua cives, milites, ſenatus, ordines denique omnes ſint orthodoxi, unum aliquem principatum tenere, qui cum ſpoponderit ſeſe operam ſervandæ religioni in civitatibus daturum, tum promiſſis non ſteterit, conatuſque ſit ſubditos a pietate erga Deum ad hæreſim quampiam, ſuperſtitionemque traducere; eos, inquam, ſi hæc videant, confidantque fore (ſacrorum Præſide deturbatum ex principatu eum fuiſſe declarante) idem ut maleficio abſtineat, vel cum poteſtate ſæviendi vacet, minus poſthac damni inferat in ſocietatem ; communis ſalutis, hujuſque jam ſempiternæ cauſſa, reſiſtere poſſe Regi, eique parere recuſare, quin contra Evangelium quidquam peccent. Hoc enim eos facere, non ut ulciſcantur injuriam, ſed ut ſalvam cernant eſſe rempublicam, quam ille oppreſſam, perditamque vellet. Ut autem excidere poſſit imperio is, cui ſit interdictum ſacris, quoniam oſtenſum paullo ante eſt, nunc prætermittatur.

Conſenſione vero Patrum, qua tantopere gloriantur, nihil agere Gallos poſſe. Atque ad Julianum quod attinet, multas eſſe cauſſas, rationeſque potuiſſe, quare Eccleſia auctoritate, qua inſtructa divinitus erat, utendum non putarit. Metuendum ſane fuiſſe, ne majore odio incitatus, acrius ille in Chriſtianum nomen ſæviret. Armis noſtros, quibus Imperatori obſiſterent, caruiſſe. Præfectos Provinciis, qui Chriſtianam religionem colerent, ab Apoſtata ſublatos, eorumque loco ſuffectos eos, qui dediti ſuperſtitioni Deorum eſſent. Duces, legatos, tribunos militum, pulſis pene omnibus iis, quos Chriſto eſſe devotos conſtabat, maximo tunc numero Ethnicos fuiſſe. His tot præſidiis, quibus Julianus ſeptus, confirmatuſque in imperio erat, ſi quid agi contra ſe cognoſſet, longe majorem intuliſſet in Eccleſiam partem incommodorum. Itaque ad preces, quod ſcriptum ab Nazianzeno eſt, fuiſſe confugiendum.

Secundum hæc, breve fuiſſe Juliani Imperium. Acceſſiſſe præterea quædam, quæ noſtros hortarentur, quo minus eum

eum de throno dejiciendum exiſtimarent : imprimis quod Epiſcopos Conſtantii edictis exulatum abire juſſos, patriæ reſtituiſſet, tum quod Eunuchos, qui familiaritate exacti Imperatoris abuſi (1), Arianis auxilio fuerant, magnum-

1 s. Tho. 2. 2. *q.* XII. *art.* II. ,, Infidelitas ſecundum ſe ipſam non repugnat dominio ;
,, eo quod dominium introductum eſt de jure gentium, quod eſt jus humanum. Diſtinctio au-
,, tem fidelium, & infidelium eſt ſecundum jus divinum, per quod non tollitur jus huma-
,, num. Sed aliquis per infidelitatem peccans poteſt ſententialiter jus dominii amittere, ſi-
,, cut etiam quandoque propter alias culpas. Ad Eccleſiam autem non pertinet punire infi-
,, delitatem in illis, qui nunquam fidem ſuſceperunt, ſecundum illud Apoſtoli 1. *ad Co-*
,, *rinth.* v. *quid mihi de his, qui foris ſunt?* Sed infidelitatem illorum, qui fidem ſuſce-
,, perunt, poteſt ſententialiter punire, & convenienter in hoc puniuntur, quod ſubditis fi-
,, delibus dominari non poſſint. Hoc enim vergere poſſet in magnam fidei corruptionem ;
,, quia, ut dictum eſt, *homo apoſtata pravo corde machinatur malum, & jurgia ſeminat*
,, *intendens hominem ſeparare a fide*. Et ideo quam cito aliquis per ſententiam denuncia-
,, tur excommunicatus, propter apoſtaſiam a fide, ipſo facto ejus ſubditi ſunt abſoluti a do-
,, minio ejus, & juramento fidelitatis, quo ei tenebantur. Ad primum ergo dicendum,
,, quod illo (Juliani) tempore Eccleſia in ſui novitate, nondum habebat poteſtatem terre-
,, nos principes compeſcendi, & ideo toleravit, fideles Juliano Apoſtatæ obedire in his,
,, quæ nondum erant contra fidem, ut majus periculum fidei vitaretur ,,. At Gregorius
Nazianzenus, inquit Boſſuetius, viribus tum Eccleſiam inſtructam fuiſſe putat, qua Impe-
ratori reſiſtere valeret. *Orat.* III. *in Julian. pag.* 80. ,, Ac ne hoc, *inquit*, proſpiciebat
,, (Julianus) quod prioribus quidem perſecutionibus parva perturbatio ſequebatur, quia
,, nondum dogma noſtrum ad multos propagatum erat, ſed in paucis adhuc hominibus ve-
,, ritas hærebat . . . Nunc autem ſalutari doctrina longe lateque fuſa, & apud nos præſertim
,, dominante, religionem Chriſtianam immutare . . . nihil aliud fuerit, quam Romanorum
,, Imperium convellere, ac de rerum ſumma periclitari ,,. Hoc eodem argumento abuſus
ante eſt Widdringtonus, ut eſt ab Sculckenio animadverſum *Apolog. Card. Bellarm. c.* II.
pag. 85. *edit. an.* 1613. Sed reſpondet Schulckenius, initio breviſſimi Imperii Julianum
æquiorem noſtris viſum fuiſſe, quod Epiſcopos ad ſuas Sedes reverti juſſerit. Confer Hiero-
nymum Dialogo *adverſ. Luciferianos pag.* 301. *tom.* IV. *opp. edit. Pariſ. Martianæi*, &
Rufinum *lib.* 1. *hiſt. cap.* XXVII. *pag.* 210. *edit. an.* 1570. Deinde dolis, artibuſque malis
quoſdam fuiſſe ad ſuperſtitionem ab Juliano pertractos. *Gregor. Naz. ibid. pag.* 75. ,, Mili-
,, tes, & per ſe ipſe, & per eos, qui magiſtratus gerebant, allicit (Julianus) quos etiam
,, ad perſuadendum faciliores eſſe arbitrabatur, quod partim honoribus dediti eſſent, par-
,, tim per animi ſimplicitatem abriperentur, nullamque aliam legem, quam Principis vo-
,, luntatem agnoſcerent. Immo ſi rectius loquendum eſt, MILITUM PARTEM NON MINI-
,, MAM AD SE PERTRAXIT ,,. Cur autem a militibus, domeſticiſque cœperit Julianus, in-
,, dicat ibidem Gregorius *pag.* 74. ,, Neque enim fieri poſſe (*putabat*) ut externos aggre-
,, deretur, niſi his ſibi conciliatis, atque adjunctis, quemadmodum nec exercitum adverſus
,, hoſtem ducere cum Imperatore contendentem, & diſſidentem. Atque ob hanc cauſſam au-
,, lam totam commutat, aliis morte prius ſubductis, ac de medio ſublatis, aliis ſubmotis,
,, & expulſis &c. ,, Quos vero Julianus ad ſe pertrahere non potuit, juſſiſſe, ut militia ab-
ſcederent ; etſi poſt aliquos redire ad caſtra, illæſa religione, paſſus ſit. Vide *Gregor. ibi.*
pag. 75. *ſeqq.* & Socratem *lib.* IV. *cap.* 1. *pag.* 214. *edit. Cantabrig.* Itaque jam uſque ab
eo tempore, quo excedere e caſtris eos, qui Diis non ſacrificarent, præceperat, plenam
fuiſſe Ethnicorum militiam. Quamobrem Jovianum, cum potitus imperio eſt, dixiſſe, nolle
ſe exercitum ſacrificiis pollutum ducere. Adeundi Rufinus *lib.* II. *hiſt. cap.* 1. *pag.* 231.
Socrates *lib.* III. *cap.* XXII. *pag.* 199. Inermes igitur Chriſtianos, non potuiſſe armato
hoſti reſiſtere. At ſi initio, cum armati Chriſtiani erant, tentaſſet Julianus, non obſcure
indicat s. Gregorius, venturum magnum in periculum Juliani imperium fuiſſe. Quemadmo-
dum

temporis, inſequentiſque ſcriptorum, quam conjecturis confirmant . Jam vero, qui parte Imperii multare quemquam auctoritate ſibi divinitus data poteſt , eum item privare principem poſſe univerſo , quo potitur , imperio .

Non morari ſe , quæ Boſſuetius idem (1) , Natalis Alexander (2) , & Dupinius (3) opponunt , non potuiſſe nempe Gregorium id jure agere , quod ſibi eſſet negatum a Chriſto. Neque enim id ab ſe in quæſtionem vocari: potuerit ne Gregorius II. an non potuerit ; ſed utrum exemplum ullum ante Gregorium VII. extet , quod multatos Eccleſiæ poteſtate regno aliquando fuiſse Imperatores oſtendat . Quamobrem adverſarios ſibi minime conſtare . Quum enim quæritur , potuerit ne Gregorius jure in Henricum agere , negant potuiſſe , quod exemplum afferri ad eam poteſtatem demonſtrandam poſſit nullum ; ubi vero exempla afferuntur , hæc vera eſse inficiantur , quia , Pontifices eam ſibi arrogare nequiviſſe auctoritatem, qua carerent , putant . Quæ circuitio ſi quid efficeret , id ſane efficeret , ne Gregorium quidem ſeptimum in Henricum animadvertiſſe , ut qui , auctore Boſſuetio , vacaret poteſtate animadvertendi in Imperatorem . Qua re quid dici poteſt abſurdius ? Noſtri hoc ſe in præſentia eſſe contentos , ajunt , ab Gregorio II. factum fuiſſe , quod exemplo eſſe Gregorio VII. ad reprimendum Henricum poſſet .

Subdunt , paullo propius ad propoſitum noſtrum accedere , quod Boſſuetius , ceterique opinionis ejuſdem propugnatores ex Gregorii ſecundi litteris repetunt : *non*

„ cum didiciſſet Gregorius Papa , tributa Romanæ Urbis prohibuit ,& Italiæ ... Sane Gre„ gorius ſanctiſſimus Præſul Romanus , quemadmodum prædixi .... Leonem per Epiſtolas „ tamquam impie agentem redarguens , & Romam cum tota Italia ab illius imperio recede„ re faciens „ . Eadem fere ſcribunt Sigebertus , Otho Friſingenſis , Goteſridus Viterbienſis , Martinus Polonus , Albertus Abbas Stadenſis , Vincentius Beluacenſis , S. Antoninus , aliique , quos laudat Bianeus *lib.* II. *della Poteſtà indiretta della Chieſa* §. XVI. *p.*382. *ſeqq.*

1 Boſſuetius *part.* I. *lib.* II. *cap.* XII. *ſeqq. pag.* 213. *ſeqq.*

2 Natalis Alexander *ſec.* VIII. *diſſert.* I. *pag.*273. *tom.* V. *edit. Par.ſ. an.* 1699.

3 Dupinius *tract. de antiqu Eccl. diſcipl. diſſ.* VII. *pag.*508. *ſeqq. edit. an.*1686 Contra pugnat acriter Joſephus Auguſtinus Orſius vir erudititiſſimus , & beneficio Benedict. XIV P.M. S. Palatii Apoſtolici Magiſter in ea diſputatione , quam Italico ſermone edidit ſcripſitque *del dominio temporale della Chieſa c.*1. *pag.*1. *ſeq. edit. an.*1742. quam quidem Diſputationem perſcripſit , ut illuſtriſſimo viro Joſepho Thunnio Epiſcopo Gurcenſi morem gereret , recitavitque in Academia Thunniana Romæ an. 1742.

habere Pontificem introſpiciendi in palatia, deferendique dignitates regias poteſtatem. Sic enim argumentari Boſſuetium: ſi Gregorius regni parte privaſſet Leonem, facta Gregorii cum dictis pugnaſſent. At non ignorare Boſſuetium, eſſe noſtrum omnino neminem, qui Pontifici jus directum in *temporalia*, quæ vocant, Regum concedendum putet, Gregorii autem non de *ſpiritali* jure, ſed de *temporali*, quo Pontifex caret, intelligi oportere ſententiam. Quare non fuiſſe ab eo ſibi, ſucceſſoribuſque ademtam animadvertendi poteſtatem in Reges, qui religionem orthodoxam evertere conarentur, eoſque aut diminuendi parte regni, aut declarandi indignos, adeoque privatos imperio; ſed negatum, ſummo ſacrorum præſidi jus Reges conſtituendi, eoſque quaſi ſupremus mundi dominus ſit, pellendi ex regno competere (1). Nihil igitur proficere Boſſuetium hoc Gregorii II. loco.

At Paulus Diaconus (2), & Anaſtaſius Bibliothecarius (3), inquiunt adverſarii, hujuſce ſive *privationis*, ſive depoſitionis non meminerunt. Immo vero, cum a Venetis, Longobardis, aliiſque ægerrime latam Leonis Iſaurici improbitatem fuiſſe, deque novo Imperatore conſtituendo cogitatum, ſcribant, tum addunt, curatum ab Gregorio fuiſſe, ne quid ſimile ageretur. Quaſi vero Romani negent, rem initio, ita ut Anaſtaſius, Pauluſque teſtantur, fuiſſe geſtam

1 „ Non ſunt Imperatorum dogmata, ſed Pontificum, quoniam Chriſti ſenſum nos habemus. Alia eſt Eccleſiaſticarum Conſtitutionum inſtitutio, & alius ſenſus ſecularium in adminiſtrationibus ſeculi: militarem, ac ineptum, quem habes ſenſum, & craſſum, in ſpiritualibus dogmatum adminiſtrationibus habere non potes. Et ecce tibi Palatii, & Eccleſiarum ſcribo diſcrimen Imperatorum, & Pontificum: agnoſce illud, & ſalvare, nec contentioſus eſto. Si quis a te regia indumenta, purpuram, & diadema capitis, trabeam abſtulerit, & obſequii ordines: futurum eſt, ut ab hominibus turpis, deformis, & abjectus habearis, quem in ſtatum Eccleſias redegiſti: quod enim ipſe non habes, ſanctas Eccleſias ornatu privaſti, deformeſque reddidiſti. Nam quemadmodum Pontifex introſpiciendi palatium poteſtatem non habet, ac dignitates regias deferendi, ſic neque Imperator in Eccleſias introſpiciendi, & electiones in clero paſcendi „. *Greg. II. epiſt. ad Leon. Iſauric. apud Baron. ad an. 726. num. 7.*

2 Paulus Diaconus *De geſt. Lang. l. VI. c. XLIX. p. 506. ſeq. edit. an. 1723. t. 1. ſcr. Rer. Ital.* „ Omnes Ravennæ exercitus, vel Venetiarum talibus juſſibus uno animo reſtiterunt, & niſi eos prohibuiſſet Pontifex, Imperatorem ſuper ſe conſtituere fuiſſent aggreſſi.

3 Anaſtaſius *in vita Greg. II. pag. 69. ſeq. edit. Pariſ. Fabroti an. 1649.* „ Cognita Imperatoris nequitia omnis Italia conſilium iniit, ut ſibi eligerent Imperatorem, & Conſtantinopolim ducerent; ſed compeſcuit tale conſilium Pontifex ſperans converſionem Principis... Sed ne deſiſterent ab amore, vel fide Romani Imperii admonebat.

geſtam , quod ſpes eſſet fore , ut Iſauricus reſipiſceret (1) . Verum quid poſt evenerit , id ſane eſt , quod noſtri quærunt, quodque implicari circuitione verborum a Boſſuetio , Natali Alexandro, atque Dupinio nullo modo poſſe arbitrantur . Ubi enim Gregorius animadvertit,fruſtra omnem ab ſe ſuſceptum laborem eſſe,tunc quod impediendum putarat,ipſe per ſe faciundum exiſtimavit,ne quod religio Catholica in occidente detrimentum caperet . Quod ſi hujus rei prætermiſſa a Paulo , Anaſtaſioque memoria eſt , prætermiſſa quidem certe ab ceteris non fuit,qui & æquales fere temporum illorum, & non minore auctoritate eſſent . Horum autem teſtimoniis , quæ tam ſunt perſpicua , detrahere auctoritatem hac una ratione velle , quod Paulus, Anaſtaſiuſque tacuerint, hominum eſſe videri defendunt noſtri , qui antecœpta opinione ducantur , non amore , atque ſtudio veritatis .

Ac ſi ſeries temporum , rerumque ea ætate geſtarum ordo conſideretur , intelligi profecto nihil perturbate , nihil temere , nihil denique ſcriptum inepte a Theophane , ceteriſque fuiſſe,qui hæc de Gregorio prodiderunt. Anno Imperii decimo Leonem Iſauricum de tollendis ſacris imaginibus legem tuliſſe , litteraſque ad Gregorium dediſſe , quibus ſignificabat , ſi rem gratam ſibi facere , imperialique gratia gaudere vellet , iconas ex Eccleſiis auferri præciperet . His acceptis litteris eodem anno Gregorium duabus epiſtolis reſpondiſſe , quibus adverſarii abutuntur , quibuſque hortatus hominem eſt , ut ſibi caveret , deque rebus ſacris agere deſineret;ſin minus,ſciret, ſibi eſſe communione Eccleſiæ interdicendum. Leonem iratum, Ducibus Exercitus, Exarchoque Ravennæ in mandatis dediſſe, ut Gregorium inſidiis interfici curarent . His intellectis rebus Romanos , Longobardoſque defenſionem Pontificis ſuſcepiſſe , deque conſtituendo Imperatore in occidentis regionibus cogitaſſe (2) . Idque vel exitu anni DCCXXVI. vel initio anni DCCXXVII. eveniſſe. Reſtitiſſe Venetis, Romaniſque Gregorium. Sed cum triennium fruſtra expectaſſet, augerique continenter Impera-

1 Vide Anaſtaſii locum modo deſcriptum .

2 Confer Biancum *lib.* II. *della Poteſtà indiretta della Chieſa* §. XVI. *pag.* 387. *ſeqq.*

peratoris impietatem cognoſſet, anno 730. ſynodum Epiſcoporum convocaviſſe,& damnata hæreſi Iconomachorum, interdictoque ſacris Leone (1), ne quis Italus ei pareret, neu tributa penderet, imperaſſe. Hæc cum diſtincte ab Theophane deſcripta ſint, tum a Paulo Diacono, Anaſtaſioque Bibliothecario implicate, confuſeque comprehenſa litteris fuiſſe, ut vix ulla ab his temporum ratio haberetur, quum iis, quæ ante contigerant, rebus, eas quæ deinceps ſunt geſtæ, conjunxerint, quaſi poſt contigiſſent. Ex quare factum eſſe, ut Antonius (2), & Franciſcus Pagii viri alioqui doctiſſimi a Baronio, qui duas Epiſtolas Gregorii in annum 726. rejecerat, diſſentirent, conjecturaſque afferrent, quibus in annum 730. referendas eſſe oſtenderent. Ac priorem quidem Pagiorum conjecturam eſſe, quod Gregorius Germanum Patriarcham Conſtantinopolitanum pulſum e throno Eccleſiæ indicet, quæ res an. 730. evenit. Alteram quod meminerit mulierum illarum, quas Leo interfici juſſit, propterea quod virum ab Imperatore miſſum, ut imaginem Salvatoris, quæ Antiphonete dicebatur, everteret, necaſſent, quæ res item evenit an. 730. Sed his rebus nihil adverſarios agere, noſtri putant: imprimis, quod Leo (3) an. 326. ad Gregorium indictione x. ut ne Pagius quidem junior negat, de delendis ſacris imaginibus ſcripſerit, quodque Gregogorius reſcribens, in priore epiſtola, quas hactenus receperat ab Imperatore numerarit (4), orſus ab iis, quæ datæ fuerant indictione XIV. quæ an. 716. reſpondet, atque ad eas uſque deſcendens, quæ indict. IX. ſcriptæ erant; quæ nona indictio an. 726. abſoluta eſt. Addit Pontifex: Decem annos recte admini-

1 Biancus *ibid.*

2 Antonius Pagius *Crit. Baron. ad an. 730. num.* VII. & Franciſcus Pagius *Breviar. Rom. Pontif. in vita Gregorii II. pag. 528. ſeq. tom. 1. edit. an. 1717.*

3 Pagius junior *in vita Gregorii II. ibid. pag. 525.* „ Eodem anno ſeptingenteſimo viceſimo ſexto Leonem Auguſtum ad Gregorium Papam ſcripſiſſe, ut ſi Imperialem gratiam „ habere vellet, ſanctorum imagines deponeret, & viciſſim Gregorium II. ad Imperato- „ rem ſcripſiſſe, teſtantur Paulus Diaconus, Anaſtaſius, & Theophanes.

4 Gregorius II. *epiſt.* 1. *apud Baronium ad an. 726. num. 28.* „ Litteras veſtræ a Deo „ cuſtoditæ majeſtatis, ac fraternitatis per Auguſtalem Spatharocandidatum miſſas accepi- „ mus imperante te indictione XIV. ipſius etiam XIV. XV. & I. & II. & III. & IV. & V. & „ VI. & VII. & VIII. & IX. Indictionum acceptas epiſtolas ſuas in ſancta Eccleſia repoſitas, „ in limine confeſſionis ſancti, & glorioſi, ac Principis Apoſtolorum Petri diligenter ſer- „ vamus &c.

adminiſtratum (1)ab Leone imperium,quin uſquam de ſacris imaginibus delendis, evertendiſque legem ullam ſcriberet, tunc vero mutaſſe ſententiam ipſum : *Nunc autem*, inquit, *eas dicis idolorum locum implere*. Scripſiſſe igitur Gregorium priorem Epiſtolam decimo imperii Leonis anno, qui 726. æræ Chriſtianorum annus fuit. Præterea nullam eſſe iis in litteris Gregorii de negotio Exarcho,ducibuſque ab Leone dato,ut ipſum Pontificem interficerent, deque Venetis,Romaniſque minantibus bellum, electioneque novi Imperatoris commemoratio, quæ ſane prætermiſſa minime fuiſſet, ſi an. 730. ſcriptæ fuiſſent. Falſum autem eſſe, ajunt noſtri, quod Pagii de Germano,cum Gregorius ſcriberet, e ſede Patriarchali dejecto animadvertunt. Neque enim quidquam aliud Pontificem queri, quam quod Leo auſcultare Germano recuſaſſet. Sed hinc non eſſe conſequens, pulſum continuo fuiſſe Germanum. Immo vero ſi pulſus fuiſſet, id quidem Gregorium numquam fuiſſe prætermiſſum. Quid? ſi ſubdat, ſpoliata ab Imperatore fuiſſe templa, quin Germani in Conſtantinopolitana ſede agenti habendam (2) rationem putaſſet, viro & ſeni, & perito Eccleſiaſticarum rerum? An hæc ille ſcribere an. 730. potuiſſet, cum pulſus Germanus e ſede eſſet? Quod ad alteram conjecturam attinet, errare item Pagios vehementer. Non enim ſe Stephano Monacho, qui ſeculo poſt Gregorium ſcripſit, quam Gregorio ipſi aſſentiri malle. Gregorium autem, qui an. 726. litteras dederit, hiſtoriam mulierum juſſu Leonis interfectarum, niſi eodem anno contigiſſet, deſcribere nequiviſſe. Quinetiam ita rem narrare Gregorium, ut ſignificet interfectas mulieres fuiſſe, antequam Ravenna (3) capta a Longobardis eſſet. Captam

1 „ Decem annis Dei benignitate recte ambulaſti, neque ſacrarum Imaginum mentio-
„ nem feciſti, nunc autem eas dicis idolorum locum implere, atque illos, qui eas veneran-
„ tur, idololatras eſſe &c. Greg. *ibid.*

2 „ Tu Eccleſias Dei denudaſti, quas ſancti Patres conveſtiverant, & ornarant, tu ſpo-
„ liaſti, atque denudaſti, TAMETSI TALEM HABEAS PONTIFICEM, DOMINUM INQUAM
„ GERMANUM, FRATREM NOSTRUM, ET COMMINISTRUM. Hujus debebas, tamquam Patris
„ ac doctoris, & tamquam ſenioris, multaque rerum cum Eccleſiaſticarum, cum civilium
„ experientia pollentis conſiliis obtemperare. *Greg. epiſt. 1. ibid.*

3 „ Cum vero didicerunt, certioreſque ſunt facti te Jovinum Spatharocandidatum ad
„ Chalcopratia miſiſſe ad evertendum, & confringendum Salvatorem, qui appellatur Anti-
„ phonetes &c. adſtantibus utilibus viris Romanis,& ex Francia, ex Wandalia, ex Gothia,&
„ ut

Captam autem Ravennam fuiſſe non an. 725. neque poſt annum 726. Non anno 725. ut Bachinus in adnotationibus ad Agnelli Pontifices Ravennatenſes (1) ſcripſit, propterea quod nondum Leo de abolendis imaginibus ſacris quidquam ſtatuiſſet; cum tamen expugnatam a Liutprando Ravennam conſtet fuiſſe, ut injuriam ab Imperatore Eccleſiæ factam ulciſceretur (2). Nec anno 727. quod, dum capta Ravenna ab Longobardis eſt, Paulus Patricius Exarchus eſſet, quem anno (3) 725. Leo in Italiam miſerat, quique poſt, recupe-

„ ut generatim dicam ex toto interiori occidente. Cum autem advenissent, & in ſuis regio-
„ nibus ſinguli generalia tua, puerilia que facta narraſſent, tunc projecta laureata tua con-
„ culcarunt, & faciem tuam conciderunt, ac delectu habito Longobardi, & Sarmatæ, ce-
„ terique qui ad ſeptentrionem habitant, miſeram Decapolim incurſionibus infeſtarunt,
„ ipſamque Metropolim Ravennam occuparunt, & ejectis magiſtratibus tuis &c. *Epiſt.* 1. *Greg. II. ibid.*

1 *Excurſu chronologic. ad acta Pontif. Ravennatum* Agnel. *n.* 1I. *pag.* 167. *tom.* 1I. *ſcriptor. rer. Italicar. edit. Muratorii.*

2 Vide *locum Gregorii II. ſupra pag.* 213. *not.* 3. *hujuſce libri.*

3 Anaſtaſius Bibliothecarius *in vita Gregorii II. p.* 68. *edit. Pariſ. Fabroti an.* 1648.
„ Rex Longobardorum Luitprandus generali motione facta, Ravennam progreſſus eſt, at-
„ que illam obſedit per dies aliquot, & caſtrum pervadens, claſſes captas abſtulit plures,
„ & opes abſtulit innumeras. Poſt aliquot dies Baſilius dux, Jordanes Chartularius, & Jo-
„ hannes Subdiaconus cognomento Lurion conſilium inierunt, ut Pontificem interficerent ...
„ ſed tempus invenire non potuerunt ... *Poſtmodum* Paulus Patricius, & Exarchus miſſus in
„ Italiam eſt, qui denuo, ut hoc ſcelus perficerent, meditabantur ... Denuo Paulus Patri-
„ cius ad perficiendum tale ſcelus, quos ſeducere potuit ex Ravenna cum ſuo comite, atque
„ ex caſtris aliquos miſit. Sed motis Romanis, atque undique Longobardis pro defenſione
„ Pontificis in Salario ponte Spoletini, atque hinc inde duces Longobardorum circumdan-
„ tes Romanorum fines hoc præpedierunt. Juſſionibus itaque poſtmodum miſſis decreverat
„ Imperator, ut nulla imago cujuslibet ſancti, aut Martyris, aut Angeli ubicumque habere-
„ tur, maledicta enim omnia aſſerebat, & ſi acquieſceret in hoc Pontifex gratiam Impera-
„ toris haberet, & ſi hoc fieri præpediret, a ſuo gradu decideret. Reſpiciens ergo pius
„ vir profanam Principis juſſionem, jam contra Imperatorem, quaſi contra hoſtem ſe ar-
„ mavit, renuens hæreſim ejus, ſcribens ubicumque cavere ſe Chriſtianos, eo quod orta
„ fuiſſet impietas talis. Itaque permoti omnes Pentapolenſes, atque Venetiarum exercitus
„ contra Imperatoris juſſionem reſtiterunt, dicentes, numquam ſe in ejuſdem Pontificis
„ condeſcendere necem, ſed pro ejus defenſione viriliter decertare ... Cognita vero Impera-
„ toris nequitia, omnis Italia conſilium iniit, ut ſibi eligerent Imperatorem, & Conſtan-
„ tinopolim ducerent, ſed compeſcuit tale conſilium Pontifex, ſperans converſionem Princi-
„ pis. Ipſis interea diebus Exhilaratus dux Neapolis ... cum filio ſuo Adriano Campaniæ
„ partes tenuit, ſeducens populum, ut obedirent Imperatori, & occiderent Pontificem.
„ Tunc Romani omnes eum ſequuti comprehenderunt, & cum filio ſuo interfecerunt. Poſt
„ hunc & Petrum ducem, dicentem contra Pontificem Imperatori ſcripſiſſe, turbaverunt.
„ Igitur diſſenſione facta in partibus Ravennæ ... Paulum Patricium occiderunt ... Poſt
„ aliquod vero tempus Eutychium Patricium Eunuchum, qui dudum Exarchus fuerat,
„ Neapolim miſit Imperator, ut illud, quod Hexarchus Paulus, Spatharii quoque &c. ...
„ facere nequiverunt, perficeret ille ... Verum eumdem anathematizaverunt Eutychium
„ Exarchum ... Sed (Gregorius) ne deſiſterent ab amore, vel fide Romani Imperii ad-
„ monebat .. Eodem tempore Indict. XI. dolo ab Longobardis pervaſum eſt Sutrienſe Ca-
„ ſtel-

cuperata Venetorum auxiliis urbe, quum id eniteretur, ut edicta Imperatoris de ſacris Iconibus ſervarentur, ſeditione populi Ravennatis comprehenſus, atque interfectus (1) fuit. Id vero contigiſſe anno 727. quo Pauli loco Eunuchum (2) Eutychium impium, ſceleratumque virum Ravennam Imperator miſit, eique in mandatis dedit, ut quæ cœpta a Paulo eſſent, perficeret. Quare anno 726. Ravennam ab Longobardis expugnatam fuiſſe. Atque ſic porro diſputant. Anaſtaſius (3), ubi ordine Ravennæ caſum, ac reſtitutionem, mortem Pauli, & adventum Eutychii in Italiam deſcripſit, occupatum dolis Sutrium ab Longobardis indictione XI, quæ in annum 728. incidit, & Indictione XII. quæ deſiit an. 729. cometen in cælo viſum, narravit. Ex qua re cognoſcitur, diu ante annum 728. auctore Anaſtaſio, Ravennam in Longobardorum ditionem veniſſe; cumque reſtituta Venetorum ope an. 727. fuerit Imperatori, an. 726. a Liutprando fuiſſe expugnatam. Non eſſe igitur audiendum Stephanum Monachum in aliud tempus Martyrium fortiſſimarum mulierum referentem, quæ Salvatoris imaginem Antiphoneten appellatam, defenderant; cum Gregorius, qui ea ætate & pontificatum Romanæ Eccleſiæ obtinebat, & litteras ad Imperatorem dabat, prodiderit, hoc, aliiſque flagitiis Leonis, permotos

„ ſtellum, quod centum quadraginta dies ab eiſdem Longobardis poſſeſſum eſt... Eo autem tempore Indict. XII. menſe Ianuario per decem, & amplius dies ſtella, quæ antiſer vocitatur, cum radiis in Cæli apparuit occiduo, cujus radii partes Aquilonis reſpiciebant, & uſque ad medium Cælum ſe extendebant &c „. Ludovicus Antonius Muratorius in *Annalib. Ital. ad an. 726.* carere nos ſcribit non ſolum litteris, quas Leo ad Gregorium dedit, ſed etiam iis, quas Gregorius ad Leonem. Sed cur illæ ab Gregorio datæ hoc anno non ſint, quas a Baronio referri diximus, ne conjecturam quidem affert. Nos igitur dejici de ſententia numquam patiemur niſi argumentis, quod voluit, demonſtretur. Nam quod addit *ad an. 727. pag.* 250. *tom.* IV. *edit. Veneta*, neque Pagio fortaſſe, qui an. 730. neque Baronio, qui an. 726. ſcriptas cenſet, adjungendam auctoritatem eſſe; quoniam dicit, nec probat, nihili pendimus. Fatetur idem Muratorius, poſt edicta Leonis de imaginibus, & juſſum Exarchum, ut Pontificem interimeret, & obſeſſam Ravennam, & geſta, quæ deinceps narrantur ab Anaſtaſio. Non repugnat Joſephus Auguſtinus Orſius Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter Ord. Præd. vir ſane doctiſſimus, quamquam Pagium ſequutus eſt, qui Epiſtolas Gregorii, quas Baronius in an. 726. retulit, in annum 730. rejecit. Qua in re viro equidem tanto, & magiſtro meo haud aſſentior. *Tract. della orig. del dominio, e della Sovranità de' Romani Pontefici ſopra gli ſtati loro temporalmente ſoggetti c. 1. pag.* 11. *edit. Rom. an.* 1742.

1 Vide Muratorium *ibid. pag.* 251.

2 Confer locum Anaſtaſii ſupra deſcriptum, & Muratorium *ibid. pag.* 253. *ſeq.* Sed hæc refert ad an. 728.

3 Murat. *ibid. pag.* 254.

motos Longobardos fuiſſe, ut provincias Populi Romani vaſtarent, Ravennamque in poteſtatem redigerent; quod anno 726. eveniſſe demonſtratum eſt, qui annus decimus imperii Leonis fuit.

Labuntur præterea, qui Pagios errantes conſectati, deſerendos exiſtimant, dum edicta de tollendis imaginibus propoſita anno 726. fuiſſe ſcribunt. Nam edicta publicata fuiſſe ante expugnatam ab Longobardis Ravennam conſtat. Ravennam autem anno 726. captam diximus. Sequitur ergo edicta fuiſſe propoſita ante ſeptingenteſimum vigeſimum ac ſeptimum æræ Chriſtianorum annum. Quamobrem qui anno 730. & lata, & vulgata cenſent, næ hi vehementer errant (1).

Eſt vero, ne gravius dicamus, ridiculum, quod Natalis Alexander, Boſſuetiuſque (2) animadvertunt, ſcriptoribus Græcis, quales (3) Theophanes, Cedrenus, iique, quo-

1 Vide Biancum *lib.* II. *della Poteſtà indiretta* §. XVI. *pag.* 394.

2 Boſſuetius *ibid. lib.* II. *cap.* XVII. *pag.* 221.

3 Etſi daremus nullum omnino latinum ſcriptorem nobis præiviſſe, tamen firma conſtaret noſtra Græcorum ſcriptorum auctoritate ſententia. Ac præter Græcos nullum eſſe, qui hæc tradiderit, fatentur Orſius *ibid. pag.* 6. & Biancus *ibid. pag.* 398. Sed Anaſtaſius, qui dicitur, quamquam in vitis Pontificum nihil ejuſmodi ſcripſit, in hiſtoria tamen *ad an. Leonis XIII. pag.* 136. *ejuſd. edit. Fabroti*. „ Sane, *inquit*, Gregorius egregius præſul Ro„ manus, quemadmodum prædixi, Anaſtaſium unacum libellis abjecit, Leonem per Epi„ ſtolas tamquam impie agentem redarguens, & Romam cum tota Italia ab ILLIUS IMPE„ RIO RECEDERE FACIENS „. Et paullo ante „ In ſeniori vero Roma Gregorius ſacratiſſimus „ vir Apoſtolicus, & Petri verticis Apoſtolorum confeſſor, verbo, & actu coruſcans, qui „ removit Romam, & Italiam, nec non & omnia tam reipublicæ, quam Eccleſiæ jura in „ Heſperiis ab obedientia Leonis, & Imperii ſub ipſo conſtituti „. At hæc dicent adverſarii a Græcis accepit. Non nego. Verum ſi falſa fuiſſent, ſibi adoptanda non putaſſet. Sed venio ad Græcos. Theophanes *pag.* 342. *Chronographiæ edit. Pariſ. Goarii an.* 1655. „ In „ veteri Roma vir undequaque ſacer, & Apoſtolicus Petri Apoſtolorum Coriphæi confeſſor „ eruditione, præclariſque facinoribus clarebat Gregorius, qui Romam atque Italiam, „ totumque occidentem a Leonis obedientia tam civili, quam Eccleſiaſtica, & ab ejus imperio ἀπέστησε *ſubtraxit*. Sic vertit Goarius ſcriptor Gallus. Anaſtaſius vertit, ut modo vidimus: *recedere faciens*. Boſſuetius *pag.* 214. *cap.* XII. vertendum putat ad defectionem perpulit, quod rebellionem indicat, ut Theophani conflet invidiam. Id vero Anaſtaſio numquam venit in mentem. Ac venire quidem non poterat, cum laudari tantopere ab Theophane Pontificem videret. Confer Biancum *ibid. pag.* 399. Cedrenus *in Leon. Iſaur. p.* 453. *edit. Pariſ. an* 1647. ἐν δὲ τῇ ῥώμῃ γρηγόριος ἀποστολικὸς ἀνήρ, καὶ πέτρου τοῦ κορυφαίου σύνθρονος. *In vetere autem Roma Gregorius Apoſtolicus vir, & Petri Coryphæi conſeſſor.* Glycas *Annal. P.* IV. *pag.* 281. *edit. Pariſ. an.* 1660. τότε καὶ γρηγόριος ὁ πάπας ῥώμης γράφει πρὸς τὸν βασιλέα λέοντα περὶ τῶν εἰκόνων, ἀλλὰ τὸν ἀσέβειαν ὁμῆξας μὴ δυνηθεὶς, τοὺς φόρους τῆς ἰταλίας, καὶ ῥώμης ἐκώλυσε δίδοσθαι, πρὸς τὸν βασιλέα, καὶ τὴν ὅλην δὲ χώραν αὐτῶν τῆς ἐξουσίας ταύτης ἀπέστησε. „ Gregorius Papa Romæ ſcripſit ad Leonem „ Re-

quorum eſt paullo ante facta mentio, non eſſe adjungendam fidem, propterea quod inimici Eccleſiæ Romanæ cum eſſent, id omni ope enitebantur, ac contendebant, ut ei quam poſſent, graviſſimam invidiam crearent. Nam ſi incitati odio, malevolentiaque Cedrenus, Zonaras, & Glycas fuiſſent, non laudaſſent Gregorium, ſed reprehendiſſent, quaſi arrogaſſet ſibi, quod Pontifici concedendum non videretur. Dici autem vix poteſt, quam illi optimum Pontificem eo imprimis commendent nomine. Sed ſac Cedrenus, Zonaras, Glycas incitati odio in Eccleſiam Romanam fuerint, ut qui ſchiſma Græcorum ſequerentur, Theophanemne quiſquam male fuiſſe, ob ſchiſma, in Latinos animatum dicet? quod Schiſma tempore primum Photii, qui potitus diu poſt Theophanis mortem Patriarchatu eſt, conflatum fuiſſe liquet. Quo in genere graviſſimus ſane eſt Boſſuetii viri alioqui doctiſſimi error, qui, Michaele Balbo Imperatore, Theophanem Chronographiam ſcripſiſſe putat. Leone enim Armeno Imperatore mortuus eſt confeſſor Theophanes. Itaque ante annum imperii Michaelis Balbi primum, qui ſummam regni obtinuit anno 820. Quo magis miror quid fuerit, quod idem ipſe Boſſuetius Nicolai Pontificis litteris uteretur, quo Græcos inimico ea etate in Latinos animo fuiſſe demonſtraret (1). Nicolaus enim I. litteras ad Gallos dedit, quas adverſarius laudat, an. 867. viceſima tertia octobris die; nam ei anno Indictio I. reſpondet (2). Theophanes autem ante annum 820. deceſſerat. Quemadmodum ergo ex litteris Nicolai I. ad Gallos datis effici poterit, Theophanem male fuiſſe in noſtros homines, imprimiſque in Pontificem Gregorium animatum? Quid? ſi Michaelem Balbum Imperatorem unum atque eumdem hominem ac Michaelem Theodoræ Filium Auguſtum fuiſse Boſſuetius affirmare videatur, ad quem poſtremum Michae-

„ Regem de imaginibus, ſed Æthiopem lavare minime valens, cavit ne Imperatori tributa „ Romæ, atque in Italia ſolverentur Regi, & omnem regionem eorum potentiæ ipſius ſubtra- „ xit „. Quid autem in horum verbis eſt, quod odium, livoremque Græcorum in Pontificem oſtendat? An laudes in conviciis adverſarii numerabunt?

1 Hæc omnia ſimul turbat Boſſuetius *p.* 1. *lib.* II. *cap.* XII. *pag.* 214. ut evincat, Theophanem minus æquum fuiſſe Latinis.

2 *Tomo* VIII. *Concilior. edit. Labbei Pariſ. an.*1671.*pag.* 468. X. *Kal. nov. Ind.* I.

lem aliquot ſunt ab Nicolao ſcriptæ epiſtolæ ? At hoc errore gravior eſſe vix ullus poterit in Hiſtoria . Sed quid multis eſt opus ? Malo certe in Latinos animo, quod ſæpe dixi , litteris quidquam mandatum ab Theophane optimo , ſanctiſſimoque viro numquam concedam . Nam is non ſolum non vituperavit , neque reprehendit ob multatum occidentis imperio Leonem , ſed etiam laudavit Gregorium .

At Theophanes, inquit , accepit ab his, qui commotum fuiſſe Leonem in Gregorium jactabant, propterea quod , ut malevolorum opera in vulgus fama manaverat , tributa Imperatori pendi vetuiſſet. Atque hoc ſenſu intelligi Anaſtaſii in Gregorii vita ſententiam oportere (1) ſtatuit. Qua in re Muratorium video eſſe Boſſuetio conſentientem (2) . Verum hæc non arbitrio ſtatuenda Boſſuetii , Muratoriique ſunt, ſed veteribus monumentis . Nullum autem monumentum vetus producitur , quod præſidio eſſe adverſariis videatur. Namque Anaſtaſii locus , non calumnia dicta hæc adverſus Gregorium , ſed Imperatorem illi ob hanc etiam cauſſam fuiſſe inimicum, indicat , quod caviſſet , ne tributa Itali Hæretico penderent (3) . Quam ſane rem , cum in Hiſtoria veram eſſe confirmet , non eſt cur eſſe in controverſiam revocandam arbitremur . Jam vero quis credat Theophanem , qui fraudes , calumniaſque Leonis accurate conquiſiviſſet , ſcripſiſſetque , in tam gravem errorem incidiſſe , ut Gregorio tribueret , laudique duceret , quæ per ſummam injuriam ſparſa in vulgus ab improbis fuiſſent (4) ? Ac re quidem ipſa demonſtrari poterit , factum id ab Gregorio fuiſſe , quod Boſſuetius factum nollet . Etenim jam uſque ab eo tempore Imperatores Græci hanc imperii partem amiſerunt. Quis vero in cauſſa fuit, cur Itali jugum excuterent Græcorum Imperatorum , niſi is , quem Hiſto-

1 Boſſuetius *lib.* 11. *cap.* XVII. *pag.* 222.

2 Muratorius *ibid.*

3 Anaſtaſius *ibid.* Paulus Exarchus Imperatoris juſſione eumdem Pontificem conabatur in-„ terficere, eo quod cenſum in provincia ponere præpediebat „. Hoc idem fere ſcribit in hiſtoria , ex qua locum ſupra deſcripſimus *pag.* 216. *not.* 3. verumque eſſe confirmat . At accepit ab Theophane , quod in hiſtoria Anaſtaſius dixit . Parvi refert unde acceperit . Certe numquam probaſſet , ſi jactatum ab inimicis , non verum fuiſſe putaſſet .

4 Vide Bianeum *ibid. pag.* 404.

Hiſtorici ejus rei fuiſſe auctorem memoriæ tradiderunt (1)? Dicet fortaſſe: Romanos a Longobardis vexatos, atque oppreſſos, quum deſerti ab Imperatore eſſent, neque Conſtantinopoli auxilia, quibus ſe tuerentur, ſperarent, confugiſſe opportune ad Carolum Martellum in Galliam (2) auxilium poſtulatum. Id vero, noſtri fieri ſine auctoritate Romani Pontificis potuiſſe negant, qui juris jurandi religione, qua ſe obligarant Imperatori, Romanos ſolveret, poteſtatemque implorandi patrocinium Gallorum, ſeſeque in fidem eorum permittendi, daret. Neque enim dici a quoquam orthodoxorum ſine ſumma injuria poſſe putant, defeciſſe (id quod nefas eſſet) ab Imperatore Romanos, ejuſque facinoris Pontificem non hortatorem fuiſſe modo, ſed etiam adjutorem. Ita fieri, ut, cum adverſarii neutrum velint, vel ejus ætatis Hiſtoricorum fidem, diligentiamque deſiderent, vel conjecturis tam levibus uti ſoleant, ut implicari magnopere videantur. Futuros autem aliquos, qui fas eſſe populo cenſeant, de rebus ſacris ſententiam ferre, contraque regem, quem reum eſſe violatæ religionis arbitretur, ad arma concurrere, quin eſſe illius auctoritate, conſenſioneque opus exiſtimet, quem eſſe judicem controverſiarum religionis plane conſtet; inducere ſe animum, ut credant, non poſſe. Nam eſſe & populum ſibi quod ad ſe minime pertineat, ſumturum, & periculum futurum, ne crebræ, pernicioſæque ſeditiones oriantur, quæ non perturbent modo, ſed etiam labefactent rempublicam. Quum igitur exploratum, certumque ſit, populum Romanum, magnamque partem incolas Italiæ (propterea quod Leonem, deincepſque Conſtan-

1 Confer Biancum *ibid.*

2 Monachi Benedictini in indice chronologico *tom.* III. *ſcript. rer. Gallic. & Franc. edit. an.* 1741. *ad an.* 741. *pag.* xc. „ Gregorius Romanus Pontifex, inquiunt, ad Carolum „ claves s. ſepulcri cum vinculis s. Petri, & magnis muneribus mittit, ei conſulatum pro- „ mittens, ſi Eccleſiam Romanam a Longobardorum crudelitate liberaret, & ab eorum par- „ tibus recederet. Carolus ſummi Pontificis legatos honorifice ſuſcipit, ad eumque cum „ multis muneribus Sigobertum Abbatem s. Dionyſii, & Grimonem Abbatem Corbejenſem „ mittit „. Confer *Chronicon s. Dionyſii lib.* v. *pag.* 312. *tom. eod. Chronicon breve ex Biblioth. Thuani ad an.* 741. *ibid. pag.* 366. *Annales Francorum Ludovici du Four ibid. pag.* 703. Epiſtolas Gregorii III. ad Carolum apud Sirmondum *tom.* I. *Concilior. Galliæ pag.* 525. *&* 527. *& tom.* IV. *ſcript. rer. Gallicarum, & Francicar. pag.* 92. *ſeq. edit. Monach. s. Mauri an.* 1741. ſcriptoreſque, quos laudat Biancus *ibid. pag.* 405.

ſtantinum Copronymum in hæreſim incidiſſe, bellumque ſacris imaginibus intuliſſe, viderent) imperata facere recuſaſſe (1), ſeque Pontifici tradidiſſe in poteſtatem, atque ab Gallis Regibus auxilia poſtulaſſe, qui pulſis deinde Longobardis Romanum principatum, Exarchatum, Provinciam Æmiliam, urbeſque aliquot, quæ ante Græcorum Imperio ſubjectæ fuerant, reſtituerunt; aut hæc omnia in defectionibus, latrociniiſque numeranda eſſe, putandum; aut jus eſſe populo principem religionis reum deſerere, aut denique cives religione juris jurandi, auctoritate Pontificis, ſolutos, nova imperia quæſiſſe. Cum primum, alterumque nolint, tertium ſaltem concedere adverſarios oportere. Atque oſtendiſſe quidem Gregorium II. Pontificem Maximum, quæ ſibi in hoc genere data divinitus poteſtas eſſet, cum initio iratos, ægreque impietatem Imperatoris ferentes Romanos, Venetoſque repreſſerit, coegeritque, ne, quod cogitarant, novum Imperatorem deligerent, ut qui ſperaret, Leonem errandi, ſæviendique finem facturum; at ubi nihil ab ſe agi animadvertit, facultatem eis agendi dederit, quod eſſe opportunum, frugiferumque Italiæ judicaſſent (2).

Atqui decretum nullum Gregorii Scriptores Latini, Græcive commemorant, ex quo intelligi poſſit, auctoritate Pontificis, fuiſſe Leonem parte imperii diminutum. Quinetiam ne ſuſpicari quidem ſe poſſe, adverſarii ſcribunt, cur violotæ religionis cauſſa Italiæ principatu Iconoclaſta Imperator exciderit, Siciliæ autem, ceterarumque regionum non item.

Noſtri, eſſe pleraque ab Hiſtoricis commemorata, reſpondent, quæ auctoritate Regum, Pontificumque ſancita, atque perfecta fuerunt, quin decretorum, quibus ſancita (3), perfectaque ſint, facta uſquam fuerit ab iiſdem ſcriptoribus mentio. Neminem autem eſſe, qui ea in dubium revocanda putet. Nam quod acta perierint Conciliorum

1 Adeundus Orſius *tract. della Origine del Dominio, e della Sovranità de' Romani Pontefici ſopra gli ſtati loro temporalmente ſoggetti cap.* 1. *ſeqq. pag.* 1. *ſeqq. edit. an.* 1742. qui rem veteribus documentis egregie confirmat.

2 Vide Anaſtaſii locum, quem ſupra deſcripſimus, & Theophanis, Cedreni, Glycæ, atque Zonaræ, quæ item paullo ante dedimus, teſtimonia.

3 Anaſtaſ. *ibid. pag.* 69. & de Gregbrio III. *ibid. pag.* 72.

rum Romanorum, quæ Gregorio II. & Gregorio III. Pontificibus adverſus Iconoclaſtas habita ſunt; concilia eadem convocata non fuiſſe, quis eſt, qui defendat novorum hiſtoricorum? Cum autem nemo ſit, nihil profecto eſſe cur quiſquam ſtatuto Gregorii Romanos libertatem recuperaſſe, veniſſeque in Pontificum poteſtatem, neget. Multa eſſe generis ejuſdem (1) quæ a noſtris ſcriptoribus animadverſa cum ſint, non eſt. neceſſe, ut huc eſſe transferenda putem. Quod parte Imperii diminutus, non univerſo privatus regno Leo Iſauricus fuerit, mirabile adverſariis quidem videri poſſe, iis autem, qui antecœptis, præjudicatiſque opinionibus minime ducantur, non poſſe. Nec enim principem dejiciendum a Pontifice de dignitate, & gradu eſſe, ſi idem proſpiciat Pontifex ſuam ſive declarationem, ſive conſtitutionem, aut ſecundum exitum non habituram, aut ob potentiam tyranni, perniciosam Eccleſiæ, reipublicæque futuram. Quid namque commodi, ſi nihil profecerit, Pontifex capiet? Exercitus autem in Oriente & fortes, & copioſos fuiſſe, ex quibus (ſi quid eſſet actum, quod Leoni minime placeret) vehementer eſſet noſtris Catholicis metuendum. Siciliam, Italiæque partem, quam Græci moderabantur, ſine majore incommodo, ac periculo & religionis, & civitatum deripi de Auguſti Iconoclaſtæ imperio nequiviſſe. Accipiendum igitur fuiſſe, quod retineri tuto poſſe videretur. Cetera in aliud tempus differenda, cum ſpes ſeſe rei bene gerendæ oſtentaviſſet. Id vero factum (2) deinceps fuiſſe, cum Exarchatus, urbeſque aliquot, auxiliis Francorum, redactæ fuerint in Pontificum poteſtatem.

Sed habere ſe Boſſuetius & illuſtre, & ſatis grave monumentum cenſet, ex quo poſt Gregorium II. ſubjectos Imperatori Græcorum Romanos fuiſſe demonſtrari, atque effici plane poſſit. Reperiri namque Epiſtolam Gregorii III. Pontificis Maximi, dicit, inque extrema epiſtola annorum (3) Leo-

1 Biancus *ibid. pag.* 406. *ſeqq.*

2 Biancus *ibid. pag.* 407. *ſeqq.*

3 Apud Labbeum *tom.* VIII. *Concilior. pag.* 396. *edit. Veneta.* „ Kalendis Martii imperante Domino piiſſimo Conſtantino a Deo coronato Imperatore an. 38. poſt ejus conſulatum an. 18. Sed & Leone majore Imperatore ejus filio *an.* IV. *Indict.* X.

Leonis, quaſi ſummam imperii teneret, fit mentio. Non enim fieri potuiſſe exiſtimat, ut Romanis in libertatem adductis, notæ temporum repeterentur ex annis Principum, qui nihil obtinerent in majore parte Italiæ poteſtatis. Itaque Baronium (1) exagitat, quaſi oſcitans hallucinatus ſit, quod ad hæc animum advertere neglexiſſet.

Rem noſtri contra eſſe, ac Boſſuetius (2) cenſeat, arbitrantur. Ex notis enim temporum, quæ litteris Pontificum ſubjici conſuerant, concludi nullo modo poſſe, dominatione ulla, imperiove potitum fuiſſe Gregorii I. tempore Leonem Romæ. Gregorii namque ſecundi, tum Zachariæ, deinde Stephani ſecundi, ac tertii ætate poteſtatis in Italia Græcos Imperatores multo habuiſſe minus. Id non Anaſtaſii auctoritate modo conſtare, ſed etiam conſenſione (3) Hiſtoricorum. At Epiſtolis eorumdem Pontificum nota ſubjici temporis ex annis petita eorum, qui tenebant Orientis (4) imperium. Quamobrem non Baronium, qui nihil vis hujuſmodi notis ineſſe cognovit, ſed Boſſuetium, qui plus ipſis, quam oportebat, tribuerit, eſſe reprehendendum. Notariorum id quidem, ſi modo ſit ullum, peccatum fuiſſe, qui quod uſu invaluerat, ut anni publicis monumentis adſcriberentur Imperatorum, immutandum non putarint. Ergo ut ante fieri conſueverat, cum Imperatores & rebus geſtis, & pietate illuſtres rempublicam moderarentur, ita factum temporibus Gregorii III., Zachariæ, Stephanique tertii fuiſſe, ut Leonis, & Conſtantini Copro-

1 Baron. *ad an. 739. num. 4.*

2 Boſſuetius *ibid. lib. II. cap. XVIII. pag. 223.*

3 Paulus I. *epiſt. VII. ad Pipinum pag. 412. edit. Concil. Labbei Veneta.* „ Significans „ nobis, quod nefandi Græci inimici ſanctæ Dei Eccleſiæ & orthodoxæ fidei expugnatores „ Deo ſibi contrario ſuper nos, & Ravennatium partes irruere cupiunt, atque monitionem „ facere &c. quia ut pleniſſime ſatisfacta eſt veſtra excellentia non ob aliud ipſi nefandiſſimi „ nos perſequantur Græci, niſi propter ſanctam, & orthodoxam fidem, ac venerandorum „ Patrum piam traditionem, quam cupiunt deſtruere, atque conculcare „. Sed ſcriptorum cum Italorum, tum Gallorum teſtimonia collegerunt Juſtus Fontaninus Archiepiſcopus Ancyranus, cujus immortalis memoria ob inſignem doctrinam, & eruditionem ſemper erit, *lib. 1. del Dominio temporale della Chieſa ſopra il ducato di Parma &c. §. V. pag. 9. ſeqq. edit. an. 1720.* Orſius *ibid.* & Bianeus *ibid. pag. 411. ſeqq.*

4 „ Datum nonis Februarii Imperante Domino piiſſimo Auguſto Conſtantino a Deo co- „ ronato magno Imperatore an. 40. poſt Conſulatum ejus an. 20., ſed & Leone Imperato- „ re ejus filio *an. 7. Ind. 11. apud Labbeum ibid. pag. 445.* Vide Biancum *ibid. 413.*

pronymi anni in diplomatibus notarentur, iidemque etſi tot epiſcoporum conſenſu in ſynodis Romanis a Pontifice propter hæreſim damnati, nihilominus *piiſſimi* appellarentur. Piiſſimos autem fuiſſe a Pontificibus hæreticos vocatos, non vero imprudentia, imperitiaque Notariorum, qui credat, futurum omnino neminem. Atque nos ſcilicet tam fuiſſe Leonem, & Conſtantinum, Gregorio II. Pontifice, Principes Romanorum fateri, quam fuiſſe eoſdem *pios* Boſſuetius arbitratur.

Negant deinde noſtri Conſtantinum Copronymum nulla fuiſſe diminutum Imperii parte. Exarchatum enim eodem Imperatore redactum in Romanorum Pontificum poteſtatem fuiſſe, idque veteribus monumentis conſtare (1).

Ve-

1 Eo quidem tempore, quo Gregorius III. Pontificatum obtinebat, Romanos Pontifici paruiſſe conſtat. Continuator enim Fredegarii *inter opp. Greg. Turon. edit. Ruinartii an.* 1609. hæc habet *ad an.* 741. „ Eo tempore bis a Roma Sede ſancti Petri Apoſtoli bea„ tus Papa Gregorius claves venerandi ſepulcri cum vinculis s. Petri, & muneribus ma„ gnis, & infinitis, legationem, quod antea nullis auditis, aut viſis temporibus fuit, me„ morato Principi deſtinavit; eo pacto patrato, UT A PARTIBUS IMPERATORIS RECEDERET, „ ET ROMANUM CONSULATUM PRÆFATO PRINCIPI CAROLO SANCIRET „. Annales Metenſes *ad an.* 741. *pag.* 271. *tom.* III. *hiſt. Franc. ſcriptor edit. Ducheſnii an.* 1641. de Romanis ſic habent. „ Epiſtolam quoque decreto Romanorum principum ſibi prædictus Præſul „ Gregorius miſerat, quod ſeſe populus Romanus, RELICTA IMPERATORIS DOMINATIONE, „ ad ſuam dominationem, & invictam clementiam convertere voluiſſet „. Quamobrem errat Cointius *qui tom.* v. *Annal. Francor. an.* 741. *num.* III. ſcribit Romam ad annum uſque 796. Imperatoribus paruiſſe. Sed contra hunc, qui vitiatum eſſe Continuatoris Fredegarii locum putat, agit accurate Ruinartius ſcriptor item Gallus *in not. ad eumdem locum pag. ead.* Atque vulgatam quidem *continuatoris* lectionem evincit eſſe ſinceram auctor *Annal. Metenſ. l. c.* anno 742. Rurſum in collectione Canonum Cardinalis Deus dedit Victori III. dicata, quæ Romæ MS. ſervatur in Bibliotheca Vaticana, *lib.* I. *cap.* CXC. extat *Gregorii III. Epiſtola data ad omnes Epiſcopos in Tuſcia Longobardorum &c.* quam refert Fontaninus *diſſert. hiſtorica de ſummo Apoſtolicæ Sedis Imperio in Urbem, comitatumque Comacli in append. monum. num.* 1. *pag.* 1. *edit. an.* 1709. & ex qua colligitur, Romanos anno DCCXL. dediſſe ſe Pontifici in poteſtatem. Adeundus Fontaninus *ibid. pag.* 2. Zacharia Pontifice multo minus Græcis Imperatoribus ſubjecti Romani erant. Confer Anaſtaſium *in Vit. Zachar. pag.* 75. *edit. ejuſd.* & e novis Fontaninum *ejuſdem diſſert. hiſt. n.* CV. *p* 78. Biancum *ibid. p.* 409. Hoc idem magis magiſque ex actis Stephani III. Pont. conſtat. Cum enim armis Aiſtulphi Regis Longobardorum opprimeretur, qui Aiſtulphus in oppida Eccleſiæ, Ducatumque Romanum invaſerat, Romamque in poteſtatem redigere conabatur, Stephanus ad Pipinum Regem Gallorum confugit, eumque obſecravit, ut Eccleſiæ Romanæ defenſionem ſuſciperet. Anaſtaſ. *in vit. Steph. III. pag.* 83. *ſeqq. edit. ejuſd.* Pipinus Pontifici morem gerens, in anguſtiis Algium cum Aiſtulpho conflixit „ victoque Longobardo, huic præcepiſſe, ut Urbes Eccleſiæ reſtitueret, Ravennamque cum pluribus aliis civitatibus ſancto Petro cedere ne recuſaret. *Leo Marſicanus Hoſtienſis dictus lib.* 1. *cap.* VIII. *ſcript. rer. Italic. tom.* IV. *pag.* 272. *edit. Muratorii an.* 1723. „ Ravennam, & viginti alias ci„ vitates „ (an. 754. quo tempore Copronymus imperio potiebatur in oriente) „ ſupradi„ cto Aiſtulpho abſtulit, & ſub jure Apoſtolicæ Sedis redegit. Sed cum promiſſis Aiſtulphus mini-

Veniunt mox ad Childericum Gallorum Regem . Hunc Zachariæ Pontificis auctoritate a ſubditis dejectum de principatu fuiſſe , ejuſque loco Pipinum Caroli magni patrem fuiſſe appellatum Regem pugnant (1). Uſum commode hoc exemplo Gregorium VII. fuiſſe cum de exturbando ex regno Henrico cogitaſſet . Rem enim ab Gallis ſcriptoribus litterarum mandatam (2) monumentis , revocari in controverſiam non poſſe . Johannis Launoii , qui ſeculo ſupe-

minime ſtetiſſet , rurſum Stephanus auxilium Galli imploravit , qui repreſſo Longobardo Rege, Pontifici Exarchatum dedit. *Anaſt. ibid. p.83. ſeqq.* Hujus fœderis cum Gallis a Stephano initi meminit Paulus I. Stephani frater *epiſt. ad Pipinum Regem pag.* 433. *tom.* VIII. *Concilior. edit. Veneta an.*1729. Conſule Fontaninum *ibid. pag.* 78. *ſeq.* Jam vero cum non longe Ticino abeſſet Pipinus , ei obviam Legati Conſtantini Copronymi proceſſerunt , qui Exarchatum Imperatori reſtitui peterent , quibus id ſe ille negavit facturum . *Anaſtaſ. ibid. p.83. ſeqq.* An Exarchatum ſolum petiiſſent, prætermiſſa mentione Romæ, ſi ea ad Imperatorem ea ætate pertinuiſſet ? Credat Judæus Apella , non ego . Hæc cum an. 755. contigerint , ut recte eſt animadverſum a Pagio Juniore *in Brev. vit. Steph. II. num.* 19. quis tam eſt ineptus , qui an. 757. Romæ Copronymum imperio potitum putet ? At litteris Stephani ad Fulradum s. Dionyſii Abbatem adſcribitur nota temporum hoc modo . „ IV. Kal. Martii Im„ perante Domino piiſſimo Conſtantino a Deo coronato Imperatore anno XXXVIII. poſt „ ejus conſulatum anno XVIII. Sed & Leone majore Imperatore ejus filio *an.* IV. *Indict.* X. *tom.* VIII. *Concil. edit. Veneta pag.* 396. Ita ſcilicet ille , cum tamen *epiſt.* IV. ad Pipinum *ibid. pag.* 382. ſcripſiſſet nulla facta mentione Imperatoris . „ Te conjuro , quoniam noſtra , „ & omnes Romanorum Populi animæ poſt Deum , & ejus Principem Apoſtolorum in ſua a „ Deo protecta excellentia , & gente Francorum a Deo tibi commiſſa pendent , quia vobis „ animas omnium noſtrorum Romanorum tradidimus „ . Quid ſi Paulus I. cum intellexiſſet Copronymum id eniti , ut Ravennam recuperaret , litteras eas ad Pipinum dedit , ex quibus locum paullo ante deſcripſimus ? Ipſe in Diplomate , quo privilegia quædam Monaſterio s. Hilarii Ravennæ conceſſit , eam notam temporum adhibuit , quam item ſupra produximus. Sed de diminuto parte Imperii Leone conſule Baronium ad *an.*730. *num.*IV. *ſeq.* Bellarminum *lib.* V. *de Romano Pontifice cap.* VIII. *pag.*442. *tom.* I. *edit. ejuſd.* Schulchenium *ibid. c.* XIII. *pag.*578. *ſeqq.* Charlaſium *lib.* VIII. *de libert. Eccl. Gallic. c.* X. *pag.*39. *ſeqq.* Orſium *ibid. cap.* 1. *pag.* 1. *ſeqq.* Fontaninum *ibid.* & Biancum *ibid.* Mitto ceteros , ne ſim longior , quam oporteat .

1 Vide Notationem ſuperiorem.

2 Annal. Laureshamenſes *ad an.*752. *t.* III. *ſcrip. rer. Gallic. Cheſnii ed. an.*1641. „ Hoc anno „ ſecundum Romani Pontificis ſanctionem Pipinus Rex Francorum appellatus eſt, & ad hujus di„ gnitatem honoris unctus ſacra unctione manu ſanctæ memoriæ Bonifacii Archiepiſc. & Mar„ tyris . . . . elevatus in ſolium regni in civitate Sueſſione : Hildericus vero, qui falſo Regis „ nomine utebatur , tonſo capite in Monaſterium miſſus eſt „ . Annales Loiſeliani ad *a.* 749. 750. *pag.*33. *t.* V. *edit. an.*1744. „ Et Zacharias Papa mandavit, ut melius eſſet, illum Regem „ vocari, qui poteſtatem haberet, quam illum, qui ſine regali poteſtate manebat . . . Per au„ ctoritatem ergo Apoſtolicam juſſit Pipinum Regem fieri . . Pipinus more Francorum ele„ ctus eſt ad Regnum , & unctus per manus ſanctæ memoriæ Bonifacii Archiepiſcopi , & ele„ vatus a Francis in regno ſuo in Sueſſionis civitate „ . Annales Francorum a Pithoeo editi *ad ann.* 752. ut Biancus *ibid. refert.* „ Zacharias Papa ex auctoritate s. Petri Apoſtoli man„ dat populo Francorum , ut Pipinus , qui poteſtate regia utebatur , nominis quoque di„ gnitate frueretur . Ita Hildericus Rex , qui ultimus Merovingorum Francis imperavit , „ depoſitus , & in Monaſterium miſſus eſt . Pipinus vero in civitate Sueſſionum &c. s. Bonifa„ cio Archiepiſcopo in Regem unctus , Regni honore ſublimatus eſt .

ſuperiore adjuncta hæc Eginhardi Hiſtoriæ fuiſſe contenderet, nullius momenti rationes (1) eſſe. Itaque fuiſſe illi ab Charlaſio in libro, quem de Gallicanis libertatibus (2) edidit, cumulatiſſime ſatisfactum. Ab utroque tamen fuiſſe peccatum, quod Annales Laureshamenſes, quos ſane & veteres, & magnæ auctoritatis eſſe cenſent, Eginhardo tribuendos putarint. Quod autem Launojus exiſtimat, Eginhardum, in Caroli Magni vita, cum Annalium Laureshamenſium auctore pugnare, cum ille Stephani Pontificis (3), hic Zachariæ auctoritate tradiderit fuiſſe Childericum regno privatum, leve eſſe. Pipinum bis conſecratum, unctumque fuiſſe Gallorum Regem, ut eſt ſapienter animadverſum a Pagio, primum Zacharia, tum Stephano III. (4) Pontificibus. Itaque nihil eſſe inter Eginhardum, & Hiſtoriæ Laureshamenſis Scriptorem pugnæ. Alterum enim quod Stephanus perfecit, alterum quod cœpit Zacharias, memoriæ tradidiſſe. Etenim ſive anno 752. ſive, ut alii putant, anno 751. (5), quorum quidem poſtremorum ad ſimilitudinem veritatis propius accedere videtur ſententia, Zacharias inungendum Gallorum Regem Pipinum ſanxit, obiiſſe certe eumdem Pontificem quinta, ac decima martii die anno 752. Stephanumque, qui decimo die poſt Pontificatum obtinuit, inſequenti ann. 753. in Galliam profectum, julio menſe anni 754. in Sandionyſiano Cœnobio unxiſſe rurſum, conſecraſſeque Pipinum, ratumque habuiſſe, quod Zacharias de Childerico ſtatuerat. His præſidio eſſeAnonymum Scripto-

1 *Parte* VII. *epiſt.* II. *tom.* V. *opp. pag.* 438. *ſeq. edit. an.* 1731.

2 Antonius Charlaſius *lib.* VII. *cap.* X. *pag.* 39. *ſeqq. tom.* II. *edit. an.* 1720.

3 Eginhardus *in vita Caroli Magni tom.* V. *ſcript. rer. Franc. & Gallicar. edit. Monachor. s. Mauri pag.* 89. „ Gens Merovingorum, de qua Franci Reges ſibi creare ſoliti „ erant, uſque in Childericum Regem, qui juſſu Stephani Romani Pontificis depoſitus, „ ac detonſus, atque in Monaſterium truſus eſt, duraſſe putatur . . . Pipinus autem per au- „ ctoritatem Romani Pontificis ex Præfecto Palatii Rex conſtitutus „. Confer Annales Metenſes *ad an* 754. *pag* 336. *tom.* V. *edit. ejuſd. Rer. Gallic. ſcript.* Anaſtaſius *in vita Stephani III. pag.* 85. *edit. ejuſd.* „ Ordinavit, *ait*, ſecundum morem majorum unctione ſacra „ Pipinum piiſſimum principem Francis in Regem, & Patricium Romanorum, & filios ejus „ duos felici ſucceſſione Karlum, & Carlomannum eodem coronavit honore &c.

4 Vide Blancum *ibid. pag.* 306. & Franciſcum Baldinum virum doctiſſimum *in not. ad vit. Steph. III.* ab Anaſtaſio perſcriptam *tom.* IV. *app. de vit. Pontif. Anaſtaſ. edit. Rom. an.* 1735. *pag.* 239.

5 Confer Baldinum *ibid.*

rem & diligentem,& æqualem temporum illorum,qui utriuſque unctionis, conſecrationiſque mentionem fecit, ut nullus eſſe poſthac videatur de ea (1) re dubitandi locus. Quare Natalem Alexandrum (2) qui Eginhardum accuſet, quaſi novum quidpiam & excogitarit, & monumentis mandarit hiſtoriarum, magno in errore verſari, convincique facile ejus ætatis, qua geſta res fuit, monumentis poſſe. Repelli præterea Natalem teſtimonio Nibelungi (3),qui appendicem ad Hiſtoriam juſſu Childebrandi Avunculi Pipini Regis editam ſcripſit. Accedere autem ad hæc Anonymi (4), cujus eſt paullo ante facta mentio, conſenſionem. Non ergo fabulas ab Eginhardo fuiſſe litterarum mandatas monumentis, qui ſcriptorum ejus ætatis fidem ſequutus, Childericum auctoritate Sedis Apoſtolicæ regno privatum, & Pipinum Regem fuiſſe a Francis ſalutatum confirmavit. Cointium,qui

vitia-

1 Scripſit is auctor an. *767.* ut ipſe teſtatur. Ejus teſtimonium refertur a Mabillonio *de re Diplom.lib.*v.*Tab.*xxII.*pag.*384. *edit. an.*1709.,, Nam ipſe prædictus domnus florentiſſi-
,, mus Pipinus Rex pius per auctoritatem, & imperium ſanctæ recordationis Domini Zacha-
,, riæ Papæ, & unctionem ſancti Chriſmatis per manus beatiſſimorum Sacerdotum Galliarum,
,, & electionem omnium Francorum tribus annis antea in regni ſolio ſublimatus eſt; poſtea
,, per manus ejuſdem Stephani Pontificis die uno in Beatorum prædictorum Martyrum Dio-
,, nyſii, Ruſtici, & Eleutherii Eccleſia. . . in Regem, & patricium una cum prædictis fi-
,, liis Carolo, Carlomanno in nomine s. Trinitatis unctus, & benedictus eſt. . . Et tali om-
,, nes interdicto, & excommunicationis lege conſtrinxit, ut numquam de alterius lumbis Re-
,, gem in ævo præſumant eligere, ſed ex ipſorum, quos divina pietas exaltare dignata eſt,
,, & ſanctorum Apoſtolorum intercesſionibus per manus Vicarii ipſorum beatiſſimi Pontificis
,, confirmare, & conſecrare diſpoſuit.

2 Natalis Alex. *hiſt. ſec.* VIII. *diſſert.* II. *tom.* v.*pag.*737. *ſeqq. edit. Pariſ. an.*1699.

3 Franciſcus Baldinus *in adnot. ad Zach. Pontif. vitam tom.* IV. *opp. Anaſtaſii p.* 224. *edit. an.* 1735. *Rom.*,, *Auctorem Appendicis*, inquit, *ad hiſtoriam juſſu Childebrandi*
,, *conſcriptam, quem fuiſſe Nibelungum prodit hac ſubſcriptio, qua legebatur in codice*
,, *Mſ. D. Petavii*: Uſque nunc inluſter vir Childebrandus comes avunculus prædicti Regis
,, Pipini ſcribi procuravit. Ab hinc ab inluſtre viro Nibelungo filio ipſius Childebrandi,
,, itemque comite ſuccedat auctoritas. *Scribit itaque Nibelungus*: Quievit terra a præliis
,, annis duobus, quo tempore una cum conſilio, & conſenſu omnium Francorum miſſa rela-
,, tione, A SEDE APOSTOLICA AUCTORITATE PERCEPTA, præcelſus Pipinus electione totius
,, Franciæ in Sedem Regni cum conſecratione Epiſcoporum, & ſubjectione principum una
,, cum Bertradane, ut antiquitus ordo depoſcit, ſublimatur in regno,,. Confer Ducheſnium *tom* I. *ſcriptor. Rer. Franc. pag.* 773. *ſeq. edit. an.* 1636. *&* *tom.* II. *ſcript. Rer. Franc. & Gallic. edit. Monach. s. Mauri Pariſ. an.* 1739. *pag.* 460. Servatur hic codex in *Biblioth. Othoboniana*, quam Benedictus XIV. P. M. eruit, inque Bibliothecam Vaticanam transferri juſſit.

4 Vide *notationem ſuperiorem*: *Et rerum Gallicar. & Francic. ſcriptor. tom.* v. *pag.* 9. *edit. Pariſ. Monach. s. Mauri an.* 1744. *Et append. ad hiſt. Reg. Francor. p.* 574. *ex altero cod. Petaviano.*,, Cum Conſilio Francorum, miſſa relatione, Sedis Apoſtolicæ
,, auctoritate percepta, ipſe Pipinus cum conſenſu Francorum, & conſecratione Epiſcopo-

,, rum

vitiatum (1) eſſe Nibelungi locum arbitratur, eorum more agere, qui cum vetera monumenta ſibi adverſari cernant, non codicibus manuſcriptis, non aliis documentis, quorum ſit illuſtris vetuſtas, non denique ulla ratione freti, ſed uno ſuo arbitratu corrupta, atque adeo reprobanda, cenſent.

F ſ 2 Jam

,, rum ſublimatur in regno ,, . Altera appendix ex Ademari Chronico, quæ extat apud Labbeum *tom. 11 Bibl Mſ. pag.* 153. & apud Monachos Bened. s. Mauri *tom. 11. ſcript. Rer. Gall. & Franc. p. 576. ſeqq. ad an.* 751. Dolentes Franci, quia non habebant prudentem ,, Regem, ſed jam permultos annos ſuſtinuerant de regali inſipientes viros, voluerunt elevare in Regem Pipinum Pium, qui noluit adquieſcere, ſed adunatis cunctis primoribus ,, Francorum, ex parte eorum miſit Romæ Burchardum Wirzeburgenſem Epiſcopum, & ,, & Tolradum Capellanum ſuum ad Papam Zachariam, qui ex parte Francorum interrogaverunt de Regibus in Francia, qui propter ſuam amentiam illis temporibus non habebant regalem poteſtatem, ſi bene fuiſſet, an non? Et Zacharias Papa cum conſilio nobilium Romanorum MANDAVIT FRANCIS, UT MELIUS ESSET VOCARI REGEM ILLUM, QUI HABERET PRUDENTIAM, ET POTESTATEM, QUAM ILLUM, QUI SINE REGALI POTESTATE, SOLO NOMINE REX ERAT, ET UT NON CONTURBARETUR ORDO REGALIS, JUSSIT PER AUCTORITATEM APOSTOLICAM PIPINUM FIERI REGEM, QUI ERAT DE SANGUINE REGALI FRANCORUM. Tunc Pipinus Pius filius Karoli Martelli a cunctis Francis unanimiter gaudentibus, electus eſt invitus ad Regem, & unctus per manus s. memoriæ Bonifacii Archiepiſcopi, & elevatus eſt in regnum in Sueſſionis civitate. Childericus vero, qui falſo Rex vocabatur ſolo nomine, tonſuratus eſt, & in Monaſterium miſſus ,, . Annales Tiliani *ibid. ad an. 749. tom. 11. Rer. Franc. & Gallic. ſcript. edit. Monach. s. Mauri pag.* 643. ,, Zacharias Papa per Fuldradum mandavit, ut Pipinus ad Regem levaretur ,, . Maurini ad hunc locum: *Geſta ſunt hac*, inquiunt, *an.* 751. Annales alii Francorum veteres, quorum meminit Lambecius, quod in Vindobonenſi Bibliotheca ſerventur, apud *Mon. s. Mauri tom. eodem Rer. Gall. ſcript. p. 647. ad an. 750. ab Incarnat.* ,, Mittit Pippinus legatos ,, Romam ad Zachariam Papam, ut interrogarent de Regibus Francorum, qui ex ſtirpe regia erant, & Reges appellabantur, nullamque poteſtatem in regno habebant, quod chartæ, & privilegia in nomine eorum conſcribebantur, poteſtatem vero regiam penitus ,, nullam habebant, ſed quod Major domus Francorum volebat, hoc faciebant . . . Zacharias ,, igitur Papa ſecundum AUCTORITATEM APOSTOLICAM AD INTERROGATIONEM EORUM RESPONDIT, MELIUS, ATQUE UTILIUS SIBI VIDERI, ut ille Rex nominaretur, & eſſet, ,, qui poteſtatem in regno habebat, quam ille, qui falſo Rex appellabatur. Mandavit itaque præfatus Pontifex regno, & populo Francorum, ut Pipinus, qui poteſtate regia utebatur, Rex appellaretur, & in Sede Regali conſtitueretur ,, . Annales Moiſſiacenſes *ad ann. 751. ſeqq. tomo eodem ſcriptor. Rer. Gallic. pag.* 656. ,, Pipinus regnum patris totum ,, ſibi vindicat, & per auctoritatem Romani Pontificis ex Præfecto palatii Rex conſtituitur ,, . Chronica Brevis Regum Francorum *tom. eod. ſcriptor. Rer. Franc. & Gall. Monach. s. Mauri pag.* 664. ,, Pipinus Pater Caroli Magni Regnum Francorum ſolus obtinuit, ET ,, PER AUCTORITATEM Zachariæ Papæ, & electionem Francorum inungente Bonifacio Archiepiſcopo Rex factus eſt, Childericum vero, qui ſolus Rex de ſtirpe ſuperiorum Regum remanſerat, regno privatum, clericum effecit ,, . Eadem fere habent Ado in Chronico *ad an. 752. apud eoſdem Monachos tom. eod. pag. 672. Annales Francorum Fuldenſes ad an. 752. pag. 676. Fragment. hiſt. auct. incerti ibid. pag. 694. ad an.* 751. Auctor veteris libelli *de Majoribus domus ex edit. Pithoei apud Ducheſnium tom. 11. pag. 1. & tom. 11. Rer. Franc. ſcript. edit. Monach. s. Mauri pag.* 700. Aliique. Quid vero ſit *auctoritate Pontificis* quemquam Regem dici, ii viderint, qui conſilium a Pontifice petiiſſe Gallos ſcribunt, quidquam autem *auctoritate* Pontificis factum negant.

1 Cointius *Annal. Franc. tom. v. ad an. 752. n. 62. pag.* 360. Conjectura Cointii eſt, quod Anaſtaſius in vita Zachariæ hujus rei haud quaquam meminerit. Ridiculum! Quaſi vero non meminerit in hiſtoria. Sed de hac re alias.

Jam vero ann. 752. vel potius 751. dictum Pipinum Francorum fuiſſe regem, Actis Conciliorum, quæ celebrata in Gallia (1), cum is obtineret principatum, demonſtrari, atque effici plane poſſe. Creatum ergo fuiſſe, unctumque Pontificis juſſu a Bonifacio Moguntino Pipinum Regem, cum ſummum Pontificatum Zacharias adminiſtraret; rurſumque an. 754. (2) una cum filiis a Stephano III. fuiſſe unctum, & conſecratum. Quare ſcriptores Gallos, qui annos ipſos quindecim imperaſſe Pipinum affirmant, exordium epochæ ab ſe conſtitutæ ab unctione ſecunda ſumere; Acta vero Synodorum, hiſtoricoſque ceteros, qui plus annorum numeraverunt, ab eo tempore computandi feciſſe initium, quo Zachariæ auctoritate dictus Rex Francorum, unctuſque Pipinus fuit. Quod ſi in Annalibus Loiſellianis (3) anno 749. miſſos a Francis legatos Romam ad Pontificem fuiſſe legimus, annoque 750. unctum conſenſione, poteſtateque Zachariæ Pipinum regem; diverſitatem quidem notarum temporis nihil obſtare, quo minus vera res ſit, quam tot ſcriptores, tanta & vetuſtate, & diligentia memoriæ prodiderunt. Diverſitatem enim, diſcrepantiamque notarum temporis nihili ab criticis pendi conſueſſe, modo ſit de re geſta, contractaque ſumma omnium Auctorum, monumentorumque conſenſio. Quo reſponſi genere cum adverſarii de itinere S. Petri (4) Romam diſputantes utantur, nullam eſſe cauſſam videri, quamobrem in hac controverſia reprobandum putent. Ac fieri ſane potuiſſe, ut Loiſellianus ſcriptor, quod ſtatutum anno 750. fuit, hoc item anno eodem perfectum arbitraretur. Quamquam fuiſſe aliquos, qui indicatum ab eo tempus non geſtæ, ſed compoſitæ, decretæque rei cenſerent.

Quod ſi qui ſunt ita inſtituti, ut concludi ex Epiſtolis Zachariæ negent poſſe, factum ejus ætate Pipinum fuiſſe

1 „ Concilium Vernenſe Pipini Regis auctoritate celebratum eſt ſub die v. Idus Julias „ an. Chriſti 755. & Pipini Regis anno 4. „ Baldinus *ibid. pag.* 224. Confer Harduini *Concilior. edit. tom.* III. *pag.* 1994.

2 Conſule Baldinum *ibid. pag.* 225.

3 Vide Biancum *ibid. lib.* II. XI. §. *pag.* 310.

4 Vide Natalem *Alex. tom.* I. *ſec.* I. *diſſert.* XIII. *pag.* 149. *edit. an.* 1699.

ſe regem, quod non is modo, ſed etiam Carolus Martellus Pipini pater appellatus ab eodem Pontifice fuerit regis nomine, cum tamen hac tanta careret dignitate; hos, litteras Zachariæ omnes ſi legerint, non modo errare ſe, ubi de Carolo Martello diſputant, cognituros, ſed etiam intellecturos Pipinum ipſum, antequam dictus rex eſſet Francorum, Majorem domus fuiſſe appellatum (1).

Nam eos, qui ſilentio Anaſtaſii Bibliothecarii abutuntur, nihil omnino proficere. Non enim, quæ prætermiſſa ab ipſo ſunt, numeranda continuo in falſis eſſe. Verum ſe hoc argumenti genus minime morari. Per ſe namque, ut adverſarii ad Anaſtaſium confugiant, licere. Hunc enim, quod in Pontificum vitis tacitus prætermiſit, commemoraſſe perſpicue in hiſtoria (2).

At Eginhardus, quæ Carolus Magnus puer geſſerat, ignoravit. Quid ad rem? Fac nutricem (3) non conſuluerit, ut ex ea, quid Carolus infans geſſiſſet, cognoſceret, an dubitandum de maximis rebus eſt, quas a majoribus acceptas poſterorum memoriæ commendavit? His ſe tam levibus conjecturis moveri noſtri non patiuntur. Inania enim eſſe ajunt, ut illa de ſubmiſſa regum barba, quæ Natalis Alexander falſo fuiſſe ab Eginhardo ſcripta defendit, ut fidem homini eſſe in ceteris negandam evinceret. Jam vero etſi vera ſcri-

1 Baldinus *ibid.* „ Primum falſum eſt, Zachariam vocaſſe Regem Francorum Carolum „ Martellum in ulla ex epiſtolis ad Bonifacium datis. Quinimmo aperte novit Pipinum „ pro majore domus, quo titulo eum compellat in epiſtola VII. : domino excellentiſſimo, „ atque Chriſtianiſſimo Pipino majori domus; quamquam in epiſtola III. vocaverat Caro„ lomannum, & Pipinum principes Francorum, ſcilicet honoris cauſſa, utpote filios Caroli „ Martelli majoris domus, quem Gregorius tertius regulum nuncupaverat in epiſt. V. & VI. „ ad eum datis.

2 Anaſtaſius *hiſt. pag.* 140. *edit. Fabroti*. Miſſis rebus, quæ geſtæ in hoc genere a Zacharia fuerant „ Stephanus, inquit, vi preſſus, & crudelitate Aiſtulphi coactus, ſimul „ etiam ab ipſo adhortatus ire in Franciam, & facere quodcumque poſſet, veniens Pipinum „ provehit virum in omnibus probatiſſimum, qui præerat tunc quoque rebus poſt Regem, & „ debellaverat Arabes, qui ab Africa in Hiſpaniam tranſiverant, quique tenuerunt uſque „ nunc eamdem Hiſpaniam, & probaverant præliari nihilominus contra Francos. Quibus e „ contra idem Pipinus cum multitudine reſiſtens, occidit quemdam etiam principem eorum. „ Abderachman enim filius Mahuhi principatum hujus tenebat gentis. Interfecit autem ſi„ mul & multitudinem haud facile numerabilem juxta Rhodanum fluvium, & admirationi „ habetur, & amatur a gente non ſolum propter hoc, ſed & propter alia præcipua geſta, & „ PRÆFICITUR GENTI NON IGNOBILITER PRIMUS, SOLVENTE SCILICET EUM A PERJURIO IN „ REGEM COMMISSO EODEM STEPHANO, QUI ET ATTONDIT DECESSOREM EJUS REGEM, ET „ IN MONASTERIO CUM HONORE, ET REQUIE CIRCUMSCRIPSIT.

3 Vide Baldinum *ibid. pag.* 225.

ſcripſit Eginhardus (1), tamen, ſi erraſſet, maneret ejus firma, ut quæ auctoritate majorum nitatur, de pulſo Childerico, unctoque, poteſtate Zachariæ, Pipino rege ſententia.

Paullo eſſe graviora, quæ opponuntur a Boſſuetio (2). Hunc autem ſic ſtatuere. Ab an. 641. ad 749. cum Majorum Domus, hoc eſt Præfectorum Palatio opes auctæ, amplificatæque fuiſſent, minus apud Francos valuiſſe auctoritatem Regum. Cumque Clodovei ſecundi filii regnarent, Præfectis eiſdem fuiſſe ducendorum exercituum, adminiſtrandique regni poteſtatem datam. Eligendi, conſtituendique hujuſce magiſtratus, non Regi, ſed optimatibus Imperii jus fuiſſe. Anſegiſum Pipini Eriſtelli, qui avus Pipini Regis fuit, patrem & Præfectum Palatio fuiſſe, & Auſtraſiæ Principem, ejuſque Principatus anno circiter 687. hæredes filios dixiſſe. Pipinum Eriſtellum victis Neuſtriis, hos redegiſſe in poteſtatem, tantamque potentiam fuiſſe conſequutum, ut Francos ſuis legibus parere cogeret. Ergo dictum fuiſſe anno circiter 691. Principem Francorum, hæredeſque filios & Principatus Auſtraſiæ, & dignitatis *Majorum domus* in Neuſtria feciſſe. Carolum Martellum, mortuo Pipino Eriſtello patre, hac tam inſigni, & magna poteſtate fretum ad an. 741. regnum Francorum rexiſſe, ita ut Merovingi nomine, ille revera Rex eſſet. Poſt diviſum Principatum inter Pipinum, & Carolomannum fratres fuiſſe. Cum Carolomannus ann. 747. monaſticam vitam profeſſus eſſet ſummam Imperii Pipinum obtinuiſſe. Hoc res Galliarum ſtatu an. 749. fuiſſe. Itaque optimates Francorum, qui nomen Regis ei, qui nihil Regium ageret, concedi non ferrent, de Pipino, qui reipſa eſſet, appellando Rege cogitaviſſe, legatoſque ad Apoſtolicam Sedem miſiſſe, qui Pontificem conſulerent. Zachariam (nam erat is eo tempore Pontifex) reſpondiſſe, dici eum fas eſſe Regem, qui ſummam obtineret in Republica poteſtatem. His reſponſis acceptis,

1 Bald. *ibid.* & Biancus *ibid. pag.* 311. Confer Mabillonium *lib.* v. *de Diplom. Tab.* XXII. *pag.* 384. *edit. an.* 1709.

2 *Lib.* II. *cap.* XXXIV. *pag.* 246. *ſeq.*

ceptis, Gallos in Pipinum tranſtuliſſe regnum, non petiiſſe, ut id ſua auctoritate Pontifex faceret. Hujuſce rei ſcriptores veteres teſtes eſſe. Itaque eos, qui Gregorio VII. aſſentiantur, affirmentque ſolutos auctoritate Sedis Apoſtolicæ jurisjurandi religione Gallos fuiſſe, qua ſuam Childerico fidem obſtrinxerant, ut hunc de regno deturbare, Pipinumque Regem dicere valerent, cum antiquum hiſtoricum, quem auctorem ſequantur, nullum habeant, inanibus quidem conjecturis uti ad implicandam rem poſſe, aſſenſionem vero a doctis hominibus extorquere, non poſſe.

Noſtri mirari ſe dicunt, quid cauſſæ fuerit, quod cum Scriptores rerum Gallicarum & graves, & ſingulari eruditione præſtantes, poſt inſtitutam, auctamque majorem in modum Præfectorum Palatio dignitatem, Merovingos (1) nomine ſolum, non reipſa Reges fuiſſe negent; tum unum Boſſuetium nullo teſte, nulloque vetere monumento ductum, quam ut quidquam nobis concederet, omnia pervertere, ſuiſque civibus adverſari, atque reſiſtere maluiſſe. Jam vero ſe, qui antiqua monumenta conſideraſſent, reſque ab Rege Theodorico Childerici Patre, & Carolo Martello geſtas animo collegiſſent, ita denique ſecum conſtituiſſe; ubi opes *Majorum domus* creverunt, neque tam fuiſſe imminutam potentiam Regum, ut Boſſuetio viſum eſt, neque adeo viguiſſe, nihil ut de ipſa dereptum eſſe videretur. Hujus rei cauſſam non optimatum populi Francorum conſenſum, ſed ætatem Theodorici Regis fuiſſe, qui cum ſeptennis, mortuo Patre, creditus fidei Caroli Martelli eſſet, vixque ad viceſimum tertium annum produxiſſet vitam, impedire non potuit, quin Præfectus Palatio majores ſibi ſpiritus ſumeret, amplificaretque dignitatem, & fortunas ſuas (2). Confirmatam deinceps a Pipino, ac magis, magiſque auctam fuiſſe *Majorum domus* potentiam, non ſolum infantia (3), ſed etiam ſtupore, ac tardi-

1 Confer Cointium *tom.* v. *ad an.* 752. *n.* VIII. Natalem Alexandrum *tom.* v. *diſ.* II. *in ſec.* VIII. *pag.* 738. *ſeq. edit. an.* 1699. & Biancum *ibid. num.* XII. *pag.* 313. *ſeq.*

2 Vide Biancum *ibid.*

3 Quæ de Anſegiſo tradit Boſſuetius colligi videntur poſſe ex *lib.* VI. *Pauli Diaconi de rebus geſtis Longob. c.* XX. *pag.* 411. *tom.* II. *Rer. Gallic. ſcriptor. edit. Monach. s. Mauri, &* ex *Chronico Virdunenſi tom.* III. *ejuſd. collect. ſcript. Rer. Gall. & Franc. pag.* 361. Sed mul-

tarditate ingenii Childerici Regis. Nam ſi Principum Regni contentione ſummam imperii jure hæreditario Caroli Martelli filii conſequuti eſſent, opus conſulto Pontificis numquam fuiſſe futurum. An ii, qui Auſtraſiæ Principes, neſciis Pontificibus, Carolingos dixiſſent, atque in hos ipſos ſummam poteſtatem, imperiumque in Neuſtriam tranſtuliſſent, quin regum habendam eſſe rationem exiſtimaſſent; ubi actum de nomine eſt, veriti, ne quid minus ſancte, pieque agerent, ad Pontificem legationem, petitum conſilium, miſiſſent? Rurſum incredibile videri, qui tandem *in regni ſolio ſublimatum* Pipinum, *elevatum in ſolio regni*, *ac regni honore ſublimatum* dicere hiſtorici antiqui Gallorum potuerint, ſi nihil ille, præter nomen, conſequutus eſſet. Ac ne in cogitationem quidem cadere, ſi jus Galliæ tantum optimatibus inerat, ut valerent ineptum Principem de imperio, ac dignitate dejicere, appellareque, quem vellent, Regem, potuiſſe Stephanum tertium (1), non repugnantibus Francis, diris devovere eos, qui in poſterum tempus paſſi fuiſſent unum aliquem regno potiri, qui ortus e Pipini ſtirpe non eſſet. Itaque Pipini, cum Præfectus Palatio eſſet, potentiam, non hæreditario jure partam, ſed imbecillitate regum, atque uſu fuiſſe; quodque erat in Childerico ἀδυναμίας, ſeu *impotentiæ*, hoc totum non ex poteſtate, qua vacaret, quæque jure in alium quempiam translata eſſet, ſed ex imbecilla ætate, tarditateque ingenii adoleſcentis eſſe profectum. Quare a Francis non de inani nomine fuiſſe, ſed de imperio ab una in aliam ſtirpem transferendo cogitatum; opuſque proinde non conſilio ſolum, ſed etiam auctoritate Sedis Apoſtolicæ fuiſſe, quæ juris jurandi religione ſubditos ſolveret, ut eligere Regem poſſent, quem proſpicerent reipublicæ utilem futurum (1).

De

multa deinceps eruditiſſimum virum peccare, ubi de Pipino, ceteriſque Majoribus diſſerit, intelligi facile poterit ex Chronico, quod iidem Monachi Benedictini *ſcriptorum Gallorum* teſtimoniis compilarunt, & *tom.* II. præfixerunt *pag.* cxxxix. *an.* 751. *ſeqq.* Quod vero de infantia, & tarditate Childerici dixi, hoc ante memoriæ proditum ab auctore *Geſtor. Reg. Franc. ad an.* 751. *pag.* 576. *ſeq.* eſt, cujus teſtimonium ſupra deſcripſi *pag.* 227. hujuſce *vol. in notis*.

1 Confer locum Anonymi Mabilloniani ſupra deſcriptum *pag.* 226. *not.* 1. & teſtimonia ſcriptorum, quæ produxi *not.* 4. *pag.* 226. *ſeq.* Conſule præterea Chronicon Fontanellenſe *tom.* II. *ſcript. Rer. Gall. edit. Monach. S. Mauri pag.* 662. *ad an.* 750. Adonis *Chronicon de Francis ad an.* 672. *Libellum de Majoribus domus ad an.* 752. *p.* 700. *ibid.* &c.

De conſilio, quod Boſſuetius addit, neſcire ſe noſtri reſpondent, quorſum evadat. Ridiculum enim eſſe deliberare, conſiliumque de re perfecta a Pontifice petere. Gallos autem, ſi imperium ſuapte auctoritate, ac neſcio Zacharia, in Pipinum tranſtulerant, quid habuiſſe reliqui, de quo conſulendum eſſe Petri ſucceſſorem arbitrarentur? Regium ne nomen? At ſublata poteſtate, de inani appellatione quærere, idem eſſe atque irridere Eccleſiæ univerſæ Primatem velle. Sed uſu poteſtatis Childericus carebat. Id vero permitti poſſe. De jure autem nos agere, non de uſu. Nam quod Pipinus, quæ ad Regem pertinerent, faceret, parvi referre. Non enim in controverſiam revocari, an faceret; ſed an jus in regnum haberet ullum. Jus vero obtinuiſſe, oſtendi auctoritate veterum non poſſe. Itaque huc rem omnem recidere, jus ne obtinuerit Pontificis auctoritate, an conſenſu tantummodo optimatum regni (1). Veteres Rerum Francicarum, Gallicarumque Scriptores, nihil ab optimatibus actum fuiſſe ſine imperio auctoritateque Pontificis (2) ſcribere. His ergo eſſe auſcultandum, non Hiſtoricis, Scriptoribuſque novis Gallorum, qui implicare antiquorum teſtimonia conentur. Quod ſi conſenſu, electioneque optimatum factum item Pipinum Regem fuiſſe veteres prodiderunt, id a noſtris minime negari, qui facile intelligant, modo data a Pontifice facultas ſit, optimatibus licere, quem utilem reipublicæ fore putent, ſalutare Regem.

Qui vero plus hoc exempli genere effici cenſent, quam noſtri velint, næ illos vehementer errare. Non enim conſtitui Reges a Pontifice oportere, noſtri, ſed declarari Principatu ne quiſquam exciderit, contendunt. Uti autem hoc exemplo ſe, ut auctoritate Sedis Apoſtolicæ declaratum fuiſſe demonſtrent, Childericum expertem regni eſſe, & quod ita Pontifex legatis reſponderit, & quod (3) poteſtatem ſubditis fecerit dejiciendi Merovingum de regno, ap-

1 Vide ſupra Anonymi Mabilloniani locum *pag.226. not. 1. hujus volum.*
2 Vide Biancum *ibid. pag. 314. ſeq.*
3 Confer *notat. 4. pag. 226. ſeq. hujus vol.*

pellandique illum, quem unum expeterent, Pipinum Regem. Atque hoc pacto rem eſſe intelligendam, evinci Stephani (1) III. facto poſſe, qui Gallis, ne quem Regem, qui ortus e Pipini ſtirpe non eſſet, dicerent, præcepit; eoſque, qui contra quidquam tentare auſi deinceps eſſent, prohibendos Eccleſiæ communione ſanxit. Quamobrem injuria Gregorium ſeptimum a Natali (2) Alexandro, Boſſuetioque (3) reprehendi, quaſi exemplo ſit uſus Zachariæ, quod ad rem minime ſpectare videretur. Cur enim prætermiſiſſet Pontifex, quod confirmatum auctoritate Gallorum, aptumque ad rem ſtatuendam, ut eſt demonſtratum, eſſet?

Nihil præterea eorum ſe conqueſtiones morari, qui Pontifici non cauſſa violatæ religionis, ſed tarditatis ratione principes dejicienti tribui hoc exemplo dicerent, quod cadere in Eccleſiaſticum virum nullo modo poſſit. Principio enim non eſſe id Gregorio VII. qui ſcripſit, quod a Gallis hiſtoricis litterarum monumentis mandatum erat, ſed iis, a quibus accepit, ſi modo quidquam hoc in genere peccarunt, vitio, criminique vertendum. Deinde optimatibus regni, qui, ne graviſſimum reſpublica detrimentum capiat, ad Eccleſiam confugiant, ſolvique ſe religione jurisjurandi, qua ſe Regi obſtrinxerunt, flagitent, poſſe Romanum Pontificem ſatisfacere. Ac ſi Boſſuetius, quod eſt de ſolutis juris jurandi religione Gallis, neget, quod a veterum nemine fuerit memoriæ commendatum, convinci eum Theophanis (4), Anaſtaſiique (5) teſtimoniis poſſe. Denique Gallos cum noſtris re convenire, verbis diſſidere. Nos enim id juris Pontificibus concedere, ut eorum ſit proprium

1 Vide ſupra *not. 4. ſeqq. pag. 225. ſeqq. hujus vol.*

2 Natalis Alexander *ibid.*

3 Boſſuetius *p. 1. lib.* II. *cap.* XXXIII. *ſeq. pag. 245. ſeqq.*

4 *Chronograph. pag. 337. edit. cit.*

5 Vide locum ſupra deſcriptum *pag. 219. not.* 2. Accedit Othonis Friſingenſis, quem Boſſuetius magnopere laudat, hiſtoricumque candidiſſimum vocat, *P.* II. *lib.* III. *cap.* VIII. *pag.* 285. locus e *lib.* V. *hiſt. cap.* XXII. *pag.* 102. *edit. an.* 1569. „ Anno ab Incarnatione „ Domini 752. reverſis a Roma nunciis auctoritate Zachariæ Papæ Pipinus a beato Boni- „ facio Archiepiſcopo, aliiſque regni principibus in Sueſſionis civitate in regnum eligitur. *Et cap.* XXIII. „ anno Domini 754. Pipinus a Stephano Papa tertio a fidelitatis ſacramento „ quod Hilderico promiſerat, cum aliis Regni Francorum proceribus, abſolvitur, ac deton- „ ſo Hilderico, & in Monaſterium detruſo, poſtmodum in Regem ungitur.

prium declarare, exciderit ne Rex principatu , an potiatur ; ac ſi excidit, ſolutine ſint juris jurandi religione , qui ei ſuam obligarant fidem , an contra non ſint ſoluti . Boſſuetium autem ſic habere : „ Summa eſt : ut in re gravi , & ambigua quæſitum a Pontifice , an liceret Regem appellare , qui Regia poteſtate eſſet ? Reſponſum id licere . Reſponſum ea auctoritate editum , qua nulla ſit major , pro juſta , ac legitima deciſione habitum , ex eaque auctoritate jam ab ipſa gente regnum Childerico abrogatum , atque in Pipinum translatum eſſe : quandoquidem non id factum , ut Pontifex regnum adimeret , aut daret ; ſed ut declararet adimendum , vel dandum ab iis , quibus id juris competere judicaſſet (1) „ .

Sed fac , inquit, Boſſuetius , vera ſint, quæ Romani Theologi ex monumentis hiſtoriarum concludunt , tamen ad rem minime ſpectabunt . Voluntate enim Gallorum factum eſt , ut Childericus , qui ineptus ad rem publicam gerendam eſſet , de throno dejiceretur , ejuſque loco Rex appellaretur Pipinus , quamquam ſoluti fuerint a Pontifice (2) juris jurandi religione . Noſtri voluntate optimatum factum neque negant , neque eſſe rationem ullam , qua negari poſſit , fatentur . Non enim tam ſunt imperiti rerum , ut recuſantibus ſubditis , principem a Pontifice deponi , ſolvique cives juris jurandi religione par eſſe putent . Namque non jure modo , ſed etiam prudenter rem geri oportere arbitrantur . Quid enim commodi ſibi Eccleſia , reſque Regni publica paret , ſi de Rege aut deturbando de principatu , aut creando ſententia , quin eam cives probent, feratur ? Confuſionem autem , perturbationemque humanæ ſocietatis , quæ exinde ſine dubio ſequeretur , neque Pontificem , neque alium quemquam velle (3) .

At ex Zachariæ exemplo, cujuſcumque tandem modi fuerit , licere Pontifici de throno Regem dejicere , qui jus, pote-

1 Boſſuet. *pag.* 1. *lib.* II. *cap.* XXXIV. *pag.* 249.
2 Idem *ibid. cap.* XXXIV. *pag.* 249.
3 Confer Biancum *ibid. lib.* II. §. XVII. *num.* 1. *ſeqq.*

poteſtatemque in cives obtineat, intelligi non poteſt. Quid? an jure vacaſſe Childericum Adverſarii cenſent? Id vero quibus argumentis efficient? Nonne cives, cum eum parentibus, avis, ataviſque Regibus ortum ſcirent, Regem poſt patris interitum appellarunt, eidemque juris jurandi religione ſuam obſtrinxerunt fidem? Pleno igitur jure in ſubditos poteſtate Childericus potiebatur, ſi adverſariis ipſis auſcultare par eſt. Noſtri fas eſſe Pontifici imperium legitimo Regi adimere negant. Hoc ajunt: Principem, ſi quidquam tentet mali, quod grave ſit, in religionem, principatu excidere, idque ſuo jure Pontificem declarare poſſe. Ubi autem declaratum a Præſide ſummo ſacrorum id eſt, tum exturbari e regia Principem a populo jure poſſe, qui populus ſit, ajente Pontifice, ſolutus Sacramento religionis. Rurſum ſi ob magnas, graveſque cauſſas oſtendatur, Regem eſſe reipublicæ pernicioſum, tum populo confugienti ad Pontificem, ut religione jurisjurandi ſolvatur, ſi poſtulata impetrarit, dejicere de principatu pernicioſum hominem licere, ejuſque loco alium ſalutare Regem. Id Synodi Lugdunenſis (1) primæ auctoritate conſtare, quam Boſsuetius nulla circuitione verborum implicare poſſit.

Sed hominem, inquit Boſsuetius (2), ob tarditatem ingenii, improbitatemve morum Reipublicæ pernicioſum pri-

1 Concilium Lugdunenſe 1. apud Labbeum *tom.* XIV. *edit. Concilior. Veneta pag.* 51. *ſeq.* „ Cum Jeſu Chriſti vices licet immeriti teneamus in terris, nobiſque in perſona B. Petri ſit dictum, quodcumque ligaveris ſuper terram &c. memoratum Principem, qui ſe Imperio, & regnis, omnique honore, ac dignitate reddidit tam indignum, quique propter ſuas iniquitates a Deo, ne regnet, vel imperet, eſt abjectus, ſuis ligatum peccatis, & abjectum, omnique honore, & dignitate privatum a Domino oſtendimus, & denunciamus, ac nihilominus ſententiando privamus „. Habita hæc ſynodus an. 1245. fuit. Nicolaus de Curbio Ord. Minor. *in vita Innocentii IV. P. M. apud Muratorium tom.* III. *ſcriptor. Rer. Ital. pag.* 592. *num.* XIX. *edit. an.* 1723. „ ſententiam, *inquit*, depoſitionis ſæpefati Frederici protulit ſummus Pontifex in majori Eccleſia Lugdunenſi in pleno Concilio an. 1244. XV. Kal. Aug. Pontificatus ſui anno tertio, quæ fuit ab univerſis Eccleſiarum Prælatis in eodem Concilio reſidentibus approbata, ſicut liquere poteſt omnibus tam præſentibus, quam futuris per ſubſcriptiones ipſorum, & eorumdem ſigilla pendentia in eadem „. Confer Odoricum Raynaldum a*d an.* 1245. *num.* XXXIII. Veterem, ejus nempe ætatis, ſcriptorem Anonymum apud Lamium: *In delic. eruditor. edit. an.* 1737. *pag.* 256. Et notationes ejuſdem Lamii ad Chonicon Imperatorum *Leonis Urbevet. Ord. Præd. pag.* 235. *edit. delic. erudit. an.* 1737. Sed de hac re alias.

2 *Parte* II. *lib.* VI. *cap.* XXXV. *pag.* 229. *tom.* I. *edit. Luxemburgenſis an.* 1739.

privare principatu populo licet ; propterea quod proſtrata republica , conſiſtere civilis ſocietas nequeat , cujus cauſſa principatus introducti , confirmatique ſunt ; violatorem autem , everſoremque religionis non licet , cum ſublatis ſacris , integra maneat hominum , incolumiſque ſocietas. Itaque de re tam gravi (cum Galli Principes , liceret ne ſibi , addubitarent) conſultum merito Præſidem ſacrorum fuiſse , dicit , acceptiſque reſponſis , judicatum ab optimatibus eſse , Childericum de regno deturbandum : quod factum numquam fuiſset , ſi Childericum reum violatæ , everſæque religionis eſse conſtitiſset .

Nihil minus ſibi videri reſpondent noſtri . Sic autem principio ſtatuunt : Boſsuetium , qui generatim de religione loquatur , qua ſublata , conſiſtere ſalvam ſocietatem hominum poſſe exiſtimet , non tam accurate , diligenterque diſputare , quam deceat virum & ſapientem , & invictum , qualis ipſe adverſus hæreticos fuit , decretorum Orthodoxæ Eccleſiæ defenſorem . Namque eſſe omnium hominum , qui recte ratione utantur ſua , conſenſione firmatum , ſine ulla religione non modo non conſervari , ſed ne inſtitui quidem poſſe rempublicam (1) . Igitur quod dictum ab eo generatim eſt , conſtringi coarctarique oportere , ut in unam Chriſtianorum cadat religionem , cum tantum , tamque illuſtrem , & doctum virum in tam abſurdam ſententiam incidiſſe , ne ſuſpicari quidem poſſimus . Fateri autem

1 Multa nos de hac re diſputavimus in eo opere , quod inſcripſimus de morali doctrina ſanctorum Patrum , quodque nos edituros confidimus aliquando , ſed tempore . Intelligo etiam præter alios , qui copioſe contra Petrum Bælium : *Continuat. des Penſ. Diverſ. &c.* §. CXVIII. *pag.* 568. *ſeq. & reſponſ. aux queſtions d' un Provincial. tom.* IV. *cap.* XVII. *pag.* 222. *ſeqq.* diſputarunt , publicatum his annis paucis ſingularem de hoc argumento librum fuiſſe Venetiis a Raymundo Cecchettio erudito viro, & amico meo . Atque in libris quidem de *morali doctrina Ss. PP. lib.* I. *cap.* I. *num.* VI. inter cætera animadvertimus , quod eſt ex Juſtini Martyris *Apolog.* I. *num.* XII. *pag.* 49. *edit. an.* 1742. & *ex* XV. *lib. Euſebii de Præparat. Evang. cap.* V. *pag.* 799 *edit. Pariſ. an.* 1628. conſequens . „ Niſi numinis „ alicujus cogitatione deterreantur cives ab ſcelere , verendum eſt , ne qui ſolam legem , „ vimque civilem metuant , clam te , aut ab locis habitatis diſtantem adoriantur , adimant- „ que tibi cum re familiari vitam , ad quam beate , feliciterque degendam , deſcendendum „ tibi eſſe duxeras in ſocietatem . Dum autem quiſque ſibi metuat , tantum abeſt , ut mane- „ re in ejuſmodi hominum turba velit , ut ne in illius quidem cogitationem cadat, eſſe par- „ tem ſe poſſe reipublicæ plenæ periculorum . Quod ſi nemo tam eſt inſanus , ut ſe in mani- „ feſtum diſcrimen adducat , non ſolum non conſervari genus illud ſocietatis , ſed ne con- „ ſtitui quidem poteſt .

tem ſe ſine Chriſtiana religione conſiſtere poſſe, conſequi tamen tot commoda, totque utilitates non poſſe rempublicam. Nam qui ſocietatem hominum perfectam a Chriſto fuiſſe neget, hunc indignum eſſe, qui Chriſtiani vocetur nomine. In perfectam autem ſocietatem (ſublatis legibus, quarum ratione perfecta eſt) maximam invehi partem (1) incommodorum. Quamobrem reum labefactatæ publicæ tranquillitatis, utilitatiſque eſſe, qui oppugnata religione Chriſtiana, ſuperſtitionem inducere conetur. Quod ſi fas optimatibus Galliæ, integrumque fuit de Childerico pellendo, quod inutilis reipublicæ eſſet, creandoque Pipino Rege, deliberare; multo magis integrum ob religionem violatam fuiſſet. Jam vero ſi conſulto, voluntate, auctoritate Sedis Apoſtolicæ, tonſus Childericus, quod ineptus eſſet, compulſuſque in Monaſterium jure fuit, uti eſt memoriæ a Gallis Scriptoribus commendatum, cur non item jure fuiſſet, ſi religionem Orthodoxam tollere ſtatuiſset? Quare, quo tandem cumque ſeſe verterit, Boſſuetium hoc ingratiis conceſſurum, exemplum Childerici ad propoſitum noſtrum, inſtitutumque maxime pertinere. Accedere ad hæc vulgatum illud, tritumque ſæpe, ac multum majorum ſermone, principes conſtitutos in rebus publicis Chriſtianis eſse, non ſolum ut cives moderentur, ſed etiam ut defendant (2) Eccleſiam. Quapropter hos, ſi dejici de regno, auctore Boſsuetio, poſsunt, quod inutiles civibus ſint, poſse quoque dejici, quod eam evertere audeant, quam tueri debent, religionem. Interea cavendum iis eſſe, qui Boſsuetio aſsentiuntur, ne ſi tantum civibus, quantum ille concedit, tribuendum putent, infeſti Regibus, pernicioſique civitatibus ipſi eſse videantur. Nam populum,

1 Confer Orſium *della Origine del Dominio, e della Sovranità de' Romani Ponteſici ſopra gli ſtati loro temporalmente ſoggetti cap. v. pag. 18. ſeq.* quo loco egregie rem tractat nixus etiam rationibus iis, quibus Grotius in II. de Jure belli, & pacis libro ſtatuit, fas eſſe populo uni alterum bello perſequi, quem eſſe cognovit reum violatæ religionis.

2 Confer quæ dixi ſupra *pag. 136. & ſeqq. hujus vol.* Id vero ipſi etiam cognorunt Reges Ludovicus, & Lotharius *epiſt. ad Eugenium apud Baron. ad an. 825. num. 47.* „ Veraciter nos debitores cognoſcimus, ut his, quibus regimen Eccleſiarum, & ovium dominicarum cura commiſſa eſt, in omnibus cauſis ad divinum cultum pertinentibus opem, & auxilium pro qualitate virium noſtrarum, & intellectus noſtri capacitate feramus. Adeundus Biancus *lib. II. §. XVII. pag. 422. ſeqq. num. V.*

lum, qui nullius auctoritate regatur, contineaturque in officio, quidvis aggredi licenter ſolere, multoque magis, ſi fas idipſum ſibi eſse arbitretur. Vidiſse id quidem Boſſuetium. Itaque ut vim argumenti eluderet, ſic tandem cogitaſse: Childerici exemplum nullius eſſe ad ſententiam Romanorum confirmandam momenti. Sive enim auctoritate Pontificis, ſive optimatum conſenſu deturbatus de principatu Childericus eſt, hoc ſe tamen tenere, deturbatum eum vel errore (1) fuiſſe Gallorum, vel manifeſta injuria. At potuiſſe illum, ſi ita ſentiebat, uno verbo rem ab initio expedire, quin tot inanibus dictis veterum teſtimonia implicare ſtuderet, qui, auctoritate Zachariæ, juſte fuiſſe Childericum e throno pulſum tradiderant. Verum non tam facile, quam putavit, id eſſe Boſſuetio concedendum. Neque enim uno ejus dicto gentem univerſam omnes ordines Galliarum, omnes Scriptores, Epiſcopos, Pontificeſque omnes eſſe reprehendendos, niſi argumentis plane efficiat, quod ſcribit. Argumenta vero neque produci a Boſſuetio ulla, neque excogitari, niſi ex conjecturis inanibus concluſa, poſſe. Injuriam veteribus a Boſſuetio fieri, qui ſane, quaſi ſolus ſaperet, ſolus jus, faſque pernoſceret, ſoluſque quod verum eſt cerneret, confidenter affirmat, quod nemini umquam in mentem venit. Ac de Childerico quidem hactenus (2).

De

1 Boſſuetius *ibid.* At Reges Francorum laudi ſibi duxerunt, ac gloriæ, quod a Romanis Pontificibus Imperialem eſſent dignitatem conſequuti. Id vero ex Epiſtola *Apolog. Ludovici II. ad Baſilium Imperatorem Græcorum* conſtat, quam refert Biancus *lib.* 1I. §. VII. *p.*425. & quæ habet hoc modo. „ A Romanis hoc nomen, & dignitatem aſſumſimus, apud quos profe„ cto primo tantæ culmen ſublimitatis, & appellationis effulſit, quorum gentem, & Urbem „ divinitus gubernandam, & matrem omnium Eccleſiarum Dei defendendam, atque ſubli„ mandam ſuſcepimus. Ex qua REGNANDI PRIUS, ET POSTMODUM IMPERANDI auctorita„ te proſapia noſtra ſeminarium ſumſit; nam Francorum principes primo Reges, deinde „ Imperatores dicti ſunt ii dumtaxat, qui a Romano Pontifice ad hoc oleo ſancto perfuſi „ ſunt „. Confer Biancum *ibid. pag ead. ſeqq.*

2 Ulciſcitur Boſſuetius teſtimoniis Almaini, Johannis Pariſienſis, & Anonymi ſcriptoris, qui librum de Poteſtate Papæ edidit, ut non Zachariæ poteſtate, ſed populi conſenſu fuiſſe Childericum regno privatum demonſtret, *tom.* 1. *p.* 1I. *lib.* VI. *cap.* XXXIII. *pag.* 225. *edit. Luxemburg.* Sed Almainus, & Johannes Pariſienſis quid ſenſerint, oſtenſum paullo ante eſt *p.* 173. & *ib. not.* 5. *hujus vol.* Quod vero Almainus ſcribit *non fuiſſe tunc temporis Univerſitatem, & ideo habitum recurſum ad Papam*, ridiculum eſt, indignumque, quod refellatur. Conſule Biancum *ibid. pag.* 428. *ſeqq.* De Childerico auctoritate Sedis Apoſtolicæ de Imperio dejecto, conſulendi Charlaſius l. c. Biancus l. c. Anonymus Auctor operis inſcripti *Cathedra Apoſtolica Oecumenica Auctoritas &c.* *Biblioth. Roccaberti pag.* 497. *ſeqq.*

Cale-

De Lothario juniore, quem Eccleſiæ communione privatum conſtat, quemque de regno deturbatum fuiſſe Boſſuetius (1) negat, nihil attinet dicere. Quid? ſi ne de Carolo quidem, cui *Calvi* (2) cognomen eſt attributum? Non enim omnes, qui prohibiti communione Eccleſiaſtica fuerunt, ſemper una Regno fuiſſe privatos, defendunt noſtri. Quare nihil adverſarii agunt, quum exempla etiam Roberti Regis Francorum, aliorumque nonnullorum Principum congerunt, quibus etſi eſſet ſacris interdictum, Regnum tamen ademptum non fuiſſe (3) cenſent. Satis enim noſtris eſt, ſi aliquibus, iiſdemque perſpicuis, illuſtribuſque monumentis efficiatur, Eccleſiam interdum auctoritate, qua valet, uſam fuiſſe, ita ut aliquos Principes, qui tam gravi pœna digni & viderentur, & eſſent, de gradu dejecerit. Ac ſæpe quidem animadverſum ſupra eſt, neque expedire ſemper, neque cauſſas ſemper tam graves dari, quamobrem Regibus adimatur imperium. Itaque quod privati interdum Reges Eccleſiaſtica communione, non autem Regno fuerint, exhibere noſtris negotium nullum poteſt (4).

Stephani V. Pontificis Maximi locum non eo ſpectare, affirmant noſtri, (5) ut ſucceſſori Petri poteſtatem declarandi, impium Imperatorem, Regemve, qui Eccleſiæ bellum intulerit, Imperio, Regnove excidiſſe, ſubditoſque juris jurandi religione ſolvendi, tollat. Hoc unum ſtatuere, rerum civilium, laicarumque adminiſtrationem Imperatori, Pontifici ſacrarum eſſe, quæ ſane multo eſt præſtantior, poteſta-

Cæleſtinus Sfondratus *Gall. vindic. diſſ.* II. *tom.* VI. *Bibl. Roccaberti pag.* 744. *ſeqq.* Eugenius Lombardus *de Pot. Papæ* § XV. *pag.* 357. *tom.* XI. *Biblioth. Roccab.* Roccabertus idem *de Pont. Exauctor. Poteſt. lib.* III. *cap.* II. *diſſ.* I. *tom.* III. *pag.* 52. Natalis Alex. *ſec.* VIII. *diſſertatione* II. Launoi Epiſtolam IX. ſextæ partis, Maimburgi Tractatum *de Eccl. Rom. cap.* XXIX. & Dupinii Diſſertationem VII. *de antiq. Eccl. diſcipl.* refellit. Mitto Baronium, Bellarminum, Sanderum, Perronium, alioſque innumerabiles, qui verſati in hoc genere argumenti ſunt, quod longior eſſe nolim.

1 Vide ſupra *pag.* 167. *not.* 3.

2 *Ibid.*

3 *Ibid.*

4 De his *vide Biancum lib.* III. §. VIII. *ſeq. pag.* 521. *ſeq.*

5 Steph. V. *Epiſt.* I. *ad Baſilium Imperatorem tom.* IX. *Concilior. edit. Pariſ. Labbei pag.* 366. „ Licet ipſius Chriſtiani Imperatoris ſimilitudinem geras in terris, rerum ta-
„ men

teſtatem datam . Id vero afferre ullum detrimentum indirectæ, quam dicimus, dejiciendorum de throno Regum auctoritati non poteſt . Quamobrem aut luculentius quidpiam a Boſſuetio (1) producendum fuiſſe, cujuſmodi certe nullum extat, aut hunc Stephani locum prætermittendum. Noviſſe autem Stephanum, quæ in Childericum Zacharias, Stephanuſque Tertius Pontifices Maximi & decreviſſent, & perfeciſſent. Quare inducere in animum nequiviſſe, ut indirectam deturbandorum de throno Regum negandam eſſe Pontificibus auctoritatem arbitraretur.

De Petro Damiano (2) ſic noſtri cenſent: Probatam ei fuiſſe illorum ſententiam, qui bella negarent Eccleſiaſticis

,, men mundanarum, & civilium tantum curam gerere debes, quod etiam precamur, ut ,, ad multos annos præſtare valeas. Quo igitur pacto a Deo largitus eſt nobis terrenis rebus ,, præeſſe, ita etiam nos per Principem Petrum ſpiritualibus rebus Deus præfecit. Accipe, ,, quæſo te, benigna fronte, quæ ſequuntur. Datum eſt tibi curare, ut tyrannorum im- ,, pietatem, & feritatem gladio potentiæ concidas, ut juſtitiam miniſtres ſubditis tuis, ,, ut leges condas, ut terra marique militares copias diſponas. Hæc eſt præcipua cura po- ,, tentiæ, & principatus tui. Gregis cura vero nobis commiſſa eſt, tanto præſtantior, ,, quantum diſtant a cælo ea, quæ in terris ſunt ,,. Conſule quæ egregie de hac re diſputat eruditiſſimus vir Johannes Antonius Bianeus *lib.* IV. §. IX. *n.* IV. *pag.* 121. *ſq. tom.* II. *Della Poteſtà indiretta edit. an.* 1745.

1 Vide ſupra *ibid.*

2 Petrus Damianus *tom.* I. *lib.* IV. *Epiſtola* IX. *ad Firm. Epiſc. pag.* 53. ,, Inter re- ,, gnum & ſacerdotium propria cujuſque diſtinguantur officia, ut Rex armis utatur ſeculi, ,, & Sacerdos accingatur gladio ſpirituali, qui eſt verbum Dei. De ſeculi enim Principe ,, Paulus dicit: *Non ſine cauſſa gladium portat, Dei enim miniſter eſt, vindex in iram* ,, *ei, qui male agit*. Ozias Rex, qui ſacerdotale uſurpat officium, lepra perfunditur, ,, & ſi ſacerdos arma corripit, quod utique laicorum eſt, quid meretur ,,? Non probat deinde, quod geſtum ab Leone IX. Pontifice fuit, qui bellicis ſe rebus implicavit, quare: ,, Numquid, *inquit*, hoc legitur vel egiſſe, vel litteris docuiſſe Gregorius (Magnus) ,, qui tot rapinas, ac violentias a Longobardorum feritate eſt perpeſſus? &c. ,, Vide *tom.* IX. *Concilior. edit. Pariſ. Labbei. pag.* 1172. Alterum Petri Damiani locum vide ſupra *pag.* 168. *notat.* 3. Hæc vero poſtrema anno circiter 1062. pronunciata fuerunt. Labitur autem Boſſuetius, qui loco indicato ſupra not. 3. *pag.* 167. Baronium carpit, quaſi errarit, ubi ad an. 1052. *n.* XIII. ſcripſit ,, Hucuſque Petrus Damiani, cui catholica ,, dogmata penitus adverſantur, quibus hæreſis errore notantur omnes, qui ab Eccleſia Ro- ,, mana Cathedra Petri e duobus alterum gladium *auferunt*, *nec niſi ſpiritualem conce-* ,, *dunt* ,,. Atque in erroribus quidem Calvini *l.* IV. *Inſtitutionum c.* XI. § 11. *p.* 309. *ſeq. edit. an.* 1667. Grotii *de jure Summar. Poteſt. circa ſacra c.* I. *p* 27. *ſeq. edit. a.* 1648. Henrici Hennigeſii *De ſumma Imperator. circa ſacra poteſt. cap.* II. §. XXI. *p* 88. *ſqq. edit. an.* 1676. aliorumque pene innumerabilium Proteſtantium, is etiam numeratur, quo Eccleſiaſticis viris, ipſique adeo Romano Pontifici fas non eſſe cenſent, terreno principatu, quacumque tandem ratione, potiri, idque jam militum præſidio tueri, atque defendere. At nulla eſt cauſſa, cur ſic exiſtiment. Nam neque ullus eſt ſcripturæ locus, qui impediat, neque traditione majorum ſtatui contra noſtram ſententiam quidquam poteſt. Quid ſi ne alia quidem ulla ſit ratio? Etenim ſi qua obſtaret, eadem ſane obſtitiſſet, quo minus in ſacris litteris Melchiſede-

viris, Pontificibuſque Romanis ſuſcipere licere. Id autem ad rem inſtitutumque noſtrum non pertinere. Jam locum alterum ejuſdem Scriptoris, qui eſt de privilegiis Imperatorum, & in quo ſtatuit Alexandri II. electionem ratam haberi oportere, propterea quod puer Imperator eſſet, neque pueri auctoritate quidquam de rebus Eccleſiæ decerni fas videretur; nihil ad rem illuſtrandam conferre. Non enim a nobis, quid Principes expeterent, quidque ſibi conceſſum Eccleſiæ arbitrio affirmarent, inquiri; ſed quid jure divino, poteſtatiſque ſpiritualis virtute agere Pontifices in Imperatores, regeſque impios poſſint. Id cum negatum a Petro Damiano nuſquam ſit, extentque exempla Pontificum ſuperiorum, quæ plane efficiant, negari ab eo jure nequiviſſe; ex ejuſdem locis nihil ſibi polliceri præſidii adverſarios poſſe. Quod ſi ad annum uſque 1076. ita ſe Gregorius VII. geſſit, ut de exturbando ex principatu Imperatore, Regeve ullo ne cogitarit quidem, non hinc eſſe conſequens injuria quidquam geſtum poſt in Henricum ab eodem Pontifice fuiſſe, pertraxiſſeque, ut pecudes, tot Epiſcopos, qui in Synodo aderant, in ſuam & novam, & inanem ſententiam. Sed de Synodo alias. Nunc de iis, quæ diſputata a Boſſuetio (1) fuiſſe ſupra vidimus, deque translato ab Græcis ad Francos Imperio. Errare enim hominem, cenſent noſtri, translatum ab Græcis ad Francos imperium fuiſſe putantem. Non enim ademtum Græcis, quod obtinebant, permulti noſtrorum defendunt, ſed reſtitutum, quod aliquamdiu ante interciderat, Caroloque Magno tributum ab Leone III. Pontifice Occidentis imperium. Nihili autem ab ſe pendi, quæ adverſarii de imperio auctoritate Populi Romani ad Francos tranſlato ſcribunt. Habere namque in promptu noſtros (2) luculen-

ſedechus Rex, idemque ſacerdos laudaretur. Ceterum nos regnum terrenum Pontifici datum negamus, ſed principatum, quem obtinet, conſecutum eum fuiſſe defendimus conſenſione populorum. Rurſum non ſuo gladio, ſed militum præſidio tueri religionem, & regna, in quibus orthodoxa religio viget, ejuſdem religionis cauſſa, Pontificem poſſe, non Baronius ſolum *ibid.* Bellarminus *lib.* v. *de Romano Pontifice cap.* IX. *pag.* 444. *edit. Veneta an.* 1721. Biancus *ibid. lib.* IV. §. IX. *n.* XIII. *pag.* 132. *ſqq.* ſed etiam s. Bernardus *lib.* IV. *de Conſiderat. cap* III. *pag.* 438. *edit. Pariſ. Monach. s. Mauri*, aliique defendunt. Hoc pacto cum egerit Leo IX. reprehendendus certe a Petro Damiano non erat. (1) *Ibid.*

2 Etſi Baronius ad an. 800. n. XVII. ademtum Occidentale imperium Irenæ, atque Con-

lentiſſima Scriptorum veterum teſtimonia, quibus demonſtrari, efficique plane poſſit, reſtitutum non populi, ſed Pontificis auctoritate Occidentale, ut dictum eſt, imperium fuiſſe, Franciſque datum, quos pios, optimeque de Eccleſia Romana meritos fuiſſe conſtaret. Atque cavendum quidem Boſſuetio, ſuiſque patronis eſſe, ne ſi uni, alterique populo, quem princeps deſeruiſſe videatur, fas eſſe putent, ab eo, cui jure jurando ſuam obligarit fidem, deficere, alterique ſe tranſdere, magnam in rempublicam invehant perturbationem rerum. Hac enim opinione conſtituta, vix ullum,

 qui

Conſtantino putet, rationeſque adducere conetur, quare Imperium Conſtantino reſtituendum non fuerit, tamen ſunt e noſtris, qui fieri ſecus debuiſſe arbitrentur, imperiumque non ablatum ab Græcis, ſed reſtitutum occidentale defendant, & Carolo Magno voluntate Leonis III. datum. De qua re conſulendus is, qui copioſiſſime de hoc argumenti genere diſputavit, Biancus *lib.* v. §. iv. *n.* 1. *ſqq. pag.* 178. *tom.* 2. *Della Poteſtà indiretta della Chieſa*. Extat vetus plumbum apud Biancum, in cujus antica parte Caroli imago cernitur loricata, ornataque Imperiali diademate, circumque plumbum inſcriptio D. N. KAR. IMP. P. F. P. P. AVG. *Dominus noſter Carolus Imperator Pius, Felix, Perpetuus Auguſtus*; in poſtica vero parte, deſuper crux, infra litteræ ROMA, circum vero RENOVATIO ROMAN. IMPER. *Renovatio Romani Imperii*. Alterum plumbum apud eruditiſſimum virum Franciſcum Baldinum, cujus eſt honoris cauſſa paullo ante facta mentio, ſervatur; in cujus antica parte Caroli imaginem, inſcriptionemque D. N. KARLVS P. F. PP. AVG. *Dominus noſter Carlus Pius, Felix, Perpetuus Auguſtus*, in poſtica vero inſcriptionem RENOVATIO ROMANI IMPERI cernere licet. Confer Biancum *ibid.* Age vero miſſis ceteris quorum teſtimonia deſcribit Biancus loco modo indicato *n.* ix. *pag.* 191. *ſqq.*, aliqua tantum, quæ ſatis eſſe videantur, afferamus. *Annales Metenſes ad an.* DCCCI. *tom.* v. *Scriptor. rer. Gallicar. & Francicar. p.* 350. *edit. an.* 1744. *Monachor. s. Mauri* „ Ipſa die ſacratiſſimi „ Natalis Domini, cum Rex ad Miſſam ante confeſſionem beati Petri Apoſtoli ab oratione „ ſurgeret, Leo Papa coronam capiti ejus impoſuit, & a cuncto Romanorum Populo ac- „ clamatum eſt; Carolo Auguſto a Deo coronato, magno, & pacifico, Imperatori Romano- „ rum vita, & victoria „. Eadem fere habet Regino *ad an.* 801. *p.* 404. *Collect. Germanic.* „ *Chronicor. Abb. Urſperg. & alior. edit. an.* 1609. Anaſtaſius *in vita* Leonis III. *p.* 126. *edit. Pariſ.* Fabroti an. 1646. „ Poſt hæc adveniente die natali Domini noſtri Jeſu Chriſti in jam „ dicta Baſilica B. Petri Apoſtoli omnes iterum congregati ſunt, & tunc venerabilis almificus „ Pontifex manibus ſuis propriis, pretioſiſſima corona coronavit eum. Tunc univerſi fide- „ les Romani videntes tantam defenſionem, & dilectionem, quam erga Sanctam Roma- „ nam Eccleſiam, & ejus vicarium habuit, unanimiter altiſona voce, Dei nutu, atque „ beati Petri clavigeri Regni Cælorum, exclamaverunt: Carolo Piiſſimo Auguſto &c. „. Cavillatur Boſſuetius, atque acclamationem populi indicium electionis a populo factæ eſſe pugnat. Sed errat longe mea quidem ſententia. Nam acclamatio indicium electionis jam factæ perſæpe erat. Initio IX. *libri Epiſtolar. s. Gregorii Magni p.* 1031. *tom.* II. *opp. edit. Pariſ. Monach. s. Mauri*, traditur: cum Conſtantinopoli electus Phocas Imperator eſſet, miſiſſetque Romam ſuam, uxoriſque imagines; propoſitas haſce populo fuiſſe; tuncque ſenatum, plebemque acclamaſſe: *Exaudi Chriſte: Phocæ Auguſto, & Leontiæ Auguſtæ vita*. Confer cetera, quæ ibidem differit Biancus *n.* IX. *pag.* 192. *ſeq.* Igitur ſapienter eſt animadverſum ab Natali Alexandro viro doctiſſimo, cum quæreret, *cujus auctoritate datum* Carolo imperium fuiſſet: *Leonis id III.* auctoritate factum eſſe, *qui ipſum coronavit, & Romanis auctor fuit, ut ipſum Imperatorem ſalutarent* ſcribit *Hiſ. Eccl. ſec.* IX. & X. *Diſſ.* II. *tom.* VI. *edit. an.* 1734. *pag.* 391. *ſeq.* Quinetiam Mabillonius *ad an.* DCCC. *Annal. Benedict. n.* LXXXVIII. *pag.* 318. *tom.* II. *edit. Lucenſis*: „ Carolus, *inquit*, die feſto natalis domini „ Imperatoris titulo a Pontifice inſignitus eſt.

qui tuto in Provinciis imperium obtineat, Principem (1) futurum. Addunt præterea noſtri, non eſſe antiquis canonibus opus, ubi tot extant auctoritatis Pontifici divinitus datæ vetera & exempla, & monumenta. Non enim canonum vi, ſed divina inſtitutione hoc poteſtatis genus in Romanam Eccleſiam permanaſſe. Multa quoque fuiſſe in cauſſa, quare exempla primorum Eccleſiæ ſeculorum nulla habeamus. Hæc (2) cum indicata ſupra ſint, deſcribi rurſum non oportere. Itaque Gregorium VII. Pontificem Maximum, cum de gradu Henricum Imperatorem dejecit, non ſuo arbitratu quidquam, ſed ratione, auctoritate, more, inſtitutoque majorum feciſſe (3).

De Synodis Oecumenicis, ſi quid conſtituant communi voluntate, & conſenſione, idque jam ex ſcripturis, majorumque traditione proficiſci affirment, Chriſtianiſque ad credendum proponant, id quidem noſtri ad fidem pertinere cenſent (4). Sed de fide nolo equidem multis agere. Non enim cum iis contentio nobis, altercatioque eſt, quos communione Eccleſiæ Catholicæ prohibitos eſſe putem. Neque vero umquam eorum ſcribendi, diſputandique rationem probaverim, qui hæreſeos aliquem damnare audent, quem Eccleſia ſciens, quid ipſe teneat, non ſolum minime damnarit, ſed etiam in ſuis numerari membris ſinat. Hoc dico:

1 Conſule, quæ ſcribit Biancus *ibid.* §. 1. *ſqq.* *n.* 1. *ſqq* *pag.* 147. *ſqq.*

2 Vide ſupra *pag.* 204. *ſeqq. hujus vol. n.* 1. *ſeqq.*

3 Confer quæ ex Boſſuetio ſupra diximus *pag.* 168.

4 Conſule Melchiorem Canum *lib.* VI. *cap.* VIII. *pag* 195. *ſeqq. edit. an.* 1714. ubi eadem ſtatuit, quæ nos de Synodis diximus. Jam vero idem ipſe Canus in iis locis, quibus utitur Boſſuetius, ut *lib.* V. *cap.* V. *pag.* 157. *ſeq.* non eſſe continuo putandum ad fidem ſpectare Pontificis de re quacumque judicium, dicit. Atque hoc ſane nemo eſt noſtrum, qui neget. Quare id etiam Bellarminus fatetur *lib.* IV. *cap.* XII. *de Romano Pontif. pag.* 411. *tom.* 1. *opp. edit. Venetæ an.* 1721. a quo non diſſentit Raynaldus ad an. 1324. *n.* XXXII. Nam quæ aut facto non decreto, aut etiam ſtatuto, ut privati Doctores edicunt Pontifices Maximi, ad fidem profecto non pertinent. Sed quæ vel ipſi decernunt, ut manans ex ſcriptura, & traditione majorum, propoſitiſque decretis tenendum affirmant, quis eſt noſtrum, qui pro certo habendum, credendumque neget? Scio arbitrari Gallos aſſenſionem Eccleſiarum Pontificis ſanctioni, ut tantam auctoritatem obtineat, accedere oportere. At ne id quidem Boſſuetio præſidio eſſe poteſt, quum non ſolum aliarum gentium Epiſcoporum in hoc genere, ſed etiam Gallorum in ſynodis adjuncta fuerit Pontificiis ſtatutis conſenſio. Fac autem Galli diſſenſerint, quod falſum eſt, an horum auctoritas æquari poteſt auctoritati reliquarum Eccleſiarum Catholicarum? Non equidem cenſeo ita eſſe Gallos comparatos poſſe, ut ſuas vel anteferri, vel æquari multitudini tantæ poſſe, quæ præſertim Pontificem caput nempe Eccleſiæ, atque Doctorem ſequatur, putent.

dico : ſi conciliorum Oecumenicorum decretis ſtatutum quidpiam eſt , quibus dijudicandi de controverſiis liquet eſſe a Chriſto facultatem datam, hoc totum concedi non ab Italis modo , ſed ab Gallis etiam oportere . Una enim omnium Orthodoxorum in hoc genere eſſe debet , eademque ſententia . Jam vero ab Synodis non (1) nationalibus modo , ſed etiam (2) œcumenicis fuiſſe aliquando ſtatutum , jus Pontifici Romano eſſe declarare : excidiſſe imperio Regem, qui

1 „ Anno ab Incarnatione Domini 1080. Pontificatus vero Domini Gregorii VII. Papæ anno VII. Indictione III. celebravit ipſe Dominus Papa Synodum Romæ , ubi interfuerunt Archiepiſcopi , Epiſcopi diverſarum Urbium , nec non & Abbatum , ac diverſarum Urbium Clericorum , & Laicorum innumerabilis multitudo , in qua Apoſtolica conſtituta corroborans, multa quæ corrigenda erant correxit , & quæ corroboranda firmavit. *Synod. Rom. VII. apud Harduinum tom. VI. Concilior. part. I. pag. 1587. Cap. VII. ejuſd. Synodi pag. 1589.* legitur excommunicationis in Henricum Imperatorem latæ ſententia . *Pag.* 1591. extat declaratio , qua excidiſſe imperio Henricum denunciatur . *Pag.* 1592. ea habentur , quæ ſatis indicant , Synodi auctoritatem auctoritati Pontificis acceſſiſſe . Legati enim Rodulphi Regis Romanorum ſic Pontificem alloquuntur . „ Nos ex legatione *Domini* „ noſtri Regis Rodulphi , & Principum ejus conquerimur Deo , & Sancto Petro , & cuncto „ huic Sanctiſſimo Concilio , quod ille Henricus , quem vos auctoritate Apoſtolica depoſuiſtis a regno , idipſum regnum contra veſtrum interdictum tyrannice invaſit „ . Confer etiam III. Concilium Romanum celebratum eodem Gregorio Pontifice an. 1076. *apud Harduin. tom eodem Conciliorum pag* 1566. & Hiſtoriam Synodi Lateranenſis ſub Alex. III. an. 1168. celebrati , apud eumdem Harduinum *Tom. eod. par. II. pag. 1623. ſeq.*

2 Synodus Generalis Lateranenſis III. ſub Alexandro III. P. M. *an.* 1179. *cap.* XXVIII. *quod eſt de Hæreticis . ibid. pag.* 1684. „ Relaxatos autem ſe noverint a debito fidelitatis, „ & hominis , ac totius obſequii , donec in tanta iniquitate permanſerint , quicumque illis „ (hæreticis) aliquo peccato tenentur annexi . „ Synodus Lateranenſis IV. ſub Innoc. III. P. M. an. 1215. quæ quidem Synodus, ut recte eſt ab Charlaſio animadverſum *lib.* VII. c. V. *pag.* 17. *tom.* II. *edit. an.* 1720 *De lib. Eccl. Gallic.* jure eſt a Cardinali Perronio *univerſaliſſima* appellata , propterea quod præter Summum Pontificem , & Patriarchas Conſtantinopolitanum , & Hieroſolymitanum , & Legatos Alexandrini , atque Antiocheni , ſeptuaginta Archiepiſcopos , & quadringentos , ac duodecim Epiſcopos , innumerabilemque pene multitudinem alius generis Præſulum , eidem vel per ſe , vel per legatos Imperatores , Reges , Principeſque , nempe Imperatores Orientis , & Occidentis , Rex Hieroſolymorum, Rex Galliarum , Rex Angliæ , Rex Aragoniæ &c. interfuerint ; Synodus , inquam , Lateranenſis IV. *cap.* III. *tom.* VII. *edit. concilior. Pariſ. Harduin. pag.* 18. *ſeq.* „ Moneantur autem , & inducantur , & ſi neceſſe fuerit , per cenſuram Eccleſiaſticam compellantur SECULARES POTESTATES , QUIBUSCUMQUE FUNGANTUR OFFICIIS , ut ſicut „ putari cupiunt , & haberi fideles , ita pro defenſione fidei præſtent publice juramentum, „ quod de terris ſuæ juriſdictioni ſubjectis , univerſos hæreticos ab Eccleſia denotatos bona „ fide pro viribus exterminare ſtudebunt , ita quod amodo , quandocumque quis fuerit in „ poteſtatem ſive ſpiritualem , ſive temporalem aſſumtus , hoc teneatur capitulum juramento firmare . Si vero Dominus TEMPORALIS requiſitus , & monitus ab Eccleſia , terram ſuam purgare neglexerit ab hac hæretica fœditate , per metropolitanum , & ceteros „ provinciales Epiſcopos excommunicationis vinculo innodetur . Et ſi ſatisfacere contempſerit intra annum , ſignificetur hoc Summo Pontifici , ut ex tunc ipſe vaſſallos ab ejus „ fidelitate denunciet abſolutos , & terram exponat Catholicis occupandam , qui eam exterminatis hæreticis , ſine ulla contradictione poſſideant , & in fidei puritate conſervent ,

qui Eccleſiæ, religionive bellum intulerit, animadverſum a noſtris Scriptoribus eſt, quorum ſane a Boſſuetio, ceteriſque, qui contra pugnant, argumentum numquam eſt; non

,, vent, ſalvo jure Domini principalis, dummodo ſuper hoc IPSE NULLUM PRÆSTET OB-
,, STACULUM, NEC ALIQUOD IMPEDIMENTUM OPPONAT: EADEM NIHILOMINUS LEGE
,, SERVATA CIRCA EOS, QUI NON HABENT DOMINOS PRINCIPALES ,,. Non ergo *Feudatarios*, quos vocant, ſolum Principes, ſed etiam principales dejectos eſſe de dominio declarat Concilium. Quare labuntur, qui hoc interdum reſponſi genus, ut ſeſe expediant, adhibent: De feudatariis tantum agi a ſacris Conciliis, non vero de iis, qui principatum ſic obtinent, ut nullum habeant ſeſe ſuperiorem. Rurſum, qui dicunt, conceſſione principum laicorum, decreta hæc fuiſſe ab Synodis, næ hi vehementer errant. Principio enim ſuo id arbitratu, non ulla ratione fieri, dicunt. Deinde ſi hæc reſpondendi ratio in Eccleſiam introducatur, verendum erit, ne quæcumque de diſciplina, ſacriſque rebus ab Epiſcopis in Synodis ſanciuntur, ea conceſſione principum ſancita putent, qui plus quam oporteat, principibus tribuendum defendunt. Tertio autem loco, quibus argumentis Boſſuetius efficiet; conceſſionem a Principe ullo fuiſſe Romano Pontifici poteſtatem ſolvendi ſubditos juriſjurandi religione, qua eidem ſe principi abſtrixerunt, factam? Conſule Biancum *ib. tom.* 1. *lib.* 1. §. XVII. *pag.* 138. *ſeqq.* Huic autem, aliiſque canonibus Epiſcopi, qui aderant, ſubſcripſerunt, ne factum id fuiſſe adverſarii cenſeant, non *ſacro approbante*, ſed *ſacro præſente Concilio*. Extat præterea Decretum de *terra Albigenſi* apud Dacherium *tom.* VII. *Spicilegii pag.* 210. *prima edit.* & apud Harduinum *ibid. pag.* 79. *ſeq.* ,, quia vero novel-
,, la plantatio adhuc indiget irrigari, ſacro conſulto concilio ita duximus providendum,
,, ut Raymundus Tholoſanus comes, qui culpabilis repertus eſt in utroque, nec umquam
,, ſub ejus regimine terra poſſit in fidei ſtatu ſervari ... ab ejus dominio, quod utique grave
,, geſſit, perpetuo ſit excluſus ... Tota vero terra, quam obtinuerunt crucesignati adver-
,, ſus hæreticos, credentes, & fautores, & receptores eorum, cum monte Albano, atque
,, Tholoſa ... dimittatur, & concedatur ... Comiti Montis Fortis viro ſtrenuo, & Catholi-
,, co, qui plus ceteris in hoc negotio laboravit, ut eam teneat ab his, a quibus de jure te-
,, nenda eſt ,,. De Concilio Lugdunenſi I. habito an. 1245. ſub Innocentio IV. adverſus Fridericum II. Imperatorem, vide quæ dixi ſupra *p.* 236. Ex eo autem Concilio, qua auctoritate freti Patres Imperatorem Regno excidiſſe declararint, conſtat. Non enim ſe conceſſione Principum egiſſe, ſed auctoritate Apoſtolica, conſentientibus Epiſcopis, Innocentius dixit. Concilium Conſtantienſe an. 1414. *ſeqq.* celebratum *ſeſſ.* XIII. *p.* 441. *T.* VIII *Concilior. ejuſd. edit. Hard.* hanc pœnam in eos conſtituit, qui Sigiſmundo Regi Romanorum in Aragoniam proficiſcenti auſi fuiſſent inferre injuriam ,, quicumque cujuſcumque ſtatus, aut conditionis
,, exiſtat, etiamſi REGALIS, Cardinalatus, Patriarchalis, Archiepiſcopalis, Epiſcopalis, Du-
,, calis ... ſeu alterius cujuſcumque dignitatis, ſeu ſtatus Eccleſiaſtici, vel ſecularis exiſtat,
,, qui ſereniſſimum, & chriſtianiſſimum principem dominum Sigiſmundum Romanorum, &
,, Hungariæ Regem, vel alios cum eodem ad conveniendum cum Domino Rege Aragonum
,, pro pace Eccleſiæ ad extirpationem præſentis ſchiſmatis per hoc ſacrum Concilium ordi-
,, natos, ad dictam conventionem euntes, vel redeuntes impediverit, perturbaverit, vel
,, moleſtaverit, ... ſententiam excommunicationis auctoritate hujus ſacri Concilii genera-
,, lis ipſo facto incurrat, abſolutione ejuſdem ipſi ſacro Concilio, ſeu futuro, unico, &
,, indubitato ſummo Pontifici, præterquam in mortis articulo ſpecialiter reſervata: &
,, ULTERIUS OMNI HONORE, ET DIGNITATE, OFFICIO, BENEFICIO ECCLESIASTICO, VEL
,, SECULARI SIT IPSO FACTO PRIVATUS ,,. Conceſſione id principum factum, decretumque dici poſſe Boſſuetius putat. Verum exploſa hæc eſt a nobis paullo ante ſententia. Agi deinde de officiis, & beneficiis Boſſuetius cenſet, quæ Eccleſiæ eſſent vel *innato*, vel *acquiſito jure*. Hoc autem ſi verum eſt, quid opus eſſet *conceſſione principum* ad privandos refractarios officio, ac beneficio, quod Eccleſiæ vel innato, vel acquiſito jure competeret? Quid ergo? vir graviſſimus vi argumenti preſſus, modo hoc, modo illud opponit, ut tueri ſe poſſit. Sed verba, quæ ſynodus uſurpat, tam late patent, ut coarctati in ſenſum arctio-

non dicam ratione everſum , ſed ne debilitatum quidem . Nam quod ajunt adverſæ cauſſæ patroni , dejectos de gradu , ac dignitate interdum Principes *non ſacro approbante*, (1) *ſed ſacro præſente Concilio* fuiſſe, inane eſt . Etenim præſente concilio quidquam contra Scripturæ , Patrumque auctoritatem , quin aliqui ſaltem Epiſcopi repugnarent , ſancitum a Pontificibus fuiſſe, tam eſt abſurdum , ut, niſi dictum a Boſſuetio eſſet , veniſſe in cogitationem cujuſquam , ne ſuſpicari quidem poſſem . Tantum ſcilicet præjudicata opinio valuit , ut quæ quis alio in genere non uſurpaſſet , ea quamlibet levia , atque a comuni ſenſu aliena , cum rationes non habeat , quibus ſe tueatur , uſurpanda tamen in cauſſa , quam defendit , putet . Ac falſum præterea eſt , eam agendi Pontificum rationem Patres , qui in Synodo aderant , non probaſſe , aut ſibi temperaſſe , quo minus decreto ſubſcriberent . Nam ſubſcripſiſſe omnes , qui ad Synodum Lugdunenſem , Innocentio IV. Pontifice, adverſum Fridericum Secundum Imperatorem celebratam , acceſſerant , demonſtratum (2) ſupra teſtimoniis illuſtrium auctorum eſt , quos

arctiorem nequeant . Vide Biancum *eodem lib.* 1. §. XIX. *pag.* 159. *ſeqq.* Neque id nos declaratum ab ſynodo ut fidei dogma nunc dicimus , ſed ſumtum , ac poſitum uti rem certam . Sunt qui negent decretum ſimile quidpiam ab ſynodo fuiſſe , quod Cardinalis de Alliaco, & Gerſonius adeſſent , qui cum opinionem adverſam defenderent , nunquam paſſi fuiſſent , ut decerneretur . At de his alias . Denique Concilium Tridentinum *ſeſſ.* XXV. *De Reformat. cap.* XIX. *pag.* 188. *tom.* X. *concilior. edit. Pariſ. Hard.* „ Deteſtabilis duellorum uſus fa„ bricante diabolo introductus , ut cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lu„ cretur , ex Chriſtiano orbe penitus exterminetur . Imperator , Reges , Duces , Princi„ pes , Marchiones , Comites , & quocumque alio nomine domini temporales , qui locum „ ad monomachiam in terris ſuis inter Chriſtianos conceſſerint , eo ipſo ſint excommunica„ ti , ac juriſdictione , & dominio civitatis , caſtri , aut loci , in quo , vel apud quem duel„ lum fieri permiſerint , quod ab Eccleſia obtinent , privati intelligantur , & ſi feudalia „ ſint , directis Dominis ſtatim acquirantur . Qui vero pugnam commiſerint , & qui eo„ rum patrini vocantur , excommunicationis , ac omnium bonorum ſuorum proſcriptio„ nis , ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant „ . De feudalibus , & de iis , quas ab Eccleſia Principes , Marchioneſve &c. obtinerent , terris ab Synodo agi Boſſuetius putat , non de ceteris . Hoc ſi ita eſt , cur addidiſſet Concilium : *Et ſi feudalia ſint directis Dominis ſtatim acquirantur* ? Non ergo feudalia ſolum , ſed etiam cetera comprehendit . Alioqui hæc dicendi ratio : *& ſi feudalia ſint* , inanis profecto eſſet . Addit Boſſuetius : Hæc fortaſſe ſacroſancti Concilii verba in cauſſa fuiſſe , quare Synodus in Galliis minime acceptaretur . At ſi acceptata ab Gallis non eſt , acceptata quidem certe ab Orthodoxo reliquo Orbe fuit , a quo qui recedit , is ſingulare quidpiam , contra Eccleſiæ ubique gentium propagatæ ſenſum , ut unius regionis hominibus aſſentiatur putandus eſt , tueri velle . Quod quam ſit periculoſum ipſe viderit .

1 Vide Boſſuetium *lib.* IV. *par.* 1. *cap.* VIII. *pag.* 341.

2 *Pag.* 236. *hujus vol. not.* 1.

quos æquales fuiſſe temporum illorum conſtat. Scilicet *formula* quædam, quæ ea ætate adhiberi ſoleret; erat, ut ſcriberetur: *Sacro præſente Concilio*, quin inde conjectura quiſquam aſſequi ſe poſſe confideret, non conſenſione Epiſcoporum, ſed unius Pontificis voluntate rem fuiſſe in Synodo conſtitutam. Neque vero prætermittendum ſilentio eſt, quod maxime conferre ad noſtrorum ſententiam confirmandam videtur. In Gallia enim, ejus regionis Epiſcopis non præſentibus modo, ſed etiam annuentibus, inſpectantibuſque Proceribus Regni, auctoritate Pontificis ſeculo Eccleſiæ tertio, ac decimo Fridericus Imperator Regno privatus enunciatus eſt, quin ullus reperiretur, qui injuria (1) quidquam in tantum Principem factum diceret. Quo igitur pacto immutari ejuſdem Regni hominum ratio potuit, ut quod tum ratum, propterea quod conſentaneum ſacris Scripturis, majorumque traditioni videretur, idem nunc irritum eſſe putent, quaſi componi cum novi Teſtamenti Scripturis, ſententiiſque Patrum non poſſit? Quod adjungit Boſſuetius (2), intellectam fuiſſe ab iis neque recte, neque ut veritas poſtulabat, qui ad Concilia concurrerunt, majorum noſtrorum de *excommunicatis vitandis* ſententiam, quemadmodum injurium eſſe tot ſeculorum, totque regionum Epiſcopis, Synodiſque Oecumenicis nequeat, nullo modo prorſus intelligo. Ita enim fiet, ut quod ab Synodis Oecumenicis de Primatu Romani Pontificis, deque docendi auctoritate ſtatutum eſt, ſi cuiquam hominum non placeret, rejiceretur impune, quaſi profectum eſſet ex male intellecta Scripturarum, veterumque Patrum ſententia. Quid autem de his duobus decretis

1 Qui Synodo adfuerint, traditum in Actis eſt *pag.* 378. *tom.* VII. *edit. Pariſ. Concilior. Hard.* Quod vero ſacro approbante Concilio Innocentius Fridericum de regno deturbatum fuiſſe declararit, conſtat ex iiſdem Actis *pag.* 380. ſi enim Synodus non adprobaſſet, quæ gerebantur a Pontifice, cur Judex Thaddæus ad aliam Synodum appellaſſet? Nam ſic ibidem habetur. „ Tunc ſurrexit Judex Thaddæus, percipiens, quod jam ſecuris „ erat poſita ad radicem pro multorum privilegiorum authenticatione, & ſi contra dictum „ Imperatorem vellet procedere, appellaret ad futurum Summum Pontificem, & CONCILIUM GENERALE. Ad quæ Dominus Papa reſpondit humiliter, & benigne, quod ILLUD „ ERAT CONCILIUM GENERALE, QUIA TAM PRINCIPES SECULARES, QUAM CLERICI AD „ ILLUD FUERANT INVITATI, ſed omnes, qui in juriſdictione Imperatoris fuerant, ad „ illud eos accedere non permiſit, propter quod appellationem non admittebat eamdem.

2 Vide ſupra *pag.* 169. *hujus vol.*

cretis Religionis Orthodoxæ dico? Nullum certe erit, quod hac libertate dicendi, everti decretum Religionis, tollique funditus non poſſit. Nos quæ ſtatuta ab Oecumenicis Conciliis fuerunt de poteſtate Papæ, deque ceteris rebus, quæ ad religionem, moreſque pertinent, maximam vim obtinere confitemur, quin quærendum putemus eſſe, ulla ne ratione, cum de iis definiendis Patres deliberarent, uſi ſint, quæ non omnino certa, *efficaxque* eſſet. Non enim audebit quiſquam Orthodoxorum ſine hæreſeos manifeſtæ nota, negare: Spiritum Sanctum a Patre, Filioque procedere, quod contra Græcos producta ab iis, qui pro Latinis diſputabant, aliquando fuerit Sancti Thomæ ratio, non omnibus quidem Catholicis probata, cum ei Scotiſtæ repugnent, quæ ratio, *ex diſtinctione Filii a Spiritu, concludit Spiritum Sanctum ipſum ex filio eodem procedere* (1). Quodſi aliqui Epiſcopi (2) fuerunt, qui a Greg. VII. poſt latam adverſus Henricum in Synodo, conſen-

1 Confer acta Synodi Florentinæ *ſeſſ.* 22. *tom.* IX. *Concilior. edit. Hard. pag.* 267. *ſeq.*

2 Utitur principio Boſſuetius teſtimonio Gebhardi Antiſtitis Juvavienſis, quod nos ſupra pag. 170. *not.* 1. deſcripſimus. Sed is, qui optime intelligeret, non omne eſſe crimen æquali pœna plectendum, neque omnem *excommunicationem* eumdem ſecum ferre ſejunctionis a cœtibus ſacris gradum: quare eſſe genera quædam *excommunicationum* earumdem ab aliquibus tantum ſacris rebus hominem; alia, quæ ab omnibus; alia rurſum, quæ a commercio quoque civili arcerent; non exiſtimavit, cautum Eccleſiaſticis legibus fuiſſe, ut qui prohibitus eſſet communione Eccleſiæ, arceri a commercio civili ſemper deberet; ſed & aliquando tamen deberet ab hoc item arceri, cognovit. Ergo Henricum, qui cauſſa ſchiſmatis, erroriſque ſejunctus ab Gregorio fuiſſet a communione Eccleſiæ, ne commercio quidem civili cenſuit gaudere debuiſſe. Itaque dum quæſtionem evolvit, an cum *excommunicatis* communicare in civilibus rebus fas eſſet, loquutus eſt de iis, qui in conciliabulo Wormatienſi Gregorium de ſede ab ſe dejici putarant poſſe, aliumque creare Pontificem, adeoque ſe ab unitate ſejunxerant. Atque hac ratione demonſtravit, non obſtringi *Henrico* ſubditos jurisjurandi religione, quod is una cum Schiſmaticis parere Pontifici neglexiſſet. Sunt autem Gebhardi verba hujuſmodi in *ead. Epiſt.* „ Indiſcuſſum, inauditum, inconvictum, nec con„ feſſum, vel commonitum Wormatiæ depoſuerunt; Guibertum Antipapam, vivente vero „ ac legitimo Pontifice Gregorio, in Petri Cathedram intruſerunt &c. Et „ Ecce omni „ tergiverſatione remota, cauſſæ a nobis expoſitæ ſunt de hoc, quod excommunicatis, „ quibus illi communicant, non communicamus &c. „. Rurſum: „ Dicitur nobis: fidelita„ tem Principi juraſtis. Si ei fideles eſſe vultis, fidem domno Apoſtolico, & obedientiam „ abnegate, & illam abnegationem juramento, vel ſcripto firmate, & ab excommunicatis „ a Sede Apoſtolica non abſtinete, & non abſtinendum docete „. Similia ſcribunt Stephanus Alberſtadienſis *epiſt ad Waltramum p.*446. *apud Dodechinum in Chron ad an.*1090. *edit. Lugd. an.*1559. „ Pro his nefandis malis ab Apoſtolica ſede excommunicatus (Henricus) nec regnum, nec poteſtatem ſuper nos, quia Catholici ſumus, poterit obtinere. De Waltramo Magdeburgenſi conſule, quæ ſcribit Dodechinus in Chronico ad *an.* 1090. *pag* 443. *ſeq. edit. an.*1559. De Bruno Archiepiſcopo Trevirenſi hæc habet Auctor vetus Trevirenſis Hiſtoriæ apud Acherium *tom.* II. *ſpicil. pag.* 220. *ſeq. edit. an.* 1723. „ Anno ordinationis ſuæ ter„ tio

ſenſione Patrum, ſententiam diſſiderent, id vero non efficit, Synodi decretis eſſe adimendam fidem. Nulla enim res umquam definita ab Conciliis eſt, quæ oppugnatores acres, vehementeſque aliquos Epiſcopos non experiretur, ut qui rebus novis ſtuderent. Sed horum, qui aut in ſchiſmaticis, aut in hæreticis numerati ſunt, non tanti haberi exiſtimationem, auctoritatemque conſueviſſe, ut quidquam de veritate, fideque decreti deriperetur. Nihil dico de Philippo Francorum (1) Rege. Non enim eſt otium. Hoc ſatis arbitror futurum: eum, ſi communione Eccleſiæ prohibitus fuit, de regno autem dejectus, non item; quidquam aut præſidii, aut damni afferre alterutri parti nullo modo poſſe, cum Galli aliis premantur argumentis, nobiſque ſint in promtu, quibus nos tueamur, exempla permulta, quin diu in hoc illuſtrando conterendam eſſe operam arbitremur. Neque vero cauſſa ulla erat, quamobrem Boſſuetius *inſcitiæ* eos argueret, qui uterentur ad poteſtatem Romani Pontificis demonſtrandam

„ tio, menſe martio Romam profectus, Apoſtolorum gratia, & percipiendæ benedictionis „ magiſtri cauſſa, invenit Dominum Paſchalem Papam univerſali Synodo præſidentem, „ Papatus ſui annum octavum agentem, a quo honorifice ſuſceptus eſt ... ſed quoniam Epiſ- „ copalia, annulum videlicet, & baculum per manum laicam ſuſcepiſſet, atque quia Ec- „ cleſiam dedicaſſet, & clericos, necdum pallium conſecutus, promoviſſet, multum aſpere „ correptus eſt, & decernente Epiſcoporum ibi congregatorum Concilio, Pontificatus of- „ ficium depoſuit, quod tamen ipſis intervenientibus, quia diſcretio ejus, & prudentia „ officio, & tempori congruens erat, poſt triduum, non ſine admiſſorum pœnitentia recupera- „ vit, injuncta ei pœnitentia &c. Cetera vide apud Biancum *ibid. lib.* II. §. V. *pag.* 232. *ſeqq.* De s. Otthone Bambergenſi, quod Boſſuetius ſtatuit, nihil moror. Primum enim ſchiſmaticum fuiſſe fateor. Poſt errorem deteſtatus eſt, ac libens pœnitentiam deinde poſtulavit. Conſule ejus vitam *l.* I. *c.* VII. *t.* III. *P.* I. *Antiq. Lect. Caniſii pag.* 45 *edit. an.* 1725. Quid? annon Ermenoldus Abbas, cujus agendi rationem ſibi præſidio eſſe Boſſuetius exiſtimavit, auſcultare Imperatori, poſt Pontificis ſententiam, recuſavit? Confer Baronium ad an. 1121. n. VIII. & vitam s. Ermenoldi apud Caniſium *t.* III. *P.* I. *p.* 97. *ejuſd. edit.* Quod ad Leodienſem clerum attinet, negari nequit, quin eſſet Schiſmaticus, cum ſe catholicum eſſe jactaret. Itaque non eſt ejus ullo in pretio habenda ſententia. Adeundi Natalis Alexander *Hiſt. Eccl. tom.* VII. *ſecul.* XI. *&* XII. *Diſſ.* II. *Art.* XVI. *pag.* 324. *edit. an.* 1734. & Biancus *ibid. p.* 247. *ſeqq.* Sed omnia perſequi non vacat, quæ ad cauſſam Gregorii VII. pertinent, & ſucceſſorum. Itaque auctor lectoribus ſum, ut Biancum conſulant *lib.* I. *Della Poteſtà indiretta della Chieſa* §. III. *ſeqq. pag.* 218. *ſeqq.* Iis enim §§. oſtendit, Scriptores eorum temporum Catholicos omnes ab Gregorio ſtetiſſe, decretaque ejus Pontificis ſchiſmaticis diſplicuiſſe. Neminem orthodoxorum reſtitiſſe Gregorii ſententiæ, quaſi imperitus rerum Eccleſiaſticarum, virtutiſque cenſuræ excommunicationis eſſet. Epiſcopos Germanos, qui Pontificis partibus ſtudebant, non habuiſſe in numero Imperatorum deturbatum de Throno Henricum &c.

1 De Philippo I. circa *an.* 1094. *ſeq.* vide Boſſuetium *tom.* I. *Declarat. Cler. Gallic. Defenſ. P.* I. *lib.* III. *cap.* X. *pag.* 299. *edit.* 1745. & Biancum *ibid. l.* V. §. IX. *pag.* 274. *tom.* II.

dam Ivonis Carnutenſis loco . Nam qui confitetur, Gregorii epiſtolam ad Erimannum (1) ab Ivone fuiſſe collectioni canonu m inſertam (qua quidem epiſtola Gregorius ipſe quibus rebus permotus Henricum imperio excidiſſe declararit, ſignificat) is fateatur neceſſe eſt, illam & probatam Ivoni fuiſſe, & aliis ut probarent, propoſitam . Sunt autem in ejuſdem ſcriptoris operibus nonnulla , quæ plane efficiant, quid ille de Poteſtate Romanorum Pontificum in hoc genere exiſtimarit .

Atque eſſe quidem noſtri ridiculum , ajunt , quod adverſarii de altero Henrico animadvertunt . Nam Boſſuetius (2), eos qui ſuſpicerent exemplum Gregorii VII. tentaſſe neſcio quid ſimile adverſus hunc etiam Imperatorem, ſcribit. Quaſi vero qui Pontifices quidquam de Eccleſia vel agunt , vel ſtatuunt , habere non debeant ſuperiorum Pontificum rationem . Neque vero Gregorius ipſis ſolum , ſed perplures alii Romani Præſules , quorum eſt ſupra facta commemoratio , præiverunt .

S. Bernardum , etſi nihil affirmaſſet, ex quo fas eſſe Pontifici regem de dignitate dejicere , dejectumque declarare , colligeretur ; tamen novorum Gallorum partibus minime ſtudiſſe noſtri defendunt . Sunt autem ab eo quædam litterarum mandata monumentis , quæ ſane indicent , fuiſſe ipſum ad noſtram ſententiam propenſiorem (3) . Nam de Ivone ,

 quo-

1 Confer Ivon. *lib.* v. *Decreti c.* CCCLXXVIII. *p.* 190. *edit. an.* 1647. Idem Ivo *Epiſt.* CVI. *edit. Jureti an.* 1647. *pag.* 50. *t.* II. ,, Celſitudinem (*ſcribit autem ad Henricum Anglorum* ,, *Regem*) veſtram obſecrando monemus , quatenus in regno vobis commiſſo , verbum Dei ,, currere permittâtis , & regnum terrenum cœleſti regno, quod Eccleſiæ commiſſum eſt , ,, ſubditum eſſe debere ſemper cogitetis . Sicut enim ſenſus animalis ſubditus debet eſſe ,, Eccleſiaſtico regimini *&c.* ,, . Adeundus Bianeus *ibid. lib.* v. §. XI. *n.* v. *p.* 312. *& ſeqq.* ubi multa de Ivonis ſententia egregie diſputat .

2 Vide ſupra *pag.* 170. *hujus vol.* Sed de Henrico V. confer eruditiſſimum Bianeum , qui accurate , quæ dicta ab aliis erant , collegit , illuſtravitque *lib.* v. §. x. *ſeqq. pag.* 167. *ſeqq.*

3 *Epiſt.* CXXVII. *tom.* I. *opp. pag.* 138. oſtendit ab ſe non fuiſſe appellatum Rogerium Regem , quamdiu Schiſma ſequutus eſt ; ſed Ducem Apuliæ . ,, Habet Ducem Apuliæ (Anacletus Antipapa) ſed ſolum ex principibus , ipſumque uſurpatæ coronæ mercede ridicula ,, comparatum ,, . *Epiſt. ad Piſanos* CXXX. *pag.* 140. eos quidem laudat , quod Pontifici obedirent , Rogerium autem Siciliæ *tyrannum* vocat . Eos igitur , quos Pontifex in regum numero non haberet , ne Bernardus quidem habendos cenſuit . Sed de Bernardo Bianeus & diligenter , & copioſius . *Ibid.* §. XII. *n.* v. *pag.* 313. *ſeqq.*

quoniam dictum paullo ante eſt, non eſſe iterum diſputandum cenſent. Anſelmum Cantuarienſem Archiepiſcopum, qui Henricum quartum Imperio multatum, non eſſe legitimum Imperatorem putaverit, Romanis quidem, non Gallis, qui contra nunc ſtatuant (1), conſenſiſſe. Hugonem Victorinum negaſſe Pontifici in ditiones Principum invadendi poteſtatem; puniendi autem eos, declarandique indignos eſſe, qui imperio potiantur, ſi Eccleſiam, religionemque evertere ſtudeant, non negaſſe (2).

Non minus eſſe inane, quod Boſſuetius opponit de Friderico primo Imperatore. Denunciatum enim auctoritate Pontificis fuiſſe indignum imperio, qui (3) neget; neſcio cur non idem lucere in meridie Solem negare non poſſit. At appellatus, cum dejectus eſſet de imperio, ab Alexandro III. Imperator fuit. Repugnant vehementer noſtri. Ab ſuis Germanis appellatum Imperatorem ajunt, ab ceteris autem gentibus negant (4).

Henricum autem ſextum, & Philippum Auguſtum Francorum Regem, ſi prohibiti Eccleſiæ communione fuerunt, quin eſſent privati regno, parvi referre. Non enim omnes, neque quamcumque ob cauſſam *excommunicatos*, reges continuo eſſe multandos imperio.

Quodſi Otho IV. & Johannes Rex Angliæ, cui *ſine terra* cognomen fuit, cum Innocentii III. P. M. auctoritate deturbati de principatu fuerunt, maximam intulerunt in Eccleſiam, remque publicam partem incommodorum, id nec poteſtati Romanorum Pontificum, neque Innocentio, qui

1 1. Anſelmus Epiſt. ad Valramum: „ Anſelmus ſervus Eccleſiæ Cantuarienſis Valramo „ Naumburgenſi Epiſcopo. Scienti breviter loquor. Si certus eſſem, prudentiam veſtram „ non favere ſucceſſori Julii Cæſaris, & Neronis, & Juliani Apoſtatæ contra ſucceſſorem, „ & Vicarium Petri Apoſtoli, libentiſſime vos, ut amiciſſimum, & reverendum Epiſcopum „ ſalutarem „. Apud *Dodechinum in Append. ad Marian. Scot. ad an.* 1094. *edit. an.* 1559. *pag.* 452. Vide Biancum *ibid.* §. XI. *num.* 11. *pag.* 307. *ſeq.*

2 Vide ſupra locum Hugonis Victorini *pag.* 171. *not.* 2. indeque intelliges, quam noſtris faveat.

3 Acta Vatic. ex Card. de Aragon. *Tom.* III. *rer. Italic. ſcriptor. pag.* 451. *epiſt. Alexand. III. ad Epiſc. Saliſb. & ſuffrag. tom.* XIII. *edit. Concilior. Veneta Labbei pag.* 229. & Johan. Sariſberien. *epiſt.* CCX. *ad Guilelmum Britonem Bibl. Vet. PP. edit. Lugdun. tom.* XXIII. *pag.* 493. Vide Biancum *ibid.* §. XIV. *pag.* 336. *ſeqq.*

4 Confer Sariſberienſem *l. c. & epiſt.* CCXXIII. *ibid. pag.* 505. Adi-ſis Biancum *ibid. pag.* 338. *ſeqq.*

qui ſancte , cauteque ſe geſſit , ſed improbitati eorumdem Principum fuiſſe vitio tribuendum (1) .

Decretum Innocentii III. cujus eſt initium *novit* : ad rem maxime pertinere , quidquid contra adverſarii ſtatuant. Quod ſi non pertineret , tamen eſſe in Epiſtolis ejuſdem Pontificis perplura , quod ne Boſſuetius quidem negaverit , quæ rem ipſam demonſtrent plane ad veritatem (2) .

S. Ludovicum Francorum (3) Regem ſcripſiſſe ad Fridericum II. eumque appellaſſe Imperatorem , etſi imperio, auctoritate Gregorii , multatus eſſet , vel errorem Petri a Vineis , qui Epiſtolam vitiarit , eſſe , vel ſi verum eſt , noluiſſe Regem de nomine contendere , qui ſubditus Imperatori non eſſet . Ceterum non modo non caviſſe , ſed etiam conſenſiſſe Ludovicum , ut Epiſcopis regni annuentibus , in Fridericum ab Innocentio IV. Pontifice ſententia in Lugdunenſi Concilio diceretur. Quemadmodum enim Galli Antiſtites , invito Rege, ſimile quidpiam feciſſent ?

Acta Bonifacii (4) adverſus Philippum Francorum Regem a ſucceſſoribus non fuiſſe abrogata , quaſi inania , nulliuſque momenti eſſent . Immo vero , cum a cenſuris Regem Benedictus XI. Pontifex abſolverit (5) , quamquam id

1 De his Biancus *lib.* vi. §. 1. *ſeqq. pag.* 378 Multa item nos diſſerimus *in adnotat.* in *epiſtolas Innoc. III.* nondum vulgatas , quas publicabimus tamen , ſed tempore .

2 Conſule Biancum *ibid lib.* 1. §. x. *pag.* 93. *ſeqq.*

3 Epiſt. s. Ludovici , ut eſt apud Petrum de Vineis *lib.* 1. *c.* xii. & xiii. *pag.* 127. *ſeqq. edit. an.* 1566. vitiatam eſſe Biancus ſuſpicatur . *Lib.* vi. *Della Poteſtà indiretta della Chieſa* §. iv. *pag.* 446. Addit non omnino fuiſſe Gregorii IX. ſententia dejectum de dignitate Imperatorem , ſed tantum *ſuſpenſum* , ut ajunt , quoad Eccleſiæ ſatisfeciſſet . *Ib. p.* 447. Quare ut alios permultos , qui ſubditi Friderico eſſent , ita Regem , qui nulla obtemperandi Imperatori lege teneretur , nomen ei tribuiſſe , dum ad ipſum ſcriberet , Imperatoris . Nam ab Gregorio imprimis fuiſſe cautum , nequis ei opem ferret . Quare ,, in eum , inquit , & ,, omnes illos , qui in præmiſſis , vel alios contra Romanam Eccleſiam ſibi præſtiterint con- ,, ſilium , auxilium , vel favorem , excommunicationis , & anathematis ſententiam duxi- ,, mus promulgandam ,, . At auxilium Friderico , *favoremve* nullum Ludovicum Regem præſtitiſſe .

4 De Bonifacii VIII. decretis , contentioneque cum Philippo Gallorum Rege adeundi Raynaldus *ad an.* 1295. *ſeqq. n.* xliv. *ſeqq.* Spondanus *an.* 1301. *ſeq. n.* 2. *ſeqq.* & Biancus *ibid.* § v. *ſeqq. pag.* 451. *ſeqq.* & *lib.* 1. *cap.* x. *pag.* 92. *ſeqq.*

5 Benedictus XI P. M. an. 1304. abſolvit a cenſuris Philippum . Scribit autem *in epiſt.* ad Philippum hoc modo ,, In hoc parabolam illam implevimus, ſecundum quam habens centum oves , relictis nonagintanovem in deſerto , vadit ad illam , quam deviaſſe putabat, ,, donec inveniat eam , & inventam imponit ſuper humeros ſuos gaudens .... Numquid tan- ,, tam

id non erat petitum ab Rege, ſatis indicavit, vim obtinuiſſe, quæ geſta, ſtatutaque a Bonifacio fuiſſent. Tum autem omnes Regni Gallorum ordines (1) defendiſſe *Regis a Papa*

,, tam ovem, quanta tu es, ſic nobilem, præcipuam, & præclaram relinquemus, quin impoſitam noſtris humeris reducamus &c.? Rurſum:,, ſumus namque illius Vicarius, qui dicit,
,, hominem illum, qui fecit cœnam magnam ſervo ſuo dixiſſe, *exi in vias & ſepes, & com-*
,, *pelle intrare, ut impleatur domus mea* .... Numquid igitur te, etiam ſi nolles, non coge-
,, mus intrare? .... Nempe ſi corporum medici quandoque invitis apponunt medicamenta
,, ſalutis, quanto magis nos, qui animarum omnium curam divina diſpoſitione ſuſcepi-
,, mus, hoc implere tenemur ,, . Confer *hiſtor. Du Diferent. &c. pag.* 208. *& ſeqq.* & Dianeum *ibid.* §. XVII. *pag.* 548. *ſeqq.* & Raynaldum *ad ann.* 1304. *num.* 9 *&* 10. Sed cum communione Eccleſiæ prohibuiſſet idem Benedictus eos, qui in Bonifacium inſurrexerant, auxiliumque adverſariis attulerant, Raynald. *ad an.* 1304. *n.* XIII. veritus Rex fuit, ne rurſum pœna Eccleſiaſtica affectus eſſet. Quod attinet ad Clementem V. is quamquam in Galliis agebat, tamen publicavit inſignem Conſtitutionem, qua confirmavit Conſtitutionem Bonifacii, cujus eſt initium *unam Sanctam*, quæ Bonifacii Conſtitutio poteſtatem, quam *indirectam* vocamus, ſtatuit. Incipit ea Clementis Conſtitutio hoc modo: *Ex parte &c.* Confer Raynaldum *ad an.* 1311. *n.* XXVI.

1 Quo pacto dici potuit a Boſſuetio, omnes exinde Gallorum Ordines pro *independentia regni &c.* certaſſe, ne in cogitationem quidem cadit. Anno 1339. Clerus Gallicanus *in diſputatione, quam habuit cum Officialib. Regni* coram Philippo Valeſio, tam ſe additum ei, quam noſtri tuentur, ſententiæ eſſe demonſtravit, ut Petrus Bertrandi Epiſcopus Auguſtodunenſis, qui Cleri partes tenebat, eamdem ſumpſerit, ut certam. ,, Nullus dubitat, quin
,, cognitio de peccato ad perſonas Eccleſiaſticas pertineat ... Eccleſia, quæ habet judicare
,, de ſpiritualibus, poteſt & merito de temporalibus judicare, & hoc ſatis deducitur. Extra. *De Judic. cap.* XIII. *Novit. Petr. Bertrand. in reſp. ad Petrum de Cugneres tom.* XXVI. *Biblioth. Veter. PP. edit. Lugd. an.* 1677. *p.* 109. *ſeqq.* Rurſum anno circiter 1370. floruit auctor *Tract. de Poteſt. ſeculari, & Eccleſia*, qui tractatus inſcribitur: *Somnium viridarii.* quod opus extat apud Goldaſt. *t.* 1. *p.* 59. *ſeqq.* Is cum Regi Carolo V. a Conſiliis eſſet, ut viſum quibuſdam eſt, parteſque tueretur Regis, tum etſi Pontifici poteſtatem, quam volumus, negavit, tamen tantam tribuit quantam Boſſuetius nollet. ,, Concedendum eſt, *inquit*, quod princi-
,, patus Papalis concernit temporalia, prout de neceſſario concernit ſpiritualia, cum ab eo-
,, rum uſu, vel abuſu ſurgit peccatum, prout dicunt textus, ratione peccati, omnes cauſſæ
,, ſpectant ad forum Eccleſiaſticum. *Cap. Novit. de Judiciis &c.* Tamen principaliter diſ-
,, ponendo, & auctorizando nihil ſpectat ad Papam quantum ad temporalia ,, . Et paullo poſt:
,, Non habet ſe (*Poteſtas Eccleſiaſtica*) de depoſitione Imperatorum, ſeu Regum intromit-
,, tere, quantumcumque Rex, vel Imperator ſit dignus depoſitione propter defectum quem-
,, cumque, vel crimen, quod non eſt inter ſpiritualia crimina computandum, & ideo ſi Im-
,, perator, vel Rex committit crimen dilapidationis, vel deſtructionis Imperii, ſive Regni,
,, vel tyrannidis, vel quodcumque aliud, propter quod non immerito deponi meruit, Papa
,, non debet eum deponere, ſed populus a quo ſuam recepit poteſtatem tacite, vel expreſſe,
,, NISI ILLI AD QVOS PERTINET, NOLLENT, AVT NON POSSENT FACERE JVSTITIÆ
,, COMPLEMENTVM ,, . Et rurſum ,, FATENDVM TAMEN, QVOD PAPA POTEST TRANSFERRE
,, IMPERIVM, VEL REGNVM CASVALITER, VT QVIA NON EST ALIVS SVPERIOR, VEL ALI-
,, TER AVT IMPERIVM, VEL REGNVM EST TRANSFERENDVM DE GENTE IN GENTEM PROP-
,, TER ALIQVOD CRIMEN SPIRITVALE GENTIS; puta ſi gens illa inficiatur hæretica pravitate
,, vel ad legem Judæorum, vel ad ritum Gentilium, vel ſectam aliam converteretur. Si
,, transferendum eſſet Imperium, vel regnum propter crimen ſpirituale, dicunt quidam,
,, quod Papa poteſt jure divino transferre imperium ſeu regnum, quia in ſpiritualibus, &
,, annexis eis, habet plenitudinem poteſtatis quantum ad ea, quæ ſunt de neceſſitate fa-
,, cienda. Alii dicunt, quod Papa in hoc caſu non poteſt transferre imperium, ſive regnum,
,, niſi laici fuerint damnabiliter negligentes, vel faventes genti, a qua neceſſe eſt trans-

,, ferri

a Papa independentiam, falſum eſſe . Permultos enim Scriptores

„ ferri imperium , vel regnum , ſed in hoc caſu ſpectat ad Papam de crimine ſpirituali cognoſcere , & denunciare illis , ad quos ſpectat , ut ipſum deponant , quod ſi noluerint , vel „ non potuerint , JURE DIVINO DEVOLUTA EST POTESTAS AD SUMMUM PONTIFICEM , ET „ HOC QUIA IPSE HABET PLENITUDINEM POTESTATIS QUANTUM AD OMNIA , QUÆ SUNT DE „ NECESSITATE FACIENDA „ . Sunt item quædam ab Johanne Gerſonio Cancellario Pariſienſi conſtituta , quæ jus *indirectum* Pontificis in regum *temporalia* concedere videantur , ut mirum ſit a Natali Alexandro rapi ejus ſcriptoris ſententias in pejorem partem . Namque ille *in tract. de Poteſt. Eccl. conſid.* XII. *pag.* 246. *tom.* II. *opp. edit. an.* 1706. „ Poteſtas „ Eccleſiaſtica , *inquit* , non ita habet dominia , & jura terreni ſimul , & cæleſtis Imperii , „ quod poſſit ad libitum ſuum de bonis Clericorum , & multo minus Laicorum diſponere , „ quamvis concedi debeat , quod habet in eis dominium regitivum , directivum , regulativum , & ordinativum ... Poſtremo ſuis ſe terminis ita poteſtas Eccleſiaſtica coerceat , ut „ meminerit poteſtatem ſecularem etiam apud infideles ſua habere propria jura , ſuas leges , „ ſua judicia , de quibus occupare ſe Eccleſiaſtica poteſtas non præſumat , niſi dum redundat abuſus ſecularis poteſtatis in impugnationem fidei , & blaſphemiam creatoris , & in „ manifeſtam poteſtatis Eccleſiaſticæ injuriam : tunc enim Eccleſiaſtica poteſtas habet dominium quoddam regitivum , directivum , regulativum „ . Idem *Par.* IV. *ſerm.* de *Pace* , & *unit. Græc. Conſid.* V. *pag.* 147. *tom.* II. „ Omnes homines , principes , & alii , *inquit* , „ ſubjectionem habent ad Papam in quantum eorum juriſdictionibus temporalitate , & dominio abuti vellent contra legem divinam , naturalem , & poteſt ſuperioritas illa nominari poteſtas directiva , & ordinativa potius , quam civilis „ . De Johanne Pariſienſi dictum ſupra eſt *pag* 173. ut etiam de Almaino . Quid ? ſi ad ſeculum uſque XVII. quod erroris Boſſuetius , nonnullique alii , tametſi , demta Gallia , in ceteras tamen Orbis Catholici partes ſit propagatum , arguere non dubitant , hoc ipſum ſententiæ genus communi Eccleſiarum Gallorum nomine in Comitiis regni Galliæ an. 1615. Card. Perronius acriter propugnaverit , adverſamque ſentiendi rationem , ut novam rejecerit , exque Calvini decretis , ſententiiſque manantem ? An auſus hæc ille non docere modo , ſed etiam ſcribere fuiſſet , contra pervulgatam Eccleſiaſticorum , Doctorumque regni opinionem ? „ Non enim ego ſum , inquit , quem „ vos auditis . Neque enim ego ſum , qui in hoc genere cauſſæ loquor , ſed corpus totum „ Eccleſiaſtici Ordinis , & qui e nobilitate eidem ſeſe adjunxit , hoſque viros nobiles „ duos delegit e duobus Præfecturis regni accitos , ut ſua præſentia vim adderent dictis „ meis , teſtarenturque reverentiam eamdem , quam eorum prædeceſſores profeſſi erga Eccleſiam fuerunt „ . Accedit deinde ad rem , qua de agimus , atque „ Articulus quidem „ veſter *negativam* continet , inquit , hoc eſt dari caſum poſſe omnino nullum , quo ſubditi „ juris jurandi religione ſolvi queant , qua religione ſuam principi cuipiam obligarint „ fidem . Contra vero ceteræ partes Eccleſiæ Catholicæ omnes , jam inde ab eo tempore , quo „ Scholæ Theologicæ inſtitutæ ſunt uſque ad Calvini adventum , defenderunt affirmativam ... „ Neque vero partes Eccleſiæ Catholicæ ceteræ ſolum , ſed etiam omnes Doctores , qui in „ Galliis viguerunt , ab eo tempore , quo ſunt Scholæ Theologicæ inſtitutæ , affirmativam „ defenderunt , hoc eſt , ſi hæretici principes ſint , aut in infidelitatem inciderint , vel „ exagitent religionem , eorum ſubditi ſolvi juris jurandi religione poſſint „ . *Arang. au Tiers Eſtat. opp. edit. an.* 1622. *p.* 598. *ſeqq.* Confer Gramundum *lib.* I. *hiſt. ſub exitum an.* 1615. *pag.* 63. *edit. an.* 1643. Ac Bianeus quidem *lib.* I. §. XIII. *pag.* 113. *tom.* I. ante Calvinum , nullum fuiſſe ſcriptorem in Gallia , qui funditus poteſtatem indirectam tolleret , ſcribit . Ab Hugonottis primum novam opinionem fuiſſe in regnum introductam . Anno primum 1663. Facultati Pariſienſi probatam fuiſſe . Animadvertendum autem poſtremo loco eſt , Natalem Alexandrum , qui Diſſert. V. *in hiſt. ſec.* XV. & XVI. *tom.* IX. *pag.* 482. *edit. Lucenſis* Petri Alliacenſis loco e proœmio libri de Auctoritate Eccleſiæ abuſum fuiſſe , ut Conſtantienſe Decretum , de quo dicam paullo poſt , labefactaret . Nam Alliacenſis de poteſtate directa , & temporali ibidem diſſerit , non de indirecta , de qua eſt inter nos , Natalemque diſſenſio . Conſule Alliacenſem *Tract. eod. pag.* 983. *tom.* II. *opp. Gerſon. edit. an.* 1706. De Scriptoribus Gallis , qui communem ſententiam propugnarunt , vide Bianeum *pag. ead. ſeqq.* Charlaſium *ibid. cap.* VIII. *pag.* 130. *ſeqq.* & Schulkenium *pag.* 54. *ſeqq.*

res Gallos ejus, inſequentiſque ætatis numerari, qui contrariam ſententiam defenderunt. Atque hos profecto numquam id fuiſſe facturos, ſi omnium ordinum in Galliis diſcrepantem eſſe cognoſsent opinionem.

Controverſiam inter Johannem XXII. ſucceſſoreſque Pontifices, & Ludovicum Bavarum Imperatorem plurimum conferre ad hoc quæſtionis genus illuſtrandum (1) poſſe. Boſſuetium, qui neget, circuitione verborum rem imprimis perſpicuam implicare, atque involvere ſtuduiſſe (2).

Pium IV. Pontificem Maximum (3), qui comminatione privationis regni Johannam Albertinam Reginam Navarrorum hæreticorum partibus ſtudentem Romam acciverit, rogatu Caroli IX. qui Principis feminæ, ſibique ſanguinis affinitate conjunctæ defenſionem ſuſceperat, ſententiam revocaſſe, non tamen negaſſe jus ſibi eſſe id facere, ſi ex uſu Eccleſiæ eſſe putaſſet. Quinetiam Carolum, qui rogavit, ut decretum revocaretur, ſatis indicaſſe, habendam ejus decreti fuiſſe rationem.

Falſum præterea eſſe, quod de Sixto V. Boſſuetius aſfirmat. Privatum enim Henricum Navarrorum Regem principatu ab eodem fuiſſe, ſolutoſque ſubditos (4) juris jurandi

1 Etſi prima ſpecie ad rem non pertinere hoc controverſiæ genus videatur, tamen eſt quiddam e noſtra ſententia conſequens. Quare prætermittendum a noſtris non erat, injuriaque contra exiſtimat Boſſuetius. Conſule Biancum *lib.* VI. §. VIII. *pag.* 552. *ſeqq.*

2 Vide ſupra *pag.* 172.

3 Confer Spondanum *ad ann.* 1563. *n.* 2. Catharinum Avilam Scriptorem ejus ætatis diligentiſſimum, qui *libro* III. *delle guerre Civili di Francia pag.* 151. *edit. an.* 1733. qui Carolum ægre admonitionem Pii tuliſſe ſcribit, propterea quod vereretur, ne regnum, quod Johanna obtineret, in aliorum veniret poteſtatem; cum ademtum reginæ, proprium eſſe deberet Francorum Regum. „ A queſto Monitorio avea apertamente dichiarato di opporſi „ il Re di Francia, allegando, che per appartenere a ſe il diritto dominio, e la ſuperio- „ rità degli ſtati di Giovanna, non poteſſe il Ponteſice per qualſivoglia mancamento di lei, „ ſemplice feudataria, concederli ad altre perſone, ma doveſſero immediatamente deca- „ dere, e devolverſi a lui, come a proprio, e legittimo Signore „. Non ergo negavit Carolus jus Pontificis eſſe, deturbare Johannam de Regno, ſed hoc unum quæſivit, ut ne ipſum in alium quempiam transferretur, qui legitimus Dominus, propriuſque regni non eſſet. Confer, quæ perſequitur Biancus *ibid. pag.* 588. *ſeqq.*

4 Miratur Biancus quamobrem prætermiſſa a Boſsuetio fuerit *Bullæ Pii V.* Sanctiſſimi Pontificis adverſus Eliſabetham Anglorum Reginam commemoratio, quam quidem Bullam, ut traditum a Spondano eſt *ad an.* 1596. *n.* 8. *ſeq.* non ſolum reges Chriſtiani non reprobarunt, ſed etiam eorum aliqui edendam hortatu ſuo curarunt. *Bianc. ibid pag* 590. *& ſeqq.* Atque ea quidem Conſtitutio, quam refert Bzovius *Tomo Poſth. ad an.* 1596. *num.* 29. ſic

randi religione. Paſſum præterea fuiſſe, ut hæc in ſuo Regno declaratio Pontificis publicaretur, Gallorum Regem. Non ergo nihili habitam fuiſſe, ut adverſarii cenſuerunt.

Nam Clementem VIII. Pontificem non ſolum decreta Sixti, atque Gregorii, de prohibendo Henrico Rege communione Eccleſiæ, ſed etiam que ſcripta de regno, quo Rex idem exciderat, fuiſſent, revocaſſe. Quamobrem (1) Boſſuetii, qui adverſæ opinionis patrocinium ſuſceperit, magnis in erratis eſſe ſententiam.

Quod Malagolæ, Bellarmino, aliiſque Scriptoribus, qui Pontificis partes tuerentur, Galli reſtiterint, quin horum ab Apoſtolica Sede fuerit confixa opinio, parvi referre. Neque enim noſtros: anathemate ne ſint plectendi Galli, ſed utra ſit vera de Pontificis auctoritate Gallorumne, an ceterorum Orthodoxorum ſententia, quærere, habereque & exempla, & decreta permulta in promptu, quibus ſeſe expedire ab argumentis adverſariorum poſſint.

ſic habet. „ Illius itaque auctoritate ſuffulti, qui nos in hoc ſupremo juſtitiæ Throno, licet tanto oneri impares, voluit collocare de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine declaramus, prædictam Eliſabeth hæreticam, & hæreticorum fautricem, eique adhærentes in prædictis, anathematis ſententiam incurriſſe, eſſeque a Chriſti corporis unitate præciſos. Quinetiam ipſam prætenſo regni prædicti jure, nec non omni, & quocumque dominio, dignitate privilegioque privatam, & item proceres, ſubditos, & populos prædicti regni, ac ceteros omnes, qui illi quomodocumque juraverunt, a juramento hujuſmodi, ac omni prorſus dominii, fidelitatis, & obſequii debito perpetuo abſolutos, prout nos illos præſentium auctoritate abſolvimus, & privamus eamdem Eliſabetham prætenſo jure regni, aliiſque omnibus ſupradictis &c. De Sixti V. & Gregorii XIII. ſtatutis negat Biancus male quemquam Catholicorum ſenſiſſe *lib.* VI. §. IX. *pag.* 591. *ſeqq.* utiturque Avilæ teſtimonio e *l.* VII. *p.* 452. *ſeq. edit. an.* 1733. *&* *l.* XII. *p.* 183. *ſqq. t.* II. Conſule Spondanum *ad an.* 1591. *n.* VIII. *&* *ad an.* 1589. *n.* CXI. ubi decretum Sorbonæ deſcribit, quo declaratur, ſolutos eſſe auctoritate Pontificis Gallos jurisjurandi religione, qua Henrico III. Regi ſuam fidem obſtrinxerant. Confer etiam Epiſtolam Civium Pariſienſium ad Sixtum V. P. M. apud Auctorem Anonymum libri *De Juſta Henrici III. abdicatione* *lib* IV. *pag.* 392. *edit. an.* 1591. Ad Clementem VIII. quod attinet, ut cetera prætermittam, quæ Biancus clariſſimus vir egregie diſputat *lib. eodem* VI. §. X. *pag.* 601. *ſeqq.*, negari nequit, quin ex *Actis* publicis Spondanus hæc ad *an.* 1595. *n.* IX. retulerit. „ Tum per Aſſeſſorem Sanctæ Inquiſitionis Decretum Pontificis lectum eſt, quo irrita declarata abſolutione ejuſdem Prælati Galli (Archiepiſcopi Bituricenſis) ipſum tamen Regem ab omnibus cenſuris, & ſententiis, quomodocumque ab eo incurſis, & in eum latis abſolvendum eſſe decrevit, abjuratis primo per ejus procuratores omnibus hæreſibus.

1 Vide ſupra *pag.* 172. *hujus vol.*

V.

Reſiſtere ne Pontifici Maximo principes Laici aliquando poſſint?

Erat id quidem proponendum hoc loco quæſtionis genus, ne plus tribuiſſe Romanis Pontificibus videremur, quam Sedis Apoſtolicæ defenſores acerrimi poſtulaſsent. Ergo ut Imperatoribus, Regibuſve Pontificem, ita Imperatores, Regeſque reſiſtere Pontifici interdum poſſe, Scriptores celebres imprimis, ſingularique eruditione præditi cenſuerunt (1). Rem autem omnem hoc modo explicant. Pontificem cui plenitudo ſacerdotalis ineſt, ſi (quod Deus avertat) legibus, quæ cum juſtitia pugnent, aut violenter in aliorum poſſeſſiones irruere, aut evertere Eccleſiam conetur, moneri primum etiam, atque etiam oportere, ut deſiſtat; repugnantem vi, armiſque coerceri, reprimique poſſe. Id vero fieri caute debere, ſi nempe locum obtineat jure naturæ præcepta defenſio, ſitque perſpicuum, a Pontifice Maximo violari divinam, atque naturalem legem. Jam vero qui ſacerdotio his rationibus permotus reſiſteret, eum nullam habiturum in Pontificem poteſtatem. Neque enim ei, qui ſubeſt, imperare Principi licet. Quamobrem hoc inter laicum Principem, ſummumque Sacerdotem intereſſe. Principem laicum Chriſtianum, cum ſubditus Eccleſiæ ſit, in iis rebus, quæ pertinent ad religionem, ſi ſua contra religionem eamdem abutatur poteſtate, ab ſacerdotio puniri, Eccleſiæ ſententia, & privatione auctoritatis, qua abuti audet, poſſe: Pontificem vero Maximum, qui ſacerdotalem obtinet poteſtatem, cum ſe ſuperiorem habeat nullum, judicio ſubjici alicujus non poſſe. Itaque ſi ei reſiſtatur, fieri id quidem defenſionis naturalis jure oportere, ſecus non oportere. Quo etiam tempore laicis quidquam audere, in-

con-

1 Vide *Card. Turrecrem. l.* II. *De Eccl. c.* CVI. *pag.* 246. *ſeq. edit. an.* 1560. Bellarminum *De Auctor. Concilior. lib.* II. *cap. ult. pag.* 51. *tom.* II. *opp. edit. an.* 1721. Sfondratum *Regal. Sacerd. lib.* II. §. XIV. *n.* IV. *pag.* 416. *edit.* 1684. Blancum *tom.* III. *della Pol. lib.* I. §. V. *pag.* 43. *ſeq.*

conſultis ſacerdotibus, nefas eſſe. Id vero quandonam concedi laicis debeat, difficile dijudicatu videri.

§. V.

De Eccleſiaſtica poteſtate.

AC de laica quidem poteſtate, ut orta ſit, utque finibus quibuſdam contineatur, ſatis eſt, ut exiſtimo Paragraphis ſuperioribus diſputatum. Sequitur, ut explicem, quemadmodum inſtituta Eccleſiaſtica fuerit, quibus data, quibuſque fundamentis, præſidiiſque nixa, atque munita ſit, utque in ordines, claſſeſque varias diſtributa in univerſum terrarum orbem manaverit.

I.

Neceſſe ne fuerit viros inſtitui, qui poteſtatem in Eccleſia obtinerent?

Eſſe autem in Eccleſia viros, qui poteſtatem ejus paſcendæ, gubernandæque obtineant, quoniam oſtenſum alio loco (1) eſt, nihil eſt cauſſæ, cur eſſe rurſum oſtendendum putem. Jam vero ut in quacumque hominum ſocietate, quo pax tranquillitaſque ſervetur, neceſſe fuit magiſtratus (2) condere, qui eam regant, ac moderentur, ita ne quæ turbæ, diſſenſioneſque aut de doctrina, aut de rebus ceteris orirentur, quæ conferunt ad animorum concordiam, unitatemque colendam, Eccleſiamque in factiones diſcinderent, conſtituendi omnino fuerunt, qui rem Chriſtianorum publicam adminiſtrarent, quibuſque poteſtas & docendi, & bonos confirmandi, & in improbos animadvertendi (3) eſſet. Ac ſi vivis Apoſtolis hæreſes natæ, totque ſeditioſorum hominum ſcelere concitatæ propter doctrinam, di-

 ſci-

1 *Pag. 143. hujuſce Voluminis, & ſeqq.*

2 Vide *lib 1. Reg. cap. VIII. v. 5. & ſeqq.* Sed de re certa non eſt opus, ut multa diſſeram.

3 Confer quæ ſupra diſputata ſunt, *pag. 145. ſeqq. hujus vol.*

ſciplinamque turbæ magno & periculo, & damno populi Chriſtiani fuerunt, quot in Actis Apoſtolorum (1) ab Luca, in Epiſtolis a Paulo (2), inque Apocalypſi (3) ab Johanne Apoſtolo numerantur; negari certe non poterit, ſi rectores nulli instituti eſſent, conſiſtere, ſine manifeſto miraculo, nullo modo potuiſſe Eccleſiam. Itaque Majores noſtri & recte, & ſapienter Presbyteros Epiſcopoſque fuiſſe populo (4) Chriſtiano

1 *Cap.* XI. *v.* 27.

2 Ad Corinth. I. *c.* XI. *v.* 18. *ſeqq.* Ad Theſſalonicenſes II. *cap.* III. *v.* 11. *& ſeqq.* ad Timoth. I. *cap.* II. *v.* 17. *& ſeqq.* ad Timoth. II. *cap.* III. *v.* 1. *ſeqq. & cap.* IV. *v.* 14. *ad Tit. cap.* III. *v.* 9. *ſeq.*

3 *Cap.* II. *v.* 2 *ſeqq. v.* 20. *& ſeqq.* Et *epiſt.* I. *cap.* II. *v.* 18. *& ſeqq.* & *ep.* II. *v.* 7. *ſeqq* & *epiſt* III. *v.* 9 De hæreticis, qui Apoſtolorum ætate Eccleſiam perturbarunt, agam in eo libro, qui erit *de Catechetis, & Catechumenis*. Sed neceſſitatem miniſtrorum, ut ut ſit de charactere, & poteſtate regendi, ne Proteſtantes quidem negant. Atque hoc præ ceteris ſtatuit Franciſcus Buddeus homo de Secta Lutheranorum *lib.* IV. *Inſtit. Theologicar. cap* IV. §. III. *pag.* 1243. *edit. an.* 1724. „Neceſſitatem, *inquit*, miniſterii Eccleſiaſtici nemo temere in dubium vocabit, qui modo rem omnem, ut decet, ponderaverit. Quod enim non alia via ſit Eccleſiam conſervandi, fidemque, quæ ex auditu venit, propagandi, quam, ut ſubinde verbum Divinum annuncietur, homineſque ad ſalutem æternam erudiantur, vel ipſa ratio omnes condocebit. Id vero cum non tantum privatim, ſed & publice ob hominum, qui inſtitutione iſta indigent, multitudinem fieri debeat; ideoque non ab omnibus promiſcue præſtari queat, neceſſitas poſtulat, ut certi homines conſtituantur, qui publicum hocce docendi, & ſacramenta adminiſtrandi (addam ego, & gubernandi, regendique) obeant munus. Quod & Scriptura ſacra comprobat, dum certis hominibus hocce docendi munus a Chriſto demandatum teſtatur &c.

4 Vide *Acta Apoſt. cap.* XX. *v.* 28. *ſeqq.* & *epiſt. ad Epheſ. cap.* IV. *v.* 11. *ſeqq.* ubi hæc habentur: „Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores, ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii in ædificationem Corporis Chriſti, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filii Dei in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ„. Mitto cetera Scripturæ novi Teſtamenti loca, ne longior ſim, quam oportet. E Patribus autem Clemens Romanus Petri Apoſtoli Auditor, deindeque Pontifex *in epiſt. ad Corinth.* I. *cap.* XLII. *tom.* I. *collect. epiſt. Romanor. Pontif. pag.* 29. *edit. Pariſ. Coutantii* „Miſſus eſt, *inquit*, Chriſtus a Deo, & Apoſtoli a Chriſto, factumque eſt utrumque ordinatim ex voluntate Dei. Παραγγελίας οὖν λαβόντες *Accepto igitur mandato*, & certo perſuaſi per reſurrectionem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & in fide confirmati per Verbum Dei cum Spiritus Sancti plenitudine, & ſecuritate egreſſi ſunt, annunciantes adventurum eſſe regnum Dei. Prædicantes igitur per regiones ac urbes, primitias earum ſpiritu cum probaſſent, in Epiſcopos, & Diaconos eorum, qui credituri erant, conſtituerunt. *Neque hoc nove*. ἐκ καινῶν. A multis enim temporibus de Epiſcopis & Diaconis ſcriptum fuerat; ſic enim alicubi dicit ſcriptura: *conſtituam Epiſcopos eorum in juſtitia, & Diaconos eorum in fide*. Et quid mirum, ſi quibus in Chriſto commiſſum eſt a Deo hujuſmodi munus, prædictos conſtituerint? . . . . . Apoſtoli quoque noſtri per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum cognoverant, futurum eſſe de nomine Epiſcopatus contentionem. Eam igitur ob cauſſam perfectam præcognitionem adepti, prædictos conſtituerunt, ac deinceps futuræ ſucceſſionis hanc tradiderunt regulam, ut cum illi deceſſiſſent, miniſterium eorum, ac munus alii probati viri exciperent &c.„ Ignatii teſtimonia deſcripſimus ſupra *pag* 22. *ſeq. not.* 2. *ſeq.* Ceterorum vero Patrum deſcribemus poſt, cum de auctoritate Epiſcoporum, eorumque præ Sacerdotibus, hoc eſt presbyteris excellentia diſſeremus.

ſtiano datos dixerunt, qui doctrina, hortatu, & ſi opus eſſe arbitrarentur, redargutione, ac pœna homines ſuæ curæ, fideique creditos in officio continerent, itaque inſtituerent, ut conſequi ſempiternam ſalutem, felicitatemque poſſent.

I I.

Poteſtatem Præſulum Eccleſiæ ex Deo in eoſdem Præſules permanaſſe oſtenditur.

Eſt vero poteſtas eorum, qui rem Eccleſiæ publicam adminiſtrant, duplex. Alteram *Ordinis*, alteram *Jurisdictionis* vocamus. Atque Ordinis quidem poteſtatem dicimus, quæ intima eſt, ut recte animadvertit Petavius (1), ordinationiſque vi obtinetur, cujuſmodi eſt character, ordinandique facultas, quæ in unum Epiſcopum cadit. Poteſtatem vero *juriſdictionis*, quæ ex *ordinatione* item manat, non aliam eſſe, quam jus adminiſtrandi, ac regendi, ſive paſcendi populi Chriſtiani. Ut autem plures ſunt in Eccleſia Ordines, ita ſunt etiam Ordinis poteſtates plures. Sed ſunt illæ ſane ita diſtributæ, ut quæ ſuperioris Ordinis propria poteſtas eſt, ea in inferiorem cadere omnino non poſſit. Intelligo autem fuiſſe aliquos, qui, cum novis rebus ſtuderent, ac ut veterem unamque veram doctrinam averſarentur, adeoque in hæreticis numerari, quam cum Eccleſia Catholica ſentire mallent, poteſtatem non Presbyteris, Epiſcopiſque, ſed Eccleſiæ fuiſſe conceſſam, ab eaque in ſacrorum Præſides translatam (2) arbi-

1 *Lib.* III. *de Hierarch. Eccleſ. cap.* VII. *n.* V. *pag.* 768. *edit. Pariſ. Theol. dogm.*

2 Johannes Franciſcus Buddeus *lib.* V. *Inſtit. Theolog. cap.* IV. §. IV. *pag.* 1244. *edit. ejuſd.* ſuorum Lutheranorum ſententiam explicans: Ut, *inquit*, Deus ipſe miniſte-„ rium hocce inſtituit, ita etiam illud certis hominibus confert, ſeu eos vocat, quod olim „ quidem aliquando immediate fecit, hodie mediate facit per Eccleſiam, cui hance facul-„ tatem conceſſit. Quod de quavis Eccleſia particulari, quantumvis per injuſtam excom-„ municationem ab aliarum Eccleſiarum conſortio ſeparata, eſt intelligendum „. Et paullo poſt: „ Immediate olim plurimi Prophetæ in veteri Teſtamento, & Apoſtoli in novo vocati „ ſunt. At hodie mediate Deus vocat per Eccleſiam, quæ ab eo hance poteſtatem accepit. „ Eſt enim ſponſa Chriſti, cui claves regni Cælorum commiſit „. *Matth.* XVI. *verſ.* 9. & XVIII. *v.* 17. „ Idque exemplum primitivæ Eccleſiæ oſtendit, in qua tum Diaconos, tum „ Presbyteros ab ipſa Eccleſia electos, & conſtitutos fuiſſe ex *Act.* VI. *v.* 5. itemque *c.* XIV. „ *verſ.* 23. conſtat. Huc pertinet, quod Apoſtoli docuerint, quinam vocandi eſſent, „ ſeu

arbitrarentur. Quinetiam fuerunt interdum e noſtris impotenti ingenio homines, qui cum novis inventis magnam ſe conſequi & exiſtimationem, & gratiam putarent poſſe, ita ſunt de Pontifice Maximo, deque Epiſcopis loquuti, ut in hunc tam gravem, tamque perniciofum errorem incidiſſe viderentur (1). Itaque exagitati a doctiſſimis, eruditiſſimiſque viris ſunt, qui veritatis ſumma cum laude ſua, & utilitate populi Chriſtiani patrocinium (2) ſuſceperunt. Sed age quid de re tanta Majores noſtri docuerint, inveſtigemus.

Jam primum omnium ſatis conſtat, Petro potiſſimum, (3) tum Apoſtolis ceteris fuiſſe a Chriſto Servatore gubernandæ

„ ſeu quibuſnam virtutibus debuerint eſſe inſtructi, qui Epiſcoporum, ſeu Presbyterorum „ in Eccleſia fungi poſſent munere. 2. *Tim.* II. *ad Tit.* 1. *verſ.* 5. Quæ cum ita ſint, maxi- „ mopere & falli, manifeſtum eſt, qui hodie adhuc Eccleſiæ Doctores immediate a Deo vo- „ candos cenſent „. Eadem fere jactat Salmaſius. De qua re vide Dionyſium Petavium *lib.* III. *de Eccl. Hierarch. cap.* XIV. *pag.* 871. *tom.* III. *Theol. Dogm. edit. Pariſ.*

1 In eumdem errorem incidiſſe videtur Edmundus Richerius *Libello de Eccleſia, & Politica Poteſtate edit. ann.* 1611. Quamobrem Petavius *ibid. num.* 11. „ Summa, „ *inquit*, Richerianæ doctrinæ in eo vertitur, quod initio poſuit operis ſui: *Chriſtum* „ *fundando Eccleſiam, prius, immediatius, atque eſſentialiter claves, ſive juriſdictio-* „ *nem toti dediſſe Eccleſiæ, quam Petro, ſeu quod eodem recidit, claves toti contuliſſe Ec-* „ *cleſiæ, ut per unum miniſterialiter exercerentur. Quandoquidem tota juriſdictio Ec-* „ *cleſiaſtica primario, proprie, ac eſſentialiter Eccleſiæ convenit, Romano autem Ponti-* „ *fici, atque aliis Epiſcopis miniſterialiter, & quoad executionem tantum, ſicut facul-* „ *tas videndi oculo*. Hanc veluti concluſionem *ex vulgari illo, & indubitata fidei axio-* „ *mate colligit: Deum & naturam prius, atque immediatius ad totum ſuppoſitum, quam* „ *ad aliquam partem ſuppoſiti, quamvis nobiliſſimam, intendere, eamque ob cauſ-* „ *ſam facultatem videndi, exempli gratia, toti datam eſſe homini, ut per oculum, tam-* „ *quam per organum, & miniſtrum hominis exerceretur. Nam oculus per, & propter* „ *hominem exiſtit*.

2 Dionyſius Petavius *capp.* XIV. XV. & XVI. Idem *ibid. cap.* XIV. *n.* 1. *pag.* 879. „ Re- „ vocavit, *inquit*, mihi (*Salmaſius*) illius contentionis, & controverſiæ memoriam, quæ „ ante annos paullo plus triginta, verſari hac in urbe (*Pariſiis nempe*), & Academia cœ- „ pit, & in partes, ac factiones nonnullorum ſtudia diſtraxit. Cujus diſſidii ſane luctuoſi „ cauſſam libellus quidam attulit anno editus 1611. nullius auctoris inſcriptus nomine, ſed „ quem ab Edmundo Richerio ſcriptum, ac vulgatum eſſe nemo dubitabat: *de Eccleſiaſti-* „ *ca, & Politica Poteſtate*. Quo in libro novæ, ac peſtilentis doctrinæ ſparſit ſemina, „ quæ magnis deinceps auctoribus adoleverunt in quorumdam animis, qui de Summi Pon- „ tificis, & Epiſcoporum omnium poteſtate occaſionem inde ſumſerunt exiſtimandi ſecus, „ quam aut vetus judicavit Eccleſia, aut Catholicæ integritas fidei, ac formula præſcri- „ bit „. Refellit deinde Richerii errorem copioſe, ſolideque, ut ſolet Petavius. Eodem munere functus Andreas Duvalius eſt *Elench. libell. de Eccleſ. & Polit. Poteſt. pro ſuprema Romanor. Pontific. in Eccleſiam auctoritate edit. an.* 1612.

3 *Matth. cap.* XVI. *verſ.* 17. „ Beatus es Simon Barjona, quia caro, & ſanguis non re- „ velavit tibi, ſed Pater meus, qui in Cælis eſt; & ego dico tibi, quia tu es Petrus, & „ ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus „ eam; ET TIBI DABO CLAVES REGNI CÆLORUM, & quodcumque ligaveris ſuper terram, „ erit

nandæ Eccleſiæ auctoritatem datam. Ac Petro quidem impoſitum id fuit nomen, ut indicaretur, in eo tamquam in *petra* fundatam (1) eſſe Eccleſiam. Quid? ſi ipſi, Apoſtoliſque ceteris traditæ *claves regni Cælorum* fuerunt, ut quæcumque ligaſſent, ſolviſsentque in terris, eadem ligata, ſolutaque in cælis (2) intelligerentur? At ſi res ita ſeſe, ut adverſarii exiſtimant, habuiſset, non Petro, ſociiſque Apoſtolatus, ſed omnibus membris Chriſtianæ Reipublicæ conceſsa hæc tam inſignis a Chriſto poteſtas fuiſset. Jam vero parabola de ſervo, quem *Dominus conſtituit ſuper familiam ſuam* (3), quid tandem efficit, quam a Domino, non ab Eccleſia eſse conſtitutos rectores, præfectoſque cœtuum Chriſtianorum? Ac ſi omnibus, qui conſtituunt Chriſtianam civitatem, hoc eſt Eccleſiam, adeoque communitati data poteſtas clavium, inſtituendorumque miniſtrorum fuiſset, haud ſane intelligo, qui dici a Paulo quiverit, unum corpus (4) Eccleſiam eſse, in quo membra eſsent divinitus diſtributa, quorum alia præeſsent, diſtinctiſque muneribus fungerentur, alia ſubeſsent, omnia tamen junctim ad ſalutem, integritatemque corporis pertinerent. Atque ipſum quidem Dominum officia diſtribuiſſe, idem eſt auctor Paulus, & aliquos quidem

„ erit ligatum & in cælis, & quodcumque ſolveris ſuper terram erit ſolutum & in Cælis „. Non ergo communitati Eccleſiæ data hæc poteſtas a Chriſto fuit, ut cenſet Buddeus, qui hoc Scripturæ loco abutitur, ſed Petro, quem caput Eccleſiæ conſtituit, ceteriſque deinceps Apoſtolis, ut mox videbimus, adeoque præſidibus Eccleſiarum, quos eſſe ſucceſſores Apoſtolorum conſtat.

1 Confer *notat. ſuperior.*

2 *Iohann. cap.* xx. *verſ.* 22. „ Venit Jeſus, & ſtetit in medio *Diſcipulorum* . . . . . & dixit eis pax vobis . . . . . Dixit ergo eis iterum: pax vobis, ſicut miſit me Pater, ET EGO MITTO vos. Hæc cum dixiſſet, inſufflavit, & dixit eis: accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt „. Auctoritatem igitur eis dedit, quos miſit. Miſit autem Apoſtolos. Non ergo toti Eccleſiæ dedit, cum totam non miſerit. Rurſum auctoritas Apoſtolorum in eorum ſucceſſores manavit. Succeſſores autem Apoſtolorum Epiſcopos eſſe, ne hæretici quidem negant, eſtque jam a Majoribus litterarum traditum monumentis.

3 Matth. *cap.* xxiv. *v.* 45. *ſeqq.*

4 *Epiſt.* 1. *ad Cor. cap.* xii. *verſ.* 20. „ Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus. Non poteſt autem oculus dicere manui, opera tua non indigeo, aut iterum caput pedibus: non eſtis mihi neceſſarii . . . . . Vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra de membro. Et quoſdam quidem POSUIT DOMINUS in Eccleſia primum Apoſtolos, ſecundo Prophetas, tertio doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes . . . . . Numquid omnes Apoſtoli? Numquid omnes Prophetæ? Numquid omnes doctores? &c.

dem Apoſtolos conſtituiſſe (1), alios Prophetas, alios Paſtores, & Doctores, qui ceteros docerent, ac moderarentur. Apoſtolos autem, atque Prophetas conſtitutos a Deo fuiſſe, quis neget? Cumque eadem ſit de Paſtoribus, Doctoribuſque ratio, quos certe Epiſcopos, Preſbyteroſque fuiſſe liquet, conſequens plane eſt, divinam item eſſe Presbyterorum, Epiſcoporumque inſtitutionem. Nam gratia Dei (2) miniſtri Eccleſiæ dantur. Gratiæ autem quis eſſe auctor, niſi Deus, poteſt? Age vero, cum Paulus ad ſe Antiſtites Aſiaticarum Urbium acciviſſet (3) Miletum, hortatuſque eſſet, ut cœtibus Chriſtianorum proſpicerent, in quibus poſiti a Spiritu Sancto, ut eoſdem regerent, fuiſſent, partes ne ullas Eccleſiæ in iis conſtituendis fuiſſe ſignificavit? Quid? ſi ſcribens ad Titum (4), eum ſe Cretæ reliquiſſe teſtetur, ut Presbyteros civitatibus daret, quin ullam Eccleſiarum, quæ in urbibus iiſdem vigebant, mentionem fecerit? Non ergo auctoritatem Eccleſiis ineſſe ad conſtituendos Antiſtites putavit. Atque mirabile cuiquam videri poterit, qui factum ſit, ut Proteſtantes, qui Majorum traditiones aut parvi, aut nihili penderent, nullamque ab ſe rem concedi, ponique dicerent, quæ non confirmaretur auctoritate ſacrorum Bibliorum; ubi de Miniſtrorum Eccleſiæ novi Teſtamenti inſtitutione agebatur, eam ex Eccleſiæ poteſtate poſt Chriſti in Cælum aſcenſum, proficiſci putarent, quamquam

1 *Ad Epheſ. cap.* IV. *verſ.* 11. „ Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam „ autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem paſtores, & doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti.

2 1. *ad Timoth. cap.* IV. *verſ.* 14. „ Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per Prophetiam cum impoſitione manuum presbyterii „. Vide *epiſt.* II. *cap.* I. *verſ.* 6.

3 *Actor. Apoſtolic. cap.* XX. 17. 28. „ A Mileto Paulus ſcribens Epheſum vocavit Majores natu Eccleſiæ. Qui cum veniſſent ad eum, & ſimul eſſent, dixit..... Attendite „ vobis, & univerſo gregi in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam „ Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo.

4 *Epiſt. ad Titum cap.* I. *verſ.* 5. „ Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per civitates Presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi „. Idem Paulus *epiſt.* II. *ad Corinth cap.* X. *verſ.* 8. „ Nam & ſi aliquid amplius gloriatus „ fuero de poteſtate noſtra, QUAM DEDIT NOBIS DOMINUS IN ÆDIFICATIONEM, ET NON „ IN DESTRUCTIONEM &c.

quam hujuſce opinionis in ſacris litteris ne veſtigium quidem inveniri poſſit, multaque contra reperire liceat, quæ, ut demonſtratum eſt, eamdem ipſam opinionem evertere videantur.

Sed Patres, qui proxime attigerunt ætatem Apoſtolorum, quique poſt oratione, ſcriptiſque Eccleſiam & defenderunt, & amplificarunt, Apoſtolorum doctrinam ſequuti tradiderunt, non Eccleſias, hoc eſt cœtus Chriſtianorum, ſed Apoſtolos, qui a Chriſto accepiſsent auctoritatem, iis impoſuiſse manus, quos aptos rei bene gerendæ cognoſsent fore. *Impoſitione autem manuum* gratiam Dei, & *gratia Dei* Epiſcopatum, Presbyteratumque dari. *Gratiam* vero Dei quis neget ex Deo in hominum animos permanare? Igitur Clemens Romanus (1), Ignatius (2), Irenæus (3), ceterique (4) Patres, quorum paullo poſt teſtimonia deſcribam, cum de Epiſcopis jure divino preſbyterorum Ordini ſuperioribus diſſeram, quod eſt in Præ-

 ſidibus

1 De hac re agemus in eo libro, qui de *Sacramento Ordinis* inſcribetur. Itaque non eſt opus, ut hoc etiam loco agendum putem.

2 Vide ſupra *Clem. Rom. loc. pag. 22. hujus vol. not. 2.*

3 Confer ſupra Ignatii teſtimonia *pag. 23. hujus vol. not.* 1.

4 S. Irenæus *lib.* III. *contra Hæreſes cap.* III. *n* 1. *pag.* 175. *edit. Veneta an.* 1734.
„ Traditionem itaque Apoſtolorum in toto mundo manifeſtatam in omni Eccleſia eſt reſpicere omnibus, qui vera velint audire; & habemus annumerare eos, qui ab Apoſtolis inſtituti ſunt Epiſcopi in Eccleſiis, & ſucceſſores eorum uſque ad nos &c. . . . . Sed quoniam valde longum eſt in hoc tali volumine omnium Eccleſiarum enumerare ſucceſſiones, maximæ, & antiquiſſimæ, & omnibus cognitæ, a glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & conſtitutæ Eccleſiæ eam, quam habet ab Apoſtolis traditionem, & annunciatam omnibus fidem per ſucceſſiones Epiſcoporum pervenientem uſque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquomodo vel per ſibi placentia, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam ſententiam, præterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Eccleſiam, propter potiorem principalitatem, neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt eos, qui ſunt undique fideles, in qua ſemper ab his, qui ſunt undique, conſervata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis traditio. Fundantes igitur, & inſtruentes Beati Apoſtoli Eccleſiam, Lino Epiſcopatum adminiſtrandæ Eccleſiæ tradiderunt .... Succedit autem ei Anacletus &c. ... Et: „ Polycarpus autem, non ſolum ab Apoſtolis edoctus, & converſatus cum multis ex eis, qui Dominum noſtrum viderunt, ſed etiam ab Apoſtolis in Aſia, in ea, quæ eſt Smyrnis, Eccleſia conſtitutus Epiſcopus „. *Et lib.* IV. *cap.* XXVI. *pag* 262. „ Quapropter eis, qui in Eccleſia ſunt, obaudire oportet, his qui ſucceſſionem habent ab Apoſtolis, ſicut oſtendimus, qui cum Epiſcopatus ſucceſſione Chariſma veritatis certum, ſecundum placitum Patris acceperunt. Reliquos vero, qui abſiſtunt a principali ſucceſſione, & quocumque loco colligunt, ſuſpectos habere, vel quaſi hæreticos, & malæ ſententiæ, vel quaſi ſcindentes, & elatos, & ſibi placentes „. *Et lib* V. *cap.* XX. *pag.* 317. „ Omnes ii, (*hæretici*) valde poſteriores ſunt, quam Epiſcopi, quibus Apoſtoli tradiderunt Eccleſias &c.

ſidibus ſacrorum auctoritatis, hoc non ab Eccleſia in eos translatum, ſed a Deo præſidibus iiſdem conceſſum exiſtimarunt. Ex qua re intelligitur, non eamdem eſſe conſtituendorum miniſtrorum Eccleſiæ, regumque dicendorum rationem. Reges enim a populo, cujus conſenſionem, voluntatemque confirmet Deus, conſtitui; Sacerdotes autem, paſtoreſque Eccleſiarum per alios paſtores, a Deo.

Ac miror eorum tarditatem, atque imperitiam, qui cum in Evangelio Matthæi (1) legerint, eum qui fratrem fruſtra monuerit, juſſum a Chriſto fuiſſe, ut ad Eccleſiam referret, quæ reum emendaret, ac renuentem parere, ab ſe, ut Ethnicum, atque publicanum rejiceret; cenſuerunt, Eccleſiæ nomine, non eos, qui primas in cœtibus obtinerent partes, remque ſacram Chriſtianorum adminiſtrarent, ſed totam communitatem intelligi oportere. Quemadmodum enim univerſum cœtum Eccleſia eo in loco ſignificabit, ſi puniendi reos, a Chriſto, non communitati, ſed Apoſtolis, ſucceſſoribuſque, ut ſupra demonſtravimus, liqueat fuiſſe auctoritatem datam? Quamobrem labitur Buddeus, qui hunc ſibi locum adjumento eſſe ad ſuam opinionem conſtituendam putavit poſſe. Sed exemplo Eccleſiæ Apoſtolicæ, inquit Buddeus (2), plane intelligitur, Epiſcopos, Diaconoſque ab Eccleſia eligi, atque inſtitui conſueſſe, provocatque ad caput VI. (3) & XIV. (4) Actorum Apoſtolicorum.

Verum in ſexto capite electionis, ordinationiſque Diaconorum fit mentio, quos electos quidem ab Eccleſia fuiſſe

1 *Matth. cap.* XVIII. *v.* 15. *& ſeqq.* „ Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, & „ corripe eum inter te, & ipſum ſolum; ſi te audierit, lucratus eris fratrem tuum, ſi autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum, vel trium „ teſtium ſtet omne verbum. Quod ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ. Si autem Eccleſiam „ non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus. Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo, & quæcumque ſolveritis ſuper terram, „ erunt ſoluta & in cælo „. Viden ut Eccleſiæ nomine Apoſtolos intelligat, quibus ſolvendi, ligandique poteſtatem fecit? Confer Joh. Chryſoſtomum in hunc locum Matth. *c.* VII. *Homil.* LX. al. LXI. *pag.* 606. *ſq. ed. Monach. S. Mauri.*

2 *Ibid.*

3 *Verſ.* 3. *& ſeqq.*

4 *Verſ.* 22. „ Et cum conſtituiſſent illis per ſingulas Eccleſias Presbyteros, & oraſſent „ cum jejunationibus, commendaverunt eos Domino, in quem crediderunt.

ſuiſſe conſtat, inſtitutos autem, rituque impoſitionis manuum conſecratos, non item. Apoſtoli enim, quibus poteſtas hujus ritus perficiundi data fuerat, manus electis diaconibus, ad ipſoſque adductis impoſuerunt. Capite vero XIV. non ab Eccleſia, ſed a Paulo, & Barnaba civitatibus, in quibus Chriſtiani florerent, datos fuiſſe presbyteros Lucas ſcribit. Pergit Buddeus, ac docuiſſe Apoſtolum (1) animadvertit, quinam dicendi ab Eccleſiis Præſides ſacrorum Chriſtianorum eſſent, quibuſque virtutibus excellere deberent. His conſtitutis, perſpicuum eſſe, ſubdit, magnis in erratis eorum eſſe opinionem, qui Doctores Eccleſiarum, id eſt Epiſcopos, atque Presbyteros ἀμέσως a Deo vocari, atque conſtitui arbitrentur.

Ego vero quemadmodum hoc ſit ex Pauli præceptis conſequens, nullo modo prorſus intelligo. Nam ex virtutibus, quas gratia Dei ſibi Chriſtianus parat, vocationem ſequi aſſentior, conſtitui vero proinde ἀμέσως ab cœtu Chriſtianorum Epiſcopos, id vero eſt, quod ut ſit ex antecedentibus conſequens, demonſtrari mihi, ſin minus veritate, at opinione ſaltem volo. Sed vereor, ne ſit difficile. Quid autem difficile dico, quod fieri omnino non poteſt?

At enim dicet quiſpiam, ſi Apoſtoli, ſucceſſoreſque eorum Epiſcopos, Presbyteroſque (2) conſtituebant; ἀμέσως

1 1. *Ad Timoth.* III. *v.* 2. *& Epiſt. ad Tit. cap.* 1. *v.* 7. *& ſeqq.*

2 Ab Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus Epiſcopis conſtitui Epiſcopos, Presbyteroſque, non a cœtu Chriſtianorum, cenſet etiam Marcus Antonius de Dominis *lib.* I. *de Republica Eccl. cap.* I I. *n.* 2 I. *pag.* 186. *& ſeqq. edit. an.* 1617. *tom.* I. Sic autem inducit Chriſtum Apoſtolis loquentem: „ Quemadmodum ego Patris conceſſione, & mandato elegi vos libere, ita vos etiam conceſſione, & mandato meo eligere debetis Epiſcopos alios, qui vobis ſuccedant, & illi alios, atque ita deinceps, uſque ad conſummationem ſeculi. Quæ commiſſio, & auctoritas cum mandato jam dictæ propagationis per electionem, ſicut non eſt data a Chriſto, niſi ſolis Apoſtolis, quibus ſolis dixit, ſe eos mittere, ita ut ipſe fuerat a Patre miſſus, pari ratione Apoſtoli etiam mandatum idem non extendebant ad alios, neque poterant extendere, niſi ad illos ſolos, quos ſive ſocios, ſive ſucceſſores aſſumebant. Quis ergo dicat, plebem, ac reliquum vulgus habere poteſtatem committendi munus, & officium paſtorale ei, in quem populus ipſe fidelium conſentiat? Verum quidem eſt ... plebem in electionibus Epiſcoporum ... partes habuiſſe ... ſed ſi Chriſti inſtitutionem ſequi volumus, excludamus neceſſe eſt plebem jam fidelem ab hac Epiſcoporum, ſeu Presbyterorum creatione: ita nimirum, ut præter conſenſum quemdam, ſive approbationem perſonæ eligendæ, ſive ipſius etiam electionem, in traditione poteſtatis Eccle-

σως ex Apoſtolis profecta fuerit neceſſe eſt auctoritas miniſtrorum Eccleſiæ, origine autem, *mediateque*, ut ajunt, a Deo.

Qui autem ſic diſputant, non animadvertunt, in conſtituendis, conſecrandiſque Epiſcopis, atque presbyteris eſſe genera rerum conſideranda omnino duo. Alterum enim genus eſt earum, quæ propriæ Apoſtolorum, imprimiſque Petri, & ſucceſſorum ſunt, alterum earum, quæ ſunt acceptæ referendæ Deo. Atque eligendi, dandi certis quibuſdam, deſtinatiſque Eccleſiis Epiſcopos, Presbyteroſque, eiſque manus imponendi poteſtatem Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus, imprimiſque Romano Pontifici, a quo Epiſcopi (1) omnes pendere debent, ut qui centrum unitatis Eccleſiæ, paſtor, magiſter, caput viſibile, & Primas omnium Eccleſiarum ſit, quemadmodum alio loco demonſtrabimus, conceſſam eſſe defendimus. Sed gratiæ, characteriſque, qui animæ imprimitur, quique efficit, ut qui eſt presbyter ordinatus, conſecrare Corpus, & Sanguinem Chriſti, & a peccatis eos, qui pœnitentiam egerint, ſolvere; qui vero Epiſcopus ordinare diaconos, atque presbyteros, jureque regere, quam eſt ſortitus, Eccleſiam, adminiſtrareque poſſit; gratiæ inquam, characteriſque ratio *ἀμέσως* conceditur, animæque imprimitur a Deo per ordinis Sacramentum. Quarum rerum a nobis, etſi demonſtrari plane poſſint, tamen differetur opportune in eum librum, qui erit de Sacramento Ordinis, diſputatio.

His

„ ſiaſticæ ipſa nullam umquam habeat partem, cui nempe non eſt dictum, ſicut miſit me „ pater, & ego mitto vos. Et ſane Barnabas, Silas, Epaphroditus, Timotheus, Titus, & „ tam multi primi Epiſcopi ab Apoſtolis, ſive omnibus ſimul, ſive ab aliquo ipſorum & „ commiſſionem, & poteſtatem acceperunt Epiſcopalem; populus vero in eorum vocatione „ nihil operæ ſuæ collocavit. Similiter ſi extra Sacram Scripturam Eccleſiaſticos conſulamus ſcriptores, Clemens a Petro, ſine populo, factus eſt primus Epiſcopus Romanus (*Tertull. de Præſcriptionibus cap.*xxxii.*pag.*213. *edit. ann.* 1748.) Jacobus Juſtus, ſi non a „ Chriſto, certe ab Apoſtolis ſolis, ut jam vidimus, factus eſt Epiſcopus primus Hieroſolymorum. Ita de Evodio, Polycarpo, Marco, & innumeris aliis ab Apoſtolis ſolis, ſive „ viris Apoſtolicis eos factos Epiſcopos Eccleſiaſtica ſcripta teſtantur.. Atque iidem Eccleſiis jam ſatis numeroſis, & populo fideli plenis præficiebantur. Hanc tamen Epiſcoporum „ deputationem ab Apoſtolis primum, & deinde a ſucceſſoribus ipſorum, perpetuis temporibus in Eccleſia per conſecrationem, & ceremonias externas præſertim per manuum „ impoſitionem fieri ſolitam, facile eſt oſtendere.

1 De hac re agemus paullo poſt diligenter.

His ipſis ſacrarum litterarum (1) monumentis refelli Cathari (2), Waldenſes (3), Huſſitæ, atque Wicleſiani (4) poſſunt, qui ſolius Dei munus eſſe paſtores eligere ſtatuebant, quod prædeſtinatos ſolum Epiſcopos eſſe poſſe arbitrarentur. Quinetiam Catharorum erat opinio, eos, qui Epiſcopi ob vitæ ſanctitatem, innocentiamque eſſent, ſi implicati aliquo ſcelere fuiſſent, Epiſcopos continuo vocari, & eſſe deſiiſſe. Cum enim in Epiſtola ad (5) Timotheum priore legiſſent, Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe oportere, nullam eſſe cauſſam putarunt, quare aliquem peccati cujuſcumque reum Antiſtitem Eccleſiæ habendum judicarent. At hominum aliquas eſſe in deligendis, impoſitioneque manuum conſtituendis miniſtris partes (modo qui hiſce ceremoniis, ritibuſque utuntur, initiati ante hoc eodem Epiſcopatus myſterio fuerint) auctoritate Apoſtolorum, majorumque noſtrorum demonſtratum mox eſt; quibus ſane negare auctoritatem, & fidem non licet.

1 Buddeo præiverant Martinus Lutherus *libro de Poteſtate Papæ pag.* 333. *edit. an.* 1556. „ *t.* 1. *opp.* Hunc ritum, *dicens*, per multas Epiſtolas Cyprianus commemorat, ſemper ſuffragium populi, & judicium propinquorum Epiſcoporum ita allegans, & hanc ex Deo ordinationem eſſe cum fiducia pronuncians .... Nec referre eſt neceſſe quanto felicius hodie is ritus divinus ſervaretur, præſertim tot Sacerdotibus malis regnantibus, & initio populo impoſitis „. Similia habet in eo libro, quem *de inſtituendis Miniſtris ad Bohemos ſcripſit pag.* 578. *t.* II. *edit. an* 1557. Non diſcrepat Matthias Illyricus *Demonſtr. de Electione Epiſcopor. pag.* 23. *ſq. edit. an.* 1562. Idem cum Collegis Centuriatoribus Magdeburgenſis Centuria I. *lib.* II. *cap.* IV. *pag.* 391. *edit. an.* 1560. *t.* I. „ Habet, *inquit*, Eccleſia in quolibet loco, „ hoc eſt totus cœtus, tum ut nunc vocamus Laicorum, tum Clericorum conjunctim poteſtatem eligendi, vocandi, & ordinandi miniſtros idoneos „. Conſentit *Jac. Herbrand. in Annot. adverſus Sotum pag.* 246. *edit. an.* 1561. & Martinus Kemnitius *in Examine Concilii Tridentini Diſp. de Ordinis Sacram. pag.* 259. *ſeqq. edit. an.* 1574. Joh. Calvinus *l.* IV. *Inſtitut cap* III. §. XV. *pag.* 285. *edit. an.* 1667. *t.* VIII. *opp.* Gisbertus Voetius *Polit. Eccleſiaſtica P.* II. *lib.* III *Tract.* I. *cap.* II. *pag.* 535. *& ſeq* Eſſe enim, *inquit*, electionem, ſeu Ordi- „ nationem Eccleſiaſticam, quæ fit in Eccleſia ab Eccleſia, cujus futurus eſt miniſter „. Aliique ſive Lutherani, ſive Calviniani, ſive Remonſtrantes, ſive ceteri, qui ab Eccleſiæ Romanæ auctoritate, traditioneque defecerunt.

2 De errore hoc Catharorum confer Monetam Cremonenſem Ord. Præd. ſeculi XIII. ſcriptorem diligentiſſimum *lib.* IV. *adverſus Catharos, & Waldenſes c* VI. §. II. *p.* 313. *edit. Cl. Ricchinii an.* 1743. diſcrepat Raynerius Sachonus O. P. qui ante quam Catholicus eſſet, noſtroque Ordini ſe addixiſſet, Pontifex fuerat ejus ſectæ, *ſumma contra Catharos &c.* apud Martenium *tom.* V. *Theſaur. Anecdot. pag.* 1767. *edit. an.* 1717.

3 De Waldenſibus confer Sachonum *ibid. pag.* 1775.

4 Adeundus Thomas Waldenſis *lib.* II. *Doctr. Fidei c.* XXXIX. *ſeq. pag.* 131. *ſeqq. edit. an.* 1532. Vide Concilii Conſtantienſis Acta *ſeſſ.* VIII. *pag.* 299. *tom.* VIII. *Concilior. edit. Hard.* & *ſeſſ.* XV. *pag.* 410.

5 *Epiſt.* I. *ad Timoth. cap.* III. *v.* 2.

licet. Quod ſi reprehenſibiles, qui vocantur in ſacris litteris, iidem Epiſcopi eſſe deſinant, exciderit plane Pontificatu Cephas (1) neceſſe eſt, quem fuiſſe reprehenſibilem, adeoque ab ſe redargutum, Paulus in litteris, quæ ſunt ad Galatas datæ, ſcribit. Jam vero Judamne Epiſcopum (2) fuiſſe quiſquam Catharorum neget, quod tam ſceleſtum facinus & molitus eſſet, & perfeciſſet? Angelum autem Epheſi (3), cujus eſt ab Johanne in Apocalypſi facta mentio, quis tam eſt ineptus, ut de gradu Epiſcopatus dejectum exiſtimet, quia minus recte ſe geſſerat? Atque de Catharorum errore, quem ne Proteſtantes quidem hujuſce temporis tuentur, ſatis dictum eſto (4).

CAPUT III.

De forma, & ratione gubernandæ Eccleſiæ.

CUM poteſtate regendi, gubernandique miniſtros Eccleſiæ præſtare demonſtratum ſit (5) capite ſuperiore, regendi autem gubernandique poteſtas, quin aliqua ſit forma, ratioque regiminis, ne intelligi quidem poſſit (6); concedendum

1 *Epiſt. ad Galatas cap.* II. *v.* 11. „ Cum autem veniſſet Cephas Antiochiam, in faciem „ ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat &c.

2 *Act.* I. *v.* 16. 17. „ Viri fratres, *inquit Petrus*, oportet impleri ſcripturam, quam „ prædixit Spiritus Sanctus, per os David, de Juda, qui fuit Dux eorum, qui comprehen- „ derunt Jeſum, qui connumeratus erat in Nobis, & ſortitus eſt ſortem miniſterii hujus „. Subdit porro Petrus uſus pſalmi verſiculo „ Fiat commoratio eorum deſerta, & non ſit, qui „ inhabitet in ea, & Epiſcopatum ejus accipiat alter „. Vide, quæ ſequuntur.

3 *Apoc.* II. *v.* 4. Angelum Epheſinum, hoc eſt Epiſcopum redargutum a Chriſto dicit Johannes, *quod caritatem primam reliquerit*. Itaque v. 5. ſic inducit Chriſtum loquentem. „ Memor eſto unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac. Sin autem, „ venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco ſuo, niſi pœnitentiam egeris „. Multa in hanc rem egregie diſputat Moneta *ibid. pag.* 314.

4 Adeundi Bellarminus *lib.* I. *de Clericis cap.* II. *ſeqq. pag.* 1425. *ſeqq. tom.* I. *par.* II. *Controverſ. edit. Ingolſtadienſis an.* 1587. quibus in locis non Lutheranorum, & Calvinianorum modo, ſed etiam Huſſi, & Wiclefi errores oppugnat. Petavius *lib.* III. *de Hierarch. Eccleſ. cap.* XIV. *ſeqq.* Nicolaus Sanderus *de Viſibili Monarchia Eccleſiæ lib.* I. *cap.* VI. *per totum pag.* 30. *ſeqq. edit. Lovanien. an.* 1571. Mitto Victoriam, Stapletonum, Gretſerum, Becanum, alioſque Catholicos, qui in ſuis operibus hoc argumenti genus explicarunt: Non diſcrepant in eadem re a noſtris Epiſcopales Angli, imprimiſque Henricus Hammondus *Diſſert. de Jur. Epiſc. &c. in Præmonit. ad Lectorem* §. I. *ſeqq. edit. Londin. ann.* 1631.

5 *Pag.* 93. *ſeqq. hujuſce libri, & pag.* 144. *ſeqq.*

6 *Pag.* 261. *ſeqq.*

dendum profecto eſt, aliquam eſſe oportere adminiſtrandæ Eccleſiæ rationem.

ſ. I.

Ullam ne certam formam communitatis, hoc eſt Eccleſiæ Chriſtus præſcripſerit?

JAM vero quum inſtitutione divina Epiſcopos, presbyteroſque Eccleſiis datos oſtenderim (1), confidamque fore, ut hoc idem ſequentibus capitibus ad veritatem (2) plane demonſtrem; Epiſcoporum autem, ac Presbyterorum inſtitutio, perſpicuum ſit regiminis, gubernandæque civitatis Eccleſiaſticæ rationis ſignum, ſit quidem ita, ut certam quamdam formam communitatis, ſive Eccleſiæ adminiſtrandæ fuiſſe divinitus præſcriptam credam. Cumque præſcripta quæ ſunt in novo Teſtamento divinitus, eſſe a Chriſto Servatore Deo, atque homine profecta conſtet, fateamur neceſſe eſt, fuiſſe a Chriſto aliquam rationem adminiſtrandæ Chriſtianæ reipublicæ conſtitutam.

Qui contra ſentiunt (3), ſunt autem hi (ſi Epiſcopales Anglos prætereas, quorum plerique veterem, orthodoxamque de hoc quæſtionis genere ſententiam defendunt) de numero Proteſtantium, cenſent illi quidem hoc modo. Ordinem, ajunt, Doctorum Chriſtus inſtituit, omniaque, ut decet, diſponi, ac perfici præcepit; de forma autem civitatis, quæ ſub oculos caderet, de ratione divini cultus, de ritibus, inſtitutiſque, vel ornatus, vel alius rei cauſſa, religioni Chriſtianæ adjungendis, nihil ipſe per ſe certi, ac definiti, niſi forte perpauca exceperis, ſanxit. Quare habitam ab eo hominum, temporum, locorum, varietatiſque rerum rationem putant, datumque ſuis negotium fuiſſe, ut id in poſterum tempus agerent, quod proſpexiſ-

1 *Ibid.*

2 Ubi de Epiſcopis jure divino Presbyterio ſuperioribus agam.

3 Ita quidem cenſuit, ſuos imitatus, Moshemius *Inſtit. Hiſt. Eccleſ. Majorum ſec.* 1. *ſect.* 1. *par* II. *cap.* II. §. V. *pag.* 161. *ſeqq. edit. an.* 1739. Sed de iis, qui Presbyteratum, atque Epiſcopatum juris eſſe divini negant, differam in ea diſputatione, quæ erit de Epiſcopis jure divino ſuperioribus Presbyterio.

ſpexiſſent, Chriſtianæ civitati utile, frugiferumque ſuturum. Igitur temere, imprudenterque agi ab his, qui cum aliquos a ſuis opinionibus, quæ ſunt de Eccleſiaſticæ reipublicæ forma, recedere videant, eos vehementer accuſent, quaſi rem a Chriſto conſtitutam calumniando pervertere conentur. Atque hoc imprimis cautum a Servatore Chriſto fuiſſe, ne quis, præfectorum inſtar, dominari in Eccleſia auderet (1). Ipſum enim ſibi vindicaſſe, ademiſſeque ceteris condendarum legum, ac judicandorum, puniendorumque improborum hominum poteſtatem. Quamobrem etſi nihil obſtet, quo minus quiſquam alteri in cœtu Chriſtianorum dignitate, munere, jure aut præcellat, aut cedat, nulli tamen eſſe imperandi, in eoſque, qui dicto eſſe audientes recuſent, animadvertendi a Chriſto auctoritatem datam. Denique ipſum Servatorem Chriſtum, omnia, quæ graviora videri poſſent, pertinerentque ad felicem, qui in oculos incurrat, reipublicæ Chriſtianæ ſtatum, non Præfectorum, Præſidumque Eccleſiæ decreto, ſed conſenſione, ſanctioneque univerſi gregis probari, confirmari (2) atque conſtitui, juſſiſſe. Hujuſce opinionis, ſilentium Apoſtolorum ſatis grave argumentum eſſe. Etenim ne in cogitationem quidem cadere, ut quæ Chriſti præcepto introducta in Eccleſiam fuerunt, eadem ab Apoſtolis, ſacriſque Scriptoribus ſilentio prætermitterentur.

Ego vero quod ad primum attinet, de forma Eccleſiaſticæ reipublicæ nihil a Chriſto certi definitum fuiſſe, vehementer nego. Etſi enim quidquam in Evangeliis, quod huc pertineat, minime legam, cum tamen Apoſtoli, majoreſque noſtri a Spiritu (3) Sancto, Chriſtique ſententia Epiſcopos fuiſſe inſtitutos (4) ſcribant, qui Eccleſias moderarentur, eoſque plecterent, qui dicto audientes eſſe noluiſſent, fas non eſſe cuiquam Chriſtianorum arbitror de eorum fide dubitare, ſecuſque rem habuiſſe dicere, atque

1 1. *Petri cap.* v. *verſ.* 1.

2 Laudant hæc adverſarii locum ex *cap.* XVII. *v* 17. *Evang. Matth.*

3 Vide ſupra *pag.* 261. *ſeq.*

4 Vide Ignatii locum e genuina Epiſtola ad Epheſios *n.* 11I. ſupra deſcriptum *pag.* 22. *hujus vol. in adnotationibus*. Sed de hac re alias.

atque ipſi tradiderint. Adverſariis autem, qui nullo vetere teſtimonio, nullis ſcripturarum Sacrorum momentis agunt, quis eſt tam ineptus, qui eſſe credendum putet?

Nam quod ſecundo loco animadvertunt, habitam a Chriſto temporum, locorum, atque hominum rationem, permiſſumque proinde Apoſtolis, ut multa deinceps diſponerent, decernerent, diſtribuerent, ſuiſſe, quemadmodum ipſis viſum opportunum eſſet, nemo eſt noſtrorum hominum, qui repugnet. Verumtamen oſtendendum ab adverſariis erat, ſi quidem ſibi adjungi cupiebant fidem, in his rebus numerandum eſſe ordinem Præfectorum Eccleſiæ. Id vero cum efficere nullo modo poſſint, fateantur neceſſe eſt, manere firmam orthodoxorum de inſtituta a Chriſto ratione reipublicæ Chriſtianæ gubernandæ ſententiam.

Quod erat tertium de lege Chriſti, ne quis dominari audeat in Eccleſia, quoniam, ut ſit intelligendum, demonſtratum paullo ante (1) eſt, nova quidem oratione non eget. Errant autem graviter, qui datam Præſidibus Eccleſiarum legum condendarum, puniendorumque improborum hominum poteſtatem, negant. Eſt vero eorum ſupra multis argumentis exploſa ſententia (2).

Nihil quod quarto loco ſubdunt, de conſenſione plebis in decernendis rebus, quæ ad decus, amplitudinem, commoda, ſalutemque Chriſtianæ reipublicæ ſpectant, moror, cum paullo (3) ante accurate ſit, ut arbitror, refutatum.

Extremum quod opponunt de Apoſtolorum ſilentio, leve eſt. Tam enim ſunt Pauli in Epiſtolis (4), Johannis in (5) Apocalypſi, Lucæque (6) in Actis Apoſtolicis perſpicua loca, ut iiſdem nulla arte offundi tenebræ poſſe videantur.

1 *Pag.144. ſeq. hujus vol.*
2 *Pag. 144. ſeqq hujus vol.*
3 *Pag. 251. ſeqq.*
4 Vide loca Pauli *pag. 263. ſeqq. notat. 7. ſeqq.*
5 *Cap. 11. v. 1 ſeqq.* & Irenæum locis ſupra *pag. 265. hujus vol. deſcriptis.*
6 Confer ſupra *pag. 264. hujus vol. not. 3.*

§. II.

Cujuſmodi ea ſit Chriſtianæ reipublicæ, quam Chriſtus inſtituit, ratio, & forma.

QUoniam igitur certam quamdam Chriſtianæ civitatis rationem a Chriſto fuiſſe inſtitutam diximus, reſtat, ut cujuſmodi eam eſſe oporteat, videamus. Atque hoc imprimis obſervandum eſt: cum Epiſcopi Presbyteris, Preſbyteri vero miniſtris ceteris jure ſint divino, ut alio loco (1) dicam, ſuperiores; diſtributionem, ac ſeriem quamdam poteſtatum, munerumque Eccleſiaſticorum eſſe a Chriſto invectam in Chriſtianorum ſocietatem, quarum poteſtatum, quorumque munerum ratio gradibus quibuſdam excellentior exiſtimaretur, & eſſet.

§. III.

Liceat ne hanc rationem Chriſtianæ reipublicæ Hierarchiam Eccleſiaſticam dicere?

SUnt autem homines, & fuerunt, iique jam de numero Proteſtantium (2), qui rationem Chriſtianæ reipublicæ *ἱεραρχίαν* dici aut omnino, aut proprie negarent poſſe. Atque

1 In diſputatione *de Epiſcopis jure divino ſuperioribus Presbyterio*.

2 Johannes Paulus Hebenſtreitius *Diſſert. de Forma Regiminis in Eccleſia edit. Jenenſis an.* 1703. Non videtur ab hoc errore diſcrepare M. Adamus Tribecchovius *Diſſ. de Ord. Superior. Poteſtat. Veter. & Florentis Eccleſiæ edit. Kilonii*. Atque hi quidem Kemnitium, alioſque Lutheranos, Calvinianoſque ſequuntur, qui Hierarchiæ & rem, & nomen reprobaverunt. Johannes Franciſcus Buddeus *lib.* v. *Inſtitut. Theologicar. cap.* iv. §. 1. *pag.* 1242. ,, Cum in Concilio Tridentino, *inquit*, *anathematis fulmen in eos vi-* ,, braretur, qui dicturi eſſent, in Eccleſia Catholica non eſſe Hierarchiam divina ordina- ,, tione inſtitutam, quæ conſtet ex Epiſcopis, & Presbyteris, & Miniſtris, recte a Germa- ,, nis, teſte Petro Suavi (*Hiſt. Conc. Trident. lib.* viii. *pag.* 725. *edit. an.* 1619.) re- ,, ſponſum eſt: vocem hanc (*Hierarchia*) & ſignificationem a ſacris litteris, & conſuetu- ,, dine primitivæ Eccleſiæ non modo alienam eſſe, verum etiam contrariam, vocemque ,, inventam eſſe a quodam fortaſſis non ſatis antiquo (Dionyſium, quem vocant Areopagitam, ,, haud dubie innuunt) ſed de quo haud plane conſtet, quis, aut quando fuerit; ſcriptore ,, ceteroqui hyperbolico, quem nec in illius vocabuli uſu, nec in aliis ab ipſo excogita- ,, tis quiſquam antiquorum imitetur. Quod ſi ſtilum dicendi, ita pergunt, & modum ope- ,, randi Chriſti Servatoris noſtri, & Sanctorum Apoſtolorum, & antiquæ Eccleſiæ ſequi vo- ,, luiſſent, non Hierarchiam, verum Hierodiaconiam quamdam, aut Hieroduliam ſtatuen- ,, dam fuiſſe ,,.

Atque ii quidem, qui hoc vocabulum reprobarent, tollique vellent, novum imprimis eſſe animadverterunt, quod introductum a Pſeudo-Areopagita fuerit, quem vixiſſe quinto Eccleſiæ ſeculo arbitrantur. Eſſe deinde *ἱεραρχίαν* ſacrorum Principatum contendunt, cumque principatus ſine imperio conſiſtere non poſſit, exterminandam eam ex Eccleſia vocem putant, quod cautum a Chriſto ſit (1), ne quis aut quærere, aut optare in republica Chriſtianorum circa ſacra imperium auderet. Itaque *ἱεροδιακονίαν* hoc eſt *miniſterium ſacrum* dicendum ordinem doctorum, præpoſitorumque Eccleſiæ ſtatuunt, *ἱεραρχίαν* vero, ſive *Sacrorum Principatum*, nullo modo. Qui autem minus proprie (2) Hierarchiam dici exiſtimant, etſi iiſdem fere rationum momentis ducantur, tamen moderate in noſtros, qui uti hac voce ſoleant, agendum arbitrantur.

Nos qui Sacrorum Bibliorum, majorumque teſtimoniis, rerum ſacrarum, gubernandæque Chriſtianæ Eccleſiæ Apoſtolis (3) oſtendimus fuiſſe divinitus poteſtatem datam, nihil eſſe ducimus, quod impediat, quin ordinum Eccleſiaſticorum *οἰκονομίαν* appellare liceat Hierarchiæ vocabulo. Cumque ſanctos Patres (4), viroſque ſingulari & doctrina, & exiſtimatione virtutis (5) uſos conſtet fuiſ-

 ſe

1 *Matth. cap.* xx. *v.* 25.

2 Buddeus ibid. Et *Apparat. in Theolog. Poſitivam lib.* II. *cap.* v. §. xi. *pag.* 834. *ſeq.*

3 *Vide ſupra pag.* 143. *ſeqq.*

4 S. Joh. Chryſoſtomus, ſive quiſquis auctor *ejus Orat.* eſt, loco mox deſcribendo, Hierarchas nominat. Sanctus Sophronius Epiſcopus Hieroſolymorum VII. ſeculi inſignis eruditione ſcriptor, *Ep. qua extat in Actis Synodi* VI. *Oecumenicæ an.* 681. Conſtantinopoli celebratæ *tom.* III. *Concilior. edit Pariſ.* Harduini *p.* 1259. *Act.* XI. „ Quia vero, inquit, quædam Apo„ ſtolica, atque priſca traditio in Sanctis Dei per totum orbem Eccleſiis tenuit, ut οἱ πρὸς „ ἱεραρχίαν ἀγόμενοι, *qui ad Hierarchiam deducuntur*, τοῖς πρὸ αὐτῶν τὰς ἱεραρχίας, „ *iis qui ante ipſos Hierarchias* regunt, omnia ſincere conferant, & exponant. Conſule ceteros, quorum teſtimonia deſcribit Hallerius *de Hierarch. Eccl. l.* I. *cap.* II. *pag.* 4. *ſeqq. edit. Pariſ. an.* 1656. Accedit Pontificum Romanorum, qui diu ante nos floruerunt, auctoritas. Felix III. Pontifex Maximus, qui anno 483. Pontificatum obtinuit, *Epiſt.* v. *ad Zenonem Imperatorem pag.* 830. *tom.* II. *Concilior. edit. Hard.* „ Valentini, inquit, & Eu„ tychetis diſcipulum expelle a civitate ſimul, & Eccleſiaſtico regimine, & a dignitate „ *Hierarchica* dejectum eſſe ſancito „. Non diſcrepant Synodi Oecumenicæ. Concilium „ Nicænum II. quod eſt VII. Oecumenicum celebratum an. 787. *Canone* II. *tom.* IV. Conciliorum *edit. Hard. pag.* 487. οὐσία, inquit, τῆς καθ' ἡμᾶς ἱεραρχίας ἐστὶ τὰ θεοπαράδοτα λόγια &c. „ Subſtantia Hierarchiæ noſtræ ſunt eloquia divinitus tradita &c. „ Cetera legi apud eumdem Halerium poſſunt, quem conſule.

5 Adeundus Hugo Victorinus *lib.* IV. *Adnot. in Dionyſ. opus de Cæleſti Hierarchia t.* I. *opp.*

ſe hoc nomine, vocaſſeque interdum Hierarchas (1) eos, qui primas in Eccleſiis obtinerent partes, magis magiſque in ſententia confirmamur, aſſentimurque Tridentinis Patribus, qui homines negantes Hierarchiam Eccleſiaſticam dari, quæ conſtet ex Epiſcopis, Presbyteris, & miniſtris, anathematis pœna condemnaverunt (2).

Quid ſi Epiſcopi olim Principes (3) fuerunt Eccleſiæ appellati? Jam vero ſi principes dicti ſunt, cur non item Hierarchæ dici potuerunt, cum principatum obtinerent ratione ſacrorum?

Dionyſius Areopagita, etſi non eſt (4) quarto ſeculo

opp. edit. an. 1648. *pag.* 505. *ſeq.* S. Thomas 1. *P. q.* CVIII. *art.* 1. II. *Et opuſc.* XIX. *quod eſt contra Impugnantes Religionem pag.* 244. *edit. an.* 1587. ubi „ Non deſtruit, *inquit*, Ec-
„ cleſiaſticam Hierarchiam Papa mittens Monachos ad prædicandum, quia ſicut ſupradi-
„ ctum eſt, in Eccleſiaſtica Hierarchia ille, qui eſt inferioris ordinis, poteſt ſuperioris offi-
„ cium exercere, etiam in ſuo ordine manens „. Sed plura perſequi non eſt neceſſe. Conſule Hallerium *ibid. c.* IV. *pag.* 12. *ſeqq.*

1 Johannis Chryſoſtomi eſſe homiliam *de Johanne Theologo* putat Hallerius. Negant Monachi Benedictini Congregationis S. Mauri, nec injuria. Eſt nihilominus ea vetus. Sic autem habet auctor, *tom.* VI. *opp. s. Johan. Chryſoſt. pag.* 518. *edit. Pariſ. an.* 1624. „ Qui
„ ſuis ſucceſſoribus ſagenas, & retia tradiderunt, τὴν δὲ ἐξουσίαν *poteſtatem autem*, quam
„ acceperunt ab eo, qui poteſtatem habet omnem in cælo, & in terra .... His igitur in
„ ἐξουσίᾳ, καὶ ἀρχοντίᾳ *poteſtate*, & *principatu*, & zelo ſuccedunt, ut ante dictum eſt,
„ venerandi doctores, οἱ ἱεράρχαι *ſacrorum Principes &c.*

2 *Seſſ.* XXIII. *can.* VI. *pag.* 140. *tom.* XX. *Concilior. edit. Labbei Venetæ an.* 1733.
„ Si quis dixerit in Eccleſia Catholica non eſſe Hierarchiam divina ordinatione inſtitutam,
„ quæ conſtat ex Epiſcopis, & Presbyteris, & Miniſtris, anathema ſit.

3 Euſebius Cæſarienſis *lib.* VI. *Hiſtoriæ cap.* XXVIII. *pag.* 293. *edit. Cantabrig.* „ Ma-
„ ximo ſuccenſus odio (Maximinus) adverſus familiam Alexandri, in qua plerique erant
„ Chriſtiani, perſecutione excitata, ἄρχοντας μόνους *Principes ſolum* (hoc eſt Epiſcopos)
„ utpote Evangelicæ prædicationis auctores, interfici juſſit „. *Idem lib.* VIII. *cap.* I. *p.* 376.
„ ἀρχόντων δὲ ἀρχουσι προσρηγνύντων Principibus ſacrorum cum ſacrorum principibus jur-
„ gia agitantibus „. *Et cap.* III. *pag.* 379. Τότε δὴ οὖν τότε πλεῖστοι μὲν ὅσοι τῶν ἐκκλησιῶν ἄρχοντες δειναῖς αἰκίαις προθύμως ἐναθλήσαντες, μεγάλων ἀγώνων ἱστορίας ἐπεδείξαντο. „ Tum vero quamplurimi Principes graviſſima ſupplicia alacri animo perpeſſi, illu-
„ ſtrium certaminum ſpectacula exhibuerunt „. *Et de Martyribus Palæſtinis cap.* 1. *ibid. pag.* 408. Μετὰ τοῦτον ἐπὶ τῆς αὐτῆς πόλεως πλεῖστοι ὅσοι τῶν ἐπιχωρίων ἐκκλησιῶν ἄρχοντες. „ Poſt hunc in eadem Urbe quamplurimi Eccleſiarum illius Provinciæ Principes &c. Optatus Milevitanus *lib.* I. *de Schiſmate Donatiſtarum n.* XIII. *pag.* 14. *edit. ann.* 1702. Ipſi apices, & PRINCIPES omnium aliqui Epiſcopi &c. Johannes Chryſoſtomus *Homil.* III. *ad Populum Antiochenum pag.* 38. *tom.* II. *opp. edit. Pariſ. Monachor. s. Mauri an.* 1718. De Epiſcopo agens: „ Doctor noſter pro tanta civitate, *inquit*, & cum tanta Eccleſia ſup-
„ plicans benigniſſimum, & mitiſſimum hunc Imperatorem flectere poterit. Si enim peccata
„ in Deum admiſſa ſolvendi poteſtatem accepit, multo magis in hominem patrata deſtruere
„ poterit. Ἄρχων ἐστὶ καὶ αὐτὸς *Princeps eſt & ipſe &c.* Sed de hoc vocabulo alias.

4 Conſule Michaelis Lequienii Ord. Præd. *Diſſertationem Damaſcenicam ſecundam n.* X. *ſeqq. tom.* I. *opp. s. Joh. Damaſc. edit. Pariſ. pag.* XXXVII. *ſeqq.* Lequienium Monophyſitæ cuipiam Dionyſiana opera tribuentem refellit Bernardus Rubeus Ord. Præd. *ſingulari Diſſert.* quam Operibus s. Thomæ *Venetæ edit. an.* 1747. præfixit.

lo, multorum etiam orthodoxorum opinione, vetuſtior, neque ſolus fuit, qui Hierarchæ vocabulum uſurparet, neque primus. Eſſe enim aliqui cenſent ab Nazianzeno, & Joh. Chryſoſtomo indicatum (1). Quod ſi Nazianzeno etiam antiquiores Patres *Principum* nomine Epiſcopos appellarunt, non equidem video, quamobrem de Hierarchia eſſe adverſarii tantopere contendendum putent; cum præſertim res ipſa & majorum noſtrorum, & ſacrorum Bibliorum (etſi nominis ab iiſdem non fiat mentio) auctoritate demonſtrari poſſit. Neque vero ulla eſt cauſſa, quare voces non tam vetuſtate tritæ, quam Lutherani vellent, ſi aptæ ad rem ſignificandam ſint, uſurpandæ non videantur (2).

Quod adverſæ cauſſæ patroni addunt, cautum a Chriſto, ne quis in Eccleſia imperet, fuiſſe, quum explicatum paullo ante ſit, non (3) eſt opus, ut rurſum eſſe arbitrer explicandum. Extremum eſt, ut moneam, non adeo nos acriter de voce pugnaturos fuiſſe, ſi de re, quæ voce ſignificatur (4), inter nos eſſet, adverſarioſque conſenſio. Sed quoniam rem ipſam negant, veniendum ad hanc ipſam eſt, oſtendendumque utris ſit in hoc genere adhibenda fides, nobis ne affirmantibus, an illis contra vehementer pugnantibus?

§. IV.

1 *Homil. Joh. Chryſoſt. tributa, ex qua pag. ſuperior. not.* 1. locum deſcripſimus. Gregorius Nazianzenus XIX. *Orat. de funere Patris p.* 314. *edit. an.* 1690. ἀρχιερέας nominat, hoc eſt *Principes Sacerdotum*, Epiſcopos.

2 Ad locum Petri Suavis, quo Buddeus abutitur, reſpondet Cardinalis Pallavicinus *lib.* XXI. *hiſt. Conc. Trid. cap.* XIII. *num.* XIV. *ſeqq. pag.* 582. *tom.* III. *edit. Antuerp. an.* 1670. „ Quando, *inquit*, collibitum eſt Suavi tam frivola objecta producere, ipſum „ reprehendere mihi non licet, quaſi ea non adſcripſerit decenti perſonæ, ſcenæque „ condecenti. Quænam aptior perſona, quam Petrus Paulus Vergerius, homo litteris vix „ aſperſus, ſeu potius pulverulentus, ſed totus temeritate incenſus, ſicut patet ex illius li„ bris, cuivis honeſto lectori ſtomachum moventibus? Et plane vulgus illius Vallis apta „ erat ſcena hujuſmodi ſententiis, non idoneis, ut imprimerentur in auditoribus alterius „ temperaturæ: quare ſolerter legens Suavis in Epiſtolis Vicecomitis per eos dies ſcriptis, „ Vergerium in Valle Tellina concionari contra Concilium iis, quæ ab eo dicebantur, non „ expreſſis, tribuit illi argumenta veriſimilia in hujuſmodi concionatore.

3 Vide ſupra *pag.* 143. *ſeqq.*

4 Adeundus s. Athanaſius *lib. de Synodis num.* XLI. *tom.* I. *par.* II. *opp. pag.* 755. *edit. Pariſ. Monachor. s. Mauri.*

§. IV.

Quid ſit, quam poteſtatem, quoſque ordines ſignificet Hierarchia Eccleſiaſtica?

EST igitur Hierarchiæ notio duplex (1). Aut enim per ſe ipſa conſideranda eſt, aut propter res, in quibus tamquam in materia quadam verſatur. Ac priore quidem modo definiri Hierarchia poteſt gubernandorum ſacrorum poteſtas, & functio. Hujus autem eſt finis, ut eſt a doctis viris animadverſum, Dei ſimilitudo, ad quam imitatione poteſtatis, & efficientiæ Hierarcha *ſcientia*, *poteſtate* & *actione* perducitur. Rurſus eodem priore ſenſu, vel quemcumque gradum, & ſacrorum præfecturam Hierarchia (2) ſignifi-

1 Dionyſius Petavius *lib.* II. *de Angelis cap.* II. *num.* II. *pag.* 108. *tom.* III. *Theologicor. Dogm. edit. Pariſ.* ἱεραρχίαν haud ſatis apte a quibuſdam *ſacrum Principatum* dici affirmat. Quod vereor, ut efficere argumentando numquam poſſit. Nam ſi μοναρχίαν *unius Principatum* dicere licet, quod unus ceteris præſit in republica, cur non item ἱεραρχία *ſacrum Principatum* ſignificabit, quum ii, qui primas inter Chriſtianos in Eccleſia tenent, ſacrorum potiantur principatu? Confer S. Thomam 1. *par. quæſt.* CVIII. *art.* 1. *in corp.* Cellotium *lib.* 1. *de Eccl. Hierarch. cap.* I. *pag.* 6. *edit. an.* 1641. & Hallerium *lib.* 1. *ſec.* I. *cap.* 1. *de Eccleſiaſtica Hierarch. pag.* 22. quo loco ἀπὸ τῆς ἱερᾶς, καὶ ἀρχῆς duci vocis ἱεραρχίας, aut etiam ἀπὸ τῆς τῶν ἱερῶν ἀρχῆς originem poſſe cenſet. Atque hoc poſtremo ſenſu accepta ea vox fuit a S. Maximo in Scholiis ad Dionyſii *cæleſtem Hierarch pag.* 6. *edit. an.* 1633. *opp. Dionyſii tom.* 1. Conſule Petavium *ibid.* ſed quod dictum de priore Hierarchiæ ratione eſt, confirmat ibidem Maximus *initio Scholior. in Cæleſt. Dionyſ. Hierarch. ibid. pag.* 6. „ Quandoquidem, *inquit*, Hierarchiæ nomen inſcribitur huic operi, ſolet appellare Dionyſius Hierarchas Epiſcopos. Sciendum eſt igitur, Hierarchiam quidem eſſe „ principatum, ac velut curam ordinandorum ſacrorum, Hierarcham vero, qui ſacris „ præeſt, eaque curat, ac moderatur &c. „. Adeundi Petavius *ibid.* & Hallerius *cap.* 1. *ſec.* 1. *lib.* 1. *pag.* 3. *& ſeqq.* Quod de imitatione Dei dictum eſt, hoc ſane ponitur a Dionyſio in III. *cap. de Cæleſti Hierarch. libri pag.* 41. ubi „ ἔστι μὲν ἱεραρχία, inquit, κατ' ἐμὲ, τάξις ἱερὰ, καὶ ἐπιστήμη, καὶ ἐνέργεια πρὸς τὸ θεοειδὲς, ὡς ἐφικτὸν ἀφομοιουμένη, καὶ πρὸς τὰς ἐνδιδομένας αὐτῇ θεόθεν ἐλλάμψεις ἀναλόγως ἐπὶ τὸ θεομίμητον ἀναγομένη. „ Eſt quidem, „ ſecundum me, Hierarchia, ordo Sacer, ſcientia, & actio, quæ ad divinitatis ſimilitudi- „ nem, quoad ejus fieri poteſt, & quadam proportione illuſtrationum, quæ divinitus datæ „ ſunt, ad Dei imitationem traducitur „. Adeundi Hallerius *ibid.* & Petav. *ibid.*

2 Petavius *ibid. num.* IV. *pag.* 109. qui rem confirmat Dionyſii *cap.* 1. *de Eccl. Hierarch.* auctoritate. Habet autem Dionyſius *ibid. pag.* 233. hoc modo „ Eſt quidem omnis „ Hierarchia, ſecundum venerandam noſtram traditionem, tota, & integra ratio ſubjecto- „ rum ſacrorum, ac generaliſſima comprehenſio hujus, vel illius Hierarchiæ ſacrorum. „ Noſtra igitur Hierarchia munus dicitur, & eſt omnia, quæ in ipſa ſunt, ſacra complectens, „ per quod initiatus divinus Hierarcha, omnium, quæ ad ſe pertinent, ſacratiſſimorum „ particeps, ut qui ab Hierarchia nomen adeptus ſit. Ut enim qui Hierarchiam dicit, ſa-

„ cro-

ſignificat, cujuſmodi in Eccleſia Catholica varii ſunt principatus, curationeſque ſacrorum, ut in Epiſcopo, preſbytero, & miniſtris diverſæ ſunt poteſtates, & varia obeundarum functionum jura, & hoc quidem modo non Epiſcopos ſolum, ſed miniſtros etiam, quantulacumque tandem poteſtate præſtent, Hierarchas appellare licet; aut ſupremam (1) tantummodo *juriſdictionem*, quam dicimus, ſummumque magiſtratum complectitur, tumque Epiſcoporum indicat, imprimiſque Pontificis maximi dignitatem.

Ratione vero rerum earum, in quibus, tamquam in materia Hierarchiam verſari dictum eſt, non Antiſtites ſolum, & adminiſtros Eccleſiarum Hierarchia ſignificat, ſed eos etiam, qui ſubjecti ſunt, ab iiſdemque præſidibus, miniſtriſque ſacrorum illuminantur, initiantur, & perficiuntur. In his Dionyſius gradus eſſe numerandos cenſet omnino tres, ut catechumenos, ut myſteriis initiatos, ut Monachos, quos perfectiſſimum profiteri gradum ſcribit (2).

Epi-

„ crorum omnium ſimul ordinationem dicit, ita qui Hierarcham dicit, a Deo inſtinctum, „ ac divinum virum ſignificat, omnis ſacræ cognitionis intelligentem, in qua liquido, ac „ perſpicue Hierarchia omnis, quæ ad eum pertinet, perficitur, & cognoſcitur „. Adeundus Petavius *ibid. pag.* 110. quo loco s. Maximum a mente Dionyſii recedentem corrigit.

1 Dionyſius Petavius *ibid. pag.* 110. „ Neque Hierarchiam, *inquit*, qualem illo loco „ deſcribit, putavit Dionyſius per ſingulos diviſam eſſe gradus, ac totidem eſſe Hierarchias, quot ordines ſacrorum miniſtrorum, adeo ut alia ſit Hierarchia Presbyterorum, „ alia Diaconorum; ſed unam eamdemque conſtituit, penes quam principatus eſt omnium „ ordinum, & functionum, atque ſacrorum cum eorum gubernandorum, exequendorumque „ ſcientia. Ea vero non eſt alia, quam Epiſcopi dignitas. Ergo Epiſcopatus eſt Hierarchia „ illa, ſive apex Hierarchiæ, quem Dionyſius loco illo contemplatur &c. „. Atque hoc ſenſu intelligenda ſunt, quæ Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum ſtatuit *in* VIII. *libro cap.* XLVI. *tom.* 1. *Apoſtolicor. Patrum edit. Coteler. Amſtelod. an.* 1724. *pag.* 427. Τοῖς μὲν ἐπισκόποις, inquit, τὰ τῆς ἀρχιερωσύνης ἐνειμάμεν· τοῖς δὲ πρεσβυτέροις τὰ τῆς ἱερωσύνης, τοῖς δὲ διακόνοις τὰ τῆς ἀμφοτέρων διακονίας. *Epiſcopis quidem aſſignavimus, quæ ad principatum ſacerdotum pertinent; Presbyteris vero, quæ ad ſacerdotium; diaconis vero, quæ ad miniſterium utriuſque.* Hæc ille, quem accuratiores Critici ante IV. ſeculum ſcripſiſſe cenſent. Itaque Dionyſius, qui ſæpe Hierarchiam Eccleſiaſticam cum cæleſti confert, quemadmodum *c.* XIII. *p.* 166. Seraphimorum ordinem ἱεράρχην vocavit, ita hoc ipſo nomine non obſcure indicat appellari poſſe ordinem Epiſcoporum. Adeundus Hallerius *l.* 1. *de Eccl. Hierarch. ſect.* II. *cap.* III. *pag.* 30.

2 Dionyſius *cap.* V. *Eccleſ. Hierarch. pag.* 358. *editionis ejuſdem* in tria dividi *Hierarchiam* docet: *in ſacra, & ceremonias* τελετὰς, *in ſacrorum Præſides* μύστας, *in initiatos* τελουμένους. *Cap.* VI. *pag.* 385. de initiatis agens, tres ordines recenſet *initiatorum*,

hoc

Epiſcopis autem ordinandi Presbyteros, miniſtroſque, & adminiſtrandæ, gubernandæque Eccleſiæ divinitus eſſe facultatem datam, ita ut offerendi, & ſolvendi a peccatis, ligandique ſit eis cum presbyteris poteſtas communis, diaconiſque munera eſſe divina auctoritate tributa, quibus in Eccleſia circa res ſacras fungi ſolent, nemo eſt orthodoxorum, qui dubitet. Atque ex iis, quæ diſputata hactenus ſunt, intelligi plane potuit, quæ ſit, & quam poteſtatem, quoſque Ordines Hierarchia ſignificet. Nunc recte ne ponantur hæc ipſa a Catholicis, diſquirendum eſt.

§. V.

Datam divinitus eſſe Eccleſiæ adminiſtris poteſtatem gubernandorum ſacrorum, oſtenditur.

ITaque quum religio non modo conſiſtere, ſed etiam cogitari ſine rebus ſacris non poſſit, neceſſe eſt, ut inſtituta religione (divina auctoritate, qua præſtabat) a Chriſto, ſacra item fuerint inſtituta. Sacra autem eſſe ulla, quin ſint, qui ab Auctore religionis Chriſtianæ Deo atque homine Chriſto eorumdem adminiſtrandorum poteſtatem obtinuerint, ſuſpicari qui poſſumus? Concedendum eſt igitur, eſſe in Eccleſia viros, in quos a Chriſto ſacrorum (1) adminiſtrandorum poteſtas manaverit. Hos vero quis neget Epiſcopos, Presbyteros, Diaconoſque eſſe, quorum eſt a Patribus, & ab Apoſtolis, quaſi hac tanta auctoritate præſtarent (2) facta commemoratio? Quamobrem dabunt, opinor adverſarii, niſi cum ſacris litteris, Patrumque monumentis pugnare velint, manaſſe a Deo in miniſtros, præſideſque Eccleſiarum.

gu-

hoc eſt *Catechumenos*, *pœnitentes*, atque *energumenos*; *tum populum* participem myſteriorum, poſtremo *Monachos*, qui perfectiſſimum ſtatum profitentur. Atque in Cæleſti quidem Hierarchia *c.* III. *p.* 43. ſtatuerat: *Hierarchiæ Ordinem poſtulare, ut alii purgentur, alii purgent, alii illuminentur doctrina luce, alii illuſtrent, alii perficiantur, alii perficiant*. Quapropter s. Thomas 1 *part. qu.* CVIII. *art.* 1. *in corp.* „ Ex eo quod „ Hierarchia, *inquit*, ſit ſacer Principatus, in nomine autem principatus duo intelligan„ tur, ſcilicet ipſe Princeps, & multitudo ordinata ſub principe „. Vide Hallerium *ibid. ſect.* II. *cap.* II. *pag.* 25. *ſeqq.*

1 Vide ſupra *pag.* 261. *hujus vol.*

2 Confer quæ dixi ſupra *pag. hujus vol.* 145. *ſeqq.* & *pag.* 127. *ſeqq. not.* 2. *ſeqq.*

gubernandorum, adminiſtrandorumque ſacrorum poteſtatem. Quid? ſi jus, poteſtatemque in res ſacras præter miniſtros, Antiſtiteſque Eccleſiæ, laicorum nemo obtineat, quantacumque digitate civili (1) præſtet? Id igitur juris ſi iis eſt viris conceſſum, quos Eccleſiaſticos dicimus, divinitus quidem certe conceſſum fuiſſe, credendum eſt, cum divinitus datum aliquibus demonſtraverim: & ſi in his principes eſſent numerandi civilium rerumpublicarum, reperiretur nemo, qui iis adimendum, quod conſequuti divina auctoritate eſſent, oſtenderet. Conſtat igitur datam ſolis adminiſtris Eccleſiarum eſſe, ut cujuſque ordo poſtulat, gubernandorum ſacrorum poteſtatem.

§. VI.

Nulla eſt cauſſa, quare de fine, & inſtrumentis, atque præſidiis Hierarchiæ quiſquam dubitet.

Finem quidem Hierarchiæ eſſe Dei ſimilitudinem diximus, ad quam imitatione poteſtatis, & efficientia Hierarcha perducitur. De qua re qui dubitat, haud ſcio, cur non idem, ſit ne ſol, an nullus ſit, dubitare poſſit. Nam ſi Chriſtus, ita nos perfectos (2) eſſe oportere, dixit, ut eſt perfectus cæleſtis Pater, quid obſtat, quo minus poteſtate, quam ſunt Præſides Eccleſiæ divinitus conſequuti, efficentiaque ad ſimilitudinem Dei, quoad ejus fieri poteſt, accedere (3) conentur?

Conferre autem ad eam rem acquirendam, quis neget (4), ſcientiam, & actionem poſſe, quas Dionyſius velut inſtrumenta,

1 *Ibid pag. 88. & ſeqq.*

2 Matth. *cap.* v. *v.* 48. *Evang.*

3 De poteſtate agam paullo poſt diſtincte, & diligenter. Interea confer Hallerium *l.* 1. *ſect.* 1. *cap.* 1. *ſeqq. pag.* 2. *& ſeqq.*

4 Apposite Hugo Victorinus *lib.* 1v. *Adnotat. in Dionyſium pag.* 503. *tom.* 1. *opp. edit. an.* 1648. „ Tria, inquit, in definitione Hierarchiæ principalia ponit (Dionyſius) quæ „ perſpiciunt ipſam Hierarchiæ definitionem. Sunt autem hæc: ordo, ſcientia, & actio. „ Horum trium ſi defuerit omnium aliquod, non conſtat Hierarchia. Primum eſt ordo divinus, „ quia non eſt poteſtas, ſi ordinata non eſt a Deo; propter hoc, ait, ordo divinus, omnis „ enim poteſtas a Deo eſt, & quæ a Deo ſunt, omnia bona, & ordinata, propterea qui po- „ teſtati

ta, & præſidia ad eamdem ſimilitudinem conſequendam eſſe ſcribit? An cognitionem tollendam divinarum rerum, aut nullius eam eſſe ad id, quod volumus, obtinendum momenti arbitrantur? Jam vero ex poteſtate actionem ſequi, quam ſcientia regat, revocari in dubium nullo modo poteſt. Ac ſi poteſtate quiſquam ſacrorum gubernandorum præſtat, is adminiſtrando ſacra, purgabit (1), illuminabit, perficiet denique, ſi volet, ut ſibi divinitus eſſe datum cognoverit.

§. VII.

In Epiſcopo, Presbytero, & Diacono diverſæ ſunt poteſtates, ac jura obeundarum ſacrarum functionum. Epiſcopus jure divino ſuperior Presbyteris, ceteriſque eſt in Eccleſia.

HOc nunc generatim ſtatuo, quod ſacrorum Bibliorum, & majorum auctoritate plane conſtat. Epiſcoporum (2) enim munus eſt proprium ordinandi presbyteros, ac diaconos, confirmandi, regendi; presbyterorum autem conſecrandi, atque offerendi, quod tamen eſt illis cum Epiſcopis, ut qui ampliore poteſtate excellant, commune; miniſtrorum denique Epiſcopis, atque Presbyteris rem divinam agentibus, inſerviendi. Sed de his rebus agam alio loco & opportune, & copioſius. Atque Epiſcopum ſuperiorem jure divino Presbyteris, multoque magis miniſtris eſſe, adeoque ſummum ſacrorum in Eccleſia magiſtratum obtinere, cum indicatum ab Apoſtolis ſit, tum multis poſt demonſtrabitur (3).

§. VIII.

„ teſtati reſiſtit a Deo ordinatæ, Deo reſiſtit; propter hoc ergo Hierarchia eſt ordo divinus,
„ ideſt poteſtas a Deo ordinata, & ſecundum Deum diſpoſita: a Deo quippe eſt per ordina-
„ tionem, & ſecundum Deum per imitationem; propterea ordo divinus, quia a Deo eſt, ut
„ ſit, & ſecundum Deum eſt, ut qualis, & quantus ſit. Deinde quia omnis poteſtas, quæ a Deo
„ ordinata eſt, ad aliquid perficiendum, atque complendum ordinata eſt. Sequitur in de-
„ finitione poſt ordinem ſcientia, & actio. Scientia quidem, qua quid faciendum ſit, in-
„ telligant; actio vero, qua quod intellexerint agendum perficiant. In ordine officium,
„ in ſcientia diſcretio, in actione miniſterium &c.

1 Quid ſit illuminare, perficere &c. ex conſequentibus Capp. & Libris, ubi de Baptiſmo, Confirmatione, aliiſque ſacris agemus, intelliges.

2 Teſtimonia ſacrorum Bibliorum afferam, quibus locis agam de muneribus Epiſcoporum, Presbyterorum, & Miniſtrorum.

3 *Cap.* v. §. 1 I.

§. VIII.

Diverſos eſſe gradus hominum in Eccleſia, alios, qui purgandi, illuminandi, & perficiendi poteſtatem habeant; alios, qui purgentur, illuminentur, & perficiantur, conſtat.

QUod ſi ſunt in Eccleſia, qui a ſuperſtione, & ſordibus peccatorum purgent, qui docendo illuminent, qui initiatos perficiant, negari nullo modo poterit, quin etiam ſint, qui purgentur, illuminentur, perficiantur. Sunt autem, ut ſupra demonſtratum eſt (1), prioris ordinis homines in Eccleſia, ſunt igitur & ſecundi. Quapropter cum partes omnes, munera, actiones, quas Hierarchiæ nomine indicavimus, conſiſtant, quid eſt, quod tantopere de voce adverſarii contendendum putent?

CAPUT IV.

De Ordinibus Hierarchicis, imprimiſque de ordine Epiſcoporum.

QUoniam vero ordines eſſe aliquot in Eccleſia, quibus eſt illuminandi, perficidiendique poteſtas divina inſtitutione data, eoſque jam eſſe Epiſcoporum, Presbyterorum, & Miniſtrorum oſtendimus; poſtulare omnino ratio videtur, ut cujuſmodi ii ſint ordines, quanta auctoritate, qui in ipſis ſunt conſtituti, excellant, quibuſque muneribus fungi debeant, videamus. Ordiar autem ab Epiſcopis, quorum eſſe animadvertimus præcipuam dignitatem. Atque ut ordine agam, diſſeram initio de variis appellationibus, quibus a majoribus noſtris vocari conſueverunt, tum de præſtantia eorum, & dignitate; poſt de muneribus, ut ſunt Presbyteris ſuperiores; deinde de honoribus, qui eiſdem adhibebantur; poſtremo de

 præro-

1 §. ſuperiore. Sed ex inſtituto demonſtrabitur, ubi de Epiſcoporum, Presbyterorum, & Miniſtrorum officiis agemus.

prærogativis, quibus fit, ut alii aliis *juriſdictione* præcellant.

§. I.

De nominibus, variiſque honorum titulis, quibus olim Epiſcopi ornabantur.

I.

Omnes Epiſcopi, ut eſt aliquibus viſum, interdum appellati Apoſtoli.

FUerunt autem Scriptores olim Chriſtiani, & hi quidem magni, ac nobiles, qui *Epiſcopos*, antequam hoc nomine vocarentur, fuiſſe *Apoſtolos* appellatos putarent. Nam *Epiſcopos* primis Chriſtianæ religionis temporibus eos dici conſueſſe cenſent, quos nunc indicamus vocabulo Presbyterorum (1). Poſt ubi Apoſtolorum iis tributa eſt appellatio, quibus jure (2) tribuenda erat, diſtinctum fuiſſe, proprium-

1 Theodoritus *Commentar. in 1. epiſt. ad Timoth. cap.* III. *tom.* III. *opp. pag.* 473. *edit. Pariſ. Sirmondi* τοὺς αὐτοὺς, inquit, ἐκάλυν ποτὲ πρεσβυτέρυς. καὶ ἐπισκόπυς, τοὺς δὲ νῦν καλυμένυς ἐπισκόπυς, ἀποςόλυς ὀνόμαζον. του δὲ χρόνυ προϊόντος τὸ μὲν τῆς ἀποςολῆς ὄνομα τοῖς ἀληθῶς ἀποςόλοις κατέλιπον, τὴν δὲ τῆς ἐπισκοπῆς προσηγορίαν τοῖς πάλαι καλυμένοις ἀποςόλοις ἐπέθεσαν. „ Eoſdem olim vocabant Presbyteros, & Epiſcopos; „ eos autem, qui nunc Epiſcopi vocantur, tunc Apoſtolos nominabant. Procedente vero „ tempore, Apoſtolatus nomen vere Apoſtolis reliquerunt; Epiſcopatus autem appellationem „ vocatis olim Apoſtolis impoſuerunt. Idem *in epiſt. ad Philipp. cap.* 1. *v.* 1. *p.* 323. *tom. eodem*. ἐπισκόπυς δὲ τοὺς πρεσβυτέρους καλεῖ. *Epiſcopos autem vocat Presbyteros*. Et *in cap.* II. *ejuſd. epiſt. ad Philip. v.* 25. *pag.* 333. ἀπόςολον δὲ αὐτὸν κέκληκεν αὐτῶν: „ *Apoſtolum autem ipſum vocat ipſorum* (hoc eſt Epaphroditum Philippenſium) ut cui „ eſſet illorum cura concredita. Ut clarum ſit, ſub eo fuiſſe illos, qui *in principio* ἐν τῷ προοιμίῳ dicti ſunt Epiſcopi, Presbyterorum ſcilicet in ordine conſtituti „. Rurſum *in epiſt.* 1. *ad Timoth. cap.* III. *pag.* 474. „ Ita, inquit, φιλιππησίων ἀπόςολος ὁ ἐπαφρόδιτος *Philippenſium Apoſtolus Epaphroditus*: veſtrum enim, inquit, Apoſtolum, & adjutorem neceſſitatis meæ. οὕτω κρητῶν ὁ Τίτος, καὶ ασιανῶν ὁ Τιμόθεος ἀπόςολοι. „ *Ita Cretenſium* „ *Titus, & Aſianorum Timotheus Apoſtoli* „. Auctor etiam Commentariorum in Epiſtolas Pauli, quem Ambroſiaſtrum vocant, *in* 1. *ad Gal.* 1. *tom.* II. *opp. S. Ambr. edit. Pariſienſis Monach. S. Mauri pag.* 210. „ Apoſtolum, *inquit*, ſe Paulus non ab hominibus electum, & miſſum ad prædicandum teſtatur, ſicut erant quidam, qui electi ab Apoſtolis „ mittebantur ad Eccleſias roborandas „. Confer Amalarium *lib.* II. *de Divin. Officiis cap.* XIII. *pag.* 974. *tom.* XIV. *Biblioth. PP. edit. Lugdun.*

2 Cujuſmodi veri hi Apoſtoli ſint, deſcribit Petavius in priore de Hierarchia Eccleſ. *lib. cap.* V. §. VIII. *pag.* 681. *tom.* III. *Theologicor. Dogm. edit. Pariſ.* „ Duas, *inquit*, „ veri, ac primarii Apoſtoli notas afferemus. Prima eſt, ut ſive hominum miniſterio, ſive „ immediate ab ipſo Deo conſtituti, & ordinati, munus acceperint Evangelii ubique terrarum

priumque eorum eſſe vocabulum *Epiſcopi* cœpiſſe, qui primas in Eccleſiis obtinerent, inferioriſque ordinis ſacerdotibus unum hæſiſſe nomen *Presbyterorum*. Sed hi, cum ſuam ſententiam confirmare nullo vetere monumento poſſent, ita ut fit, ubi quidpiam ſine ratione dicitur, ut in ea ſacrorum Bibliorum loca inciderunt, in quibus ſuperioris ordinis ſacerdotes Epiſcopi nominantur, obliti rerum, quas aliis in locis ſuorum operum conſtituerant, pugnantia (1) ſcripſerunt, Epiſcopoſque ætate etiam Apoſtolorum eos, qui Eccleſiæ præeſſent fuiſſe dictos ſcripſerunt (2).

Sunt autem qui putent, fuiſſe olim doctrina atque pietate illuſtres viros, qui interdum ut *Epiſcopatum* dicere *Apoſtolatum*, ſic *Epiſcopos* ornare *Apoſtolorum* nomine ſolerent (3).

II. *Epi-*

„ rarum propagandi, quod apud Johannem Dominus demonſtrat . . . . . Altera conditio „ eſt, ut plenam, ac perfectiſſimam ubique terrarum poteſtatem habuerint ligandi, atque „ ſolvendi; Eccleſias inſtituendi, Epiſcopos, & clericos ordinandi &c. „. Confer quæ ſequuntur.

1 Confer Petavium *lib.* II. *de Hierarch. Eccleſ. cap.* 1. *ſeqq.* §. 1. *ſeqq. pag.* 730. *ſeqq. edit. ejuſdem tom. eod.*

2 Hic verus eſt Theodoriti, & Ambroſiaſtri verborum ſenſus, non ille abſonus, alienuſque ab horum Scriptorum ſententia, quem Salmaſius cenſet, ut veteres illi nullam olim fuiſſe inter ordines eorum, quos nunc Epiſcopos appellamus, & presbyterorum diverſitatem arbitrarentur. Sed Salmaſium multis refellit, & graviter, ſolideque Petavius *lib.* II. *de Hierarch. Eccl. c.* 1. *ſeq. pag.* 730. *ſeqq.* Idipſum concedit Binghamus aſſenſus Petavio *lib.* II. *Orig. & Antiq. Eccleſ. cap.* II. §. 1. *pag.* 70. *edit. an.* 1724. *tom.* I.

3 Dionyſius Petavius *lib.* II. *Hier. Eccl. cap.* II. *pag.* 740. „ Non miſſionis modo, *inquit*, ſed ordinis, ac poteſtatis metienda eſt Apoſtoli dignitas, ut jam ſupra memoravi. Hinc eſt quod Epiſcoporum Ordo nonnumquam apud antiquos Apoſtolicus vocaretur, „ & Epiſcopi Apoſtoli: Ut Valentinus ad Auguſtinum ſcribens ejus vocat Apoſtolatum „. Laudare Cyprianum poterat *epiſt.* III. *pag.* 6. *edit. Oxon. Epiſcopos Apoſtolos* appellantem. Petrus Abbas, ejuſque Monachi *epiſt. ad Bonifacium Cartaginienſem Epiſc. apud Harduinum tom.* II. *Concilior. pag.* 1084. „ Rogamus Domine beatiſſime, & Apoſtolica dignitate prædite Chriſti venerande Pontifex Bonifaci, nobis aurem placidam inclinare digneris . . . . . Propterea tui *Apoſtolatus* meritis nos commendantes poſcimus &c. „ Id vero honoris Romano imprimis Pontifici tribuebatur. Vide epiſtolam Tarraconenſium Epiſcoporum circa an. 465. ſcriptam apud *eumdem tom.* II. *Concilior. pag.* 778. ubi „ Erit profecto veſter triumphus, ſi Apoſtolatus veſtri temporibus, quod S. Petri Cathedra obtinet, Catholica audiat Eccleſia, ſi novella zizaniorum ſemina fuerint extirpata. Orantem pro nobis Sanctum Apoſtolatum veſtrum jugi ævo divina conſervet æternitas „. Confer quæ ſcribit Johann. VIII. apud eumdem *tom.* VI. *pag.* 3. *ſeq. & pag.* 31. Sed ſatis hæc ſunto. Conſule, ſi licet, Gaſparem Barthium *Adverſarior. lib.* XLIII. *cap.* VIII. *pag.* 1941. *edit. an.* 1624.

II.

Epiſcopi appellati ſucceſſores, & filii Apoſtolorum.

Vocati præterea Epiſcopi fuerunt ſucceſſores (1) Apoſtolorum, propterea quod Apoſtoli non ſolum Epiſcopi fuiſſent, ſed etiam Epiſcopos & delegiſſent, & conſtituiſſent, qui ſui loco deinceps Eccleſias moderarentur. Atque hi quidem ut *ſucceſſores*, ita quandoque *filii* (2) ſunt appellati *Apoſtolorum*.

III.

Sedis Apoſtolicæ nomine Romana præcipue ſedes, tum eæ, quas fuiſſe ab Apoſtolis inſtitutas conſtabat, poſtremo quæque interdum cujuſlibet Epiſcopi ſedes vocata.

Jam vero quemadmodum Epiſcopi dicti ſucceſſores Apoſtolorum ſunt, ita eorum ſedes majores noſtri interdum Apoſtolicas appellaverunt. Sed quoniam Romanam Eccleſiam a Petro Apoſtolorum Principe fuiſſe inſtitutam, atque a Paulo item Apoſtolo, & doctore gentium amplificatam, conſtabat, eratque omnium Chriſtianorum, qui orthodoxi vocabantur, & erant, ſumma de illius primatu conſenſio, factum hinc eſt, ut hæc una imprimis, quam Petri ſucceſſor ob-

1 S. Cyprianus *epiſt.* LXVI. *al.* LXIX. *ad Florentium pag.* 167. *edit.* Oxon. „ Qui Apoſtolis vicaria ordinatione ſuccedunt „. Et *epiſt.* XLV. *pag.* 88 „ Laborare debemus, „ ut unitatem a Domino, & per Apoſtolos nobis ſucceſſoribus traditam obtinere poſſimus „. Firmilianus apud eumdem Cypr. *epiſt.* LXXV. *pag.* 225. „ Hoſtes unius Catholicæ „ Eccleſiæ, in qua nos ſumus, qui Apoſtolis ſucceſſimus „. Concilium Carthaginienſe tempore S. Cypriani *pag.* 242. *ejus opp. edit.* Oxon. „ Manifeſta eſt ſententia D.N.J.C. Apoſtolos mittentis, & ipſis ſolis poteſtatem a Patre ſibi datam permittentis, quibus nos „ ſucceſſimus &c. „. Eadem fere habet Euſebius in III. *lib. Hiſt. cap.* IV. *pag.* 92. *edit. Cantab.* & multo antiquior Euſebio Irenæus *loco ſupra deſcripto pag.* 265. *n.* 4. *hujus vol.*

2 S. Auguſtinus in *Pſalm.* 44. *verſ.* 17. *pag.* 397. *ſeq. tom.* IV. *operum edit. Monachor. S. Mauri*. „ Hodie Epiſcopi, qui ſunt per totum mundum, unde nati ſunt? Ipſa Eccleſia „ patres illos appellat, ipſa illos genuit, & ipſa illos conſtituit in ſedibus Patrum. . . „ Hæc eſt Catholica Eccleſia: filii ejus conſtituti ſunt principes .... filii ejus conſtituti ſunt „ pro patribus &c.

obtineret, *Sedes Apoſtolica* (1) a majoribus noſtris ſingulari quadam ratione vocaretur, idque in noſtram ætatem vocabulum permanaret. Quamobrem Binghami (2) magno eſt in errore ſententia, qui cum veterum communem, ac pervulgatam loquendi de ſede Romana rationem aut diſſimulaſſet, aut non animadvertiſſet; *peculiare* illi genus hoc appella-

1 S. Cyprianus *epiſt.* LV. *ſcripta ann.* 252. *edit. Oxon. pag.* 104. & *apud Coutantium tom.* 1. *Epiſtolar. Romanor. Pontific. pag.* 161. ,, Cum Fabiani locus, ideſt CUM LOCUS PETRI, & GRADUS CATHEDRÆ SACERDOTALIS VACARET ,,. Loquitur autem de Romana Sede. Synodus Sardicenſis an. 347. *epiſt. ad Julium Papam tom.* 1. *Concilior. edit. Hard. p.* 653. *ex S. Hil. Frag.* II. *num.* IX. *edit. opp. Pariſ. Monach. S. Mauri*, ,, Hoc enim optimum, ,, & valde congruentiſſimum eſſe videbitur, ſi ad caput, ideſt ad Petri Apoſtoli Sedem de ,, ſingulis quibuſque Provinciis Domini referantur Sacerdotes ,,. Optat. Milevit. *lib.* II. *contra Parmenianum pag.* 35. *edit. an.* 1676. Sedem Romanam *Cathedram Petri* appellat. S. Hieronymus *Epiſtola ad Damaſum Papam* anno circiter 381. ſcripta *tom.* IV. *opp. p.* 19. *edit. Monach. S. Mauri Pariſ.* ,, Cathedræ Petri communione conſocior. Super illam pe- ,, tram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profa- ,, nus eſt ..... Quicumque tecum non colligit, ſpargit, hoc eſt qui Chriſti non eſt, Anti- ,, chriſti eſt ,,. Et *altera epiſt. ad Eumdem ibid. pag.* 22. ,, Si quis Cathedræ Petri jun- ,, gitur, meus eſt ,,. *S. Siricius Papa epiſt.* 1. *ad Himerium Tarraconenſem cap.* XV. *n.* 20. *pag.* 637. *edit. Coutantii*. Sedem Romanam, quam Cyprianus *locum Petri*, Synodus Sardicenſis *Petri Apoſtoli Sedem*, Hieronymus *Cathedram Petri* vocaverant, eamdem anno 385. *Sedem Apoſtolicam* ἀντονομαστικῶς appellavit. ,, Et quamquam, *inquit*, ſtatuta ,, Sedis Apoſtolicæ ..... nulli Sacerdotum Domini ignorare ſit liberum &c. ,, Et *epiſt.* VI. *ad diverſos Epiſcopos pag.* 659. ,, Perlatum eſt ad conſcientiam APOSTOLICÆ SEDIS ,,. Innocentius I. *P. Max. epiſt.* II. *ad Victricium cap.* III. *pag.* 749. *tom. eod.* 1. *epiſt. Rom. Pont. edit. Coutantii*, ſcripſit anno 404. hoc modo. ,, Si majores cauſſæ in medium fue- ,, rint devolutæ, ad SEDEM APOSTOLICAM ..... poſt judicium Epiſcopale referantur ,,. Cur *Sedem Apoſtolicam* Romanam appellaſſet, reliquarum autem ſedium judicium *Epiſcopale judicium*, ſi Sedes omnes *Apoſtolicæ* vocari eo tempore, ut Binghamus jactat, conſueviſſent? ,, Eamdem appellationem ſæpe alias Romanæ Innocentius tribuit, ceteris autem ,, numquam ,,. Quid ſi ad eumdem Innocentium Milevitani Patres an. 416. ex Africa ſcripſerunt hoc modo: ,, Quia te Dominus gratiæ ſuæ præcipuo munere in SEDE APOSTOLICA ,, COLLOCAVIT &c. ,, *tom.* 1. *Collect. Epiſtol. Romanor. Pontif. edit. Coutantii pag.* 873. Atque Innocentius ad Aurelium, Auguſtinum, alioſque, qui ad ſe ſcripſerant, Afros Epiſcopos de Pelagii errore anno 417. reſcribens *pag.* 888. *tom. eodem*. ,, Scientes, *inquit*, ,, quid Apoſtolicæ Sedi, cum omnes hoc loco poſiti ipſum ſequi deſideremus Apoſtolum, ,, debeatur, A QUO IPSE EPISCOPATUS, ET TOTA AUCTORITAS NOMINIS HUJUS EMERSIT &c. ,,. Quinetiam Paulinus Diaconus *libell. Zoſimo Papæ ann.* 417. *oblato adverſus Cæleſtium tom. eod. epiſt. Rom. Pont. pag.* 964. ,, Cujus ſententiam ſecuta Beatitudo tua, ,, Cæleſtio, cum a *Sede Apoſtolica* audiretur, inter cetera præcepit ,,. *Epiſt. Synodi Romanæ ad Imperatores Gratian. & Valentinian. pag.* 839. *tom.* 1. *Concilior. edit. Hard. anno fere* 378. ,, Innumeri fere ex diffuſis Italiæ partibus ad ſublime SEDIS APOSTOLICÆ ſacrarium ,, congregati &c. ,, Sed omnia, quæ plane ſunt innumerabilia, perſequi non eſt neceſſe. Satis enim hæc eſſe ad convincendum Binghamum poſſunt.

2 Bingham. *Orig. & Antiq. Eccleſ. lib.* II. *cap.* II. §. III. *pag.* 71. ,, Hinc etiam anti- ,, quitus, *inquit*, unaquæque Sedes *Sedis Apoſtolicæ* appellatione dignata fuit, quæ iſthoc ,, tempore non peculiariter Pontifici Romano competebat, ſed omnibus omnino Epiſcopis ,, dabatur ,,. Tria mox teſtimonia producit, quorum eſt primum anceps, ac dubium, quum alio ſenſu intelligi poſſe videatur, alterum eſt Paulini, tertium Apollinaris Sidonii. At ſeculo IV. & V. quo poſteriore Auguſtinus, & Paulinus præcipue floruerunt, cui ἀντονομαστικῶς tribui *Sedis Apoſtolicæ* appellatio conſueſſet, vidimus *notatione ſuperiore*.

pellationis fuiſſe negavit, propterea quod Scriptores aliquot quinti, ſequentiumque ſeculorum inveniſſet, qui perraro quidem, ac ſenſu, meo quidem judicio, latiore, cujuslibet Epiſcopi cathedram *Sedem* Apoſtolicam vocaverunt. Non enim *peculiaris* cuipiam eſſe deſinit appellatio, ſi ei perſæpe; ceteris raro, ac latiore ſignificatione tribuatur. Alioqui *peculiare* eſſe duodecim viris, quos Chriſtus delegerat, Apoſtoloſque appellarat, deſiiſſet *Apoſtolorum* vocabulum, propterea quod in ſacris litteris novi Teſtamenti aliquos fuiſſe interdum nominatos Apoſtolos (1) legamus, qui unum obirent munus *Epiſcoporum*. Ac *ſenſu* quidem *latiore* cujuslibet Epiſcopi cathedram *Sedem* fuiſſe *Apoſtolicam* interdum appellatam dixi, quod neque *Epiſcopo* cuique primatum in univerſam Eccleſiam competere, neque cujuſque ſedem ἀμέσως ab Apoſtolis ſtabilitam, ſcirem; ſed quod hoc uno nomine eo ornatam titulo intelligerem, quo *Epiſcopi* quique ſucceſſores dici Apoſtolorum conſueviſſent.

Etſi igitur hæc Romanæ ſedis peculiaris appellatio erat, tamen Majores noſtri, quoniam Eccleſiarum quarumdam ab Apoſtolis fuiſſe jacta fundamenta certis monumentis cognoverant (2), has etiam *Apoſtolicas Sedes*, quam ceteras, crebrius vocaverunt.

Ac

1 Epaphroditum Philippenſium Epiſcopum a Paulo fuiſſe Apoſtolum vocatum conſtat. Ita veteres Timotheum Apoſtolum appellarunt, quem Euſebius *Epiſcopum lib.* III. *Hiſt. Eccl. cap.* IV. *p.* 91. *edit. Cantabr.* vocat. Adeundus Gaſpar Barthius *Adverſarior. lib.* 43. *cap.* 8. *pag.* 1941.

2 Tertullianus *lib. de Præſcript. Hæret. cap.* XX. *pag.* 208. *edit. an.* 1748. „ In orbem „ profecti (*Apoſtoli*) eamdem doctrinam ejuſdem fidei nationibus promulgaverunt, & proinde Eccleſias apud unamquamque civitatem condiderunt, a quibus traducem fidei, & ſemina doctrinæ ceteræ exinde Eccleſiæ mutuatæ ſunt, & quotidie mutuantur, ut Eccleſiæ ſiant, ac per hoc & ipſæ Apoſtolicæ deputantur, ut ſoboles APOSTOLICARUM ECCLESIARUM „. Et *pag.* 209. „ Si hæc ita ſunt, conſtat proinde, omnem doctrinam, quæ cum illis ECCLESIIS APOSTOLICIS matricibus, & originalibus fidei conſpiret, veritati deputandam..... Communicamus cum Eccleſiis Apoſtolicis, quod nulli doctrina diverſa..... Latuit aliquid Petrum ædificandæ Eccleſiæ petram, claves regni cælorum conſequutum, & alligandi in cælis, & in terris poteſtatem „? Et *cap.* XXVI. *pag.* 215. „ Age jam qui voles curioſitatem melius exercere in negotio ſalutis tuæ, percurre Eccleſias Apoſtolicas, apud quas ipſæ adhuc CATHEDRÆ APOSTOLORUM SUIS LOCIS præſident: apud quas ipſæ authenticæ litteræ eorum recitantur ſonantes vocem eorum &c..... ſi Italiæ adjaces habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præſto eſt. Iſta quam felix Eccleſia? cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt „. Eodem ſpectare Auguſtini locus videtur, quo utitur Binghamus. Ille enim *epiſt.* 232. *al.* 42. *ad Fratres Madaurenſes pag.* 843. *tom.* II. *opp. edit. Pariſ. Monach. S. Mauri*. „ Chriſtiana ſocietas, *inquit*, per ſedes Apoſtolorum, & ſucceſſiones Epiſcoporum certa per orbem propagatione diffunditur „.

Ac facile patiar *Sedem Apoſtolicam* fuiſſe dictam a (1) Paulino Nolano Tagaſtenſem Cathedram , quam Alypius; & Tricaſſinam ab Sidonio , quam Lupus occupabat , ſedem .

I V.

Epiſcopi vocati viri Apoſtolici , iique præſertim , qui proxime Apoſtolis ſucceſſerunt .

Extant præterea monumenta & vetera , & magnæ auctoritatis , ex quibus intelligitur, *Epiſcopos* quandoque fuiſſe viros *Apoſtolicos* (2) appellatos . Quamquam eſt id ſæpius Antiſtitibus , qui proxime attigerunt ætatem Apoſtolorum, tributum nomen .

1 *Epiſt.* III. *al.* XLV. *ad Alypium pag.* 10. *edit. Veron. an.* 1736. „ Gratulamur itaque , & gloriamur in Domino ..... in cujus te civibus principalem cum principibus „ populi ſui *Sede Apoſtolica* merito collocavit „ . Miror autem quid ſit , quod omnibus Sedibus Epiſcopalibus eam quinto ſeculo appellationem fuiſſe communem ſcribat *Adnotator in novam Paulini Operum Veronenſ. editionem pag* 10. Nam quod interdum, idque perraro fiebat , commune certe dici non poteſt . Si enim tam ſæpe Sedes Apoſtolicæ dictæ ceteræ fuiſſent , quam dicta Romana eſt , tum quidem certe Adnotatori eſſentiremur . Paulini autem , & Sidonii locus quemadmodum communem efficere eam , quam jactat , conſuetudinem poterunt ? Neque vero aliis in locis Paulini , quæ idem *Adnotator* indicat , reperire ſimile quidpiam licet . Non in epiſtola ad Florentium , non in tribus , quæ ſunt ad Auguſtinum ſcriptæ , non in duabus ad Victricium , non in quinque ad Delphinum , ut mirum ſit , eum, qui illuſtrare Paulini opera conatus eſt , oſcitantem eſſe hallucinatum . Quid de monumentis ceteris dicemus, quæ diſtincte non memorat ? An Athanaſius *Hiſt. Arian.* ad Monachos , quis IV. ſeculo ſingulari ratione Apoſtolicus thronus vocaretur , non indicat ? Namque *num.* XXXV. *pag.* 364 *tom.* I. *opp.* P. I. *edit. Monach. s. Mauri* habet hoc modo . „ Neque „ Liberio Romano Epiſcopo ab ipſo initio pepercere ..... nihil veriti , quod ἀποστολικὸς „ θρόνος *Apoſtolicus thronus* ille ſit „ . Quamquam non is ſum , qui aliqua extare exempla præter illud Paulini, negem. Vide Cangium *Gloſſ. Med. & Infim. Latin. ad v. Apoſt. Sedes*, & *Apoſtol. tom.* I. *Nov. edit.* Sidonius Apollinaris *lib.* VI. *epiſt.* I. *pag.* 997. *tom.* I. *edit. Pariſ. Opp. Sirmondi* . „ In Apoſtolica Sede novem jam decurſa quinquennia „ .

2 Tertullianus *de Præſcriptionibus Hæreticor. cap.* XXXII. *pag.* 23. *edit. an.* 1748. „ Edant ergo origines Eccleſiarum ſuarum : volvant ordinem Epiſcoporum ſuorum , ita „ per ſucceſſiones ab initio decurrentem , ut primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis , „ VEL APOSTOLICIS VIRIS , qui tamen cum Apoſtolis perſeveraverit , habuerit auctorem , „ & ANTECESSOREM . Hoc enim modo Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt : ſicuti „ Smyrnæorum Eccleſia POLYCARPUM ab Johanne conlocatum refert : ſicut Romanorum „ CLEMENTEM a Petro ordinatum itidem . Perinde utique & ceteræ exhibent , QUOS AB „ APOSTOLIS IN EPISCOPATUM CONSTITUTOS APOSTOLICI SEMINIS TRADUCES HABEANT „ . Vide ut Epiſcopi ordinati ab Apoſtolis Apoſtolici viri appellentur ab Tertulliano ? Confer s. Aug. *lib.* II. *de Doctr. Chriſt. cap.* VIII. *pag.* 23. *t.* III. *par.* I. *edit. Pariſ. Mon. s. Mauri* . Adeundus Cangius *Gloſſar. M. & Inf. Lat. ad v. Apoſtolica Sedes* . S. Hilarius *Præf. in Fragm. Hiſtor. libri pag.* 1282. *edit. Pariſ. Monachorum s. Mauri*, ubi Epiſcopus quoſque *Apo-*

V.

Appellari quoque Eccleſiarum antiſtites Hierarchæ, hoc eſt ſacri, vel ſacrorum Principes conſueverant.

Accedit Hierarcharum (1) vocabulum, quod item fuiſſe Epiſcopis olim tributum conſtat. Atque is Scriptor, qui Dionyſium ſeſe Areopagitam dixit, quique non eſt ſeculo quinto recentior, eam ſæpe uſurpat appellationem. Sequuti deinceps permulti ſunt, qui ejuſdem exemplum imitati, *Hierarchas* ſacrorum antiſtites vocaverunt (2).

VI. *Et*

Apoſtolicos viros vocat. „ Officiales magiſtri volitant: adverſus *Apoſtolicos viros* officiorum omnium feſtinatione turbatur „. Idem *comm. in Matth cap* XXII. *num.* 4. *pag.* 720. „ Qui iterum cum præceptorum conditione mittuntur, *Apoſtolici* ſunt *viri*, & „ *ſucceſſores Apoſtolorum* „. Accedit Gildas *Invectiv. in Clerum Britanniæ pag.* 715. *tom.* VIII. *Biblioth. Ss. Patrum edit. Lugd. an.* 1677 ut qui Epiſcoporum *Apoſtolicam* nominet *dignitatem*. Nam ſi Epiſcopi, ut ſupra vidimus *p.* 284 *ſeq.* appellati interdum Apoſtoli fuerunt (idque jam conſtat Cypriani *epiſt.* III. *al.* LXV. auctoritate, qui *pag.* 173. *edit. Amſtel. an.* 1700. ſcribit „ Meminiſſe diaconi debent, quoniam Apoſtolos, ideſt Epiſcopos, „ & Præpoſitos Dominus elegit „. *Vide Hieron. ep* XXVII. *ad Marcellam al.* LIV. *p.* 65. *t.* IV. *opp edit. Pariſ. Mon s. Mauri*) cur non item *Apoſtolici*? Atque hæſit quidem hoc & Epiſcopis, & dignitati eorum vocabulum, propterea quod *doctrinam Apoſtolorum* ſequerentur, illorumque loco ad Eccleſiarum gubernacula acceſſerint. Conſule ſupra deſcripta Tertulliani, & Hilarii teſtimonia, & quæ paullo ante de titulo *Succeſſorum Apoſtolorum* diſputata ſunt. Adi ſis, modo liceat, Barthium *lib.* XIII. *Adverſarior. cap.* XX. *pag.* 746. Verum *Apoſtolici*, & *Domini Apoſtolici* peculiari quadam ratione tributa eſt Romano Pontifici appellatio. Nam de s. Petro inſtitutore Romanæ Eccleſiæ agens Petrus Chryſologus *ſer.* CVII. *pag.* 97. *edit. an.* 1633. „ Quis ergo, *inquit*, tanti viri adhortationem recuſat, cui e cælo contigit & Apoſtolici vocabulum, & ſummi privilegium Sacerdotis „? Concilium Pontigonenſe an. 876. *celebratum tom.* VI. *Concilior. edit. Hard. pag.* 167. *ſeq.* VI. idus Julii convenerunt Epiſcopi, & circa horam IX. venerunt Legati DOMNI APOSTOLICI, Leo Epiſcopus, & apocryſarius, ac nepos APOSTOLICI, atque Petrus Foroſempronii &c. „. Adeundi Cangius *t.* I. *Lexici Med. & Inf. Latin. ad v. Apoſtolicus p.* 569. *edit. novæ*, & Barthius *lib* XLIII. *c.* VIII. *p.* 1940. *ſeqq.* & Baluzius *not. in Salv. p.* 367. *ſeq. edit. an.* 1688.

1 Dionyſius *cap.* I. *de Eccleſia Hierarch. pag.* 233. „ Noſtra Hierarchia munus dicitur, „ *per quod initiatus divinus Hierarcha* καθ' ἣν ὁ θεῖος ἱεράρχης τελούμενος, omnium, „ quæ ad ſe pertinent, ſacratiſſimorum particeps erit &c. „ Et s. Maximus in ſcholiis ad idem *caput pag.* 240. *ejuſd. vol.* „ Hierarchia vocatur totius Hierarchiæ principatus magis obtinens, generaliorque ſumma, velut Presbyterorum Hierarchiæ, ſive Ordinis „ ἱεραρχία *Hierarchia* eſt Epiſcopus, qui purgandi, illuminandi, perficiendique ſcientia „ præditus eſſe debet „. Sed ut ut ſit de Maximo, quem Petavius aſſequutum ſententiam Dionyſii fuiſſe negat *lib.* II. *de Angelis cap.* II. §. V. *pag.* 109. *tom.* III. *Theologic. dogm. edit. Pariſ.* negari certe non poterit, quin Hierarchæ Epiſcopi vocarentur. Atque ut mittam quod *ex Orat. de Joh. Apoſtolo* Chryſ. ſuppoſita retuli ſupra *p.* 275. *n.* 4. 276. *n.* 1. *hujus vol.* Pſeudo-Amphilochius *in vitam s. Baſilii cap.* XIII. *num.* III. *pag.* 206. *edit. Opp. Pariſ. an.* 1644. Sancto Ephtalm, *inquit*, manus impoſuit ὁ μέγας ἱεράρχης *magnus Hierarcha* „. Confer Hallerium *lib.* I. *Hier. Eccl. ſect.* I. *cap.* II. *pag.* 6. *ſeq.*

2 Vide *notat. ſuperiorem*.

V I.

Et Principes, ſine adjunčto, & Principes populi, & Principes Eccleſiæ. Quare Epiſcopatus etiam dictus Principatus, & Principatus Eccleſiæ fuit.

Ac mirum ſane videri nemini poterit, *Hierarchas* dici ab Dionyſio Eccleſiarum Præſules conſueſſe, cum certum ſit diu ante ab Græcis ἄρχοντας (1), ab Latinis autem ipſos fuiſſe *Principes* (2) appellatos, propterea quod principatum in adminiſtratione ſacrorum tenerent. Quæ res cum paullo ante demonſtrata ſit, tum multis aliis, iiſdemque illuſtribus monumentis demonſtrari ad veritatem plane poteſt.

Neque vero *Principes* tantum, ſed etiam *Principes* (3) *populi*, quod rem Chriſtianorum ſacram gererent, fuerunt Epiſcopi appellati.

Quumque primas quiſque antiſtes in ſua Eccleſia obtineret partes, factum hinc eſt, ut omnes Epiſcopi *Eccleſiarum* (4) *Principes* audirent.

 Hæc

1 Confer quæ ſupra *pag. 276. not. 3.* deſcripſi ex Euſebio, & *pag. 276. ibid.* ex Chryſoſtomo, & *pag. eadem* ex Optato. Gregorius Nazianzenus *orat.* XVII. *pag.* 271. *edit. an.* 1690. ἄρχομεν, inquit, καὶ αὐτοὶ. *Principatum & nos obtinemus.* Hinc Epiſcopi ἄρχοντες dicti. Rurſum Chryſoſtomus *lib.* III. *de Sacerdotio cap.* XIV. *pag.* 190. *tom.* 1. *opp. edit. Pariſ. Monachor. s. Mauri.* „ πέφυκε γὰρ ὡς τὰ πολλὰ, τὸ τῶν ἀρχομένων πλῆθος, ὥσπερ εἰς ἀρχέτυπόν τινα εἰκόνα τοὺς τῶν ἀρχόντων τρόπους ὁρᾷν, καὶ πρὸς ἐκείνους ἐξομοιοῦν ἑαυτοὺς &c. „ Solet enim ſubditorum turba Principum ſibi mores ceu archetypum, „ & quamdam imaginem ſpectare, ſeque ad illorum formam effingere „. Loquitur autem de Principibus Eccleſiarum. Conſule Origenis locum mox deſcribendum.

2 Vide ſupra *pag. 276. not. 3.* Optati teſtimonium, & Hieronymi locum mox deſcribendum.

3 Hieronymus *Comment. in cap.* III. *Iſaiæ verſ.* 14. *pag.* 39. *tom.* III. *Opp. edit. Monach. s. Mauri Pariſ* „ Inter ſenes autem, & Principes hoc fuiſſe reor in veteri populo, „ quod nunc eſt inter presbyteros, & *Epiſcopos*.

4 Origenes *lib.* III. *contra Celſum num.* XXX. *pag.* 466. *tom.* 1. *edit. Pariſ. Monach. s. Mauri.* „ Si ἄρχοντα ἐκκλησίας *Principem Eccleſiæ* cum ſingularum Urbium Præſidibus „ comparaveris, intelliges inter Senatores, & *Principes Eccleſiæ Dei* ἄρχοντας ἐκκλησίας „ θεοῦ, etiam eos, qui a ceteris ſuperantur . . . . in progreſſione ad virtutes præcellere „. Hieronymus in *Pſ.* XLIV. *pag* 241. *tom.* II. *Opp. edit. Pariſ. Monach. s. Mauri.* „ Conſtituit Chriſtus Sanctos ſuos ſuper omnes populos. In nomine enim Dei dilatatum eſt Evan„ gelium in omnibus finibus mundi: in quibus PRINCIPES ECCLESIÆ, ideſt EPISCOPI, con„ ſtituti ſunt.

Hæc cum ita ſeſe haberent, tum dignitas Epiſcoporum & *principatus* eſt a majoribus, & *principatus Eccleſiæ* (1) appellata.

V I I.

Rurſum Epiſcopi dicti προεστῶτες *Præfecti*, προστάται *Præpoſiti* πρόεδροι *Præſidentes.* ἔφοροι *Inſpectores*, & ἡγούμενοι *Duces*.

Cumque Epiſcopi primas in Eccleſia partes teneant, ceteriſque præſtent dignitate, factum hinc eſt, ut jam uſque ab antiquiſſimis Chriſtianiſmi temporibus προεστῶτες (2) appellarentur. Cujus quidem rei illuſtria extant apud Juſtinum Martyrem, Euſebium, alioſque rerum noſtrarum Scriptores exempla. Qui autem ab illis, cum Græce ſcriberent, προεστῶτες vocati ſunt, iidem ab Latinis (3) *Præfecti* dici poterant Eccleſiarum.

Προστάτης (4) vero, qui dictus ab Origene, nonnul-

1 Origenes *homil.* XI. *in Hieremiam num.* III. *tom.* III. *opp. edit. Pariſ. Monach. s. Mauri pag.* 189. „ Qui vero omnium noſtrum obtinet ἀρχὴν αὐτὴν τὴν ἐκκλησιαστικὴν „ *principatum ipſum Eccleſiaſticum*, plus reddet rationem „. S. Johannes Chryſoſtomus *lib.* III. *de Sacerdotio num.* XV *pag.* 392. *tom.* I. *opp. edit. Pariſ. Monach. s. Mauri*. „ Iio nunc, ac publica feſta ſpectato, ubi maxime τῶν ἐκκλησιαστικῶν ἀρχῶν *Eccleſiaſti*- „ *corum Principatuum* electiones lex facit &c.

2 S. Juſtinus Martyr *Apolog.* I. *num.* LXV. *pag.* 85. *edit. Veneta opp. an.* 1747. ἔπειτα, „ inquit, προσφέρεται τῷ προεστῶτι τῶν ἀδελφῶν ἄρτος κ. τ. λ. *Deinde ei qui præeſt fratribus, offertur panis &c.* Qui enim is ſit, qui fratribus præeſt, niſi Epiſcopus, ne ſuſpicari quidem poſſum. Confer Petavium *lib.* I. *de Eccleſiaſtica Hierarchia c.* II. §. XII. *tom* III. *Theologicor. dogm. edit. Pariſ. pag.* 667. Accedit Euſebius. Nam *lib.* VI. *Hiſt. cap* III. *pag.* 261. *edit. Cantabrig.* de Origene agens. „ Cum vero plures quotidie diſcipulos ac- „ cedentes videret, propterea quod Catechumenorum inſtitutio ipſi ſoli mandata fuerat „ ὑπὸ Δημητρίου τοῦ τῆς ἐκκλησίας προεστῶτος a Demetrio Eccleſiæ Præfecto „. Et *c.* VIII. *pag.* 265. „ Itaque Demetrius . . . . . τῆς αὐτόθι παροικίας προεστὼς ejus Parœciæ *præfe*- „ *ctus* „. κ. τ. λ. & *cap.* X. *pag.* 268. Δόξαν τοῖς τῶν ὁμόρων ἐκκλησιῶν προεστῶσιν. Viſum finitimarum Eccleſiarum *præfectis* eſt, & *lib.* VII. *cap.* XIII. *pag.* 340. τοῖς τοῦ λόγου προεστῶσι *verbi præfectis*, & *lib.* VIII. *cap.* VI. *pag.* 382. τῆς κατὰ Νικομήδειαν ἐκκλησίας ὁ τηνικαῦτα προεστὼς Ἄνθιμος. Eccleſiæ, quæ Nicomediæ eſt tunc *præfectus* Anthimus. Confer Gregorium Nyſſenum *tom.* III. *opp. pag.* 306. *edit. an.* 1638.

3 Vide Interpretationem Gelenii *lib.* VIII. *Orig. contra Celſum pag.* 532. *tom.* I. *opp. Orig. an.* 1604.

4 Origenes *lib.* VIII. *contra Celſum num.* 75. *pag.* 798. *tom.* I. *edit. Monach. s. Mauri*. „ Quod ſi qui in Eccleſia præſunt, τῆς κατὰ θεὸν πατρίδος, *illius, quæ ſecundum* „ *Deum eſt, patria*, λέγω δὲ τῆς ἐκκλησίας λεγόμενοι προστάται, οἱ καὶ ἄρχουσι κατὰ τὰ ὑπὸ „ τοῦ θεοῦ προστεταγμένα. *dico autem: Eccleſiæ ii qui dicuntur* προστάται *præpoſiti*, „ *qui & præſunt, ſecundum ea, quæ ſunt ordinata a Deo &c.* „ Adi-ſis Petavium *lib.* III. *de Hierarch. Eccl. cap.* VIII. §. IV. *ſeqq. pag.* 844.

nulliſque aliis Græcis interdum eſt, is quoque fuit a noſtris *Præpoſitus* appellatus. Nam *Præpoſitorum* (1) non Patres modo, quum de Epiſcopis agerent, verum etiam qui ſacra Biblia novi (2) Teſtamenti Latina fecerant, meminerunt.

Προέδρους (3) item Euſebius in Hiſtoria, in eoque libro, quem inſcripſit de *Martyribus Palæſtinis* commemoravit, quos quidem *Præſidentes* (4) Eccleſiarum nonnumquam ab Latinis fuiſſe appellatos conſtat.

Venio

1 Tertullianus *in libro de Fuga in Perſecutione cap.* XI. *pag.* 541. *edit. opp. Pariſ. an.* 1675. „ Porro ſi eos, qui gregi præſunt, fugere, cum lupi irruunt, nec decet, immo „ nec licet, qui enim talem paſtorem malum pronunciavit, utique damnavit: omne au- „ tem, quod damnatur illicitum factum eſt ſine dubio. Ideo PRÆPOSITOS ECCLESIÆ in per- „ ſecutione fugere non oportebit „. S. Cyprianus *epiſt.* XIX. *al.* XIV. *pag.* 198. *edit. Amſtelod. an.* 1700. „ Hæc & verecundiæ, & diſciplinæ, & vitæ ipſi omnium noſtrum convenit, „ ut *Præpoſiti* cum clero convenientes, præſente, & ſtante plebe, diſponere omnia conſiliî „ communis religione poſſimus „. Et *epiſt.* III. *pag.* 173. „ Meminiſſe autem diaconi de- „ bent, quoniam Apoſtolos, ideſt Epiſcopos, & Præpoſitos Dominus elegit..... Et ideo „ oportet diaconum, de quo ſcribis, agere audaciæ ſuæ pœnitentiam, & honorem Sacer- „ dotis agnoſcere, & EPISCOPO PRÆPOSITO SUO plena humilitate ſatisfacere. Hæc ſunt „ enim initia hæreticorum.....ut ſibi placeant, & PRÆPOSITUM ſuperbo tumore conte- „ mnant „. Et *epiſt.* IX. *al.* IV. *pag.* 182. „ Quod & vobis eſſet circa PRÆPOSITI (*Fabiani* „ *Papæ*) memoriam glorioſum „. Et *epiſt.* XV. *pag.* 193. „ Sed PRÆPOSITORUM eſt præce- „ ptum tenere &c „ Mitto cetera. Confer Cangium *tom.* I. *Lex. Mediæ, & Infimæ Latinitatis ad v. Præpoſiti pag.* 758. *edit. Pariſ.* Concilium Carthaginienſe III. *can.* XLV. *pag.* 967. „ Contigit nonnumquam, ut poſtulentur ab Eccleſiis, quæ *Præpoſiti* egent &c. „ *tom.* I. *Concil. edit. Pariſ. Hard.* Sed Progreſſione temporum immutata ejus vocabuli ratio eſt, ita ut in eos, qui Monachis, ſeu Canonicis quibuſdam præfecti eſſent, inque alios, qui in Eccleſiis certam quamdam obinerent dignitatem, caderet. Conſule Cangium *ibid. ad v. Præpoſitus*.

2 *Epiſt. ad Hebræos cap.* XIII. *v.* 7. Mementote PRÆPOSITORUM veſtrorum, qui vobis „ loquuti ſunt verbum Dei. *Verſ.* 17. Obedite PRÆPOSITIS veſtris, & ſubjacete eis. *V.* 24. „ Salutate PRÆPOSITOS veſtros, & omnes Sanctos „.

3 Euſebius Cæſarienſis *lib.* VIII. *Hiſt. cap.* II. *pag.* 377. *edit. Cantab.* „ Hæc omnia „ noſtris temporibus completa ſunt, tunc cum ædes ſacras ſolo æquari, ac funditus ſub- „ verti, ſacros divinarum Scripturarum libros in medio foro concremari oculis noſtris „ vidimus, & Eccleſiarum ποιμένας *paſtores*..... inimicorum ludibrio expoſitos conſpe- „ ximus „. Et *pag.* 377. „ Sed non multo poſt aliæ rurſum litteræ ſupervenerunt, quibus „ mandabatur, omnes ubique Eccleſiarum πρόεδροι *Præſides*, primum quidem conjiceren- „ tur in vincula &c. „ *Et lib. de Martyribus Palæſtinis cap.* II. *pag.* 411. „ Hæc primo anno „ perſecutionis in hunc modum geſta ſunt, cum adverſus ſolos ἐκκλησίας προέδρους *Eccleſiæ* „ *præſides* perſecutorum immanitas deſæviret „.

4 Tertullianus *lib. de Corona Militis cap.* III. *pag.* 102. *edit. Venetæ an.* 1748. „ Nec „ de aliorum manu, quam PRÆSIDENTIS, ſumimus pro defunctis „. *Et lib. de Jejuniis cap.* XVII. *pag.* 554. „ Duplex apud te *Præſidentibus* honor (alloquitur autem Catholicum „ Montaniſta) binis partibus deputatur, cum Apoſtolus duplicem honorem deducit, ut & „ fratribus, & *Præpoſitis* „. *Apolog. cap.* XXXIX. *pag.* 120. *ejuſd. edit. in Append.* „ Præ- „ ſident probati quique ſeniores, honorem iſtum non pretio, ſed teſtimonio adepti „. *Et lib.* I. *ad Uxorem cap.* VII. *pag.* 165. „ Præſcriptio Apoſtoli declarat, cum digamos non „ ſinit præſidere „.

Venio nunc ad *Ephororum* vocabulum. Ἐφόροι (1) autem Græci vocant, quos Latinis licet *Inſpectores* (2) dicere. Atque eſt hæc quidem appellatio Epiſcopis tributa a Philoſtorgio in primo, ac tertio libro Hiſtoriæ. Jam vero ut ab *Epiſcopo* vox eſt nata *Epiſcopatus*, ſic ἀπὸ τοῦ ἐφόρου *ab inſpectore* Philoſtorgius ἐφορείαν *inſpectionem* ducendam putavit.

Ἡγούμενοι (3) autem apud Græcos iidem ſunt atque ii, qui apud noſtros *Duces* (4) appellantur. Neque ab Eccleſiaſticis ſolum Scriptoribus; ſed etiam ab Apoſtolo Paulo Epiſcopos video fuiſſe vocatos Duces Chriſtianorum.

VIII.

Et Antiſtites, & Principes Sacerdotum, & ſummi Sacerdotes, Pontifices, &, ut aliqui putant, Pontifices Maximi.

Atque eodem ſane recidit Antiſtitum (5) appellatio, quæ apud Latinos erat in uſu. Nam Tertullianus, quique ſunt deinceps ſequuti Scriptores rerum Chriſtianarum permulti, quod *antiſtare* Epiſcopum ceteris viderent, hunc ipſum Antiſtitem vocaverunt.

Rurſum

1 Philoſtorgius Hiſtoriæ *lib.* III. *cap.* IV. *pag* 27. *edit. an.* 1643. „ At legatione ſuſcepta ἐφόρου Ephori quoque dignitatem ab homodoxis accepiſſe „ & *cap.* XV. *pag.* 48. „ Paulinum quidem primum audiviſſe, qui ex ἐφορείας *Ephoria* Tyri ad Antiochenam „ translatus eſt „. Adeundus, ſi licet, Svicerus *Theſ. Eccleſ. tom.* I. *ad v.* ἔφορος.

2 Vide Petavium *lib.* III. *de Eccleſ. Hierarch. pag.* 844. *ſeq. cap.* VIII. *edit. Pariſ. tom.* III. *Theologicor. dogm.* Significationem nominis Epiſcopi huc recidere ſcribit etiam Svicerus *ibid. ad v.* ἐπίσκοπος; ſed ſuo more multa contra veritatem turbat.

3 Apoſtolus in litteris ad Hebræos *cap.* XIII. *v.* 7. Mementote τῶν ἡγουμένων ὑμῶν. *Ducum veſtrorum. v* 17 Obedite τοῖς ἡγουμένοις ὑμῶν. *Ducibus veſtris v.* 24. „ Salutate „ omnes ἡγουμένους ὑμῶν *duces veſtros* „.

4 Jam non dubito, quin id ſignificet vox Hegumenorum. Translata autem poſt ea vox fuit, ut Præfectos Monaſteriorum ſignificaret, de qua re multa diſputat Svicerus ad *v.* ἡγούμενος.

5 Tertullianus *lib. de Corona Militis cap.* III. *pag.* 102. *edit. Veneta ann.* 1748. „ Aquam adituri ibidem, ſed & aliquanto prius in Eccleſia ſub *Antiſtitis* manu conteſtamur „. Antiſtare autem Tertullianus pro præſtare accepit ſæpe, *lib. de Reſurrectione carnis cap.* XXXV. *pag.* 346. „ Sed nos multis paſſeribus antiſtamus „. Idem alibi repetit. Sed omnia ejus dicta perſequi longum eſſet. Pontius Diaconus ſic orditur S. Cypriani Epiſcopi ſui vitam, *pag.* I. *opp. edit. Oxon.* „ Cyprianus Religioſus Antiſtes &c. Multa ejuſmodi reperire apud Cangium exempla expreſſa ex Latinorum PP. operibus, ad *v. Antiſtes*, licet.

Rurſum qui ἀρχιερεὺς (1) Græcis, idem eſt Latinis *Sacerdotum Princeps*. Jam vero fuerunt aliqui Græcorum, qui ἀρχιερέα Epiſcopum quemque appellandum putarent; etſi crebrius Principum Sacerdotum (2) ab Latinis uſurparetur vocabulum.

Summi (3) item *Sacerdotes* Epiſcopi apud noſtros ſæpe audierunt, quod primas inter Sacerdotes obtinerent partes, eoſque moderarentur. Quod quidem appellationis genus non minus eſt vetus, quam eſſe conſtat vocabula ſuperiora.

Fuiſſe autem Antiſtites quoſdam memoria majorum intelligo, qui ſe Sacerdotes (4), quin adderent τὸ *Summi*, vocarent, quod hæc vox non modo Presbyteros, ſed etiam Præſules ſignificare commode poſſe videretur.

Quin-

1 Nota quidem hæc vox eſt, adhibitaque etiam a ſecundi ſeculi Scriptoribus Græcis auditoribus Apoſtolorum. Vide Ignatii ad Philadelphenos Epiſtolam *tom.* II. *Apoſtolic. PP. edit. an.* 1724. *pag.* 32. *n.* IX. ubi „ Καλοὶ, inquit, καὶ οἱ ἱερεῖς, κρεῖσσον δὲ ὁ ἀρχιερεύς. Boni & Sacerdotes, ſed præſtantius quidpiam Princeps Sacerdotum.

2 Ambroſiaſter, qui Damaſi ætate ſcripſiſſe videtur *Comment. in epiſt. ad Ephеſ. c.* IV. *opp. s. Ambroſii tom.* II *pag.* 241. *edit. Pariſ. Monach. s. Mauri*. „ In Epiſcopo omnes „ ordines ſunt, quia primus Sacerdos eſt; hoc eſt *princeps* eſt *Sacerdotum*. Conſule s. Hieronymum *epiſt.* 28. *al.* 99. *ad Aſellam pag.* 66. *tom.* IV. *opp. edit. Pariſ. Monach. s. Mauri*.

3 Tertullianus *lib. de Baptiſmo cap.* XVII. *pag.* 230. *edit. Venetæ an.* 1748. „ Dandi „ quidem (baptiſmi) habet jus *ſummus Sacerdos*, qui eſt Epiſcopus „. Hieronymus in eo dialogo, qui inſcribitur *contra Luciferianos tom.* IV. *opp. edit. Pariſ. Monach. s. Mauri*, *p.* 295. „ Eccleſiæ ſalus in *ſummi Sacerdotis dignitate pendet* „. Auctor quæſtionum *veteris, & novi Teſt. int. opera s. Auguſtini tom.* III. *par.* I. *in Append. pag.* 93. *edit. Pariſ. Monachorum s. Mauri*. „ Quid eſt Epiſcopus, niſi primus presbyter, hoc eſt *ſummus* „ *Sacerdos* „?

4 S. Cyprianus, & Collegæ *epiſt.* LXVII. *al.* LXVIII. *ad Felicem Presbyterum &c. pag.* 170. *edit. Oxon.* „ Propter quod plebs obſequens præceptis Dominicis, & Deum me„ tuens a peccatore præpoſito ſeparare ſe debet, nec ſe ad ſacrilegi *Sacerdotis* ſacrificia „ miſcere; quando ipſa maxime habeat poteſtatem vel eligendi dignos Sacerdotes, vel in„ dignos recuſandi, quod & ipſum videmus de divina auctoritate deſcendere, UT SACERDOS „ plebe præſente ſub omnium oculis deligatur „. Loquitur autem de Epiſcopis Martiali, & Baſilide, qui lapſi fuerant, indignique erant, quibuſcum plebs Hiſpana communicaret. Confer Tertullianum *lib. de Monogamia cap.* VII. *pag.* 529. *edit. an.* 1748. Pontium Diaconum *de Vit. & Paſſ. s. Cypr pag.* 1. *ſeqq. edit. opp. Oxon.* & Cangium *ad v. Sacerdos*, *Gloſſar. ſeu Lexic. Mediæ, & infimæ Latinitat.* Rurſum *in Cod. Canonum Eccleſiæ Africanæ tom.* I. *Cod. Can. Eccl. edit. Beveregii pag.* 511. Epiſcopi Alexandrinus, & Antiochenus appellantur *Venerabiles Sacerdotes*. Quinetiam cum *can.* LIII. *Cod. Afric.* a duobus Epiſcopi conſecratum adſtruat Sacerdotem fuiſſe; ſic adnotat Zonaras *ibid. pag.* 577. „ Duos Epiſcopos dicit ordinaſſe Sacerdotem. ἱερέα δὲ τὸν ἐπίσκοπον λέγει. *Sacerdotem* „ *autem dicit Epiſcopum*„. Atque uſu quidem diu obtinuit, ut Antiſtites Eccleſiarum Sacerdotes ſe illius, quam ſortiti eſſent, Eccleſiæ appellarent. Atque ut cetera prætermittam exempla, in tertio Epiſtolarum Innocentii III. *libro* extat Epiſtola Oddonis Epiſcopi Pariſienſis, in cujus inſcriptione, hæc leguntur. *Oddo Eccleſiæ Pariſienſis Sacerdos*. In quam Epiſtolam quædam nos adnotavimus, quæ brevi, ut ſperamus, publicabuntur.

Quinetiam *Pontifices* (1) ſæpe ſunt Epiſcopi a majoribus appellati. Cum enim apud Ethnicos, eos, qui Sacerdotibus præſtarent, Pontifices vocari ſcirent, nihil eſſe cauſſæ putabant, cur ſacrorum item Chriſtianorum Præſules non vocarentur hoc nomine.

Neque vero *Pontifices* ſolum, ſed etiam (2) *Summos*, & *Maximos* (3) *Pontifices* fuiſſe Epiſcopos omnes vocatos (4) Binghamus cenſet. Ac de *Summi* quidem appellatione, cum aliquot recenſeantur ab ipſo monumenta, quæ rem efficere videantur, non admodum laborant noſtri. De *Maximo* pugnaciter aliqui negant (5) cadere, præterquam in Romanum Pontificem, in alium quempiam potuiſſe. Ac Tertulliani

1 Vide Cangium *ad v. Pontifex*. Pontius Diaconus *in Vita & Paſſ. s. Cypriani pag.* 7. *initio opp. s. Cypr. edit. Oxon.* „ Tantum abeſt, ut Dei PONTIFEX ille, qui miſericordiæ „ ſemper rebus inſtiterat, horum omnium opibus indigeret „.

2 Concilium Agathenſe *an.* 506. celebratum *can.* XXXV. *pag.* 1002. *tom.* II. *Concilior. edit. Hard.* „ Si Metropolitanus Epiſcopus ad Comprovinciales Epiſtolas direxerit, in qui- „ bus eos aut ad ordinationem SUMMI PONTIFICIS, aut ad Synodum invitet &c. „ Nemo non videt agere hic Patres de Epiſcopo. Sidonius Apollinaris *lib.* IV. *epiſt* XI. *pag.* 945. *tom.* 1. *opp. Sirmondi edit. Pariſ.* „ Nam de PONTIFICIS tenore SUMMI ille inſignia ſumſit, „ hic laborem. Et *lib.* VII. *epiſt.* V. *pag.* 1020. *ſeq.* „ Bituricas decreto civium petitus adveni. „ Cauſſa fuit evocationis titubans Eccleſiæ ſtatus, quæ nuper SUMMO viduata PONTIFICE „ utriuſque profeſſionis ordinibus ambiendi Sacerdotii quoddam claſſicum cecinit.

3 Tertullianus *lib. de Pudicitia cap.* 1. *pag.* 555. *edit. opp. Veneta an.* 1748. „ Audio „ etiam eſſe propoſitum, & quidem peremtorium: *Pontifex* ſcilicet *Maximus*, quod eſt „ *Epiſcopus Epiſcoporum* edicit, ego & mœchiæ, & fornicationis delicta pœnitentia fun- „ ctis dimitto.

4 Binghamus *lib.* II. *Orig. & Antiquit. Eccleſiaſt. cap.* II. §. VI. *pag.* 75. *tom.* 1. *edit. opp. Halæ an.* 1724. Id vero accepit ab Larroquano *lib.* 1. *Adv. cap.* V. Vide *adnotat. Coutantii in tom.* 1. *epiſt. Rom. Pontif. pag.* 111. *ſeq.* Quem hic appellet Tertullianus *Pontificem Maximum* non explicat Rigaltius *in not. in eumd. locum*.

5 Baron. *ad an.* CCXVI. *num.* IV. Non admodum diſcrepat Paſchaſius Queſnellus *Diſſ.* 1. *de Vita, & Geſtis s. Leonis cap.* XII. *num.* VI. qui *cap* XIII. Tertulliani verba cadere in Zephyrinum cenſet. Aſſentitur Baronio Samuel Baſnagius *in Annal. ad an.* 206. *num.* V. Nam hoc libro Romanum Epiſcopum perſtringi a Tertulliano, ſine ratione quiſquam negaret. *Cap. enim* XXI. *pag.* 574. *edit. Veneta an.* 1748. „ Exhibe, *inquit*, & nunc mihi „ *Apoſtolice* (Apoſtolicam autem occidentis Eccleſiam quis inficiabitur fuiſſe appellatam a „ Tertulliano Romanam?) prophetica exempla . . . . . Quod ſi diſciplinæ ſolius officia ſor- „ titus es, nec imperio præſidere, ſed miniſterio, quis, aut quantus es indulgere? . . . . . „ Sed habet, inquis, poteſtatem Eccleſia delicta donandi . . . . . De tua nunc ſententia „ quæro, unde hoc jus Eccleſiæ uſurpes. Si quia dixerit Petro Dominus, ſuper hanc Pe- „ tram ædificabo Eccleſiam meam, tibi dedi claves regni cæleſtis, vel: quæcumque alli- „ gaveris, vel ſolveris in terra, erunt alligata, vel ſoluta in cælis: idcirco præſumis & ad „ te derivaſſe ſolvendi, & alligandi poteſtatem, id eſt ad omnem Eccleſiam Petri propin- „ quam, qualis es evertens, atque commutans manifeſtam Domini intentionem perſonali- „ ter hoc Petro conferentem: Super te, inquit, ædificabo Eccleſiam meam „. Hæc quemadmodum non ſint tribuenda Pontifici potius, quam alteri cuiquam Epiſcoporum, non equidem intelligo.

liani (1) quidem locus, quo Binghamus, aliique utuntur, nihil opis, præſidiique adſerre eorum ſententiæ poteſt, cum de *Romano Epiſcopo*, non de quovis alio Presbyter ille Carthaginienſis agat. Sed ſac dubium ſit. Re dubia, quæ in controverſiam revocatur, ſtatuere, omnium Epiſcoporum commune hoc fuiſſe genus appellationis, velle, hominis eſſe videtur contra dialecticæ regulas, ut ſua commenta confirmare valeat, diſputantis. Redeo ad *Summi* (2) vocabulum. Fateor illud interdum fuiſſe Epiſcopo cuique, & multo magis Metropolitanis tributum.

I X.

Epiſcopus quiſque appellatus olim Papa, & Pater.

De *Papa* voce nemini dubium eſt, quin ea olim cuique Epiſcopo attribueretur. Nam & in Africa Epiſcopos *Papas* (3) fuiſſe vocatos, & in Ægypto, & in Græcia, & in

1 Vide notationem ſuperiorem.

2 Zoſimus Pontifex M. *ad Epiſcopos Galliæ epiſt.* 1. *ſcripta an.* 417. *pag.* 937. *tom.* 1. *Collect. epiſt. Roman. Pontificum*. „ Quiſquis vero poſthac contra Apoſtolicæ Sedis ſtatu„ ta, & præcepta Majorum, omiſſo Metropolitano Epiſcopo, in provinciis ſupradictis „ quemquam ordinare præſumſerit, vel is, qui ordinari ſe illicite ſiverit, uterque Sacer„ dotio ſe carere cognoſcat. Quomodo enim poteſtatem *Summi Pontificis* obtineret, qui, „ quæ erant Pontificis, ſervare contemſit „? Hæc communia eſſe omnium Epiſcoporum conſtat. Idem Zoſimus *epiſt.* IX. *pag.* 971. *an.* 418. „ Exinde ſuffragantibus ſtipendiis per „ tot gradus, datis propriæ fidei documentis presbyterii Sacerdotium poterit promere„ ri. De quo loco, ſi eo illum exactior ad bonos mores vita produxerit, SUMMUM PON„ TIFICATUM SPERARE DEBEBIT „. Nempe ut quemquam Epiſcopum *Summum Pontificem*, ita dignitatem *Summum Pontificatum* vocat. Sed ſi Summi Pontifices Epiſcopi dicti ſunt, cur non præcipue Metropolitæ apppellari eodem nomine potuerunt?

3 Tertullianus *lib. de Pudicitia cap.* XIII. *pag.* 564 *edit. Veneta an.* 1748. „ Et tu „ quidem Pœnitentiam mœchi ad exorandam fraternitatem in Eccleſiam inducens conci„ liciatum, & concineratum cum dedecore, & horrore compoſitum proſternis in medium „ ante ... presbyteros, omnium lacinias invadentem, omnium veſtigia lambentem omnium „ genua detinentem, inque eum hominis exitum, quantis potes, miſericordiæ illecebris, „ bonus paſtor, & BENEDICTUS PAPA concionaris „. Hæc Montaniſta Tertullianus de Epiſcopis Catholicis. *Acta Ss. MM. Perpetuæ, & Felicitatis* ſic habent *de Epiſcopo Carthaginienſi num.* XIII. *pag.* 85. *edit. Ruinart. Veron.* „ Vidimus ante fores Optatum Epi„ ſcopum ad dexteram, & Aſpaſium Presbyterum doctorem ad ſiniſtram ſeparatos, & tri„ ſtes, & miſerunt ſe ad pedes nobis, & dixerunt nobis, componite inter nos, quia exi„ ſtis, & ſic nos relinquitis, & diximus illis: Non tu es PAPA NOSTER, & tu Presbyter &c. Clerus Roman. *epiſt. ad Cyprian.* quæ inter Cyprianicas XXX. eſt *pag.* 56. *edit. Oxon.* ſcribit hoc modo: „ Cypriano Papæ Presbyteri, & Diaconi Romæ conſiſtentes ſalutem „. Et *epiſt.* XXXI.

Aſia, & in Hiſpania, atque in Galliis tam eſt manifeſtum, ut negari nullo modo poſſe videatur. Quamobrem lapſos fuiſſe arbitror eos, qui, præter Romanum Pontificem, Cyrillum (1) Alexandrinorum Epiſcopum primum omnium numerarent, cui hæſerit *Papæ* vocabulum, propterea quod Legatus Pontificis Maximi in Synodo Epheſina eſſet. Eſt item Arabum quorumdam Scriptorum magno in errore ſententia, qui ut Romanam Eccleſiam deprimere aliquanto poſſent, nomen hoc ortum principio in Ægypto (2), indeque translatum in Italiam, Pontificique Maximo adſcriptum fuiſſe cenſuerunt. Atque fuerunt, qui hujuſce vocis etymon ex eo eſſe repetendum putarent, quod *Patrem*, *Papam* veteres appellare ſolerent, Epiſcopique, ut mox videbimus, ab Eccleſiis patres (3) appellarentur. Sed progreſſu temporum, quod proprium, aut peculiare Epiſcoporum

epiſt. xxxI. *pag.* 61.,, Cypriano *Papæ* Moyſes, & Maximus Presbyteri, & Nicoſtratus, & ,, Rufinus diaconi &c.,,. *epiſt.* xxxvI. *pag.* 69.,, Cypriano Papæ presbyteri, & diacones ,, Romæ conſiſtentes ſalutem,,. *epiſt.* vII *pag.* 15.,, Didicimus ſeceſſiſſe benedictum *Pa-* ,, *pam* Cyprianum,,. Et rurſum *epiſt.* xxx. *pag.* 61.,, Beatiſſime, ac glorioſiſſime PAPA,,. Hieronymus *epiſt. ad Auguſtinum* LXXX. *pag.* 644. *tom.* IV. *opp. edit. Pariſ. Monach. S. Mauri*.,, Beatiſſimo *Papæ* Auguſtino,,. Atque hæc de Afris. Nunc de Ægyptiis, qui alteram Africæ partem incolunt. *Euſeb. lib.* vII. *cap.* vII. *pag.* 327. *edit. Cantabr.*,, Hanc ,, ego regulam, (*inquit* Dionyſius Alexandrinus) a Beatiſſimo πάπα *Papa* noſtro Heracla ,, accepi,,. Theodoretus *lib.* I. *Hiſt. cap.* v. *pag.* 22. *edit. Cantabr.* & Epiphanius *Hæreſ.* LXIX. *quæ eſt Arianor. num.* vI. *pag.* 731. *tom.* I. *edit. Pariſ. Petavii*.,, Arius, quem ,, Alexander πάπα *Papa* &c.,, Hieronymus *epiſt.* 38 *al.* LXI. *ad Pammachium pag.* 308. *t.* IV. *opp. edit. Martianæi*.,, Habes Papam Epiphanium (*Cyprium*)..... Excepto *Papa* ,, Athanaſio (*Alexandrino*) & Paulino (*Antiocheno*). De Gallis Epiſcopis Sidonius Apollinaris *lib.* vI. *epiſt.* I. *tom.* I. *opp. Sirm. edit. Pariſ. pag.* 996.,, Domino Papæ Lupo,, & *epiſt.* II. *pag.* 998. *Papæ* Pragmatio,, & *epiſt.* III. *p.* 1000.,, *Papæ* Leontio,,. De Hiſpanis vide Prudentium *Hymn.* XI. περὶ Στεφάνων *v.* 127. apud Ruinart. *Act. Sanct. MM. Sincera pag.* 248. qui ſcribens ad Valer. Cæſaranguſtanum, inquit.

,, Rorantes Saxorum apices vidi optime *Papa*.

Sed nolo equidem omnia de hac voce veterum teſtimonia numerare, quibus cum horum magna copia ſit, lectori moleſtiam crearem.

1 Errat igitur Sirm. not. in Sidonium *lib.* vI. *epiſt.* I. qui Cyrillum primum fuiſſe poſt Rom. Pontificem Papam appellatum, ſcribit. Ruinartius in not. ad *Act. Sinc. S. MM. p.* 148. *edit. Veron.*,, Nomen *Papa* diu omnibus Epiſcopis commune, quod Greg. VII. ſoli Romano ,, Pontifici reſervavit,,.

2 Apud Pearſonum *Vindic. Ignat. par.* I. *cap.* XI. *pag.* 344. *tom.* II. *Apoſtolicor. PP. edit. Amſtel. ann.* 1724. Adeundi Euſebius Renaudotius *Hiſt. Patriarch. Alexandrinorum pag.* 27. *ſeqq. edit. Pariſ. an.* 1713. Abrahamus Ecchellenſis Maronita in opere *de titulo Papæ pag.* 21. *ſq. Bibl. Pontif. Roccab. t.* I. Joſephus Simonius Aſſemanus *Bibl. Orient. tom.* I. *pag.* 14. *ſq. edit. Rom. an.* 1719. Johannes Diecmannus edit *diſſertationem de ætate vocis Papæ*.

3 Confer Suidam *ad v.* πάπας & Cangium *Gloſſ. Med. & Infim. Latinit. ad eamdem vocem* Papa.

porum erat, in clericos (1) inferioris ordinis tranſlatum eſt, adeo ut (2) πρωτοπαπᾶς diceretur, qui etſi non erat Epiſcopus, inter presbyteros tamen primas obtineret partes, ceteri autem Clerici, imprimiſque Presbyteri παπαῖ; poſt vero corruptione quadam linguæ, ut nunc etiam uſuvenit, παπάδες (3) appellarentur.

Patres item fuiſſe dictos Epiſcopos (4) certum eſt. Hujus autem rei plurima extant in ſcriptis Patrum, canonibusque ſacrorum Conciliorum loca, quæ ſane recenſeri omnia, propter copiam, multiplicitatemque, non poſſunt.

X.

Et Pater Patrum.

Sunt item, qui Epiſcopos quandoque fuiſſe vocatos *patrum patres* (5) exiſtiment. Quam equidem rem etſi ab aliquibus revocari in controverſiam certo ſcio, tamen non video, cur concedi a noſtris non poſſit. Quinetiam fuerunt

 Epiſco-

1 Diverſo autem modo Græci flectunt vocem, cum Pontificem, & Sacerdotem nominant Papam. Nam Pontificis nomen hoc modo efferunt, ὁ πάπας, Sacerdotis, vel Diaconi &c. παπᾶς. Ita quidem nos Chii ſolemus. Sic etiam animadvertit Goarius in Euchologio. Et πρωτοπαπᾶν quidem dicendum primum Sacerdotem, qui non ſit Epiſcopus, non πρωτοπάπαν, ut eſt ſcriptum apud Balſamonem *in can.* LIX. *pag.* 39. *tom.* I. *Pandect. Canon* Beveregii. Vide Cangium *Gloſs. Media, & Infim. Græcitatis ad verb.* παπᾶς, & πρωτοπαπᾶς.

2 Vide *notat. ſuperior.*

3 Vide not. 1. *hujus pag.* Johannes Mabillonius *in Act. Ss. MM. Mammarii, & alior. MM. Africanor. Analect. edit. Pariſ. an.* 1723. *pag.* 181. *Papa*, ſeu *Papatis* nomen Presbyteris quoque fuiſſe tributum oſtendit. Hoc nomine Græce ὁ παπᾶς appellatur Antonius Presbyter *in Actis Ss. Juliani, & Baſiliſſæ in vetuſtiſſimo Lectionario Luxovienſi*. Vide Ruinartium *ibid. in Act. s. Theodoti pag.* 304. In iiſdem Theodoti Actis, *ibid. Fronto Presbyter* vocatur *Papa*.

4 Hieronymus *ep.* 39. *al.* LXII. *ad Theoph. p.* 339. *t.* IV. *opp. edit. Pariſ. Monach. s. Mauri.* „ Epiſcopi contenti ſint honore ſuo: *Patres* ſe ſciant eſſe, non Dominos „. Et *epiſt.* 34. *al.* III. *ad Nepot. pag.* 269. „ Quanto magis tu & Avunculus, & Epiſcopus: hoc eſt & in carne, & in ſpiritu *Pater* „. Patrem ſacrorum appellat Tertullianus *Apologet. cap.* VIII. *pag.* 9. *edit. Veneta an.* 1748. & *lib.* I. *ad Nationes cap.* VII. *pag.* 45. Hinc illud de *Patrum* ſtatutis, quod veteres ſæpe adhibebant, quodque ſignificabat ſtatuta Epiſcoporum. Negari tamen non poteſt, quin Præpoſiti Monaſteriis *Patres* item quandoque appellarentur.

5 Minus hoc fuit in uſu. Interdum Paulo tributum eſt. Auctor *quæſtion. ad Orthod. inter opera Juſtini Martyr. q.* CIX. *pag.* 629. ὁ μακάριος ἀπόστολος ὁ τῶν πατέρων πατὴρ. *Beatus Apoſtolus Patrum Pater*. S. Johannem Chryſoſtomum eodem nomine appellavit Theodoſius, ut ſcribit Nicephorus *l.* XIV. *c.* XLII. *p.* 537. *ed.* 1630. Ceteris Epiſcopis quoque adſcripſit Balſamon *Interrog. Marci apud Leuncl. t.* I. *lib.* V. *pag.* 362. *edit. an.* 1596.

Epiſcopi quidam ſingulari virtute præditi, qui etſi primas; Apoſtolicaſque Sedes non occupabant, quoniam tamen rem bene geſſerant, Catholicæque Eccleſiæ magnas attulerant utilitates, Patres fuerunt appellati Epiſcoporum. In his Oſius Epiſcopus Cordubenſis fuit, quem Athanaſius πατέρα τῶν ἐπισκόπων (1) vocat in Hiſtoria Arianorum ad Monachos. Cur autem Epiſcopi Patres dici ſolerent Patrum, ea fuiſſe cauſſa videtur, quod Presbyteros, Epiſcopoſque conſecrarent, quibus eſt a Majoribus impoſitum nomen (2) Patrum. Atque Presbyteros fuiſſe interdum vocatos (3) Patres tam eſt explicatum, ut qui neget, haud equidem intelligam, cur non idem, lucere in meridie Solem, negare poſſit.

X I.

Et Judices. Epiſcopatus Dignitas Sacerdotium interdum a Majoribus appellabatur.

Judices(4) quoque Eccleſiarum vocati interdum Epiſcopi fuerunt, propterea quod de rebus, quæ ad Eccleſiæ adminiſtrationem, pacem, utilitatemque ſpectant, ſententiam, ut judices, ferrent. Atque hujus quidem appellationis ſingulare apud Optatum Milevitanum in libris adverſus Parmenianum Donatiſtam exemplum extat.

Jam vero ut Epiſcopi *Sacerdotes*, ſed primi ordinis, appellabantur, quod paullo ante animadverſum eſt, ita *dignitas* eorum a Patribus dicta ſæpe *Sacerdotium* (5) fuit. Quam-

1 *Tom.* I. *opp. pag.* 373. *edit. Montfauconi* Pariſ. *num.* 46.

2 *S. Epiph. Hæreſi* LXXV. *quæ eſt Aerianorum num.* IV. *pag.* 908. *edit.* Pariſ. Petavii *tom.* I. *opp.* ἡ μὲν γάρ ἐστι πατέρων γεννητικὴ τάξις, πατέρας γὰρ γεννᾷ τῇ ἐκκλησίᾳ. „ Qui quidem eſt ordo ad gignendos Patres. Patres enim gignit Eccleſiæ.

3 παπᾶς enim idem eſt atque Pater, ut paullo ante vidimus. Acta s. Martyris Theodoti, hæc Frontoni Presbytero dicta a Theodoto martyre fuerunt. „ Noſtrum eſt ſollicitius „ agere, ſeu potius Dei reliquias ſibi ſubminiſtrare: tuum vero præparare diligenter „ ædem ſacram. Quapropter obſecro PATER, ne cuncteris in opere &c. „

4 Confer Optatum *lib.* III. *pag.* 85. *ſeq. edit. ejuſd.*

5 Confer Euſebium *lib.* X. *Hiſt. Eccl. cap.* IV. *pag.* 465. *ſeqq. edit. Cantabrig.* & e novis *Pearſonum vindiciar. par.* II. *cap.* XII. *pag.* 414. *tom.* II. *par.* II. *Apoſtolicor.* PP. *edit. Amſtelod. an.* 1724. De Sacerdotii voce vide Rufinum *lib.* II. *hiſt. cap.* 21. *pag.* 241. *edit.* Pariſ. *an.* 1580. & S. Cyprianum *epiſt.* LIV. *pag.* 105. *edit. Oxon.*

Quamobrem Euſebius in Hiſtoria, & Rufinus interpres eam plerumque dicendi rationem adhibuerunt.

XII.

Epiſcopi appellati Reverendiſſimi, Sanctiſſimi, Beatiſſimi; & cum ad eos ſcriberetur, tituli eiſdem Sanctitatis, & Beatitudinis, & Venerabilitatis, tributi ſunt.

Invaluerat præterea apud majores noſtros conſuetudo *Reverendiſſimos* (1) appellandi eos, qui *Epiſcopatu* potiti eſſent. Cujus quidem appellationis in Synodis præſertim exempla reperiuntur permulta.

Nonnumquam etiam *Sanctiſſimi* (2), & *Beatiſſimi* (3) ſunt vocati, quod ex Synodis quibuſdam liquet. Itaque & *Beatitudinis* (4) eiſdem, & *Sanctitatis* (5) tituli tributi ſunt, fueruntque etiam e Pontificibus Maximis, qui cum ad Epiſcopos ſcriberent, hac ipſos compellandi ratione uterentur (6).

Venerabilitatis (7) quoque vocabulum uſurpatum quandoque fuit, cum honorare Epiſcopos noſtri vellent, quod cum multis aliis exemplis, tum maxime Nicolai I. Pontificis

1 Concilium Toletanum XII. *an.* 681. *tom.* III. *Concilior. edit. Hard. pag.* 1716. „ Re-„ *verendiſſimi* Patres, *& honorabiles* miniſteriorum cæleſtium Sacerdotes „. Mitto loca cetera, ne ſim longus.

2 Conſtantinus Imperator *epiſt. ad Epiſcopos contra Donatiſtas tom.* I. *Concilior. edit. Hard. pag.* 268. „ Certo jam neque dici, neque enumerari poſſunt ea, quæ cæleſti ſua in „ me famulum ſuum benevolentia conceſſit, SANCTISSIMI Antiſtites Chriſti Salvatoris „. In collat. Carthaginienſi *an.* 411. vir *Sanctiſſimus* Petilianus dicitur *tom. eod.* I. *pag.* 1071. Plena ſunt hujuſmodi appellationum Acta *Concilior. Epheſ. & Chalcedonenſis*.

3 Bonif. Carthaginienſis *epiſt. ad Miſſorium tom.* I. *Concilior. edit. Hard. pag.* 1072. Beatiſſimo, & honorabili ſancto fratri, & conſacerdoti ſeni Miſſori Bonifacius. *Et pag.* 1073. „ Domino, & Beatiſſimo, & venerabili Sancto fratri, & conſacerdoti Bonifacio Miſſor „ ſenex primæ Sedis Numidiæ &c.

4 Vide Epiſtolam Nicolai Papæ I. ad Hincmarum Remenſem *tom.* V. *Concilior. edit. Hard. pag.* 640. Eamdem appellationem adhibet Ludovicus Pius Imperator ſcribens ad Archiepiſcopum Burdigalenſem *tom.* IV. *Concilior. edit. ejuſd. pag.* 1176. *& ad Senonenſem pag.* 1178.

5 Confer *epiſt. Nicolai I. P. M. ad Hincmarum Remenſem tom.* V. *Conciliorum edit. Hard. pag.* 248. 249. In Synodo Carthaginienſi II. *an.* 390. *can.* III. *pag.* 951. *tom.* I. *Concilior. ejuſd. edit.* „ Numidius Maxulitano ait: ſi jubet SANCTITAS veſtra &c.

6 Vide Nicolai I. locum mox indicatum.

7 Idem Nicolaus I. *epiſt. ad Hincm. tom. eod. Concilior. pag.* 641.

ſicis Maximi teſtimonio ad Hincmarum Remenſem ſcribentis conſtat.

X I I I.

Dicti quoque Epiſcopi Honorabiles, & θεοφιλέςατοι *Deo amabiliſſimi, &* εὐλαβέςατοι *devotiſſimi, &* θεοσεβέςατοι *Religioſiſſimi, &* εὐσεβέςατοι *piiſſimi fuerunt.*

Honorabiles (1) autem dicti Epiſcopi in Synodis fuerunt, ut etiam Θεοφιλέςατοι (2) quod Deo *amabiliſſimos*, & εὐλαβέςατοι, quod *devotiſſimos* (3), & Θεοσεβέςατοι (4), quod *religioſiſſimos*, & εὐσεβέςατοι (5) quod *piiſſimos* ſignificat. Ex qua re factum eſt, ut Græci, Latinique, cum Epiſcopos alloquerentur, eorum devotionem (6), pietatemque (7) nominarent.

XIV.

1 Vide ſupra *not.* 1. *pag.* 301.

2 Synodus Epheſina *act.* 1 *pag.* 1353. *tom.* 1. *Concilior. edit. Hard.* θεοφιλεστάτων, καὶ ὁσιωτάτων ἐπισκόπων. *Deo Amabiliſſimorum, & Sanctiſſimorum Epiſcoporum &c.*

3 *Ibid. pag.* 356. εὐλαβεστάτου Νεστορίου . . . . . ἐπισκόπου. *Devotiſſimi Neſtorii Epiſcopi*. Sexcenta hujuſmodi reperire in Actis Synodorum licet.

4 ὁ εὐσεβέστατος, καὶ θεοσεβέστατος Κύριλλος. *Piiſſimus & Religioſiſſimus Cyrillus. Syn.* Epheſ. *ibid. pag.* 1356.

5 Vid. *not. ſup.* Concilium Epheſinum *Act.* 1. *p.* 1355. *t.* 1. *Conc. edit. Harduini* ὁ εὐσεβέστατος . . . . . τῆς Ἀλεξανδρείας ἐπίσκοπος Κύριλλος. *Piiſſimus Alexandriæ Epiſcopus Cyrillus. Ibid. pag.* 1360. διὰ τῶν εὐσεβεστάτων . . . . . ἐπισκόπων *per piiſſimos Epiſcopos*. Sed innumerabilia prope ſunt veterum Synodorum loca, in quibus is honoris titulus Epiſcopis tribuitur, quæ omnia deſeribere longum, ac inutile opus eſſet.

6 Vide Acta Synodi Conſtantinopolitanæ ſub Mena *an.* 536. *pag.* 1256. *tom.* 1I. τὴν σὴν παραινοῦντες εὐλάβειαν *tuam monentes devotionem*.

7 S. Baſilius *epiſt.* cxc. *ad Amphilochium Epiſcopum Iconii pag.* 283. *tom.* 1II. *opp. edit. an.* 1730. *Monach. s. Mauri*. ὡς ἐκέλευσεν ἡ θεοσέβειά σου. *Ut præcepit pietas tua.* Non me latet adhibita a Patribus alia generis ejuſdem epitheta fuiſſe, ſed quoniam aut eodem, quo hæc pertinent, recidunt, aut minus in uſu, rariſſimaque fuerunt, prætermittenda putavi.

X I V.

Et minus proprie interdum Patriarchæ.

Patriarchas item fuiſſe aliquando dictos Epiſcopos, qui primas ſedes minime occuparent, ab iis, qui orationes rhetorum more habebant, certum eſt: quamquam non eo ſenſu, quo vox Patriarchæ quinto primum ſeculo adhiberi cœpit, iiſque tribui, qui metropolibus quibuſdam præſiderent. Itaque Gregorius (1) Nazianzenus in ea oratione, quam de Gregorio Nazianzeno patre ſcripſit, eum *Patriarcham* appellat, etſi Nazianzi Eccleſiam obtineret, quæ Metropolitæ Cæſareæ Cappadociæ parebat. Eadem voce utitur Nazianzenus Theologus aliis in locis, ejuſque exemplum eſt alter Gregorius Baſilii frater, quem Nyſſenum (2) dicimus, imitatus. Animadverſum autem a Petro de Marca (3) eſt, ab Gothis ſuos Epiſcopos fuiſſe appellatos nomine Patriarcharum.

XV.

1 Gregorius Nazianzenus *orat.* XIX. *pag.* 312. ἐχρῶντο πατριάρχῃ, καὶ νομοθέτῃ „ Eo „ *patriarcha*, & legiſlatore utebantur „. *Orat.* XLII. *pag.* 525. οὐ πρεσβυτέρων, ἐπισκόπων, οἰκτιότερον δὲ πατριαρχῶν εἴπειν σφαγὰς δημοσίας (πεπόνθαμεν) „ Annon „ publicas ſenum, Epiſcoporum, aut ut aptiore verbo utar, *Patriarcharum cædes paſſi* „ *ſumus? Orat.* XLI. *pag.* 675. ὁ σεμνὸς Ἀβραὰμ οὗτος ὁ πατριάρχης. Loquitur autem de Patre ſuo. Venerandus hic Abraam *Patriarcha* &c. Et Cygn. *Carm. de Epiſcopis tom.* II. *pag.* 308. *edit. ejuſd. an.* 1690. Epiſcopos alloquens. „ Valete, *inquit*, inſolen„ tes eſtote *Patriarchatus* & ſortes inter vos diſtribuite „.

2 Gregorius Nyſſenus *orat de Funere Meletii tom.* III. *pag.* 589. *edit. Pariſ.* ὁρᾶτε τοὺς πατριάρχας τούτους πάντες οὗτοι τέκνα τοῦ ἡμετέρου εἰσὶν Ἰακώβ. Videte hos Patriarchas. Omnes hi filii ſunt noſtri Jacob.

3 *Petrus de Marca diſſert. de Primatibus pag.* 21. *poſt libros de Concord. Sacerd. & Imperii edit. Francoford. an.* 1708. *num.* XX. „ Dictus eſt Patriarcha (Aquilejenſis) eo quod Reges Gothorum Italici Regni Epiſcopos Patriarcharum nomine ornarent, quemadmodum teſtatur Epiſtola Athalarici Regis ad Johannem Papam apud Caſſiodorum *lib.* IX. *Epiſtolarum* „. At obſcurior, mea quidem ſententia, *epiſt.* XV. *ad Johannem Papam p.* 148. *edit. Rothomag. Garetii an.* 1679. eſt, quam ut inde colligi poſſit, *Patriarcharum* nomine omnes Epiſcopos fuiſſe ab Gothis appellatos. Præcipuos Epiſcopos fuiſſe a Barbaris illis vocatos Patriarchas, oſtendit Bernardus Rubeus Ord. Præd. vir doctiſſimus *Mon. Eccl. Aquilejenſis cap.* XL. *pag.* 346. *ſeq. edit. Argentin. an.* 1740. Exſtant apud Collectores Inſcriptionum epigrammata quædam, ex quibus honorum tituli, qui ad 9. uſque ſeculum Epiſcopis tribuebantur, intelligi poſſunt. Murator. *Theſaur. Inſcript. tom.* IV. *pag.* 1823. refert duas, in quarum altera *Pontifex*, in altera *Papa* Archiepiſcopus Ravennas appellatur. *Pag.* 1828. Anſelberti Epiſcopi Vercellenſis inſcriptionem ſepulcralem deſcribit, in

qua

X V.

Et Vicarii Chriſti.

Eſt autem auctor Ignatius (1) Martyr in genuinis Epiſtolis, Epiſcopos vices, locumque Chriſti in terris obtinere. Non diſcrepat ab Ignátio Cyprianus Carthaginienſis (2) Epiſcopus, qui ad Cornelium Pontificem Maximum ſcribens, Antiſtitem Eccleſiæ Sacerdotem vocat, qui vere Chriſti vice munere fungatur. Hoc idem (3) Baſilio placuit, & Auctori quæſtionum in vetus, & novum Teſtamentum, quæ nomine olim Auguſtini circumferebantur. Atque is auctor (4) diſertis verbis Epiſcopos quoſque *vicarios* Chriſti appellat. Verumtamen quamquam dici id quidem utrumque poſſit, ſi Epiſcopi, ut ſunt quique, Presbyteris ſuperiores conſiderentur, quos Presbyteros, quaſi locum teneant Apoſtolorum, honorari oportere a plebe Ignatius ſtatuit; tamen negari nequit, quin proprie Romano Pontifici hoc genus appellationis ſit tribuendum, qui caput eſt *viſibile* univerſæ Eccleſiæ, neque ſolum Epiſcopis, ſed etiam Metropolitis, & Patriarchis omnibus jure præeſt (5).

XVI.

qua is Antiſtes, qui vixit anno circiter 754. *Sacerdos* dicitur. *Pag.* 1886. refert inſcriptiones duas s. Honorati Epiſcopi Vercellenſis, qui cum s. Ambroſio Epiſcopo Mediolanenſi vixit, in quibus idem vir ſanctus *Antiſtes* vocatur. Multa ejuſmodi monumenta reperire licet in Hiſtoriis Eccleſiarum, quas ſuo loco indicabimus.

1 *Epiſt. ad Trallianos num.* 1I. *pag.* 22. *tom* 1I. *Apoſtolicor. PP. edit. an.* 1724.

2 *Epiſt.* LXIII. *pag.* 155. *edit. Oxon.* Et *epiſt.* LIX. *al.* LV. *pag.* 129. „ Neque enim „ aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata, quam inde, quod Sacerdoti Dei „ non obtemperatur, nec unus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus JUDEX VICE „ CHRISTI cogitatur „. Sed de hoc loco alias. Oſtendam enim, cum tempus monuerit, in unum ne Pontificem Maximum cadat, an in omnes Epiſcopos etiam.

3 S. Baſilius *Conſtit. Monach. cap.* XXII. *pag* 573. *tom.* 1I. *edit. Monach. s. Mauri Pariſ.* „ Nihil aliud Antiſtes, *inquit*, quam ὁ τοῦ σωτῆρος ἐπέχων πρόσωπον. *Salvatoris perſonam ſuſtinens*. Ambroſiaſter *Comment. in* 1. *epiſt. ad Corinth. cap.* XI. *v.* 10. *tom.* 1I. *opp. s. Ambroſii edit. Monach. s. Mauri pag.* 148. *in Append.* „ Epiſcopus perſonam habet „ Chriſti . . . . . *Vicarius Domini* eſt „. Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum *lib.* 1I. *cap.* XXVI. *pag.* 241. *tom.* 1. *Apoſtolicor. PP. edit. ann.* 1724. „ Hic vobis poſt Deum ἐπίγειος θεὸς *terrenus Deus*, cui honorem debetis præſtare „.

4 Auctor *quæſt. in Vet. & Nov. Teſt. Qu.* CXXVII. *tom.* III. *opp. s. Aug. in Append. pag.* 142. *edit. Pariſ. Monach. s. Mauri.* „ Antiſtitem Dei puriorem ceteris eſſe oportet . . . . . ejus enim *vicarius* eſt „.

5 De hac re agam, ubi de *Titulis honorum Pontificis Maximi* diſſeram.

XVI.

Et Angeli Eccleſiæ.

Sunt autem Scriptores (1) iique jam & veteres, & doctrinæ laude illuſtres, qui in Epiſtola ad Corinthios (2) prima *Angelorum* nomine fuiſſe Epiſcopos indicatos putent. Ac Johannem profecto (3) Angelos appellaſſe Epiſcopos ſeptem Aſiæ Eccleſiarum in Apocalypſi, tam eſt manifeſtum, ut ne a Proteſtantibus (4) quidem, quos ſingulari eruditionis laude claruiſſe ferunt, revocari potuerit in controverſiam. Itaque Socrates (5) Serapionem Thmuitarum Epiſcopum *Angelum*, Johannis exemplum imitatus, vocavit. Henricus Hammondus (6) homo de ſecta Epiſcopalium, incidiſſe, ſcribit, in Codicem MS. Saxonicum ſe, ex quo *Epiſcopos* ab Saxonibus Anglis *Bydels* hoc, eſt *Dei Nuncios*, & miniſtros fuiſſe appellatos cognovit. Atquæ hæc de nominibus, tituliſque honorum, quibus Epiſcopi gauderent, dicta ſunto. Sed de Epiſcopis an *Angelorum* nomine vocarentur, erit poſt inſtituendus ſermo, ubi de eorum auctoritate differemus.

1 Ambroſiaſter *ibid.* „ Angelos *Epiſcopos* dicit, ſicut docetur in Apocalypſi Johannis „. s. Auguſtinus *epiſt.* 43. *al.* CLXII *pag.* 99. *tom.* II. *opp. edit. Monachor. s. Mauri* „ Divina voce laudatur ſub Angeli nomine præpoſitus Eccleſiæ „.

2 S. Paulus 1. *ad Cor. cap.* XI. *v.* 10.

3 S. *Johann. Apocalypſ. cap.* 1. *v.* 20. *ſeqq.* S. Epiphanius *Hæreſ.* XXV. quæ eſt *Nicolaitar. num.* III. *pag.* 77. *edit. Pariſ. Petav.* „ Qui, *Johannes*, ad unam Eccleſiarum ex Chriſti Domini perſona ſcribens, ſive ad Epiſcopum, qui ei Præpoſitus fuerat, cum Angeli Sancti virtute, qui in altare erat, ita loquitur &c. Origenes *Homil.* XIV. *in Numeros tom.* II. *opp. edit. Venetiis ann.* 1743. *pag.* 242. „ Opus eſt Angelis, qui præſint operibus Sanctis, qui æternæ lucis intellectum, & occultorum Dei agnitionem, ac rerum divinarum ſcientiam doceant „.

4 Ut ceteros mittam, Chriſtophorus Cellarius in *Diſſert.* quam *de* VII. *Eccl. Aſiæ* ſcripſit, vulgavitque. Vide quæ dixi *tom.* II. *pag.* 134. *hujus operis.*

5 Socrates *lib.* IV. *Hiſt. cap.* XXIII. *pag.* 241. *edit. Cantabrig.* „ Thmuitarum Eccleſiæ ἄγγελος Serapion.

6 Hammondus *adnot. in Apocalypſ.* 1. *v.* 20. *pag.* 445. *Comment. in Nov. Teſt. edit. Clerici an.* 1698. „ Angeli hic ſunt, ſine dubio, rectores ſeptem illarum Eccleſiarum „. De hac item re agit Binghamus *lib.* II. *cap.* II. §. XI. *pag.* 82. *& ſeq. tom.* 1. *Orig. & Antiquit. Eccleſiaſticar.*

X V I I.

Paſtores item ſunt Epiſcopi appellati, & Præſules. Quid ſignificet Epiſcopi nomen, & quamobrem hoc potiſſimum hæſerit Antiſtitibus Eccleſiarum.

Paſtorum quoque appellatio jam uſque ab antiquiſſimis temporibus tributa Epiſcopis (1) fuit. Ac ii quidem, quos Paulus datos a Spiritu Sancto Eccleſiæ *Paſtores*, ſcribit, iidem atque Epiſcopi fuerunt. Itaque ex Apoſtolorum ætate vox *Paſtorum* in poſteriora ſecula (2) manavit, ita ut non ſolum a majoribus noſtris in Hiſtoriis, libriſque Eccleſiaſticis, ſed etiam in monumentis Inſcriptionum (3), quæ

1 Vide *ſupra pag.* 264. *not.* 1. Confer Theodoritum in hunc locum Pauli. *Summus* autem *Paſtor* eſt Chriſtus. Itaque s. Petrus *epiſt.* 1. *cap.* V. *v.* 1. *ſeqq.* de Præpoſitis Eccleſiæ agens „ Seniores ergo, *inquit*, qui in vobis ſunt, obſecro conſenior, & teſtis Chriſti paſſionum, qui & ejus, quæ in futuro revelanda eſt gloriæ communicator: Paſcite, qui in vobis eſt gregem Dei, providentes non coacte, ſed ſpontanee ſecundum Deum, neque turpis lucri gratia, ſed voluntarie; neque ut dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo. Et cum apparuerit PRINCEPS PASTORUM percipiatis immarceſſibilem gloriæ coronam „.

2 Tertullianus *lib. de Corona Militis cap.* 1. *pag.* 101. *edit. Veneta an.* 1748. de Epiſcopis Catholicis loquens, quos Montaniſta ſuo more carpit: *Novi & Paſtores eorum*, „ inquit, *in pace leones, in prælio cervos* „. S. Cyprianus *epiſt.* VIII. *pag.* 17. *edit. Oxon.* „ Nolumus ergo, FRATRES dilectiſſimi, vos mercenarios inveniri, ſed bonos *paſtores* &c. Utque ceteros prætermittam, Euſebius *lib.* VII. *Hiſt. Eccl. cap.* III. *pag.* 323. *edit. Cantabrigienſis*: „ Primus omnium Cyprianus Parœciæ, quæ Carthagine eſt ποιμὴν, *Paſtor &c.*

3 In Honorati Epiſcopi Vercellenſis Epitaphio, quod deſcripſit Hughellus *tom.* IV. *Italiæ ſacræ*, exque eo accepit Muratorius, inſeruitque *tom.* IV. *Theſaur. Inſcript. p.* 1886. ſic legitur.

PONTIFICIS SANCTI CINERES TENET HONORATI
ARCA HOMINIS VILIS QVÆ MANET INGENIO
HVNC SANCTVM DOCVIT NVTRIVIT PASTOR ALVMNVS
EGREGIVS MARTYR PRÆSVL ET EVSEBIVS
EXILII POENAS ET CARCERES ISTE SVBIVIT
DISCIPVLVS CARVS ET SOCIVS PARITER
AMBO FIDE DIGNI MERITIS ET NOMINE FRATRES
CVM CHRISTO JVNCTI PRÆMIA SVMMA TENENT.

Cujus hoc monumentum ætatis ſit neſcio. Recens certe adeo non eſt, ut 8. ſeculo non ſit vetuſtius. Honoratum s. Ambroſii Mediolanenſis amicum fuiſſe, ſupra diximus.

quæ ſepulcris, aliiſque locis imponi ſolerent, memoriæ cauſſa, qui Eccleſiis Præfecti eſſent, *Paſtores* appellarentur.

Jam vero cum præſint iidem, ut modo diximus, in Eccleſia, mirabile non eſt, ſi *Præſules* (1) etiam ſint a Patribus plerumque vocati, quorum ad nos opera pervenerunt. Nam ſi ἡγούμενοι (2), hoc eſt *Duces*, & *Principes* dicti ſunt, nulla erat ratio, cur non item Præſules vocarentur.

Deſcendo nunc ad nomen, notionemque Epiſcoporum. Ac negari profecto non poteſt, quin apud Græcos variæ ſignificationes hujuſce vocis, interque ſe diſcrepantes eſſent ante ætatem Apoſtolorum. Fuerunt enim, qui (3) τὸν κατάσκοπον, ſeu *exploratorem*, alii qui *defenſorem*, alii qui certum quemdam apud Athenienſes magiſtratum *Epiſcopum* appellarent. Sed Apoſtolorum longe diverſa ratio fuit. Nam eos Epiſcoporum indicabant nomine, quos ſolemni ordinatione Eccleſiæ cuipiam præpoſuiſſent. Atque horum ſcilicet munus eſſe ſpiritus Sancti inſtinctu, Chriſtique voluntate inſtitu-

1 Præſulum nomen in uſu apud majores noſtros fuit. Itaque communia ſunt hujuſce generis monumenta, neque propterea neceſſe eſt, ut a nobis recenſeantur. Hoc alterum afferam Honorati Vercellenſis Epiſcopi monumentum, quod a Montfaucono accepit Muratorius, ibidemque retulit.

TERTIVS HANC VRBIS SEDEM TENVIT HONORATVS
ANTISTES CVJVS SPIRITVS ASTRA TENET
EVSEBIVS PRÆSVL PRIMVS QVI MARTYR ALVMNVS
CÆLORVM POSTQVAM REGNA BEATA PETIT
HIC PATER ECCLESIAM DOCVIT, HANC DOGMATE CERTO
SERMONES COMPLENS ACTIBVS IPSE SVO
TERRIS AC CÆLO CONSPICVVS VBIQVE MAGISTRO
EVSEBIO CONSORS HIC HONORATVS ADEST.

2 Vide ſupra *p.294. not. 3. & p. ead.not.4. hujus vol.* Origenes *Comment. in Matth. pag.420. tom.1. opp. edit. Huetii an.1668.* ,, ὁ δὲ ἡγούμενος, οὕτω δὲ οἶμαι ὀνομάζειν τὸν καλούμενον ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ἐπίσκοπον ,, Dux vero, *ſive Princeps*, ſic enim eum ,, appellare exiſtimo, qui in Eccleſiis Epiſcopus vocatur.

3 Ego vero pluribus ad hanc rem demonſtrandam opus non eſſe cenſeo. Euſtathius in *Iliad. K.* ait ἐπίσκοπον dictum interdum κατάσκοπον *exploratorem*. *Iliad. Ω. v.742.* ut dicatur defenſor, dicitur ἐπίσκοπος Trojæ. De *Epiſcopo* Magiſtratu Athenienſium confer Suidam ad hanc vocem, Paſſardum de republ. Athenienſium *cap.* xxxv. Multa in hanc rem animadvertunt, qui Epiſtolas Ignatii Martyris illuſtrarunt. Eos lector conſulat, ſi licet.

ſtitutum veteres dixerunt, ut doctrina erudiant eos, qui crediti eorum fidei ſunt, ut pro iiſdem offerant, ut ipſos regant, moderentur, inducantque ad colendam virtutem, & pietatem. Quod ſi quemquam hominum Chriſtianorum, qui in eadem Eccleſia verſetur, minus recte agere animadvertant, hunc orent, obſecrent, obteſtentur, ut pertinacia deſiſtat; renuentem parere, corripiant, ac ſi opus eſt, iis pœnis afficiant, quibus uti Eccleſia & ſolet, & poteſt; tandemque, ſi nihil ſe proficere intelligant, exterminandum ex Eccleſiæ finibus curent, ne aliquorum culpa, grex omnis Eccleſiæ detrimentum capiat (1).

Si quis autem ex me quærat, quamobrem, miſſis ceteris vocabulis, quibus Epiſcopos appellatos olim fuiſſe dictum eſt, hæc una imprimis in Eccleſia obtinuerit, ita ut vix aliquando reliquæ uſurpentur; is ſic habeat. Chriſtianos, cum in ſacris novi Teſtamenti litteris legerent, Epiſcopos ſæpe vocari eos, qui præfecti Eccleſiis fuiſſent, deſcribique virtutes, quibus ornati deberent eſſe, aptum id vocabulum cenſuiſſe, quod unum omnium maxime adhiberetur. Ergo Ignatius, Polycarpus, aliique diſcipuli Apoſtolorum, Magiſtros imitati, Antiſtites Eccleſiarum Epiſcopos nominarunt. Hoc idem Polycarpi auditores fecerunt, quique ſe iis, qui ab Apoſtolis doctrinam acceperant, tradiderunt in diſciplinam, quorum ſtudia æmulati, qui deinceps vixerunt, Patres idem appellationis genus in noſtra uſque tempora derivarunt.

XVIII.

1 Oſtenſum id quidem ſupra multis locis eſt, oſtendeturque poſt diligenter.

XVIII.

Epiſcopi cum alios Epiſcopos alloquerentur, ad eoſve ſcriberent, Coepiſcopos, Collegas, fratres, comminiſtros, conſacerdotes vocabant.

Epiſcopi autem, quum collegas alloquerentur, ad eoſve epiſtolas darent, vel de Epiſcopis ipſis ad alium quemquam ſcriberent, *coepiſcopos* (1) eoſdem vocabant.

Cumque Eccleſiam ut rempublicam quamdam ſapienter a Chriſto fundatam, inſtitutamque contemplarentur, in qua Epiſcopi veluti Senatorum tenerent locum, eoſdem Epiſcopos *collegas* dicere conſueſcebant (2).

Præceptum autem a Chriſto fuerat, ut omnes Chriſtiani mutuo ſeſe diligerent, ſi ejus diſcipuli videri, & eſſe vellent. Itaque qui dignitate præcellebant, ii ſeſe mutuo appellabant *fratres*, addito perſæpe epitheto (3) *dilectiſſimi*, cum ceteros, qui in inferiore gradu collocati eſſent, *filios* nominarent. Quamquam negari non poteſt, invaluiſſe aliquando eam conſuetudinem, ut Presbyteri (4) ab Epiſcopis *fratres* appellarentur.

Jam vero ita Epiſcopi in Eccleſiis principatum obtinent, ut quemadmodum dictum a Chriſto eſt, cum primi ſint, eſſe labore, ſtudio, amore, diligentia, exemplo, rebuſque geſtis miniſtri videantur inferiorum. Itaque miniſtri cum ſint, collegas ſæpe *comminiſtros* (5) dicere ſolebant. Sed

1 Vide epiſtolam XXII. *Caleſtini Papæ ad Sanctam Synodum apud Epheſum conſtitutam apud Coutantium tom.* 1. *Collect. Epiſt. Rom. Pontif. pag.* 1198. *num.* 4. ubi „ Scimus quo itinere Sanctus, & *Coepiſcopus* noſter Maximianus, quibus gradatim ſtipendiis „ ad faſtigium Sacerdotale pervenit „. Similia reperire etiam in antiquioribus licet, quæ lubens prætereo, ne ſim longus. Vide S. Cypr. *epiſt.* LV. *pag.* 101. *edit. Oxon.*

2 S. Cyprianus *epiſt.* LV. *ad Antonianum pag.* 103. *edit. Oxon.* „ Perſonam Cornelii *Collegæ* noſtri.

3 Plenæ ſunt hujuſmodi dictionum Epiſtolæ Ss. Cornelii, Cypriani, aliorumque veterum Epiſcoporum, & Pontificum Maximorum. Quamobrem non eſt neceſſe, ut huc eſſe eorum dicta transferenda putem, cum trita omnium ſermone eſſe, certo ſciam.

4 Vide *tom* 1. *Concilior. edit. Har. pag.* 1011.

5 *S. Hilar. Fragm.* 1. *Operis Hiſt. pag.* 1282. *edit. opp. Pariſ. Monachor. s. Mauri. Synod. Epheſ.*

Sed quoniam *Sacerdotes*, eoſque jam primi ordinis, Epiſcopos eſſe, & vocari olim conſueviſſe demonſtratum ſupra eſt; mirum profecto videri non debet, ſi cum ad alios, qui eadem præditi dignitate eſſent, litteras darent, conſacerdotes (1) eos nominandos arbitrarentur.

Animadvertendum vero eſt, aliquas earum appellationum, quas hactenus deſcripſimus, non ita fuiſſe proprias Epiſcoporum, ut in eos, qui in inferiore quopiam ordine conſtituti erant, cadere nullo modo poſſent. Nam Presbyteros *Sacerdotes* eſſe, quis umquam fuit veterum, qui negaret? Horum enim temporum hæreticos, qui (cum ab Eccleſia Catholica defecerint) negent, quoniam cum omni vetuſtate pugnant, nihil moror. *Miniſtros* præterea (2), & Presbyteros, & Diaconos,

Epheſ. Act. 1. *pag.* 1360. *tom.* 1. *Concilior. edit. Hard.* διαβαιούντων δηλαδὴ Ἀνυσίου ἐπισκόπου Θηβῶν τῆς Ἑλλάδος, καὶ Μέμνονος ἐπισκόπου τῆς αὐτῆς Ἑλλάδος, καὶ Ἰωάννου ἐπισκόπου Ἡφαιστοῦ τῆς Αὐγουσταμνικῆς .... τῶν θεοσεβεστάτων συλλειτουργῶν &c. „ Conferentibus ſe „ rurium eodem Anyſio Epiſcopo Thebarum Helladis, & Memnone Epiſcopo ejuſdem Helladis, & Johanne Epiſcopo Hephaſti Auguſtamnicæ ...... religioſiſſimis *comminiſtris &c.* Et *pag.* 1361. *ſeq.* οἱ ἁγιώτατοι, καὶ θεοφιλέστατοι ἀδελφοὶ καὶ συλλειτουργοὶ *Sanctiſſimi*, & *religioſiſſimi fratres*, & *comminiſtri*. Atque hæc de *comminiſtrorum* vocabulo ſatis dicta ſunto.

1 Conſule s. Cyprianum *epiſt.* III. *ad Rogatianum pag.* 5. Et *epiſt.* XLIV. *pag.* 85. ubi Epiſcopus Pompejum, & Stephanum *Collegas* vocat. Et *epiſt.* XLV. *pag.* 86. *ſeqq.* ubi *Sacerdotes*, & *Collegas* Antiſtites ſacrorum appellat, & *epiſt.* XLVIII. *pag.* 90. *ſeq.* Et *epiſt.* LV. *pag.* 103. „ Venio jam nunc frater cariſſime ad perſonam Cornelii *Collegæ* noſtri, ut Cornelium nobiſcum verius noveris, non de malignorum, & detrahentium mendacio, ſed de „ Domini Dei judicio, qui Epiſcopum fecit, & *Coepiſcoporum teſtimonio*, quorum numerus univerſus per totum mundum concordi unanimitate conſenſit. Nam quod Cornelium „ cariſſimum noſtrum Deo, & Chriſto, & Eccleſiæ ejus, item *Conſacerdotibus* cunctis „ laudabili prædicatione commendat, non ille ad Epiſcopatum ſubito pervenit, ſed per „ omnia Eccleſiaſtica officia promotus & in divinis adminiſtrationibus Dominum ſæpe promeritus ad SACERDOTII ſublime faſtigium cunctis religionis gradibus aſcendit „. S. Innocentius I. *epiſt.* II. *ad Victricium Rotomagenſem num.* 1. *pag.* 746. *tom.* 1. *epiſt. Rom. Pontif. edit. Coutantii*. „ Etſi tibi frater cariſſime, pro merito, & honore *Sacerdotii*, quo „ plurimum polles &c. „ *Et pag.* 747. „ Erit dilectionis tuæ per plebes finitimas, & *Conſacerdotes* noſtros, qui in illis regionibus propriis Eccleſiis præſident, regularum hunc „ librum, quaſi didaſcalicum ..... ſedulo inſinuare „.

2 Epiſcopi Presbyteros *Compresbyteros* appellabant. S. Cyprianus *epiſt.* XLV. *pag.* 87. „ Et idcirco frater cariſſime cum ad me talia de te, & de *compresbyteris* tecum confidentibus &c. „ *Et epiſt.* LV. *pag.* 101. „ Sed enim ſupervenerunt poſtmodum aliæ litteræ tuæ „ per Quintum Compresbyterum miſſæ &c. „. Quod paullo ante dixi, ſolos presbyteros fuiſſe ab Epiſcopis fratres appellatos, Diaconos autem, inferiorumque ordinum Clericos non item, non ſic eſſe intelligendum volo, ut numquam ab aliquo Epiſcopo Diaconos fuiſſe fratres vocatos putem. Nam Cyprianus hoc ſæpe in litteris, quas ad Presbyteros, & Diaconos dedit, facere conſueverat; ſed quod id invaluiſſe uſu non exiſtimem, ut cum auctoritate Epiſcopali loquerentur, hanc adhiberent loquendi rationem. Ceterum Cyprianus Confeſſores etiam, ceteroſque Chriſtianos fratres vocat, ita ut a Paulo in Epiſtolis vocabantur primorum temporum Chriſtiani.

conos, & ceteros, qui inferioribus ordinibus initiati eſſent, fuiſſe olim appellatos, & etiamnum appellari conſtat. Jam vero in primum alicujus Baſilicæ Presbyterum, inque eos, qui monaſteriis præfecti eſſent, nemini dubium eſt, quin cadere *Præpoſitorum*, & *Patrum*, & *Hegumenorum*, & *Præſulum*, & *Paſtorum* appellationes poſſent. Sed de vocabulis hactenus.

§. II.

De Dignitate, & præſtantia Epiſcoporum.

DEſcriptis nominibus, honorumque titulis, quibus appellari, ornarique Epiſcopi conſueverunt, accedam, ita ut mecum conſtitueram, ad eam diſputationis partem, quæ eſt de præſtantia eorum, ac dignitate, oſtendamque quo jure inſtituti ſint, cujuſque auctoritate præfecti fuerint gradui, ac muneribus Presbyterorum. Sed antequam ad rem ipſam veniam, ne quid a me implicate dictum eſſe videatur, hoc principio animadverti volo; ſi Epiſcoporum gradum quandoque *ordinem* appellavero, non eo me conſilio appellaturum, quo illorum ſententiam aut rejiciam, aut non probem, qui Presbyterorum, Epiſcoporumque *ordinem* unum, eumdemque eſſe, Epiſcopoſque a Presbyteris ſola poteſtate, ac juriſdictione diſcrepare putant (1). Quam-

1 Petrus Lombardus *Magiſter ſententiarum* appellatus *lib.* IV. *Sententiarum diſt.* XXIV. *pag.* 419. *tom.* X. *opp. s. Thomæ edit. an.* 1660. numeratis ordinibus ſeptem „ Sunt & alia „ quædam, *inquit*, non ordinum, ſed dignitatum, vel officiorum nomina. Dignitatis ſi„ mul, & officii nomen eſt Epiſcopus „. Albertus Magnus O. P. s. Thomæ Magiſter in eum„ dem *loc. Sententiar.* t. XVI. *opp. edit an.* 1651. *pag.* 556 „ Cum nullus, *inquit*, poſſit eſſe „ actus excellentior, quam conficere corpus Chriſti, nullus poteſt eſſe ordo poſt Sacerdo„ tium, ſed juriſdictionum officia ſunt, quæ enumerat, diſtincta ſuper corpus myſticum, „ cui intendunt taliter officiati; & quoniam conſequuntur, accipiunt gratiam non ad „ ordinem, ſed ad executionem juriſdictionis in Eccleſia, ſi ſint digni, & per hoc patet „ ſolutio objectorum. Quia cum dicitur, quod ordo eſt promotio poteſtatis, non intelli„ gitur de poteſtate juriſdictionis, ſed potius operandi circa Sacramentum Euchariſtiæ „. *S. Thom. in* IV. *ſententiar. d* XXIV. *quæſt.* 1. *Art.* 2. *ad* 2. *q. pag.* 445. *tom. eodem* „ Ordo „ poteſt accipi dupliciter. Uno modo ſecundum quod eſt Sacramentum, & ſic ordinatur „ omnis ordo ad Euchariſtiæ Sacramentum: Unde cum Epiſcopus non habeat poteſtatem „ ſuperiorem ſacerdote, quantum ad hoc, non erit Epiſcopatus ordo. Alio modo conſide„ rari poteſt ordo ſecundum quod eſt officium quoddam reſpectu actionum quarumdam ſa„ crarum,

Quamquam intelligo fuiſſe aliquos (1), eoſque jam e numero Catholicorum, qui tametſi ſeptem eſſe ordines in Synodi Tridentinæ decretis legiſſent, quorum ſit ordinum poſtremus *Presbyteratus*, ſive *Sacerdotium*; tamen *Ordines* eſſe duos, *Presbyteratum*, & *Epiſcopatum*, Conciliique (2) ſententiam explicari commode poſſe arbitrarentur. Ego enim cum inter orthodoxos Theologos ortam eſſe videam hujuſmodi concertationem, eamque componi perfacile poſſe putem; tum, quod ad meum inſtitutum minime interſit, ſatis me lectori facturum exiſtimavi, ſi eamdem paucis explicaſſem, libroſque indicaſſem, ex quibus, quid ſtatuto ſit opus, cognoſceretur. Non aſſentior autem iis, qui *ordinis a poteſtate*, & *juriſdictione* diſtinguendi rationem non ſolum non probant, ſed etiam cum veterum dictis pugnare contendunt (3), idque jam Hieronymi auctoritate efficere conantur. Nam quod Patribus ignotam exiſtimant fuiſſe, falſum eſt. Etſi enim vocabula fortaſſe eadem alio ſenſu Patres uſurpabant,

„ crarum, & ſic cum Epiſcopus habeat poteſtatem in actionibus Hierarchicis, reſpectu cor-
„ poris myſtici, ſupra ſacerdotem, Epiſcopatus erit *Ordo*, non tamen ſecundum quod ordo
„ eſt Sacramentum imprimens characterem; poteſtas enim, quæ datur Epiſcopo, non ha-
„ bet rationem characteris, & propter hoc Epiſcopatus, id eſt Ordo, ſecundum quod ordo,
„ eſt quoddam Sacramentum „. Confer ſanctum Bonaventuram *in* IV. *ſent. diſt.* XXIV. *q.* III. *art.* 2. *tom.* V. *opp. edit. an.* 1596. Hugonem Victorinum *lib.* II. *de Sacram. par.* III. *pag.* 613. *t.* III. *opp. edit. an.* 16.8. Scotum *in* IV. *ſentent. diſt.* XXIV. *q.* 1. *p.* 516. *ſeq t.* IX. *opp. edit. an.* 1639. Alphonſum Toſtatum *in cap.* XVI. *Matth. qu.* LXXIV. *pag.* 289. *edit. ann.* 1615. Dominicum Sotum *in* IV. *ſent. diſt.* XXV. *q.* 1 *pag.* 44. *ſeq. edit. an* 1560. & Gabrielem Vaſqueſium *de Ord. diſp.* CCXL. *pag.* 560. *ſeq. edit. an.* 1620. *tom.* III. *opp.*

1 Iſaacus Habertus Epiſcopus Vabrenſis *in lib. Pontific. Eccl. Græca pag.* 165. *edit. Pariſ. ann.* 1676. „ Pace, *inquit*, dixerim, tot, ac tantorum Magiſtrorum; ſi ut locuti
„ ſunt Patres noſtri, id eſt Eccleſiæ Patres, ita loqui velimus, Epiſcoporum ordinem ab or-
„ dine Presbyterorum diſtingui, ut unitatem ab unitate, fateri debemus, cum Epiſcoporum
„ ordo primus, presbyterorum ordo ſecundus, *ordo Sacerdotum* ſemper habitus, & appel-
„ latus ſit. DE RE JAM NON DISSERO, SED DE LOQUENDI MORE, AD MOREM ECCLESIÆ &c.
Confer Thomaſſinum *lib.* 1. *de vetere*, & *nova Eccleſiæ diſciplina par.* 1. *lib.* 1. *cap.* 1. n. v. *pag.* 2. *edit. Lugdun. an.* 1706. Morinum *de ſacris Ordinat. Exerc.* III. *cap.* 1. *pag.* 31. *ſeqq. ed.* 1655. Juveninum *de Sacr. Ord. diſſ.* IX. *cap.* II. *pag.* 559. *edit. Ven. an.* 1740. Martenium *de Sacris Ritibus lib.* 1. *cap.* VIII. *p.* 258. *t.* II. *edit. an.* 1700. ut Eſtium, Turnelium &c.

2 Concilium Tridentinum *ſeſſ.* XXIII. *cap.* II. *pag.* 136. *tom.* X. *Concilior. edit. Hard.* Nam qui ſic exiſtiment, ut Habertus, & Thomaſſinus, Synodum nihil de controverſiis inter Catholicos ortis definire voluiſſe, Synodique ipſius ſententiam explicari hoc modo poſſe noverant, ut ordinem Sacerdotii in duos rurſum tribui poſſe non repugnarit, quorum alter primus Sacerdotii Ordo, alter ſecundus ſit, illeque Epiſcopatus, hic Presbyteratus vocetur. Adeundus Jacobus Sirmondus *notationibus ad epiſt.* XI. *lib.* IV. *Sidonii Apollinaris pag.* 946. *tom.* 1. *opp. edit. Pariſ.*

3 Binghamus *lib.* II. *Orig.* & *Antiquit. Eccleſiaſt. cap.* 1. §. 1. *pag.* 54. *tom.* 1. *edit. an.* 1724.

pabant, rem tamen (1) ſatis explorate cognitam habebant. De re autem, non de verbis quærendum imprimis eſt, quamvis verba ſi conferant ad rem clarius & proponendam, & explicandam, uſurpanda ſint, ne confuſio, perturbatioque ulla in expendendis, decidendiſque controverſiis oriatur. Neque is ego ſum, qui Hieronymum (2), negem, uſum ad gradus Presbyterorum, Epiſcoporumve ſignificandos *Ordinum* fuiſſe vocabulo. Sed quod ille ſenſu hoc uſurpavit, haud intelligo, cur alio a Theologis adhiberi nequire videatur.

I.

A Chriſto ne, an ab Apoſtolis inſtitutus fuerit in Eccleſia gradus Epiſcoporum?

Sunt autem permulti, iique jam e ſectis Proteſtantium, & fuerunt, qui ab Apoſtolis fuiſſe in Eccleſiam introductum

 Epi-

1 Quis enim eſt Patrum, qui in conſecrando corpore, & ſanguine Domini parem non eſſe auctoritatem Epiſcoporum, & Presbyterorum putet? Atque hoc pacto s. Thomas negat, diverſos eſſe ordines Presbyterorum, & Epiſcoporum. Ceterum facile concedit ordinem item alio ſenſu vocari Epiſcopatum poſſe. Confer locum, quem paullo ante deſcripſi.

2 Binghamus hæc Hieronymi loca adducit *ibid.* „ *lib.* I I. *contra Jovinianum* (*t.* IV. *opp. edit. Martianæi pag.* 220.) „ In veteri teſtamento, & in novo alium ordinem Ponti„ fex tenet, alium Sacerdotes, alium Levitæ „. *Epiſt. ad Ruſticum* (*ibid. pag.* 775.) „ Singuli Eccleſiarum Epiſcopi, ſinguli Archipresbyteri, ſinguli Archidiaconi, & omnis „ ordo Eccleſiaſticus ſuis rectoribus nititur „. Et ad Fabiolam (*p.* 590. *t.* I I.) „ Ipſos ſe„ cundi ordinis intelligimus præceptores, Luca Evangeliſta teſtante, duodecim fuiſſe „ Apoſtolos, & ſeptuaginta diſcipulos minoris gradus „. *Et epiſt.* LXXXVI. *al.* XXVII. *ad Euſtochium pag.* 687. *t.* IV. „ Aderant Hieroſolymorum, & aliarum Urbium Epiſcopi, & Sacerdo„ tum inferioris gradus, & Levitarum innumerabilis multitudo „. *Et epiſt.* ad Heliodorum (*ibid. pag.* 10.) Non minorem in tertio gradu adhibuit diligentiam &c. „ *Et Comment. in Mich. cap.* VII. *pag.* 1549. *tom.* III. „ Non dico; quod iſtiuſmodi gradibus in Eccleſia non „ debeatis eſſe ſubjecti „. Rurſum *lib.* I. *contra Jovinianum* (*pag.* 176. *tom.* IV.) „ Epi„ ſcopus, Presbyter, & Diaconus, non ſunt meritorum nomina, ſed officiorum . . . . ſi „ Diaconus ſanctior Epiſcopo ſuo fuerit, non ex eo, quod inferior gradus eſt, apud Chri„ ſtum deterior eſt „. Sed hæc tam ſunt perſpicua, ut a nemine noſtrum negentur. Sunt enim tam ſimilia religionis Catholicæ decretis, ut nihil ſupra. Neque video, quid inde exculpere contra noſtros Binghamus poſſit. Addere quiverat Optati I. *adverſus Parmenianum libro locum pag.* 14. *edit. an.* 1702. „ Quid commemorem laicos, qui tunc in Ec„ cleſia nulla fuerant dignitate ſuffulti? Quid miniſtros plurimos? Quid Diaconos in ter„ tio? Quid Presbyteros in ſecundo Sacerdotio conſtitutos? Ipſi apices, & Principes om„ nium Epiſcopi &c. „ *Et legem Valentiniani, & Theodoſii Auguſtorum*, in qua agitur de ſecundis Sacerdotibus, & quam laudat Habertus *ibid. pag.* 166. Dionyſiaſtri quoque ſententiam *ex cap.* V. *Eccl. Hierarch. pag.* 361. *edit. an.* 1634. ubi „ illumi nativus, *inquit*, „ Sacerdotum ordo ſub divinorum Pontificum Ordine „. Sed alio propero.

Epiſcoporum gradum cenſerent. Sed ne horum quidem una in hoc genere fuit, eademque ſententia. Qui enim majorum auctoritatem conſectari ſe dicerent, inſtitutum quidem ab Apoſtolis Epiſcopatum, ſed virtute (1) auctoritateque, quam ipſis Chriſtus Servator largitus erat, exiſtimarunt. Quamobrem quod inſtitutum Chriſti auctoritate eſt, mutari hominum legibus non poſſe. Alii cum acceptam ab Apoſtolis facultatem divinitus putent fuiſſe, ſtatuendi, quæ ex uſu Eccleſiæ eſſe cognoſſent, animadverſumque, ſi Epiſcoporum gradus introduceretur, populo Chriſtiano utile futurum; in eam accedunt opinionem, ut ab Apoſtolis ipſis inſtitutos Epiſcopos fuiſſe, eoſque, ſi progreſſu temporum utiles eſſe deſinant, tolli poſſe (2) arbitrentur. Sed qui Puritanorum, (3), Lutheranorumque partibus ſtudent,

1 In hac quidem ſententia verſantur plerique omnes Angli, quos eſſe de ſecta Epiſcopalium conſtat. In his ſunt Guillelmus Beveregius *in codice canon. Eccleſ. Primitiv. illuſtrat. lib.* II. *cap.* XXI. §. XIII. *pag.* 128. *ſeq. tom.* II. *Apoſtolicor Patrum edit. an.* 1724. Joh. Pearſonus *Vindic. Ignatianar. par.* II. *cap.* XIII. *pag.* 415. *ſeqq. tom. eod.* Henricus Hammondus *Diſſert.* III. *qua Epiſcopatus Jura &c. cap.* IV *ſeqq. pag.* 147. *& ſeqq. edit. an.* 1651. Henricus Dodwellus *Diſſert. Cyprianic. pag.* 39. *ſeqq. & Paran. ad Exteros tam reform. quam Pontificios edit. Amſtel. opp. Cypr. an.* 1700. *In Append. de* Numero *Schiſm. Anglic. edit. an.* 1700. Herbertus Thorndicius *Orig. Eccleſiaſticar. ſive de* Jure, *& Poteſt. Eccleſ. cap.* XVI. *pag.* 291. *ſeqq. edit. Londin. an.* 1674. Thomas Biſſonus *de Perpet. Eccleſ. Chriſti Gubernatione edit. Londin. an.* 1611. Franciſcus Brokesby *Hiſt. Hierarch. Eccleſ. Primit. per tria ſecula, & initium* IV. *Lond. an.* 1712. Guillelmus Caveus *Diſſert.* de *Regim. Vet. Eccl. Anglice edit. an.* 1683. Jacobus Uſſerius *in Opuſculo de Origine Epiſcoporum, & Metropolitanor. edit. Londin. an.* 1687. *pag.* 1. *& ſeqq.* Henricus Wottonus *in Diſſert. de Divinitus Inſtituto Clero, & de Unitate Eccleſiæ, quas Clementis Rom. epiſt. duabus præfixit edit. Cantabrig. an.* 1718. Samuel Parkerus *de Regim. Chriſt. Eccl. ſeculis* VI. *Priorib. Anglice edit. Lond.* Johannes Prideaux *Faſcic. Controverſ. inter ejus Opera Theologica cap.* IV. *ſect.* III. *qu.* II. *pag.* 639. *ſeqq.* Joſephus Binghamus *Orig. & Antiqu. Eccleſ. lib.* II. *cap.* I. §. III. *pag.* 558. *ſeq. edit. an.* 1724. *tom.* I. ubi veterum auctoritate ſtatuit: „ Non eſſe (Epiſcopatum) ab hominibus inventum, ſed initio ab ipſis Apoſtolis ex „ Divina Ordinatione conſtitutum „. Non diſſentit ab his Marcus Antonius de Dominis *lib.* II. *de Rep. Eccl. cap.* III. §. VII. *ſeqq. pag.* 193. *ſeqq. tom.* I. *edit. an.* 1617.

2 Ita quidem cenſet Moshemius homo de ſecta Lutheranorum *Introd. in Hiſt. Eccl. ſec.* I. *par.* II. *cap.* II. §. XIII. *pag.* 178. *ſeq. edit. an.* 1739. qua in re ab ſuis aliquanto diſcrepat. Confer notationem *ſeq.*

3 S. Epiphanius *hæreſi* LXXV. *n.* 3. *pag.* 906. *tom.* I. *edit. Pariſ. Petavii*. De Aerio Hæreſiarca loquens „ Eſt autem illius dogma, *inquit*, ſupra hominis captum furioſum, & „ inane. Imprimis enim: quanam, *inquit*, in re Presbytero Epiſcopus antecellit? Nullum „ inter utrumque diſcrimen eſt. Eſt enim amborum unus ordo, par & idem honor, ac di„ gnitas. Manus imponit Epiſcopus, imponit & Presbyter, baptizat Epiſcopus, idem facit „ & Presbyter.... His in vulgus jactatis, pleroſque in errorem abduxit, quorum ſectæ „ princeps extitit „. Eadem fere ſcribit S. Auguſtinus *lib. de Hæreſibus ad Quodvultdeum cap.* LIII. *tom.* VIII. *opp. edit. Pariſ. Monach. S. Mauri pag.* 18. „ Dicebat, *inquit*,

dent, ii magnam partem ita ſunt animis comparati, ut Epiſcopos nominari quidem ab Apoſtolis fateantur, ſuperiores autem Presbyteris fuiſſe primo Eccleſiæ ſeculo, negent. Quare quam nos animo informavimus de Epiſcopatu notio-

,, *quit*, presbyterum ab Epiſcopo nulla differentia debere diſcerni ,,. Johannes Wiclefus
in libris Dialogor. lib. IV. *cap.* XV. *de ordinis Sacramento fol* CXXIV. *a tergo edit. an.* 1525.
,, Unum, *inquit*, audacter aſſero, quod in primitiva Eccleſia, vel tempore Pauli ſuffece-
,, runt duo Ordines clericorum, ſcilicet Sacerdos, atque Diaconus. Similiter dico, quod
,, tempore Pauli fuit idem Presbyter, atque Epiſcopus: patet 1. *Tim.* III. *& ad Ti-*
,, *tum* 1. & idem teſtatur ille profundus Theologus Hieronymus, ut patet LXXXXV. *diſt.* V.
,, *cap. olim*. Tunc enim adinventa non fuit diſtinctio Papæ, & Cardinalium, Patriarcha-
,, rum, & Archiepiſcoporum, EPISCOPORUM, & Archidiaconorum, & officialium, & De-
,, canorum cum ceteris officiariis, & privatis religionibus, quorum non eſt numerus, ne-
,, que ordo. De contentionibus autem circa iſta, quod unumquodque iſtorum eſt ordo, &
,, in ejus acceptione gratia Dei, & character imponitur, cum aliis difficultatibus, quas
,, noſtri balbutiunt, videtur mihi eſſe faciendum, cum ſic loquentes nec fundant, quod aſ-
,, ſerunt, nec probant. Sed ex fide Scripturæ videtur mihi ſufficere, eſſe Presbyteros, at-
,, que Diaconos ſervantes ſtatum, atque officium, quod eis Chriſtus impoſuit, quia cer-
,, tum videtur, quod ſuperbia Cæſarea hos gradus, & ordines adinvenit ,,. Hæc ille, ex quibus
plane intelligitur, quam imperitus rei Orthodoxæ, quamque improbus, ſceleſtuſque eſſet. Quis
enim umquam fuit Orthodoxorum, qui Archipresbyteratum, Patriarchatum, Metropoli-
tanatum &c. characterem imprimere, & gratiam ordinis conferre judicaret? Calumniando igi-
tur Wiclefus pervertere conatur, inque pejorem partem trahere Catholicorum ſententiam.
Epiſcopatum autem vel extenſionem characteris Sacerdotalis, vel characterem indere con-
tendunt inter ſeſe Theologi. Horum autem ſentiendi, dicendique rationem quis umquam
oſtendat, aut cum Scripturis pugnare, aut alterutram ſaltem confirmari mirandum in modum
auctoritate Bibliorum Sacrorum, & veterum Patrum Eccleſiæ non poſſe? Sed de his alias.
Interea hoc animadverti volo, recte a Thoma Waldenſi hujuſmodi errorem fuiſſe Wiclefo
tributum *lib.* II. *Doctr. fidei art.* III. *cap.* LXI. *pag.* 163. *a tergo ſeq. edit. an.* 1532. Hos
hæreſiarchas ſequutus Lutherus homo omnium impudentiſſimus, atque turpiſſimis moribus
in ea epiſt. quam de Inſtituendis miniſtris Eccleſiæ ad Senatum Pragenſem dedit, *p.* 577.
ſeqq. tom. II. *opp. edit. Jenenſis an.* 1557. Presbyteros ab Epiſcopis gradus eſſe ſuperio-
res jure divino, negat. Immo vero *figmentum* eſſe, quod nos de *Charactere indelebili* dici-
mus, ordinationemque Miniſtrorum Romanæ Eccleſiæ inane, merumque mendacium eſſe,
impios eſſe cæcoſque Epiſcopos, unctoſque ab his non eſſe Sacerdotes, omnes enim Chriſtianos
eſſe Sacerdotes, miniſteriumque verbi unum ſummum in Eccleſia eſſe munus contendit,
quam confidenter, tam impie. Eadem fere repetit in pernicioſo *de Captivitate Babyloni-
ca libro*. Martinus Kemnitius Lutherum imitatus *in Exam. Decretor. Concilii Trident.
par.* II. *pag* 74. *edit. Francofurti an.* 1574. ,, Scriptura, *inquit*, ignorat diſcrimen Epi-
,, ſcopi, & Presbyteri &c. ,, Idem ceteri Lutherani jactant. Quare Buddeus vir ex eadem
ſecta *lib.* II. *Apparat. in Theolog. Poſit. cap.* V. §. XI. *pag.* 841. ,, Noſtræ Eccleſiæ, *inquit*,
,, Theologorum eo redit ſententia, jure divino inter eos, qui Eccleſiæ præſunt, intuitu
,, dignitatis, nullum intercedere diſcrimen, adeoque hactenus Presbyteros, ac Epiſcopos
,, æquales eſſe; nihil tamen obſtare, quo minus jure humano inæqualitas quædam intro-
,, ducatur, & uni ex verbi divini miniſtris inſpectio in reliquos committatur, ſimulque
,, ἐξοχὴ quædam tribuatur. Nec improbamus, quod in veteri Eccleſia hoc factum ſit: etſi
,, abuſum, qui deinceps acceſſit ..... maximopere deteſtamur ,,. Hæc ille adeo confi-
denter, ut Lutheri aſſeclam poſſis agnoſcere. Non diſcrepant Calviniani. Ipſe auctor ſectæ
Calvinus *lib.* IV. *Inſtitut. cap.* IV. §. 2. *pag.* 286. *tom.* IX. *opp. edit. Amſtelod. an.* 1667.
,, Quibus docendi munus injunctum erat, *inquit*, eos omnes nominabant presbyteros. Illi
,, ex ſuo numero in ſingulis civitatibus unum eligebant, cui ſpecialiter dabant titulum
,, Epi-

notionem, ab notione, quæ Apoſtolorum temporibus obtinuerat, diſcrepare cenſent. Nos Catholici (1) omnes, Epiſcopos, quales hoc etiam tempore ſunt, auctoritate, poteſtate, dignitate Presbyteris præſtantiores; Chriſti inſtitutione fuiſſe in Eccleſiam introductos dicimus, idque laboramus, atque enitimur, ut noſtram eſſe ſententiam Apoſtolicis decretis, Patrumque traditioni conſentaneam demonſtremus.

CHRISTI *inſtitutione Epiſcoporum gradum fuiſſe in Eccleſiam invectum oſtenditur.*

Cum Chriſtus Servator a Patre in mundum, ut genus humanum ſanguine ſuo redimeret, miſſus, inſtructuſque remittendorum peccatorum poteſtate; magiſter, & Dominus, & Pontifex, & Apoſtolus (2), & magnus ovium paſtor

„ Epiſcopi &c.„ In eodem fere luto hærent Proteſtantes ceteri, demtis Epiſcopalibus Anglis, ut David Blondellus *lib. de Epiſc. & Presbyter. edit. an.*1646. Claudius Salmaſius *in Apparatu ad libros de Primatu Papæ edit. an.*1645. & in *diſſert. de Epiſcopis, & Presbyteris edit. Lugdun. Batav. an.* 1641. nomine *Walonis Meſſalini*, Chriſtianus Dreſerus *in controverſ. cum Pontificiis diſſertat.* xxI. *edition. ann.* 1688. Ludovicus Cappellus *in Theſibus Theologicis de Epiſcoporum, & Presbyterorum diſcrimine* Jacobus Baſnagius *Hiſt. de l' Egliſe*. Samuel Mareſius *exam. de Epiſcopor. Origine contra Johann. Prideaux, edit. Groningæ an.* 1657. David Clarchſonus Anglus *tractat. hiſt. de Statu Primitivo Epiſcopatus, & de Liturgiis* Ex Anglico Gallice *edit. Roterod. an.* 1716. Johannes Franciſcus Buddeus *Diſſert. Hiſtoric. Theolog. de Orig. & Poteſt. Epiſcopor. edit. Jenæ an.*1705. *&* 1715. *pag.* 183. *ſeqq.* M. Adamus Tribecchovius *de ord. ſuperior. Poteſt. Eccleſiarum veter. & florentis Eccleſiæ edit. Kilonii*. Innumerique alii, quos nunc recenſere non vacat. Confer Stephanum Baluzium *in Notationibus* ad Lupum Ferrarienſem *pag.* 422. *ſeqq. edit. an.*1664.

1 Inter Catholicos, qui a Chriſto inſtitutum fuiſſe Epiſcopatum nixi traditione, auctoritateque Sacrorum Bibliorum defendunt, oſtenduntque Apoſtolos fuiſſe Epiſcopos, qui ſibi ſucceſſores reliquerint, adeoque Epiſcoporum eſſe dignitatem, divina inſtitutione, presbyterorum gradu ſuperiorem, numerari merito poſſunt Robertus Bellarm. *l.*1. *de Cler. c.* xIv. *ſeq. pag.*131. *ſeqq. t.* II. *opp. edit. Venetæ an.*1721. Dionyſius Petavius *in diſſert. Eccleſiaſticis edit. an.*1745. & *in libris de Hierarchia Eccleſiaſtica tom.* Iv. *Theologicor. Dogmat. pag.* 9. *ſeqq. edit. ejuſd.* Johannes Morinus *par.* III. *operis de Sacris Ordinationibus exerc.* III. *c.* III. *pag.*43. *edit. Pariſ. an.*1655. Ludovicus Thomaſſinus *de Vet. & Nova Eccleſ. Diſciplina par.* I. *lib.* I. *cap.* LII. *pag.* 183. *ſeqq. edit. Lugdun. an.* 1706. Natalis Alexander *Hiſt. Eccleſ. ſec.* Iv. *diſſert.* XLIv. *pag.*567. *ſeq. edit. Lucenſis an.*1734. Duguetus *Conferences Eccleſiaſtiques diſſ.* III. *pag.* 33. *edit. Coloniæ ann.* 1742. Halerius *de Sacr. Ord. P.*II. *ſect.* v. *cap.*I. *pag.*543. *ſeqq. edit. an.*1636. aliique ſexcenti, quos difficile eſt recenſere.

2 De Chriſto a Patre in mundum miſſo confer *Johan. Evang. cap.* xx. *v.*I. De ejuſdem poteſtate remittendi peccata: Matth. *cap.* Ix. *v.* 6. De auctoritate in cælo, & in terra: Matth.

ſtor, & Epiſcopus (1) animarum noſtrarum appellaretur, & eſſet; quamdiu in terris mortalem hanc vitam egit, ipſe per ſe rexit, adminiſtravitque Eccleſiam, miniſterioque eſt uſus diſcipulorum. Nam eorum, qui ſeſe illi tradiderant in diſciplinam, ſeptuaginta delegit, hoſque (2), ut *prodromos*, nunciosve in eas regiones, quo erat ipſe profecturus, miſit, auxitque expellendorum dæmonum, curandorumque morborum auctoritate, hiſque, ut ad ipſum, quam fieri cito poſſet, redirent juſſit. Duodecim præterea majore poteſtate inſtruxit, & Apoſtolos (3) nominavit, & quemadmo-

Matth. xxviii. *v.* 18. Rurſum eumdem Servatorem Chriſtum fuiſſe *διδάσκαλον, καὶ κύριον*. *Magiſtrum, & Dominum* ſcribit Johannes *cap.* xiii. *Evang. v.* 13. ὑμεῖς φωνεῖτέ με, ὁ διδάσκαλος, καὶ ὁ κύριος, καὶ καλῶς λέγετε. εἰμὶ γάρ. *Vos vocatis me, Magiſter, & domine, & bene dicitis, ſum enim*. Ἀρχιερεὺς præterea, & ἀπόστολος *Pontifex*, & *Apoſtolus* Chriſtus fuit *Paul. Epiſt. ad Hebræos cap.* v. *v.* 5. & *cap.* iii. *v.* 1. κατανοήσατε τὸν ἀπόστολον, καὶ ἀρχιερέα τῆς ὁμολογίας ἡμῶν χριστὸν Ἰησοῦν. *Conſiderate Apoſtolum, & Pontificem confeſſionis noſtræ Chriſtum Jeſum*. Rurſum ποιμὴν τῶν προβάτων ὁ μέγας *Paſtor ovium magnus* appellatur *ibid. cap.* xiii. *v.* 20. & *Princeps Paſtorum* 1. *Petri cap.* v. *v.* 4.

1 Ἀλλ' ἐπεστράφητε νῦν ἐπὶ τὸν ποιμένα, καὶ ἐπίσκοπον τῶν ψυχῶν ὑμῶν. *Sed converſi nunc eſtis ad Paſtorem, & Epiſcopum animarum veſtrarum*. 1. *Petri cap.* II. *v.* 25.

2 *Evang. s. Lucæ cap.* x. *v.* 1. *ſeqq.* Loco ſeptuaginta diſcipulorum Parœcos, Presbyteroſve ſucceſſiſſe, Theologi plerique putant. *Sed de hac re alias*.

3 *Matth. cap.* x. *v.* 1. *ſeqq. Lucæ* vi. *v.* 13. Apoſtoli ab Judæis appellabantur quilibet Nuncii. Quare quod III. *Reg. cap.* xiv. *v.* 6. vulgatus habet *durus nuntius*, ſeptuaginta ex Hebræo verterunt, σκληρὸς ἀπόστολος. Erant præterea Judæis Patriarchæ. Ab his quicumque ad varia negotia mitti conſueverant, *Apoſtoli* dicebantur. Confer Epiphanium *Hæreſ.* xxx. *num.* iv. *pag.* 128 *edit. Pariſienſis Petavii*, & Hieronymum *in epiſt. ad Galatas cap.* 1. *tom.* iv. *opp. edit. Pariſ. Martianæi pag.* 224. *Et Cod. Theodoſianum l.* xvi. *tit.* viii. *de Judæis leg.* xiv. *pag.* 517. *edit. Pariſ. an.* 1586. Atque e novis quidem ſcriptoribus, hoc argumenti genus explicarunt Card. Baronius *ad ann.* 32. *n.* v. Dionyſius Petavius *lib.* 1. *de Eccleſ. Hierarch. cap.* vi. §. II. *pag.* 683. *tom.* III. *Theologicor. Dogm. edit. Pariſienſis*, quo loco „ Uſitatum, inquit, hoc erat vocabulum apud Judæos, qui (*ſic*) appellabant certis officiis, ac miniſteriis deſtinatos: nempe, qui vel cum mandatis aliquo mitterentur, „ vel ad curationem aliquam, & functionem obeundam. Cujuſmodi Legatos vel Nuncios „ Romanus Pontifex ſæpe mittere conſuevit. Hujuſmodi miſſorum crebra eſt in digeſtis „ Talmudicis mentio. Poſt excidium urbis Hieroſolymitanæ Judæi per Orbem diſperſi, & „ in lacinias diviſi, & ἀποδήμους, ſuos habebant Patriarchas. Horum aſſeſſores *Apoſtoli* „ dicebantur „. Rurſum idem Petavius *in Adnotationib. in Epiph. Hæreſ.* xxx. *pag.* 55. *tom.* II. *opp. Epiph. edit. ejuſd.* & Henricus Valeſius *in not. ad lib.* 1. *Hiſt. Euſeb. cap.* xiii. *pag.* 38. *& ſeq. edit. Cantabrig.* & e Proteſtantibus Samuel Baſnagius *in Annalibus Polit. Eccleſiaſt. ad an.* xxxi. *n.* xxvii. Henricus Hammondus *Diſſert.* III. *cap.* 1. *pag.* 135. *edit. an.* 1651. ubi „ ſic in Codice Theodoſiano, *inquit*, *Tit. de Judæis*, Apoſtoli ſunt, qui ad „ exigendum aurum, atque argentum a Patriarcha certo tempore diriguntur. De his vero „ illud unicum notandum, Apoſtolos iſtos ad hæc ipſa non adeo honorifica munera, & tantum ad tempus mittendos, litteris tamen ſcriptis munitos fuiſſe, quarum vi quidquid faciunt, id ut Vicarii, aut Procuratoris, non in ſua, ſed eorum, qui eos conſtituerunt, „ perſona, & nomine facturi ſunt. Unde illud Judæorum celebre dictum: *Apoſtolus cujuſque eſt ut quiſque*, quo reſpexiſſe Chriſtus cenſendus eſt, *Matth.* x. *v.* 40. ὁ δεχόμενος

admodum ipſe a Patre, ita eos, ut divina doctrina mortales inſtituerent, Eccleſias quas fundaſſent, moderarentur, (1) peccata iis, qui lapſi fuiſſent dimitterent, atque in rebus ſacris adminiſtrandis primas obtinerent (2) partes, in orbem univerſum miſit. Atque hanc quidem tantam poteſtatem Apoſtolis qui neget, futurum arbitror eorum neminem, qui ſe Chriſtianum eſſe glorietur. Jam vero, exactis

„ μενος ὑμᾶς ἐμὲ δέχεται, καὶ ὁ ἐμὲ δεχόμενος, δέχεται τὸν ἀποστείλαντά με. (*Qui vos* „ *ſuſcipit, me ſuſcipit, & qui ſuſcipit me, ſuſcipit eum, qui miſit me*). Sic cum Paulus „ a Synedrio Hieroſolymitano ad Damaſcum mittebatur cum ἐπιστολαῖς ἀρχιερέως inſtru- „ ctum videmus „. Ac Chriſtus quidem cum miſſum ſe a Patre dicat, *Apoſtolum* ſe dici poſſe ſignificat. Itaque Juſtinus Martyr *Apol.* 1. *n.* XII. *pag.* 51. *edit. an.* 1747. ita, ut Paulus, *in epiſt. ad Hebræos,* Jeſum Chriſtum Apoſtolum vocat, *& n.* LXIII. *pag.* 83. Atque hæc de Apoſtolis hoc loco breviter dicta ſunto. Nam de præſtantia, officiis, muneribus, auctoritateque Apoſtolorum Chriſti agam poſt & diligenter, & copioſius.

1 Nam Chriſtus ita Apoſtolos miſit, ut miſſus ipſe a Patre fuerat. *Joh. cap.* XX. *v.* 21. Appoſite Hammondus *ibid. pag.* 137. „ Pater, *inquit*, judicium dedit filio. *Joh.* V. *v.* 21. „ Filius judicium Apoſtolis dedit *Matth.* XIX. *v.* 28. *Luca* XXII. *v.* 30. 1. *ad Cor. v.* VI. „ II. *ad Cor. v.* 6. Pater filio poteſtatem dedit remittendi in terris peccata. *Matth.* X. *v.* 6. „ Filius Apoſtolis poteſtatem dedit, remittendi itidem in terris peccata. *Joh.* XX. *v.* 23. „ Pater Claves filio dedit. *Matth.* XVI. *v.* 19. *Iſaia* XXII. *v.* 22. *Apoc.* III. 7. Filius „ Apoſtolis Claves dedit. *Matt.* XVI. *v.* 19. Pater filio dedit ſedere in throno ejus, itidemque filius Apoſtolis dedit ſedere cum eo in throno ejus. *Matth.* XIX. *v.* 28. *Luc.* XXII. „ *v.* 30. Pater filium dedit fundamentum, aut lapidem angularem Eccleſiæ *Matt.* XXI. *v.* 42. „ Filius Apoſtolos dedit fundamenta ſuper fundamento. *Ad Epheſ. cap.* II. *v.* 20. .... Pater „ denique filium ἀπέσταλκε, καὶ ἔπεμψε. *Joh.* V. *v.* 24. & XVII. *v.* 18. Filius dein Apoſtolos ἀπέσταλκε, καὶ ἔπεμψε. *Joh.* XX. 21.

2 Id ſane ex *Clavium* conceſſione colligitur. Ac primum quidem Petro, ut petræ, in qua fundanda erat Eccleſia, datæ ſunt. *Matth.* XVI. *v.* 19. Tum Apoſtolis ceteris *Joh.* XX. *v.* 23. Hæc autem poteſtas præcipue Chriſto competit, quin ab alio pendeat. Itaque *Apocalyp.* III. *v.* 7. vocatur ὁ ἅγιος, καὶ ἀληθινὸς, ὁ ἔχων τὴν κλεῖδα τοῦ Δαβίδ *ſanctus, & verus habens clavem Davidis*. Ei enim *poteſtas omnis in cælo, & in terra* tributa eſt. *Matth. cap.* XXVIII. *v.* 18. Niſi autem hanc tantam a Chriſto accepiſſent Apoſtoli auctoritatem, ea profecto numquam uſi fuiſſent. Confer *Act. Apoſt. cap.* V. *v.* 3. & *cap.* XV. *v.* 6. *& ſeqq. cap.* XV. *v.* 35. *ſeqq. cap.* XX. *v.* 28. *ſeqq.* Sed plenæ ſunt hujuſmodi rerum Epiſtolæ Pauli, ut non ſit opus omnia ex iis loca, quæ ad rem conferunt, deſcribere. Confer quæ ſcripſi ſupra *pag.* 145. *ſeq. hujus vol.* Egregie Hammondus *ibid. Diſſert.* IV. *c.* II. *p.* 181. „ Illud ex unius ſancti Pauli erga Corinthios ſuos factorum veſtigiis ſatis pateſcit, ἐγὼ, „ inquit, ἐφύτευσα *plantavi ego*. 1. *ad Cor.* III. 6. &c. οὐ πολλοὺς ἔχετε πατέρας ἐν „ Χριστῷ, ἐγὼ γὰρ διὰ τοῦ εὐαγγελίου ἐγέννησα ὑμᾶς. *Non multos habetis patres in* „ *Chriſto, ego enim per Evangelium prima inter vos Evangelii predicatione vos genui* „ *cap.* IV. *v.* 15. 16. Quos ergo unus plantavit, eos etiam ſibi uni procurandos vendicat. „ Ἐλεύσομαι, inquit, ταχέως πρὸς ὑμᾶς, καὶ γνώσομαι &c. *Veniam cito ad vos* inflatos „ habita facti cognitione *judicaturus* ἐν ῥάβδῳ *in virga*, ſi opus ſit. c. V. *v.* 3. & ἐγὼ μὲν „ ὡς ἀπὼν ἐν σώματι, παρὼν δὲ τῷ πνεύματι, ἤδη κέκρικα ὡς παρὼν, τὸν οὕτω κατεργασάμενον &c. Ego quidem abſens corpore, præſens vero ſpiritu, illum, qui hoc taliter commiſerit, judicavi jamjam tamquam præſens παραδοῦναι τὸν τοιοῦτον τῷ σατανᾷ „ *talem ſatanæ tradere &c. cap.* V. *v.* 3. 4. In re liquida pluribus opus non erit. Iſtam „ ſcilicet Corinthiorum Eccleſiam a Paulo plantatam, ab eo uno abſente jam, mox ad eos „ profectionem maturante, adminiſtratam fuiſſe.

ctis Apoſtolis, ſublatam eam funditus fuiſſe, quis credat? Chriſtus enim, qui Eccleſiam perpetuo duraturam noverat, numquam commiſiſſet, ut, quæ neceſſaria ad hanc regendam poteſtas eſſet, periret. Manarit igitur neceſſe eſt in eos, quos auditores Apoſtolorum, & qui deinceps floruerunt ſcriptores dixerunt, eſſe principes (1) Eccleſiarum, Magiſtros, Patres, Præſides, Epiſcopos ſucceſſoreſque Apoſtolorum, Chriſti voluntate conſtitutos. Epiſcopos autem eos nominamus, qui primas in Eccleſia partes tenent, moderanturque gregem, quem eſſe eorum fidei, curæque commiſſum videmus. Erant autem hujuſmodi Apoſtoli, ac divina quidem, hoc eſt Chriſti inſtitutione, ut ne adverſarii quidem (2) negant. Erant igitur Epiſcopi Apoſtoli. Quamquam Apoſtolorum eſſet amplior, latiuſque patens (3) poteſtas, quam ſit auctoritas *Simplicium* Epiſcoporum. Epiſcopatus ergo divina voluntate inſtitutus, neque

1 Vide quæ ſcripſi ſupra *pag.* 290. *ſeqq.* & *pag.* 280.

2 Claudius Salmaſius acerrimus Catholicæ ſententiæ oppugnator in eo libro, quem *de Epiſcopis, & Presbyteris* ſcripſit *cap.* 1. *pag.* 20. *edit. an.* 1641. Apoſtolos ſi in una conſtitiſſent urbe, Epiſcopos dici jure potuiſſe, concedit. Nam is cum negaret, Epiſcoporum inſtitutionem juris eſſe divini, *Epiſcopos* dictos fuiſſe eoſdem, qui presbyteri munere in una aliqua Eccleſia fungerentur, exiſtimavit. Atque Jacobum fratrem Domini, quod Hieroſolymis conſtitiſſet, interque *Presbyteros*, ſeu ut ille putat, *Epiſcopos* primus eſſet, fuiſſe *Epiſcopum Epiſcoporum* contendit. „ Ideo, *inquit*, Jacobus Domini frater, & Apo„ ſtolus, quia Hieroſolymis non abſtitit, nec quoquam extra eam urbem pedem movit, „ *Epiſcopus* a veteribus appellatus eſt, & quidem *Epiſcopus Epiſcoporum*, id eſt primus „ presbyterorum, ſive epiſcoporum, qui erant Hieroſolymis „. Hæc ille. Quæ tametſi falſa ſunt, cum Epiſcoporum gradus jam inde ab initio diſcrepans fuerit ab ordine presbyterorum, & jure quidem divino, de qua re deinceps conſtabit plane ad veritatem; tamen ſatis evincunt, adverſariorum ſententia, Apoſtolos ea valuiſſe auctoritate, quam nos defendimus propriam eſſe Epiſcoporum. Nam ſi alicubi conſtitiſſent, ipſis Eccleſiam, auctoritate ſibi divinitus data, regere, primaſque inter presbyteros partes obtinere, jus erat. Quamquam eſt Salmaſii inepta de Apoſtolatu ſententia, ut qui Apoſtolum non fuiſſe appellandum eum, qui una in Eccleſia manſiſſet, eamque ſolam adminiſtraſſet, exiſtimarit. Sed de hac re alias. Interea confer Dionyſium Petavium *lib.* 1. *Hierarch. Eccleſ. cap.* VI. *pag.* 682. *ſeqq. tom.* III. *Theologicor. Dogm. edit. Pariſ.*

3 Dionyſius Petavius *ibid. cap.* V. *n.* VIII. *pag.* 681. „ Duas tantummodo veri, ac „ primarii Apoſtoli notas afferemus. Prima eſt, ut ſive hominum miniſterio, ſive imme„ diate ab ipſo Deo conſtituti, & ordinati munus acceperint Evangelii ubique terrarum „ propagandi, quod apud Johannem Dominus ita demonſtrat *c.* XX. *v.* 21. *Sicut miſit me* „ *Pater, & ego mitto vos*. Et apud Marcum *cap.* XVI. *v.* 15. Euntes in mundum univerſum „ prædicate Evangelium *omni creaturæ*. Tum *Actor.* 1. *Eritis mihi teſtes in Hieruſalem* „ *& in omni Judæa, & Samaria, & uſque ad ultimum terræ*. Altera conditio eſt, ut „ plenam, ac perfectiſſimam ubique terrarum poteſtatem habuerit ligandi, atque ſolvendi, „ Eccleſias inſtituendi, Epiſcopos ordinandi, denique ut Epiſcopi totius orbis eſſent. Sed „ ea

neque ab Apoſtolis humana poteſtate, ſed a Chriſto in Eccleſiam introductus eſt.

Quamobrem cum Apoſtolus Mileti eſſet, indeque in Palæſtinam contendere cogitaret, Epiſcopos, qui Epheſi, proximiſque in urbibus erant, ad ſe vocavit, atque: attendite, inquit, vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus Epiſcopos (1) poſuit, ut Eccleſiam Dei regatis. Neque enim poſitos a Spiritu Sancto dixiſſet, ſi humana poteſtate invectum in Eccleſiam noſſet fuiſſe Epiſcopatum. Angelos præterea, quorum ſit in Apocalypſi mentio, quis neget ita deſcribi a Chriſto, quaſi ſua fuerint inſtitutione Eccleſiis Aſiæ rectores dati (2)?

Itaque

„ ea tamen conditione, ut infinita illa poteſtas in ipſis extraordinaria, in Petro vero ordinaria, & in ejus ſucceſſores derivanda fuerit. Quod recte Bellarminus docuit *lib.* 1. *de Romano Pontifice cap.* XI. Et Victor Carthaginienſis Epiſcopus parem in omnibus Apoſtolis fuiſſe poteſtatem indicat in epiſtola ſynodica ad Theodorum Papam, quæ in Lateranenſi primæ ſynodo lecta ſub Martino I. *ſecret.* II. *pag.* 685. *tom.* 1. *Concilior. ad quam*, inquit, de Chriſtiana Fide loquens, *omnes Beatiſſimi Apoſtoli pari honoris, & poteſtatis conſortio præditi, populorum agmina convertentes &c.* Nec interim dubitandum eſt in pari, & ampliſſima illa poteſtate SUUM APOSTOLO PETRO CONSTITISSE PRIMATUM, ut eum nominat Cyprianus *lib. de Unit. Eccl.* Ob quem Princeps Apoſtolorum communi Patrum elogio nuncupatur „. Sed de Primatu Petri inter Apoſtolos alias nos agemus accurate, & fuſius.

1 Lucæ ex Actor. *cap.* XX. *v.* 17. *ſeqq.* locum explicans Irenæus in III. *contra hæreſes libro cap.* XIV. *pag.* 201. *num.* 2. *tom.* 1. *opp. edit. Veneta an.* 1734. „ In Mileto, *inquit*, convocatis EPISCOPIS, & PRESBYTERIS, qui erant ab Epheſo, & a reliquis proximis civitatibus, quoniam ipſe feſtinaret Hieroſolymis Pentecoſtem agere, multa teſtificans eis, & dicens, quæ oportet eis Hieroſolymis evenire; adjecit: *Scio quoniam jam non videbitis faciem meam, teſtificor igitur vobis hac die, quoniam mundus ſum a ſanguine omnium. Non enim ſubtraxi, uti non annunciarem vobis omnem ſententiam Dei. Attendite igitur, & vobis, & omni gregi, in quo vos Spiritus ſanctus præpoſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Domini, quam ſibi conſtituit per ſanguinem ſuum* „. Viden, ut Irenæus Epiſcopos, qui florebant temporibus Apoſtolorum, a Presbyteris diſtinxerit, & non Epheſo ſolum, ubi plures Epiſcopi fortaſſe erant, ſed etiam e proximis civitatibus, Antiſtites Eccleſiarum Miletum a Paulo accitos ſcripſerit? Errant igitur Presbyteriani, qui Epiſcopos temporibus Apoſtolicis diſtinctos a Presbyteris fuiſſe negant. Non enim eſt credibile auditorem Polycarpi Irenæum (nam Polycarpus Johannem audierat) ignoraſſe, quæ paullo ante ſuam ætatem geſta fuerunt, eaque novis Puritanis innotuiſſe, qui omnem antiquitatem evertere ſuis inventis conantur.

2 Apocalypſ. *cap.* I. *v.* 20. ſic Chriſtus ait. „ Myſterium ſeptem ſtellarum, quas vidiſti in dextera mea, & ſeptem candelabra aurea. Septem ſtellæ Angeli ſeptem Eccleſiarum ſunt, & ſeptem candelabra, quæ vidiſti, ſeptem Eccleſiæ ſunt „. *Cap.* II. *v.* 1. „ Angelo Epheſinæ Eccleſiæ ſcribe: hæc dicit tenens ſeptem ſtellas in dextera ſua, ambulans in medio ſeptem candelabrorum aureorum, ſcio opera tua, & laborem tuum &c. „. Nos autem Angelos, quorum certe inſtitutum probari a Chriſto, *in eodem Apocalypſeos libro*, conſtat (cum ſeptem ſtellis in dextera Chriſti fixis comparentur) Epiſcopos fuiſſe, neminem eſſe arbitramur, qui negare poſſit. Ac de iis quidem Andreas Cæſarienſis Epiſcopus ἑπτὰ ἐκκλη-

σίαις

Itaque majores noſtri, quibus hæc erant ſatis explorate percepta, & cognita, Epiſcoporum ordinem Jeſu
Tom.IV. S ſ Chriſti

σίαις ἰσάριθμοι ἔφοροι ἄγγελοι λέγονται. *Septem Eccleſiarum*, inquit, *totidem Ephori* (hoc eſt *inſpectores*, ſeu *Epiſcopi*) *Angeli dicuntur*. Hæc Hammondus *Diſſert.* II. *cap.* IV. *pag.* 167. refert. Quamobrem errat vehementer Salmaſius, qui Andreæ Cæſareenſis ſententia, quam eſſe ad veritatem propenſiorem putat, Angelorum nomine Eccleſias indicari arbitratur. *Diſſert. de Epiſc. & Presbyteris cap.* IV. *pag.* 183. *ſeq.* Nam hoc interpretationis genus *in Commentariis Andreæ in Apocalypſ.* numquam comparet. Extant autem ii Commentarii in extremo *Volumine* VII. *opp. s. Johannis Chryſoſt edit. an.* 1596. *in Append. pag.* 1. *ſeqq.* Rurſum pugnat Salmaſianum cum Apocalypſi commentum, quod eſt ab Aretha Cæſareenſi mutuatus. In eo enim libro Johannis diſertis verbis *Angeli ab Eccleſiis* diſtinguuntur. Niſi autem ita ſe res haberet, quemadmodum ſcriptum eſſet: *Septem ſtellæ Angeli ſeptem* Eccleſiarum *ſunt*, *& ſeptem candelabra*, *quæ vidiſti ſeptem Eccleſiæ ſunt?* Quid? ſi initio *cap.* II. hæc ſunt ab Johanne ſcripta. Τῷ ἀγγέλῳ τῆς ἐφεσίνης ἐκκλησίας γράψον *Angelo Epheſinæ Eccleſiæ ſcribe?* Annon hæc ſatis explicate ſignificant, diſtingui Angelos ab Eccleſiis oportere? Recte igitur, ſapienterque Salmaſium oppugnavit Uſſerius *Ignatianar. Epiſtolar. Collect.* III. *cap.* XVIII. *pag.* 247. *tom.* II. *Apoſtolicor. PP. par.* II. *edit. Amſteiod. ann.* 1724. Hæc cum Rainoldus conſideraſſet, Apoſtolorum ætate Presbyteris unum præſediſſe, quem Johannes *Angelum*, vulgo autem ceteri *Epiſcopum* appellarent, confeſſus eſt. *Collat. cum Harto*, *cap.* VIII. *diviſ.* III. Thomas Brighemanus *in Apocalypſ.* I. *v.* 20. cum unum presbyteris omnibus, qui Epheſi agerent, præfectum nollet (erat enim is de ſecta Presbyterianorum) ne Angelorum nomine Epiſcopos indicatos ab Johanne fuiſſe, fateri cogeretur; Angelos quidem Eccleſiarum plures fuiſſe dixit (etſi ſeptem eorum numerati ab Johanne ſint) adeoque cum Apoſtolus ad Angelum Epheſinum ſcribere jubetur, *Angeli nomine collegium paſtorum* ſignificari defendit. Quod interpretationis genus ne Bezæ quidem probatum fuit, ut qui in *caput* II. *Apoc. v.* 1. juſſum fuiſſe Johannem, affirmet, ſcribere τῷ ἀγγέλῳ, hoc eſt προεστῶτι. Additque: „ quem nimirum oportuit „ imprimiſque de his rebus admoneri, ac per eum ceteros collegas, *quorum nempe erat* „ *Præſes*, totamque adeo Eccleſiam „. Sed de Presbyteris, Epiſcopiſque erit paullo poſt differendum. Interea confer, ſi licet, Uſſerium hominem de ſecta Anglorum Epiſcopalium *Opuſc. de Epiſcoporum, & Metropolitanorum origine p.* 4. *ſeqq. edit. Londin. an.* 1687. Redeo ad Angelos. Zegerus *Annot. in Apocalyps. Cap.* I. *v.* 20. „ Angeli nomine, *inquit*, „ hic, & in ſequentibus paſtores, & præſules deſignati ſunt, juxta illud, quod per Mala- „ chiam ſcriptum eſt *cap.* II. *v.* 7. *labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam* ... *quia An-* „ *gelus Domini exercituum eſt*. *Tom.* IX. *Critic. ſacr. pag.* 342. Eadem fere habet Grotius in *cap.* & *verſ. cit. tom. eod. pag.* 352. Neque diſcrepat Chriſtophorus Cellarius in ea Diſſertatione, quam de ſeptem Angelis in Apocalypſi memoratis edidit. Atque Ignatius quidem martyr *inſcript. Epiſt. ad Polycarpum pag.* 39. *tom.* II. *Apoſtolicor. PP. edit. an.* 1724. *P.* I. „ Polycarpo, *inquit*, Epiſcopo Eccleſiæ Smyrnæorum μᾶλλον δὲ ἐπισκο- „ πημένῳ ὑπὸ θεοῦ πατρὸς, καὶ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ, potius autem *inſpecto*, vel *viſitato a* „ *Deo Patre*, *& Domino Jeſu Chriſto* „. Ad hæc Pearſonus *par.* I. *cap.* XI. *Defenſ. Epiſt. Ignat. pag.* 410. *tom.* II. *PP. Apoſtolicor.* „ Innuere, *inquit*, videtur locum Apocalypſeos, „ quo ſcribitur ad Angelum Smyrnæorum Eccleſiæ: *Novi opera tua*. Quæ ſi obſervatio re- „ cta ſit, non dubitandum erit, quin illi ſeptem Angeli Eccleſiarum totidem fuerint pro- „ prie dicti Epiſcopi „. Hac ille; quæ ſatis ne bene conſtituta ſint, ipſe viderit. Thomas Bruno *in judicio de canonibus*, *& conſtitutionibus Apoſtolicis* §. XXI. *tom.* II. *PP. Apoſtolicor. pag.* 186. *ſeq. edit. an.* 1724. *P.* II Angelos fuiſſe dictos arbitratur *Apoſtolorum Apoſtolos*, hoc eſt presbyteros primi ordinis ab Apoſtolis miſſos ad annunciandum populo verbum vitæ, atque ad conſtituendas Eccleſias, & gubernandas eas, quas conſtituiſſent. Quare Creſcentem miſſum a Paulo in Galatiam ἄγγελον γαλατίας *Galatiæ Angelum* fuiſſe. Ubi autem onus illud ἀγγέλων, hoc eſt eorum, qui miſſi ad promulgandum Evangelium fuerant, ob jam inſtitutas Eccleſias, ceſſavit, paſtoreſque ſunt conſtituti, qui in urbibus

Chriſti ſententia, divinaque voluntate introductum fuiſſe dixerunt. In his autem numerare Clementem (1) Romanum, Polycarpum, Ignatiumque Apoſtolorum auditores, tum Juſtinum martyrem, quem paullo poſt floruiſſe conſtat; inde Irenæum Polycarpi diſcipulum (2), & imitatorem licet. Neque

bibus conſiderent, quod quidem, ejus opinione, temporibus Trajani contigit; tunc item appellationem ceſſaſſe τῶν ἀγγέλων, cœpiſſeque paſtores Epiſcopos dici cenſet. Atque hoc ſenſu *Gordiani Martyris* inſcriptionem, quam deſcripſimus *tom.* 1. *hujus Operis pag.* 460. explicandum putat, propterea quod ille nuncius Galliæ appellctur. Quæ ſane omnes intelligant, quam ſint inaniter diſputata. Miſſum enim ab Johanne quemquam, qui Smyrnenſem, Epheſiamque fundaret Eccleſias, nullum eſſe opinor, qui in animum inducere, ut credat, poſſit. Nam Eccleſias Aſiæ conſtitutas a Paulo, & Johanne fuiſſe, cum e Sc[r]ipturis colligatur, tum etiam, ex traditione majorum. Confer *Acta Apoſt. cap.* XVIII. *& ſeq. epiſt. ad Epheſios*. S. Irenæus *lib.* III. *cap.* IV. *pag.* 177. ἀλλὰ καὶ ἡ ἐν Ἐφέσῳ ἐκκλησία ὑπὸ Παύλου μὲν τεθεμελιωμένη. „ Sed & quæ Epheſi Eccleſia eſt a Paulo quidem fundata„. Sed enim paullo poſt oſtendam, qui fuerint Epiſcopi ab Apoſtolis in Eccleſiis primum conſtituti. Interea hoc tenebo: Angelum Eccleſiæ Epheſi non talem fuiſſe, qualem Bruno deſcribit.

1 Confer ſupra Clementis locum *pag.* 22. *not.* 2. *hujus vol.* Animadvertendum autem eſt, quod ibidem ſtatuit Clemens παραγγελίας λαβόντας *acipientes mandatum* Apoſtolos.... *prædicaſſe per regiones, & urbes, & primitias ſpiritu cum probaſſent, conſtituiſſe Epiſcopos, & Diaconos*. Nam hæc plane efficiunt, mandato Chriſti fuiſſe Epiſcoporum ordinem ab Apoſtolis propagatum. Ignatii quoque teſtimonia vide ſupra *pag.* 22. *not.* 2. & *pag.* 23. Epiſcopos enim in regionibus conſtitutos eſſe in *Jeſu Chriſti ſententia* ſcribit. Etſi vero nihil ejuſmodi colligi ex epiſtola Polycarpi ad Philippenſes poſſit, quod ad ejus inſtitutum minime pertineret de Epiſcopis, qua ſunt presbyteris ſuperiores, agere; tamen Irenæus in III. *contra Hæreſeos libro cap.* III. *pag.* 176. *edit. Veneta an.* 1734. ab Apoſtolis eum fuiſſe conſtitutum Smyrnæorum *Epiſcopum* ſcribit. Ac perſuaderi quidem mihi a nemine poterit, quidquam in hoc genere fuiſſe ab Apoſtolis geſtum, ſtatutumque, quod non accepiſſent a Servatore generis humani, & Magiſtro Jeſu. Sunt autem Irenæi verba hujuſmodi. „ Polycarpus autem non ſolum ab Apoſtolis edoctus, & converſatus cum multis ex eis, „ qui Dominum noſtrum viderunt, ſed etiam ὑπὸ ἀποστόλων κατασταθεὶς εἰς τὴν Ἀσίαν ἐν „ τῇ ἐν Σμύρνῃ ἐκκλησίᾳ ἐπίσκοπος, ὃν καὶ ἡμεῖς ἑωράκαμεν ἐν τῇ πρώτῃ ἡμῶν ἡλικίᾳ: „ *ab Apoſtolis conſtitutus in Aſia, in ea, quæ Smyrnis eſt, Eccleſia Epiſcopus, quem & nos* „ *vidimus in prima noſtra ætate &c.* Confer ejuſdem S. Irenæi locum ex *epiſt. ad Florinum*, quem deſcripſit Euſebius *lib.* V. *hiſt. cap.* XX. *pag.* 238. *ſeq. edit. Cantabr.*

2 Ejus, qui conventibus Chriſtianorum præerat, meminit Juſtinus Martyr *Apolog.* 1. *n.* LXVII. *pag.* 26. ὁ προεστὼς, inquit, διὰ λόγου τὴν νουθεσίαν, καὶ πρόκλησιν τῆς τῶν καλῶν τούτων μιμήσεως ποιεῖται .... καὶ ὁ προεστὼς εὐχὰς ἀναπέμπει .... καὶ τὸ συλλεγόμενον παρὰ τῷ προεστῶτι ἀποτίθεται. „ *Qui præeſt* admonitionem verbis, & adhortationem ad res tam „ præclaras imitandas ſuſcipit .... *Qui præeſt* preces ... emittit .... Quod colligitur apud „ eum, *qui præeſt*, deponitur „. Atque hunc, *qui præeſt*, cujuſque Juſtinus mentionem facit, Epiſcopum fuiſſe arbitror. Nam ſi presbyteros indicare Martyr voluiſſet, non unum, ſed plures, qui præeſſent, memoraſſet; *edit. opp. Veneta an.* 1747. Irenæus præterea Polycarpi auditor, ſucceſſores eſſe Apoſtolorum Epiſcopos contendit. Apoſtolos autem jure divino conſtitutos inſpectores, gubernatoreſque Eccleſiarum, paullo ante vidimus. Quare conſequens erit, hoc idem eſſe de Epiſcopis concedendum. Sic autem habet Irenæus *l.* IV. *c.* XVII. *pag.* 262. *ejuſd. edit.* „ Quapropter eis, qui in Eccleſia ſunt, presbyteris (*presbyterorum vero nomine Epiſcopos ſignificat, ut ex iis, quæ ſubdit, intelligitur*) obaudire oportet, „ his qui ſucceſſionem habent ab Apoſtolis, ſicut oſtendimus, qui cum Epiſcopatus ſucceſ- „ ſione chariſma veritatis certum ſecundum placitum patris acceperunt „. Rurſus idem eſt teſtis

Neque vero Irenæus ſolum , & Juſtinus , ſed etiam Dionyſius Corinthiorum (1) Epiſcopus, Hegeſippus (2), Polycrates Epheſius (3) , aliique ſecundi ſeculi Scriptores ita eſſe Epiſcopos diſtinguendos a Presbyteris ſtatuerunt, ut ejus diſtinctionis originem neque recentem , neque humanam eſſe affirmarint . Sed horum ego teſtimonia deſcribam, cum de Epiſcoporum ſupra Presbyteros, jam uſque ex Apoſtolorum temporibus , auctoritate copioſe agam . Accedit Tertulliani , qui extremo ſeculo ſecundo , atque ineunte tertio in Africa vixit , conſenſio . Is enim non ſolum Epiſcopum Presbytero antecellere (4) , auctoritateque præſtare , in eo libro , qui de Baptiſmo inſcribitur , ſtatuit , ſed etiam Antiſtitum eſſe proprium affirmavit , leges de Eccleſiis recte adminiſtrandis (5) ſcribere , accuſavitque hæreticos (6) ſui temporis , propterea quod humanæ eorum ordinatio-

teſtis Irenæus , Epiſcopos jam uſque ab ætate Apoſtolorum a presbyteris fuiſſe diſtinctos, *Lib. enim* III. *cap.* XIV. *pag.* 201. *edit. ejuſd.* ,, *In Mileto inquit , convocatis Epiſcopis ,* ,, *& Presbyteris* , qui erant ab Epheſo , & a reliquis proximis civitatibus , quoniam ipſe ,, feſtinaret Hieroſolymis Pentecoſten agere , multa teſtificans eis , & dicens , quæ oportet ,, eis Hieroſolymis evenire , adjecit . *Scio quoniam jam non videbitis faciem meam .... Attendite igitur & vobis , & omni gregi , in quo vos Spiritus Sanctus præpoſuit Epi-* ,, *ſcopos regere Eccleſiam Domini* ,, . Hinc Adnotator in *novam Irenæi edit. ejuſd. pag. ead. notat. l.* ,, Sic Græcam vocem , *inquit* , πρεσβυτέρους *Act.* XX. 17. quam reddidit vulga- ,, tus (*Bibliorum*) interpres , *majores natu* , recte interpretatur Irenæus . Epiſcopos igi- ,, tur a Presbyteris diſtinguit , nec eum eſſe exiſtimat hujus Sacræ Scripturæ loci ſenſum , ,, *Epiſcoporum* , & *Presbyterorum* unum , & eumdem extitiſſe gradum , & ordinem . Nec ,, his contentus Sanctiſſimus Præſul addit : Epiſcopos illos , & Presbyteros non ab Epheſo ,, tantum , ſed & a reliquis proximis civitatibus convocatos fuiſſe . Quos ergo poſtea com- ,, pellat Epiſcopos Apoſtolus , non erant Epheſini dumtaxat Presbyteri , ut Scripturæ verba ,, detorquentes cavillantur Puritani , ſed Epheſi , & reliquarum proximarum Civitatum ,, Epiſcopi ,, . Sed de his alias .

1 *Num.* II. *hujus* §.

2 *Ibid.* 3 *Ibid.*

4 Confer *lib. de Monogamia cap.* XII. *pag.* 533. *edit. Venetæ an.* 1748. & *lib. de Fuga in Perſecutione cap.* XI. *pag.* 540. ,, ubi : Hoc ſentire , inquit , & facere omnem ſervum ,, Dei oportet , etiam minoris loci , ut majoris fieri poſſit , ſi quem gradum ex perſecu- ,, tionis tolerantia aſcenderit . Sed quum ipſi auctores , ideſt ipſi Diaconi , Presbyteri , & ,, Epiſcopi fugiunt &c. ,, *Et lib. de Baptiſmo cap.* XVII. *pag.* 230. ,, Dandi quidem habet ,, jus ſummus Sacerdos , qui eſt Epiſcopus , dehinc Presbyteri , & Diaconi , non tamen ſine ,, Epiſcopi auctoritate .

5 *Lib. de Jejuniis cap.* XIII. *pag.* 551. ,, Bene autem quod & Epiſcopi univerſæ plebi ,, mandare jejunia aſſolent ,, . *Et lib. de Pudicitia cap.* XVIII. *pag.* 570. *ſeqq.* ,, Quod ſi ,, clementia Dei ignorantibus adhuc , & infidelibus competit , utique & pœnitentia ad ſe ,, clementiam invitat , ſalva illa pœnitentiæ ſpecie poſt fidem , quæ aut levioribus delictis ,, veniam ab Epiſcopo conſequi poterit , aut majoribus , & irremiſſibilibus a Deo ſolo .

6 *Lib. de Præſcriptionibus Hæret. cap.* XXXII. *pag.* 213. ,, Edant ergo Origines Eccle- ,, ſiarum

nationes eſſent, paterenturque, ut qui hodie Epiſcopus eſſet, idem cras Epiſcopus eſſe defineret. Quid? Si Epiſcopos ſucceſſiſſe Apoſtolis teſtetur, hoſque Præſulum Eccleſiarum anteceſſores (1) vocet? Epiſcopos igitur fuiſſe Apoſtolos putavit. Non enim anteceſſores dixiſſet *Epiſcoporum*, quos Epiſcopos non fuiſſe exiſtimaſſet. Quis autem tam eſt abſurdo ingenio, ut humano jure Apoſtolis fuiſſe cenſeat, auctore Tertulliano, Epiſcoporum poteſtatem datam? Nam quidquid fuerunt, id illi quidem fuerunt beneficio Chriſti. Quare ſi Apoſtoli, Tertulliano teſte, Epiſcopi fuerunt voluntate, inſtitutioneque Chriſti, fuerit item, ejuſdem Scriptoris ſententia, auctoritate Chriſti inſtitutus Epiſcopatus neceſſe eſt. Non ergo eſt humana, Tertulliano prædicatore, ac teſte, inſtitutio Epiſcopatus.

Sunt etiam præclara in hoc genere Clementis Alexandrini teſtimonia (2), qui æqualis fere temporum illorum fuit.

„ ſiarum ſuarum. Evolvant ordinem Epiſcoporum ſuorum ita per ſucceſſiones ab initio de-
„ currentem, ut primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris, qui ta-
„ men cum Apoſtolis perſeveraverit, habuerit auctorem, & anteceſſorem. Hoc enim mo-
„ do Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt, ſicut Smyrnæorum Eccleſia Polycarpum ab
„ Johanne conlocatum refert; ſicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum ibidem.
„ Perinde utique, & ceteræ exhibent, quos ab Apoſtolis in Epiſcopatum conſtitutos Apo-
„ ſtolici ſeminis traduces habeant „. *Et cap.* XLI. *pag.* 217. „ Non omittam ipſius etiam
„ converſationis hæreticorum deſcriptionem, quam futilis, quam terrena, quam humana
„ ſit. Sine gravitate, ſine auctoritate, ſine diſciplina. ut fidei ſuæ congruens. Inprimis
„ quis Catechumenus, quis fidelis, incertum eſt. Pariter adeunt, pariter orant; etiam
„ Ethnici ſi ſupervenerint, ſanctum canibus, & porcis margaritas, licet non veras, jacta-
„ bunt .... Ordinationes eorum temerariæ, leves, inconſtantes. Nunc neophytos conlo-
„ cant, nunc ſeculo obſtrictos, nunc Apoſtatas noſtros, ut gloria eos obligent, quia veri-
„ tate non poſſunt. Nuſquam facilius proficitur, quam in caſtris rebellium, ubi ipſum eſſe
„ illic, promereri eſt. Itaque alius hodie Epiſcopus, cras alius; hodie Diaconus, qui cras
„ Lector. Hodie Presbyter, qui cras Laicus. Nam & Laicis Sacerdotalia munera injun-
„ gunt &c.

1 Vide *not. ſuper.* Idem Tertullianus *lib.* IV. *adverſus Marcionem cap.* V *pag.* 415.
„ In ſumma ſi conſtat, id verius, quod prius, id prius, quod & ab initio, quod ab Apoſto-
„ lis, pariter utique conſtabit, id eſſe ab Apoſtolis traditum, quod apud Eccleſias Apoſto-
„ lorum fuerit ſacroſanctum. Videamus quod lac a Paulo Corinthii hauſerint; ad quam
„ regulam Galatæ ſint recorrecti; quid legant Philippenſes, Theſſalonicenſes, Epheſii;
„ quid etiam Romani de proximo ſonent, quibus Evangelium & Petrus, & Paulus ſanguine
„ quoque ſuo ſignatum reliquerunt. Habemus & Johannis alumnas Eccleſias. Nam etſi
„ Apocalypſim ejus Marcion reſpuit, ordo tamen Epiſcoporum ad originem recenſus, in
„ Johannem ſtabit auctorem.

2 Clemens Alexandrinus *lib.* VI. *Stromatum pag.* 667. *edit. an.* 1641. „ Licet igitur
„ etiam nunc in Dominicis mandatis exercitos, quique ex cognitione ſecundum Evangelium
„ vixerunt, ſelecto Apoſtolorum numero adſcribere. Hic revera Eccleſiæ Presbyter eſt,
„ ve-

fuit . Apoſtolorum enim numero adſcribit eos , qui Presbyteri ſunt conſtituti , nomineque Presbyteri indicat non ſecundi modo, ſed etiam primi ordinis Sacerdotes . Aſſentitur porro Origenes (1) in iis libris , quos edidit contra Celſum Epicu-

,, veruſque divinæ voluntatis Diaconus , ſi quæ Domini ſunt , faciat , & doceat , non ab ho-
,, minibus ordinatus : nec quia Presbyter juſtus reputatus , ſed quia juſtus eſt , In presby-
,, terio recenſitus : licet hic in terra primo conſeſſu honoratus non ſit ,, . *Primum conſeſſum* Epiſcopatum vocat . Rurſum VII : *libro ad pag.* 700. ,, Eam , quæ meliores facit , in
,, Eccleſia imaginem ſervant Presbyteri , miniſtratoriam Diaconi . Ambobus his miniſtris
,, Deo , ſecundum terrenarum rerum diſpenſationem ſerviunt , tum Angeli , tum ipſe , qui
,, cognitione præditus eſt ,, Et *l.* VI . *p.* 667. ,, Quoniam & hic in Eccleſia progreſſiones Epi-
,, ſcoporum , Presbyterorum , & Diaconorum imitationes ſunt gloriæ Angelicæ , & illius di-
,, ſpenſationis &c. ,, . Viden , ut tres recenſeat ordines . Argumento eſt igitur , ſuperioribus locis nomine Presbyterorum indicatos fuiſſe a Clemente Epiſcopos , ſecundique Ordinis Sacerdotes .

1 Origenes *lib.* III. *contra Celſum num.* XLVIII . *tom.* I. *opp. edit. Pariſ. Monachor. S. Mauri* . ,, Paulus deſcribens quibus dotibus ornatum eſſe oporteat , quem vocat Epiſco-
,, pum , jubet eum eſſe doctorem : ait enim oportere , ut potens ſit eos , qui contradicunt ,
,, arguere , & ſua ſapientia os obſtruere vaniloquis , & ſeductoribus . Et quemadmodum unius
,, uxoris vir eo , qui ſecundas nuptias contraxit , irreprehenſibilis eo , qui reprehendi po-
,, teſt ; ſobrius immoderato , pudicus impudico , ornatus eo , qui tantillum immoderatus eſt ,
,, magis dignus *Epiſcopi* munere ab ipſo judicatur : ita vult eum , qui Epiſcopus eligendus
,, eſt , hujuſmodi eſſe , qui docere , & contradicentes arguere poſſit ,, . *Et lib.* VIII . *n.* LXXV . ,, Sed nos qui ſcimus in ſingulis civitatibus , aliam eſſe patriam a Verbo Dei conſti-
,, tutam , eos ut Eccleſias regant , hortamur , qui potente ſermone , & quorum mores ſani
,, ſunt .... Itaque qui nobis ſapienter præſunt , id illi coacti faciunt , coacti inquam a Magno
,, illo rege , quem Dei Filium , Deumque Verbum eſſe perſuaſum nobis eſt . Quod ſi qui in
,, Eccleſia præſunt , hoc eſt Eccleſiæ vocati Antiſtites , illi , quæ ſecundum Deum eſt , patriæ
,, recte præſunt , ut ex præſcriptis a Deo legibus præſunt , propterea illi nullo modo ab huma-
,, nis contaminantur legibus ,, . Idem Homilia XIII . *in Lucam pag.* 551 . *t.* III . *edit. an.* 1743 .
,, Si audacter expedit loqui ſcripturarum ſenſum ſequenti , per ſingulas Eccleſias bini ſunt
,, Epiſcopi , alius viſibilis , alius inviſibilis , ille viſui carnis , hic ſenſui patens .... ſi autem
,, Angelis ſollicitudo eſt , quomodo Eccleſiæ gubernentur ? Quid neceſſe eſt hominibus di-
,, cere quantum metum habeant , ut poſſint cum Angelis laborantibus laborantes ſalutem
,, conſequi . Ego puto inveniri ſimul poſſe & Angelum , & hominem bonos Eccleſiæ Epi-
,, ſcopos , & quodammodo unius operis eſſe participes . Quod cum ita ſit , petamus omni-
,, potentem Deum , ut Angeli , & homines Eccleſiarum Epiſcopi adjumento ſint nobis , &
,, ſciamus , quoniam utrique pro nobis a Domino judicentur ,, . Homilia XVII . *pag.* 557 .
,, Neque Epiſcopus , neque Presbyter , neque Diaconus , nec vidua poſſunt eſſe digami ,, .
Tom. XI . *in Matth. pag.* 286 . *edit. an.* 1743 . ,, Quoniam autem ii , qui Epiſcoporum locum ſibi
,, vendicant , utuntur & dicto , ſicut Petrus , & claves regni Cælorum a Servatore accepe-
,, runt , docentque ea , quæ ab illis ligata fuerint , hoc eſt condemnata , eadem & in cælis
,, ligata : rurſus ea , quæ ſoluta fuerint ab ipſis , eadem & in cælis eſſe ſoluta ; dicendum eſt
,, illis recte loqui , ſi pariter & facta habuerint , ob quæ dictum eſt illi , qui erat Petrus ,
,, *Tu eſt Petrus* ; ſique tales fuerint , ut a Chriſto ſuper eos ædificetur Eccleſia ,, . *Et Tomo* XVI . *pag.* 394 . ,, *Principes gentium dominantur eorum , non ita erit inter vos* .....
,, Epiſcopi autem quidam crudeliter comminantur aliquando quidem occaſione peccati , ali-
,, quando autem contemnunt pauperum curam , cum ſit ſcriptum , *quantum magnus es* ,
,, *tantum humiliate , & invenies gratiam coram Domino* . Principes ergo gentium domi-
,, nentur eorum : principes autem Eccleſiæ ſerviant ſubditis . Sed & majores gentium pote-
,, ſtatem exerceant fidelium , audiant autem eum , qui dicit : diſcite a me , quia mitis ſum ,
,, & hu-

Epicureum. Nam Epiſcoporum originem repetit jam inde ab ætate Apoſtolorum. Quinetiam in commentariis, quos in libros novi Teſtamenti ſcripſit, duos eſſe in quaque Eccleſia Epiſcopos, quorum alter ſub aſpectum cadat, alter non cadat; inque Epiſcopos clavium, quam Chriſtus Apoſtolis dederat, arguendorumque ſceleratorum virorum, ac Satanæ, ſi opus eſt, tradendorum poteſtatem manaſſe defendit. Quæ res plane efficit, ſucceſſiſſe Epiſcopos in Apoſtolorum locum, Apoſtoloſque ipſos valuiſſe poteſtate *Epiſcopali*, tametſi ea, qua nunc Epiſcopi gaudent, & majore, & ampliore. Eodem fere ſpectant Cleri (1) Romani litteræ, quas ad Cyprianum Epiſcopum Carthaginienſem medio fere ſeculo tertio dedit. Non diſcrepat Cornelius (2) Pontifex in Epiſtolis

„ & humilis corde. Non iſta dicimus, ut inclinemus Eccleſiaſticum principatum. Eſt enim „ interdum, quando ſecundum vocem Apoſtolicam, peccantes coram omnibus arguant, ut „ & ceteri metum habeant. Eſt aliquando, ut utens poteſtate ſua tradat peccantem ſatanæ in „ interitum carnis, ut ſpiritus ſalvetur in die Domini: tamen hoc raro fieri debet.

1 Clerus Romanus *epiſt.* xxx. inter *Cyprianicas pag.* 58. *edit. Oxon.* „ Quamquam nobis differendæ hujus rei neceſſitas major incumbat, quibus poſt exceſſum nobiliſſimæ me„ moriæ viri Fabiani, nondum eſt Epiſcopus propter rerum, & temporum difficultates con„ ſtitutus, qui omnia iſta moderetur, & eorum, qui lapſi ſunt, poſſit cum auctoritate, & con„ ſilio habere rationem. Quamquam nobis in tam ingenti negotio placeat, quod & tu ipſe „ tractaſti prius: Eccleſiæ pacem ſuſtinendam; deinde ſic collatione conſiliorum cum Epi„ ſcopis, Presbyteris, Diaconis, Confeſſoribus pariter, ac ſtantibus laicis facta, lapſorum „ tractare rationem ..... Cujus temperamenti moderamen nos hic tenere quærentes diu, & „ quidem multi, & quidem cum quibuſdam Epiſcopis vicinis nobis, & appropinquantibus, „ & quos ex aliis provinciis longe poſitis perſecutionis iſtius ardor ejecerat, ante Conſti„ tutionem *Epiſcopi* nihil innovandum putavimus, ſed lapſorum curam mediocriter tempe„ randam eſſe credimus, ut interim dum Epiſcopus dari a Deo nobis ſuſtinetur, in ſuſpenſo „ eorum, qui moras poſſunt dilationis ſuſtinere, cauſſa teneatur „. Ab uno igitur Epiſcopo regendam eſſe Eccleſiam defendebant, neque tum primum eam rationem, aut aliquanto ante cœpiſſe arbitrabantur. Quare ita erant inſtituti, ut ab Apoſtolo Petro repetendam putarent, quem Epiſcopum Romæ fuiſſe, cujuſque Succeſſores eſſe Romanos Pontifices norant. Nam ſi Cyprianus cum ad Romanos, aut de Romanis ſcriberet, hæc diſertis verbis affirmabat, cur non item affirmaſſent Romani Presbyteri, atque Diaconi, quibus ſuæ Eccleſiæ decora perſpecta, atque explorata erant? Sed de Cypriano paullo poſt. Interea hæc ſatis ſint, ab Clero Romano anno circiter 250. ſcripta ad Cyprianum.

2 S. Cornelius epiſt. VI. ad s. Cyprianum *pag.* 135. *tom.* 1. *Epiſtolarum Romanor. Pontif. n.* 2. *edit. Coutantii*, quæ epiſtola eſt XLIX. *inter Cyprianicas edit. Oxon.* & XLVI. *edit. Pamelii*. „ In presbyterium, *inquit*, venerunt Maximus, Urbanus, Sidonius, & plerique „ fratres, qui eis ſe adjunxerant, ſummis precibus deſiderantes, ut ea, quæ fuerant geſta, in „ oblivionem cederent ..... & ut ipſorum propria verba deſignem, *nos*, inquiunt, *Corne„ lium Epiſcopum Sanctiſſimæ Catholicæ Eccleſiæ electum a Deo omnipotente, & Chriſto „ Domino noſtro ſcimus, nos errorem noſtrum confitemur, nos impoſturam paſſi ſumus, „ circumventi ſumus perfidia, & loquacitate captioſa .... Nec enim ignoramus, unum „ Deum eſſe, unum Chriſtum eſſe Dominum, quem confeſſi ſumus, unum Spiritum San„ ctum,*

ſtolis duabus, quarum alteram ſeculo eodem ad Cyprianum ſcripſit, alteram ad Fabium Epiſcopum Antiochenorum. Unum enim in Eccleſia quaque Catholica Epiſcopum eſſe oportere teſtatur. At ſi inſtitutione humana Epiſcopi ſuperiores Presbyteris eſſent, non tanta fuiſſet neceſſitas, ut unus Eccleſiam Epiſcopus moderaretur. Cyprianus autem Epiſcopus (1) Carthaginienſis, & Martyr nonne Epiſcopos Romanos Petri eſſe ſucceſſores, Epiſcopatumque non hominum voluntate, ſed divino nutu, inſtitutoque invectum in Eccleſiam fuiſſe affirmavit? Accedit Firmilianus Epi-

,, *ctum*, UNUM EPISCOPUM IN CATHOLICA ECCLESIA ESSE DEBERE ,,. *Et epiſtola ad Fabium Antiochenum, quæ eſt* IX. *inter Cornelii in edit. tom.* 1. *Epiſtolar. Roman. Pontif. Coutant. n.* 2. *pag*. 147. quæque refertur ab Euſebio *lib.* VI. *hiſt. cap.* XLIII. *pag.* 271. *edit. Taurinenſis an.* 1746. ,, Neque ille, *inquit*, (Novatianus).... cum Epiſcopatum ſibi
,, *deſuper* ἄνωθεν minime conceſſum, præter fas ſibi arrogare, atque ſubripere conaretur,
,, duos ſibi ſocios deploratæ ſalutis delegit, quos in exiguam, atque viliſſimam Italiæ par-
,, tem deſtinaret, ut inde accitos Epiſcopos tres, homines plane rudes, ac ſimplices, frau-
,, dulenta quadam moiitione deciperet.... Qui cum adveniſſent.... incluſos hora decima
,, temulentos, & crapula oppreſſos imaginaria quadam, & inani manuum impoſitione Epi-
,, ſcopatum ſibi tradere per vim cogit.... Ille ergo.... ignorabat *unum Epiſcopum eſſe*
,, *oportere* ἵνα ἐπίσκοπον δεῖν εἶναι ἐν καθολικῇ ἐκκλησίᾳ ,,? Scilicet a Deo conſtitutos eſſe Epiſcopos, impoſitioneque manuum eis regendæ Eccleſiæ auctoritatem dari, unumque eſſe oportere in quaque Eccleſia Cornelius an. 251. ſcribens teſtatur. Id vero numquam dixiſſet, ſi jure humano, poſt ætatem Apoſtolorum, invectam eſſe Epiſcoporum a Presbyteris diſtinctionem putaſſet.

1 S. Cyprianus *epiſt.* XXXIII. *ad Lapſos pag.* 66. *edit. Oxon.* ,, Dominus noſter, *in-*
,, *quit*, cujus præcepta metuere, & obſervare debemus, Epiſcopi honorem, & Eccleſiæ
,, ſuæ rationem diſponens in Evangelio loquitur, & dicit Petro: *Ego tibi dico, quia tu es*
,, *Petrus, & ſuper iſtam petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claves regni*
,, *cælorum, & quæ ligaveris ſuper terram, erunt ligata & in cælis, & quæcumque ſol-*
,, *veris ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis*: inde per temporum, & ſucceſſionum vi-
,, ces Epiſcoporum ordinatio, & Eccleſiæ ratio decurrit, ut Eccleſia ſuper Epiſcopos con-
,, ſtituatur, & omnis actus Eccleſiæ per eoſdem præpoſitos gubernetur. Cum hoc itaque
,, DIVINA LEGE FUNDATUM SIT, miror quoſdam audaci temeritate ſic mihi ſcribere voluiſ-
,, ſe; quando Eccleſia in Epiſcopo, & clero, & in omnibus ſtantibus ſit conſtituta ,,. Quid clarius? *Epiſt.* LV. *al.* LII. *edit. Oxon.* & inter *epiſt. Cornel. tom.* I. *Collect. epiſt. Roman. Pontif. epiſt.* X. *pag.* 163. ,, Venio jam nunc, frater cariſſime, ad perſonam Corne-
,, lii collegæ noſtri: ut Cornelium nobiſcum verius noveris, non de malignorum, & de-
,, trahentium mendacio; ſed de Dei judicio, qui Epiſcopum fecit..... Tum deinde Epi-
,, ſcopatum ipſum nec poſtulavit, nec voluit, nec, ut ceteri, quos arrogantiæ, & ſuper-
,, biæ ſuæ tumor inflat, invaſit: ſed quietus alias, & modeſtus..... vim paſſus eſt, ut
,, Epiſcopatum coactus exciperet..... Factus eſt autem Cornelius Epiſcopus de Dei, &
,, Chriſti ejus judicio, de clericorum pene omnium teſtimonio..... cum nemo ante ſe fa-
,, ctus eſſet, cum Fabiani locus, IDEST CUM LOCUS PETRI, & gradus Cathedræ ſacerdotalis
,, vacaret... Tum deinde poſt Epiſcopatum non exambitum, nec extortum, ſed de DEI,
,, QUI SACERDOTES FACIT, voluntate ſuſceptum, quanta in ipſo ſuſcepto Epiſcopatu ſuo
,, virtus, quantum robur animi, qualis firmitas fidei..... ſediſſe intrepidum Romæ in
,, ſacerdotali Cathedra eo tempore, cum tyrannus infeſtus Sacerdotibus Dei ſanda, atque
,, infan-

(1) Epiſcopus Cæſareenſis in Cappadocia, & æqualis temporum illorum. Nam in litteris, quas ad Cyprianum, de tingendis rurſum hæreticis, qui ad Catholicam Eccleſiam veniſſent, dedit, *odinatione vicaria* Apoſtolis Epiſcopos ſucceſſiſſe confirmat.

Jam de Patribus, qui quarto, ſequentibuſque ſeculis floruerunt, ut de Julio, de Liberio, ceteriſque Romanis Pontificibus, de Athanaſio (2) deque Cyrillo Alexandrinis, de Epiphanio Salaminio, de Hilario Pictavienſi, de Ambroſio

,, Infanda comminaretur, cum multo patientius, & tolerabilius audiret, levari adverſum
,, ſe æmulum principem, quam conſtitui Romæ Dei Sacerdotem ,, . *Sacerdotis* nomine hoc
loco indicat primi ordinis *Sacerdotem*, hoc eſt Epiſcopum, ut ex ſerie orationis plane conſtat. Sacerdotes vero etiam primi ordinis a Deo fieri contendit. Novit ergo divinam inſtitutionem. Scripſit autem hæc Cyprianus *an.*252. Rurſum *epiſt.* XLV. *al.* XLII. *ad Cornelium pag.* 86. *edit. Oxon. &* II. *inter Cornelianas in Collect. Epiſtolar. Romanor. Pontific. tom.* 1. *edit. Coutantii*: ,, Sed quoniam, *inquit*, diverſæ partis obſtinata, &
,, inflexibilis pertinacia non tantum radicis, & matris ſinum, atque complexum recuſavit,
,, ſed etiam gliſcente, & in pejus recrudeſcente diſcordia Epiſcopum ſibi conſtituit, &
,, contra ſacramentum ſemel traditum DIVINÆ DISPOSITIONIS, & Catholicæ unitatis, adul-
,, terum, & contrarium caput extra Eccleſiam fecit; acceptis litteris tam tuis, quam col-
,, legarum noſtrorum, item adventantibus bonis viris, & nobis cariſſimis collegis noſtris
,, Pompejo, & Stephano, a quibus hæc omnia nobis cum lætitia communi aſſeverata ſunt,
,, & probata, ſecundum quod divinæ traditionis, & Eccleſiaſticæ inſtitutionis ſanctitas
,, pariter, ac veritas exigebat; litteras noſtras ad te direximus ,, . *Et ep.* XLVIII. *al.* XLV. *pag.* 91. *edit. Oxon. & tom.* 1. *Collect. Epiſtolar. Romanor. Pontific. pag.* 132. *edit. Coutantii*, ad Cornelium ſcribens: ,, Dominus, qui ſacerdotes ſibi in Eccleſia ſua eligere, &
,, conſtituere dignatur, electos quoque, & conſtitutos ſua voluntate, atque opitulatione
,, tueatur ,, . *Epiſt.* LIX. *al.* LV. *pag.* 129. ,, Chriſtus Sacerdotes conſtituit ,, . Loquitur autem de Epiſcopis. Confer *epiſt.* LXVIII. *al.* LXVII. *pag.* 177. *ad Stephanum Papam*. Sed de Cypriani teſtimoniis reliquis erit *num. ſeqq.* opportunior diſſerendi locus.

1 Firmilianus epiſtola, quæ eſt inter *Cyprianicas in Oxonienſi editione* LXXV. *p.* 225. in Pameliana itemque LXXV. ſic habet: ,, Poteſtas peccatorum remittendorum Apoſtolis data
,, eſt, & Eccleſiis, quas illi a Chriſto miſſi conſtituerunt, & Epiſcopis, qui eis ORDINATIO-
,, NE VICARIA SUCCESSERUNT. Hoſtes autem unius Catholicæ Eccleſiæ, in qua nos ſumus,
,, & adverſarii noſtri, qui Apoſtolis ſucceſſimus, ſacerdotia ſibi illicita contra nos vindi-
,, cantes, & altaria profana ponentes, quid aliud ſunt, quam Core, Datan, & Abyron ,, ?
Stephanus P. M. & Martyr, ut eſt apud Firmilianum *ibid. pag.* 225. ,, De Epiſcopatus ſui
,, loco gloriabatur, & ſe SUCCESSIONEM Petri tenere contendebat, ſuper quem funda-
,, menta Eccleſiæ collata ſunt ,, .

2 S. Athanaſius *Apol.* II. *pag.* 134. *t.* 1. *edit. Pariſ. Montfauconi*, Synodi Alexandrinæ ſententiam adverſus Iſchyram refert, & probat, qui Iſchyras, quod ab Colutho, qui Epiſcopus non erat, ordinatus Presbyter eſſet, repulſus ab Synodo eſt, propterea quod, qui non erat Epiſcopus, Presbyteros creare non poſſet. Qua ex re intelligitur, quæ fuerit Ægyptiorum Patrum de Epiſcopatu ſententia. Jure enim divino conſtitutos Epiſcopos cognorant, quibus ſolis ordinandi poteſtas tributa eſſet. Alioqui, quemadmodum ordinati Sacerdotes a Meletio Epiſcopo Schiſmatico pro Sacerdotibus habiti ſunt, ita habitus Iſchyras ordinatus ab Colutho pro Presbytero fuiſſet, ſi ſola Eccleſiaſtica inſtitutione jus ordinandi Epiſcopis conveniret. Sed cum conniventiæ, æquitatiſque locum dari in Iſchyræ caſu nullum putarint Patres, fit ita, ut non humana, ſed divina inſtitutione datam Epiſcopis, ademptamque

broſio Mediolanenſi, de Auguſtino Hipponenſi, uno verbo de omnibus Epiſcopis; nemini dubium eſſe poteſt, quin divina ſententia fuiſſe Præſules Eccleſiæ inſtitutos, ſucceſſiſſeque Apoſtolis arbitrarentur. Nam qui Hieronymi, Ambroſiaſtri, & longe recentioris Eutychii Alexandrini teſtimoniis abutuntur, ii quidem magno in errore verſantur. Longe enim diſcrepans eorum ſcriptorum, imprimiſque Hieronymi ſententia fuit, quam ut contorqueri in alium ſenſum a Puritanorum, Lutheranorumque factione poſſit. Ac miror (1) equidem ita eſſe aliquos animis comparatos, ut quoniam aut Calvini, aut Lutheri partibus ſtuderent, nihil actum a Petavio, a Natali Alexandro, ab aliiſque Scriptoribus Orthodoxis, nihil ab Hammondo, Hallo (2), Pridæo, Pearſonio, Beveregio, ceteriſque Epiſcopalibus Anglis

ptamque Presbyteris ordinandi poteſtatem fuiſſe crederent. Sunt autem Patrum in *Synodica* epiſtola verba hujuſmodi: „ Πόθεν οὖν πρεσβύτερος Ἰσχύρας; τίνος καταστήσαντος; „ ἆρα Κολλούθου; τοῦτο γὰρ λοιπόν. Ἀλλ' ὅτι Κόλλουθος πρεσβύτερος ὢν ἐτελεύτησε. „ *Unde igitur Presbyter Iſchyras? a quo ordinatus? Utrum a Colutho? Hoc enim reſtat. Atqui Coluthus Presbyter cum eſſet periit*: Καὶ πᾶσα χεὶρ αὐτοῦ γέγονεν ἄκυρος· καὶ πάντες οἱ παρ' αὐτοῦ κατασταθέντες ἐν τῷ σχίσματι, λαϊκοὶ γεγόνασι, καὶ οὕτω συνάγονται, δῆλον, καὶ οὐδενὶ καθέστηκεν ἀμφίβολον „ *& omnis ab illo facta manuum impoſitio facta eſt irrita: & omnes, qui per ipſum in Schiſmate ordinati ſunt, laici facti ſunt, & ſic congregantur. Manifeſtum hoc eſt, & nemini eſt dubium* „. Eadem fere ſcribunt Clerici Mareotici *in relat. ad Curioſum, & Philagrium Præfectum Ægypti apud Athanaſ. ibid. num 75. pag.* 192. Ἰσχύρα ... λέγοντος ἑαυτὸν εἶναι πρεσβύτερον, ὃς οὐκ ἔστι πρεσβύτερος. ὑπὸ γὰρ Κολλούθου πρεσβυτέρου φαντασθέντος ἐπισκοπὴν, καὶ ὕστερον ὑπὸ κοινῆς συνόδου Ὁσίου, καὶ τῶν σὺν αὐτῷ ἐπισκόπων κελευσθέντος πρεσβυτέρου εἶναι, καθ' ὃ καὶ πρότερον ἦν, κατεστάθη, καὶ κατὰ ἀκολουθίαν πάντες οἱ ὑπὸ Κολλούθου κατασταθέντες, ἀνέδραμον εἰς τὸν αὐτὸν τόπον, εἰς ὃν καὶ πρότερον ἦσαν. ὡς καὶ αὐτὸς Ἰσχύρας λαϊκὸς ὤφθη. *Iſchyra dicente ſeipſum Presbyterum, qui non eſt Presbyter. A Colutho* „ *enim Presbytero (qui Epiſcopatum ſibi imaginarium vindicaret, & qui demum a Generali Synodo Oſii, & eorum, qui cum eo erant, Epiſcoporum juſſus erat pro Presbytero eſſe, ut erat prius) ordinatus eſt, & conſequenter omnes, qui a Colutho ordinati fuerant; in eumdem locum redierunt, in quo & prius erant, quemadmodum* „ *& Iſchyras ipſe laicus apparuit* „. Clariora hæc ſunt, quam ut obduci tenebris a quoquam poſſe videantur. Multa etiam ſunt in Hiſtoria, libriſque ceteris Euſebii, multa in Optati Milevitani, multa in Cyrilli Hieroſolymitani, aliorumque Patrum operibus, quæ paullo poſt proferentur.

1 Joh. Franciſcus Buddeus *Diſſert. Hiſtoric Theologica de Orig. & Poteſt. Epiſcop. pag.* 211. *n.* XIV. *edit. Diſſert. Theolog. Syntagm. Jenæ an.* 1715. „ Ut reliqua nunc taceam, *inquit*, non minus luculenta etiam prolata ab aliis, præſertim a Walone Meſſalino, ſub quo nomine Claudium Salmaſium latitare conſtat: ut profecto mirum ſit, contrariam ſententiam de Epiſcoporum præ Presbyteris prærogativa tot viris ingenio, & doctrina præſtantibus ſe adprobare potuiſſe „. At mirabile quidem eſt, quod probare Walonis ſententiam Buddeus potuerit, quæ Petavii, aliorumque argumentis exploſa eſt.

2 Joſephus Hallus *Epiſc. part.* 1. *cap.* VIII. & Hadrianus Saravias *de Diverſ. Miniſtr. Eccl. gradib. l.* 1. *c.* XX. *ſeq.*

adverſus Salmaſium, & Blondellum perfectum jactent; cum Orthodoxorum, Epiſcopaliumque Anglorum in hoc genere libri tanta vi orationis, tantaque gravitate, ac veritate perſcripti ſint, ut nihil ſupra, ad decretum religionis Catholicæ demonſtrandum, deſiderari poſſe videatur. Atque de his quidem, ne quis ſine ratione quidquam a nobis probatum putet, agemus mox diligenter, oſtendemusque, ſolutis argumentis adverſariorum, injuria fuiſſe Hieronymum, ceteroſque a Blondello in erroris ſuſpicionem vocatos.

Redeo ad Actorum Apoſtolicorum locum, quem paullo ante deſcripſi. Nam a Spiritu Sancto Epiſcopos conſtitutos, *ibidem*, Paulus confirmat. Jam vero qui conſtituti a Spiritu [1] Sancto, ut regant Eccleſiam Dei, fuerunt, hi profecto divina voluntate, divinoque decreto conſtituti fuerint, neceſſe eſt. Neque enim intelligo, quibus aliis uti vocibus Apoſtolus potuiſſet, ut Epiſcopatum juris eſſe divini ſignificaret. Nam quæ ipſe, ſociique ſanxerant, eorum non Chriſtum, neque Spiritum Sanctum, ſed Apoſtolos fuiſſe auctores Paulus ajebat, ne qua in diſtinguendis præceptis oriretur confuſio. Quamobrem cum de virginibus præcipit, *Dico*, [2] inquit, *Dico autem non nuptis &c.* Contra ubi præceptum divinum indicat, *Præcipio non ego*, ait, *ſed Dominus*.

Rurſus Epiſcopatus, quem in adminiſtrandis Eccleſiæ rebus, regendiſque non laicis modo, ac diaconis, ſed etiam presbyteris conſiſtere dictum eſt, divino jure eſt inſtitutus, ſi gratiam *conferat*. *Confert* autem *gratiam* [3]. Eſt igitur divino jure inſtitutus Epiſcopatus. Hortatur enim Paulus Timotheum, ut ne gratiam negligat, quam eſſet impoſitione manuum Presbyterii conſequutus. Eam vero conſequutus *gratiam* Timotheus fuerat, cum ei impoſitæ manus ad *Epiſcopatum* ſuſcipiendum eſſent.

Eſt autem poſtremo loco animadvertendum, rerum earum,

1 Confer *Acta Apoſt. cap.* XX. *v.* 17. *ſeqq.* & Irenæum *lib.* III. *contra Hæreſes c.* XIII. *pag.* 201. *edit. ejuſd.*

2 *Epiſt.* 1. *ad Corinth. cap.* VII. *v.* 8. *ſeqq.*

3 1. *ad Timoth. cap.* IV. *v.* 14. „ Noli negligere gratiam, quæ eſt in te, quæ data eſt „ tibi per Prophetiam CUM IMPOSITIONE MANUUM PRESBYTERII „. *Et cap.* V. *ver.* 22. „ Manus cito nemini impoſueris, neque communicaveris peccatis alienis.

earum , quarum initium in Eccleſia poſt Apoſtolos nullum invenire licet, eſſe ab Apoſtolis, Chriſtoque ipſo primordia repetenda . Epiſcopatus autem poſt ætatem Apoſtolorum initium reperire non (1) licet . Sunt igitur primordia Epiſcopatus ab Apoſtolis , Chriſtoque ipſo repetenda , a quó auctoritatem Apoſtoli acceperunt . Atque hæc ſatis de Epiſcoporum inſtitutione dicta ſunt . Age nunc videamus , quibus momentis rationum argumenta , queis maxime Puritani confidunt , eludi , refellique poſſint .

Refelluntur Salmaſii , Buddei , & Walchii argumenta .

Claudius Salmaſius vir de Puritanorum ſecta in iis libris, quos de *Fœnore Trapezitico* (2) , deque *Epiſcopis*,& *Preſbyteris* (3) publicavit , etſi pugnantia interdum loquutus eſt (4) , tamen ſic ſtatuit : nullos fuiſſe ætate Apoſtolorum ,

 Epi-

1 Vide locum Clementis Romani diſcipuli Apoſtolorum ſupra deſcriptum *pag.* 22. *not.* 2.

2 *Pag.* 405. *ſeqq. edit. an.* 1640.

3 *Per tot. fere* .

4 Nam in *diſſert. de Presb. & Epiſc. pag.* 205. ſic ſcribit . ,, Antiquior , ac prior mos ,, fuit Eccleſiarum ab ipſis Apoſtolis inſtitutus , ut primatus inter Presbyteros non ex electione decerneretur , ſed ex ordinationis tempore ſeniori deferretur ,, . *Pag.* 207. ,, Toto id primo ſeculo ad initium ſecundi invaluiſſe ,, contendit . Et *pag.* 273. de prima illa prioris ſeculi inſtitutione agens : ,, Inter presbyteros , *inquit* , prima ſedes dabatur , ,, ſive πρωτοκαθεδρία ei , qui ordinatione antiquior ceteris eſſet , qui ſucceſſionem primorum in variis civitatibus Epiſcoporum litteris conſignarunt , dum ad ſuorum temporum ,, conſuetudinem reſpiciunt , Epiſcopos nominarunt , qui primi erant ordinis ex tempore ,, ordinationis , & qui primum in ordine officii gradum habebant ,, . Fatetur ergo Salmaſius, unum aliquem ætate Apoſtolorum in Eccleſia quaque *in priore, & altiore gradu fuiſſe conſtitutum*. Nam poſt illa verba, quæ modo deſcripſi, quibus ſtatuit: eos, *qui ſucceſſionem primorum in variis civitatibus Epiſcoporum litteris conſignarunt* EOSDEM EPISCOPOS NOMINASSE ſubdit: ,, fortaſſe etiam ita nominabantur κατ' ἐξοχὴν, (*ſecundum eminentiam*) quibus ,, PRIMATUS eodem modo delatus fuiſſet , cum CETERI NUNCUPARENTUR PRESBYTERI ,, . Conſtat igitur fatente Salmaſio, ſingulares in Eccleſiis inſtitutos ab Apoſtolis *Epiſcopos* , eoque jam fuiſſe vocatos nomine . Saltem eſſe id veri ſimile cenſet , cum τὸ *fortaſſe* addiderit. Sed quod propenſum ad veritatem , locis ſupra deſcriptis, putavit eſſe , idem in falſis numerandum decreverat . Capite enim 11. *pag.* 85. Græcos Apoſtoli interpretes inſectatur , qui affirmarunt : ,, tempore, quo ſcribebant Apoſtoli, *presbyteros* fuiſse vocatos *Epiſcopos* , *Epi-* ,, *ſcopos* vero *Presbyteros* , nec tamen plures Epiſcopos , ſed unum ſingulis præfuiſſe civi- ,, tatibus ,, . Et ,, quomodo , *inquit* , hæc EXPLICABIMUS , UT RECTA HIS SENTENTIA ,, CONCILIETUR ,, ? Mox illud hoc argumento refellit , quod cum ,, Epiſcopus ex conſuetu- ,, dine illius ſeculi Presbyter vocaretur , & ipſi Presbyteri , qui ſub illo presbytero erant ,, Epiſcoporum quoque appellatione cenſerentur , (ſi veram interpretum eorumdem Græcorum eſſet ſententia) unus Epiſcopus , qui & Presbyter pluribus Presbyteris , qui & Epi- ,, ſcopi dicti , præfuerit . HOC MODO PRESBYTER IN PRESBYTEROS , ID EST EPISCOPUS IN

,, EPI-

Epiſcopos, qui dignitate, auctoritateque Presbyteris (1) antecellerent. Nam initio quidem Presbyterorum genera fuiſſe, putavit, omnino duo, quorum alteri docendi, alteri curandi, miniſtrandique impoſitum onus (2) eſſet; illudque jam

„ EPISCOPOS SUMMAM HABEBAT POTESTATEM, & nullum erat diſcrimen nominis, cum „ tantum eſſet diſcrimen dignitatis. QUOD IN ALIIS CORPORIBUS, ET COLLEGIIS NUMQUAM USUVENIT, UT FIERET, AUT AUDIRETUR „. Et *pag.* 86. „ Cum igitur PRESBYTERI „ OMNES ex æquo vocarentur, ET EPISCOPI PARITER OMNES, NULLUM INTER EOS TUM „ (Apoſtolorum tempore) DISCRIMEN FUISSE DIGNITATIS EX EO COMPROBATUR, QUIA NULLUM ESSET APPELLATIONIS „. At hæc rurſum oppugnat *p.* 274. „ Primo toto ſeculo, *inquit*, „ & magna parte ſecundi Presbyterorum PRIMATES, quibus hunc PRIMATUM ordo tribuebat, in ſucceſſionis Epiſcoporum ſerie NOMINE EPISCOPORUM SIGNATI, ac cenſiti ſunt „. Quæ autem ſunt, niſi hæc pugnantia ſunt? Quo magis Walchium miror, qui cum hæc animadverſa a Petavio *lib.* II. *de Eccleſiaſtica Hierarchia cap.* XI. §. 1. *ſeqq tom.* III. *Theolog. Dogm. edit. Pariſ.* fuiſſe, poſſet cognoſcere, tum in tam ineptas, pugnanteſque opiniones inciderit. Sed de hoc alias. Redeo ad Salmaſium. Dicit *primatum* ordinis fuiſſe, non *dignitatis*. Ridiculum! Quaſi vero undecumque oriatur primatus, *dignitatem* ſecum ampliorem non ferat. Nam *primatem* parem ceteris eſſe, quorum eſt primas, ſuſpicari qui poſſumus? Ac ne in cogitationem quidem cadit, ut πρωτοκαθεδρία *prima ſedes* ei tribuatur, qui æqualis ſit ceteris dignitate. Quare ſi fuerunt Apoſtolorum ætate primiſque temporibus primates in Eccleſia, iique Epiſcopi appellabantur, auctore Salmaſio, fuerint item neceſſe eſt, qui dignitate, auctoritateque ceteris antecellerent. Qui enim præpoſitus ceteris eſt, is quo tandem modo poteſtate majore, quam ceteri polleant, carebit? Atque idem ipſe Salmaſius *pag.* 40. Apoſtolorum duo fuiſſe genera cenſet, quorum alterum *Majorum*, quos Chriſtus miſerat, alterum *Minorum*, qui a Majoribus deligebantur, eſſet. Hos *pag.* 43. *& ſeq.* „ Apoſtolorum ævo vicem Epiſcoporum hodiernorum fuiſſe, putat, quia „ & Apoſtoli tunc nominabantur, & revera erant Epiſcopi jure eodem, & Ordine, quo hodie habentur, qui Eccleſiam regunt, & Presbyteris præſunt: niſi quod uni civitati, vel „ Eccleſiæ non eſſent alligati „. In his Apoſtolis, quos συνεργοὺς *cooperatores*, & *coadjutores* Majorum vocat, Jacobum Minorem, Timotheum, Titum, Linum, Clementem, Marcum, & Evodium numerat. Hos igitur præfuiſſe Presbyteris Salmaſius putat, ita ut, nunc Presbyteris ſunt Epiſcopi gradu, poteſtate, dignitateque ſuperiores. At horum aliqui uni alicui Eccleſiæ addicti, ac veluti affixi erant. Id vero *pag.* 270. de Lino fatetur. Quamquam more ſuo neget ejus *Epiſcopatum aliud quidquam, quam primatum in ordine, principalemve conſeſſionem fuiſſe*. Ita ineptus ſua puerili ſententia vult, non vult; quod factum cenſebat, infectum cenſet, quodque ratum habebat, irritum continuo eſſe ſtatuit. Confer Petavium *cap. indicato per totum*.

1 *De Fœnore Trapezit. pag.* 407. *ſeqq.* & *Diſſert. de Epiſcop. & Presbyt. cap.* I. *p.* 85. *& ſeqq.*

2 *Diſſert. de Fœnore Trapezit. pag.* 412. „ Veteribus, *inquit*, Epiſcopatus in Eccleſia non fuit nomen dignitatis, aut poteſtatis, ideſt ἐξουσίας, καὶ αὐθεντίας, ſed curationis, „ & adminiſtrationis, διακονίας, καὶ προστασίας, quæ eſt ἐπισκοπὴ. Et non ſolum in Eccleſiaſticis, ſed etiam in civilibus curatio, & poteſtas diverſa fuit. Nam quædam officia curationem habebant, non poteſtatem. Talis in Eccleſia fuit Epiſcopatus „. *Pag.* 413. „ Et hoc nomen ἐπισκοπῆς peculiariter competit illi generi Presbyterorum, ſive ſeniorum, „ qui adminiſtrationem rerum Eccleſiaſticarum ſuæ curæ commiſſam habebant, & diſtinguebantur a doctoribus, qui in doctrina, & oratione operam ponebant „. *Pag.* 407. *ſeq.* Epiſcopos eoſdem, atque Presbyteros fuiſſe tempore Apoſtolorum cenſet, ſed hos in duo genera diſtribui conſueſſe, ut alterum prædicationi operam, doctrinæque daret, hujuſque generis fuiſſe Clementem; alterum diſpenſationem, adminiſtrationemque Sacramentorum curaret, in eoque numerari Linum, & Cletum Petri diſcipulos oportere. Similia habet in Diſſertatione *de Epiſcopis, & Presbyteris pag.* 409.

jam *Presbyterorum*, hoc *Epiſcoporum*, quamquam par utriuſque poteſtas erat, appellaretur. Exactis Apoſtolis, invaluiſſe paullatim *Epiſcoporum* a *Presbyteris* ita, ut nunc uſu venit, diſtinguendorum morem, illiſque progreſſu temporum attributam, ademtamque *Presbyteris* fuiſſe conſtituendorum *miniſtrorum*, adminiſtrandæque (1) Eccleſiæ facultatem. Quamobrem diſtinctionem Presbyterorum ab Epiſcopis fuiſſe humano jure introductam in rempublicam populi Chriſtiani defendit, eoque rem diſputando deduxit, ut ordinem eſſe nullum divina lege inſtitutum contenderet (2).

Georgius Walchius cum Lutheranos conſectaretur, in eo libro, quem inſcripſit *Antiquitatum Eccleſiaſticarum* (3) *compendium*, Eccleſiam Chriſtianam nullum initio, niſi *docentium* ordinem habuiſſe, dixit, qui ordo non Presbyterorum modo, ſed etiam *Epiſcoporum* vocaretur. Mox ne quid minus caſtigate ſcripſiſſe videretur, ita quam latius patere cognorat, ſententiam anguſtioribus veluti finibus coarctavit, ut hæc adjungeret: „Quemadmodum vero Collegium „ Presbyterorum in ſingulis Eccleſiis non poterat ea indole „ non eſſe, ut alter alterum auctoritate apud plebem ſuperaret, ut ii, qui noviter inter Presbyteros recipiebantur, „ cederent illis, qui diutius ea dignitate gaviſi erant; ut „ denique ob negotiorum varietatem, & multitudinem, „ quæ ad Presbyterium ſpectabant, uni vel alteri Presbytero partes certæ demandarentur: facillime fieri potuit, „ ut

1 *Diſſert. de Epiſc. & Presby. pag.* 298. „ Cum Epiſcopus, & Presbyter idem eſſet, ordinatio ad utrumque pertinebat, quia non alius a Presbytero Epiſcopus. Epiſcopus ordinabat Presbyterum, & Presbyter Epiſcopum; quia idem ordo, idem gradus utriuſque „ & unus fuit. Ubi diſtingui ordines, & gradus cœpti ſunt, atque Epiſcopus major extitit „ Presbytero, tum ordinatio non potuit utriuſque eſſe communis „. Eadem fere dixerat *pag.* 149. *ſeq.* Quinetiam diu conſuetudinem in Eccleſia obtinuiſſe, ut Presbyteri ordinarent, ſcribit *pag.* 300. „ Multo tempore in Eccleſia hunc morem obtinuiſſe, *inquit*, etiam „ poſt introductam utriuſque Ordinis Presbyteralis, & Epiſcopalis diſtinctionem, ut quemadmodum Epiſcopi ordinabant Presbyteros, ita Presbyteri quoque ordinarent tam Presbyteros, quam Diaconos, & ceteros minorum ordinum clericos. Id cum ante Ancyrani „ Concilii decretum paſſim uſurparetur, ne in poſterum talis ordinatio Presbyterorum, & „ reliquorum Clericorum a Presbyteris fieret, canone XIII. ejuſdem Synodi ſancitum eſſe.

2 Vide locum, quem ſupra *pag.* 19. *notat.* 3. deſcripſimus; & Petavium *l.* III. *Hierarch. Eccl. cap.* II. *tom.* III. *Theologic. Dogm. edit. Pariſ.* At idem Salmaſius *pag.* 371. *&* 378. non abnuit: *Ordinationem juris eſſe, inſtitutioniſque divinæ*. Ita omnia turbat.

3 *Lib.* I. *cap.* III. *n.* 4. *pag.* 96. *ſeqq. edit. Lipſienſ. an.* 1733.

„ ut penes præcipuæ quemdam auctoritatis Presbyterum „ ſumma cura, & quaſi directio ceterorum ſtaret, quem „ *κατ' ἐξοχὴν Epiſcopum*, ceu inſpectorem ceterorum Pres- „ byterorum (1) vocabant. Ex quo vero ejuſmodi prærogati- „ va adeo omnibus ſeſe non probabat, ut potius alii omni „ conatu id agerent, uti ſervaretur æqualitas (2) inter Preſ- „ byteros; alii e diverſo Epiſcopalem (3) eminentiam, ceu „ proficuum Eccleſiæ inſtitutum, defenderent; mirum non „ eſt, ſi ſtatim poſt Apoſtolorum ætatem Scriptores de „ Epiſcopatu tam varie ſentientes deprehendamus „. Atque hæc ille mutuatum ſeſe a Buddeo fuiſſe (4) fatetur. Horum autem argumenta, ut ipſi dictitant partim Scripturæ auctoritate, partim majorum traditione nituntur.

Eſt vero primum eorum argumentum (5) hujuſmodi. Paulus, inquiunt, cum Mileti ageret, litteras ad Presbyteros Epheſios (6) miſit, quibus eos, ut ad ſe venirent, adhortabatur. Sed quos capite viceſimo *Actorum,* verſu decimo ſeptimo *Presbyteros*, eoſdem paullo poſt Lucas *Epiſcopos* appellavit. Non ergo Epiſcopi a Presbyteris diſcrepabant ætate Apoſtolorum. Quid? ſi omnibus Presbyteris, Epiſcopiſque, quorum fit loco modo indicato ab Luca mentio, idem munus tribuerit Paulus, *paſcendæ* nimirum Eccleſiæ (7)? Erat ergo unus ordo Epiſcoporum, & Presbyterorum.

Sed varias eſſe intelligo in hoc explicando *Actorum Apoſtolicorum* loco Interpretum, neque vero magnopere inter ſe diſſidentes, ſententias, ut conciliari, componique non poſſint. Sunt enim Scriptores, & hi quidem docti, (8) ac veteres,

1 En ut cum Salmaſio pugnantia loquatur. Nam Apoſtolorum ætate unum inſpectorem ceterorum Presbyterorum fuiſſe fatetur, cum tamen paullo ante ſtatuerit, parem Presbyterorum omnium fuiſſe auctoritatem, ac dignitatem.

2 Id vero quibus momentis rationum, teſtimoniiſque ſacrorum Bibliorum, ac Patrum poſſit efficere, cum ne obſcurum quidem ullum habeat in promtu, nullo modo prorſus intelligo.

3 Erat igitur ætate Apoſtolorum *eminentia* Epiſcopalis; nam *ſtatim poſt ætatem* Apoſtolorum ſcriptores diſſentientes, cum de Epiſcopatu agerent, fuiſſe contendit.

4 *Diſſert. de Origine, & Poteſtate Epiſcopor. contra Henricum Dodvvellum* §. VIII. *ſeq. pag.* 198. *ſeqq. edit. ejuſd. Jenenſis an.* 1715.

5 Buddeus *ibid.* §. XIV. *pag.* 210. & Walchius *ibid. pag.* 99.

6 *Act. cap.* XX. *v.* 17. & 28.

7 *Ibid. v.* 28.

8 Nam ſi Apoſtoli ſeſe Presbyteros appellabant, quorum certe longe erat præſantior di-

teres, qui Epiſcopos fuiſſe interdum etiam Presbyteros vocatos exiſtiment, idque jam majorum auctoritate demonſtrent, quamvis Epiſcopos, quos nunc dicimus, tunc etiam, cum Apoſtoli florerent, dignitate, auctoritateque ſuperiores *ſimplicibus* Presbyteris fuiſſe arbitrentur. Itaque accitos Miletum fuiſſe a Paulo non eum modo, qui Epheſinæ, ſed etiam ceteros Epiſcopos, qui in finitimis civitatibus Eccleſiis præſidebant, cenſent (1). Atque Irenæus (2) quidem auctor ſane vetus, ac nobilis, qui a Polycarpo Johannis diſcipulo accepiſſe diſciplinam fertur, non Epheſo modo, ſed ex proximis etiam urbibus accitos Miletum a Paulo fuiſſe Epiſcopos, atque hoc modo explicandum eſſe Lucæ in Actis Apoſtolicis locum, ſcribit. Eſt autem auctor Hieronymus (3) plures in Aſia floruiſſe Epiſcopos ætate Apoſtolorum. Qua in re doctiſſimos, vetuſtiſſimoſque ſcriptores (4) ſequitur duces, quibus ſane, quod a viris Apoſtolicis, quos noverunt, rem acceperint, ubi de Eccleſiaſticis rebus agunt, plurimum eſſe credendum arbitramur. Jam vero eſſe in Actis Apoſtolicis quædam video, quæ plane efficiant, & Epheſo, & e fi-

dignitas, & auctoritas, cur non item Epiſcopos licuiſſet Presbyteros appellare? Nam Petrus *epiſt* 1. *cap*. v. *v*. 1. *πρεσβυτέρους*, inquit, Presbyteros, qui in vobis ſunt, obſecro *συμπρεσβύτερος compresbyter*, & teſtis paſſionum, qui & ejus, quæ in futuro revelanda eſt, glo„ riæ communicator: paſcite, qui in vobis eſt, gregem „. Ita ſe quoque Johannes Presbyterum vocat *epiſt*. 11. *v*. 1. & *epiſt*. 111. *v*. 1. Atque Irenæi quidem, qui Polycarpum Johannis diſcipulum audivit luculentiſſima ſunt in hoc genere teſtimonia. Eum namque Epiſcopos cenſuiſſe Presbyteris eſſe ſuperiores, perſpicua res eſt. At Presbyterorum nomine Epiſcopos ſæpe, ac multum indicavit. Conſule locum ſupra deſcriptum *pag*. 320. *not*. 1. *hujus vol*. ex 111. *lib. contra Hæreſes cap*. xiv. *pag*. 201. *edit. Veneta an*. 1734. Idem epiſtola ad Victorem Papam *ibid. pag*. 341. quam etiam refert Euſebius *lib*. iv. *cap* xxxix. *Hiſtor*. de Epiſcopis Romanis loquens: „ Neque Polycarpus, *inquit*, Aniceto perſuadere potuit, „ ut obſervaret, cum Anicetus eorum, qui ante ſe fuerant, Presbyterorum, morem ſibi „ retinendum eſſe diceret „. Et Epiſtola ad Florinum agens de Polycarpo *pag*. 340. & apud Euſebium *lib*. v. *Hiſt. cap*. xx. „ In conſpectu Dei conteſtari poſſum, *inquit*, Beatum „ illum, & Apoſtolicum Presbyterum &c. Mitto cetera, ne ſim longus.

1 Vide Irenæi locum ſupra deſcriptum *pag*. 320. *not*. 1.

2 Irenæus *loc. cit*.

3 *Catalog. Scriptor. Eccleſiaſtic. cap*. ix. *pag*. 105. *t*. iv. *Opp. edit. Martian*.

4 Johann. in Apocalyp. *cap*. 11. *verſ*. 1. *ſeqq*. Confer, quæ dixi ſupra *pag. hujus vol*. 59. Ignatium Martyrem in Epiſtolis ad Epheſios, ad Smyrnæos, ad Philadelphienſes, ad Trallianos, ad Magneſianos, ad Polycarpum. Is enim Ignatius cum vel anno 107. æræ Chriſtianorum, vel non diu poſt Martyr obierit, neceſſe eſt, ut Epiſcopos deſcribens earum civitatum, eos ſane deſcripſerit, qui ab Apoſtolis conſtituti fuiſſent. Irenæum loco modo indicato, & apud Euſebium *lib*. iv. *Hiſt. cap*. xiv *pag*. 137. *edit. Taurin*. quo loco de Polycarpo ab Apoſtolis Epiſcopo Smyrnenſium creato agit. Sed de Epiſcopis ab Apoſtolis in Aſia conſtitutis alias. Interea confer Polycratis ad Victorem Pontificem Max. Epiſtolam apud Euſeb. *lib*. v. *Hiſt. cap*. xxiv. *pag*. 211. *ejuſd. edit*.

& e finitimis civitatibus accerſitos Miletum Epiſcopos fuiſſe. Sic enim Paulus cum ſenioribus, quos ad ſe evocarat, agit, ut Luca teſte, ſatis explicate ſignificet, triennio (1) ſe diu noctuque apud eos laboraſſe monendo, ut rei operam darent, ſuæque, aliorumque ſaluti proſpicerent. Epheſi autem triennium Paulum conſtitiſſe quis credat? Immo vero peragratam eo temporis intervallo Aſiam ab eo fuiſſe, cognoſci ex Apoſtolorum Actis poteſt, quorum auctoritate Salmaſius, Blondellus, Buddeus, Walchius, aliique hujuſce temporis Proteſtantes e ſectis Lutheranorum, Calvinianorumque abutuntur. Quare Demetrius (2) argentarius, qui iniquo animo ferebat, a Paulo promulgari doctrinam Chriſti, conqueri apud vulgus Epheſiorum cœpit, quod Apoſtoli hortatu non cives modo ſui, ſed ceteri etiam Aſiani ad ſacra Chriſtianorum adducerentur, contemta ſuperſtitione Dianæ. Idem Apoſtolus, congregatos Mileti Epiſcopos cum alloqueretur: nemo, inquit, (3) veſtrum ignorat, qua continentia, temperantiaque verſatus apud vos fuerim, quibuſque laboribus perfunctus ſim jam uſque ab eo tempore, quo in Aſiam veni: nunc autem proſpicio eorum, qui adſunt, *& per quos tranſivi prædicans regnum Dei*, nullum poſthac, qui me videat, futurum. Quinam vero fuerunt hi, per quos ubi *ingreſſus in Aſiam eſt, tranſiens prædicarat*? An Epheſii ſolum? At Epheſi conſtiterat, non *tranſiens* de religione Chriſti diſputarat. Quamobrem præcipuas ſaltem Urbes Aſiæ indicarit his verbis neceſſe eſt, in quibus Eccleſiæ conſtitutæ eſſent, quibus Epiſcopi, qui Miletum rogatu, accerſituque Pauli convenerant, præficerentur. Hoc ſi verum eſt reſponſum, eſt autem mea quidem ſententia (quoniam Scripturarum

1 *Cap.* xx. *Act. v.* 31. „ Propter quod vigilate memoria retinentes, quoniam per „ triennium nocte, & die non ceſſavi eum lacrimis monens unumquemque veſtrum „.

2 *Cap.* xix. *Act. v.* 26. „ Et videtis, *inquit Demetrius*, & auditis, quia non ſolum „ Epheſi, ſed pene totius Aſiæ, Paulus hic ſuadens avertit multam turbam dicens; quo- „ niam non ſunt dii, qui manibus ſiunt.

3 *Act. cap.* xx. *v.* 18. *ſeqq.* „ Vos ſcitis a prima die, qua INGRESSUS SUM in Aſiam, „ qualiter vobiſcum per omne tempus fuerim . . . . quomodo nihil ſubtraxerim utilium, „ quo minus annunciarem vobis, & docerem vos publice, & per domos „. *Verſ.* 25. „ Et nunc ecce ſcio, quia amplius non videbitis faciem meam vos omnes, per quos tranſi- „ vi prædicans regnum Dei &c. „.

pturarum auctoritate, vetuſtiſſimorumque Doctorum conſenſione firmatur) veriſſimum; nihil negotii erit, quod Buddeus, Walchiuſque ſubdunt, refellere. Ajo enim, omnibus idem onus Presbyteris, quos Paulus ad concilium convocarat, fuiſſe impoſitum, propterea quod omnes Epiſcopi eſſent, curamque gerere deberent Eccleſiarum.

Eſt præterea non inepta, neque abſurda (1) eorum opinio, qui & Epiſcopos, & Presbyteros, quorum fidei, veluti Parœcis quibuſdam, credita ſingularium quarumdam Eccleſiarum cura, adminiſtratioque erat, quique Epiſcopis parebant, Miletum ad Paulum acceſſiſſe; quamquam eſt, ut dixi, quam Irenæus tuetur, ſententia longe ad veritatem propenſior. Epiſcopos enim hortatus Apoſtolus eſt, ut quia divino inſtinctu, ac voluntate præfecti Eccleſiis fuerant, caverent, ne quid eorum culpa Chriſtiani Aſiæ detrimenti caperent.

Nam Theodoreti (2) opinionem, quæ ferret, eos olim fuiſſe Apoſtolos vocatos, quos nunc Epiſcopos dicimus, presbyteris autem hæſiſſe appellationem Epiſcoporum, quoniam refutata ſupra, atque exploſa eſt, nihil moror.

Sed inquirendo equidem comperi, fuiſſe olim ſcriptores, qui exiſtimarent, in quibuſdam Eccleſiis eos, qui presbyteri creati ab Apoſtolis eſſent, quoniam digni erant Epiſcopatu, fuiſſe etiam Epiſcopos (3) conſecratos, fortaſse, ut, ſi

1 Confer Natalem Alexandrum *diſſert. de Epiſcopor. ſupra Presbyt. eminentia p. 56. Triadis Diſſertation. edit. Pariſ. an.* 1678.

2 Vide quæ dixi ſupra *pag.* 284. *not.* 1. *hujus vol.* & Petavium *lib.* 1. *Diſſertat. Eccleſiaſt. cap.* 1. *pag.* 165. *tom.* IV. *Theologic. Dogm. edit. an.* 1745. Et *lib.* II. *cap.* 1. *ſeqq. de Hierarch. Eccl. pag.* 41. *tom. eod.*

3 Dionyſius Petavius *lib.* 1. *diſſert. Eccleſ. cap.* II. *pag.* 167. *edit. ejuſd.* „ Primis illis Eccleſiæ temporibus, *inquit*, quæ, quod ad formam, & diſciplinam attinet, quædam illius infantia dici queunt, exiſtimo presbyteros vel omnes, vel eorum pleroſque ſic ordinatos eſſe, ut Epiſcopi pariter, ac presbyteri gradum obtinerent. Id eo fieri ſolitum eſſe, veriſimile eſt, quod, cum religio Chriſtiana profeſſionem in dies faceret, perque civitates, & populos propagaretur, increbreſcente multitudine opus fuit, paratam eſſe copiam Epiſcoporum, qui ad urbes, & Provincias Chriſtiano partas nomini cum poteſtate mitterentur, ut ea, quæ ab ſolis Epiſcopis adminiſtrabantur, præſtare poſſent: cujuſmodi ſunt clericorum ordinatio per manuum impoſitionem, confirmationis ſacramentum, & alia quædam, quæ ſimplices presbyteri non attingebant. Hac de cauſſa videntur plures in eadem Eccleſia (velut Epheſina) Epiſcopi fuiſſe, qui Apoſtolis tamquam

„ majo-

in alias urbes, ſi data opportunitas fuiſset, migrarent, Eccleſias conſtituerent, eaſque moderarentur. Atque hi quidem ſecundo, tertioque ſeculo *Epiſcopi* (1) *nationum* appellabantur. Nihil autem obſtabat, quo minus horum aliqui Epheſi præcipua Aſiæ Urbe degerent, unaque cum ejus civitatis Epiſcopo, cujus adjutores erant in gubernanda, adminiſtrandaque Eccleſia, Miletum contenderent.

Si quis autem, cur Epheſum Paulus ſolum, non autem ad alias Aſiæ Urbes ſcripſerit, roget, huic ego paucis, & cumulate, ut arbitror, ſatisfaciam. Erat enim Metropolis Epheſus Aſiæ. Quare ab Johanne, qui præcipuas Provinciæ Urbes in Apocalypſi commemorat, priore nominatur (2) loco. Ac celebre Antonini edictum, cujus eſt ab Ju-

„ majoris gradus Pontificibus, adeoque ſummis obſequebantur. Hoc tum ſimplices recens „ ortæ mores Eccleſiæ ferebant, nondum ambitione, & honorum cupiditate, maliſque „ ceteris artibus depravatis Chriſtianorum animis. Poſteaquam vero priſtina illa caritas, „ & imitandi Chriſti, amplectendæque modeſtiæ, & humilitatis refrixit amor; tum quod „ Hieronymus ſcribit, ad tollendas ſimultates, & in Schiſmatis remedium unum aliquem „ e turba presbyterorum eligi placuit, qui præeſſet reliquis, atque ita deſiere pari non „ ſolum dignitate, ſed etiam ordine, ac poteſtate plures creari, translata in unum tam „ honoris, quam functionis prærogativa. Quocirca numquam non fuit in Eccleſia poteſta- „ tum, graduumque diſcrimen, hoc eſt Epiſcopatus, & presbyteratus ſimplicis, ſed in „ eadem capita paſſim ambo conferebantur. Hæc noſtra de gravi, ac perdifficili quæſtione „ ſententia eo plauſibilior eſſe debet, quod & dubitationem, ac controverſiam præcidit „ omnem, & ab ipſamet Scriptura illiſque teſtimoniis, quæ anſam nobis diſputandi præ- „ buerunt, pene in manus, atque ob oculos injici videtur. Etenim presbyteros appellatos „ eoſdem, & Epiſcopos fuiſſe ab Apoſtolis Petro, atque Paulo, illorum ex verbis efficitur, „ nec minus etiam illud, quos presbyteros vocant, iis Epiſcoporum, quæ ſunt propria „ convenire, imprimis autem ordinationem, quæ eſt Principum, paſtorumque præcipua, „ quos Epiſcopos dici omnes intelligunt „. Confer quæ idem Petavius diſputat *lib.* 1. *cap.* IV. *pag.* 15. *ſeq. Hierarch. Eccl. tomo eodem*.

1 Vide Photium *cod.* XLVIII. *pag.* 38. *Biblioth. edit. an.* 1653. Quamobrem Guillelmus Caveus *hiſt. litt. vol.* 1. *pag.* 47. *edit. an.* 1693. „ Cajus, vel Gajus Romanæ Eccleſiæ „ presbyter, & *Gentium Epiſcopus* ordinatus, ideſt ſi recte interpreter, ad id Epiſcopus „ factus, ut Gentiles in ſolo barbarico conſtitutos ad fidem Chriſti converteret, Eccleſiiſ- „ que inibi fundatis præeſſet „. S. Johannis Chryſoſtomi ſententia mihi quidem aliqua in re minus eſſe veritati conſentanea videtur. Is enim *Homil.* 1. *in epiſtolam ad Philippenſes p.* 194. *ſeq. t.* XI. *opp. edit. Pariſ. Monach. s. Mauri*, quærens, quamobrem Paulus *συνεπισκόποις, καὶ διακόνοις coepiſcopis, & diaconis* ſcribat, omiſſo ordine Presbyterorum. τί τοῦτο; inquit, *μιᾶς πόλεως πολλοὶ ἐπίσκοποι ἦσαν*; Quid hoc? Unius urbis multi epiſcopi erant? Mox reſpondet: *οὐδαμῶς. ἀλλὰ τοὺς πρεσβυτέρους οὕτως ἐκάλεσε. τότε γὰρ τέως ἐκοινώνουν τοῖς ὀνόμασι, καὶ διάκονος ὁ ἐπίσκοπος ἐλέγετο*. *Nullo modo. Sed Presbyteros ſic vocavit. Tunc enim invicem communicabant nominibus, & Diaconus Epiſcopus dicebatur.* Quod enim ait, Presbyteros fuiſſe interdum Epiſcopos appellatos, ferri, etſi ægre poteſt; ſed quod addit de Diaconis, id vero efficere ne veriſimili quidem conjectura licet. Sed plura in hanc rem Petavius *l.* 1. *Diſſ. eccleſ. cap.* 1. *pag.* 166. *tom. eod.*

2 *Cap.* 1I. *v.* 1.

ab Juſtino [1], & Euſebio [2] facta mentio, vulgatum Epheſi in *communi Aſia* ἐν τῷ κοινῷ τῆς ἀσίας fuit, in curia nempe proconſulari, quæ Epheſi erat, ut eſt idem auctor Euſebius [3] in hiſtoria. Igitur vetus deſcriptionis Martyrii ſancti Timothei [4] Auctor ſanctum Johannem Epheſi conſtitiſse confirmat, ut Eccleſias Aſiæ facilius moderaretur. Quinetiam Johannes Chryſoſtomus [5] Timotheum Epheſi agentem rem Aſianorum Chriſtianorum publicam geſſiſse teſtatur. Cum ergo ita ſe res haberet, noverat profecto Paulus, ſi litteras ad Epheſium Antiſtitem dediſset, ex eo ceteros Epiſcopos, quid facto eſset opus, fuiſse perfacile cognituros.

Alterum eſt argumentum Buddei [6], Walchiique ex Epiſtola priore ad Corinthios concluſum. Nam Hierarchiam, inquiunt, deſcribens Paulus (quemadmodum divinitus conſtituta erat) priore loco Apoſtolos, tum Prophetas, inde doctores, poſt patratores prodigiorum, ac miniſtros demum commemorat. Atque de Apoſtolis nihil eſſe, cur quiſquam quærendum arbitretur, putant. Eorum enim ordinem, mortuis iis, qui miſſi a Chriſto ad promulgandum Evangelium fuerant, ſublatum cenſent. Tertio autem loco nominari doctores, non quo his aliquod fuerit in ceteros Chriſtianos tributum imperium, ſed quo eorum ſit munus munere ceterorum præſtantius. Jam vero Prophetas prætereundos, ſubdunt, quod horum fuerit ordo

 extra-

1 *Apolog.* 1. *n.* LXX. *pag.* 87. *edit. Veneta an.* 1747. Hinc Valeſius. „ Ita, inquit, „ *Cicero commune Milyadum*, & *commune totius Siciliæ* in Verrinis dixit. Porro cum „ κοινὸν ἀσίας dicitur, ſub audiendum eſt συνέδριον *ſynedrium*. Habebant enim Aſiani „ commune Concilium totius gentis, quo ſingulæ civitates legatos, ſeu ſynedros mittebant, „ ut docet Ariſtides in IV. *Orat. Sacrar.* „ Euſeb. *lib.* IV. *hiſt. cap.* XIII. *pag.* 135. *edit. Taurin.*

2 *Lib.* IV. *hiſt. cap.* XIII. *ſeq. pag.* 135. *edit. Taurin.*

3 Euſeb. *ibid. pag.* 136. προετέθη ἐν Ἐφέσῳ ἐν τῷ κοινῷ τῆς ἀσίας. *Propoſita epheſi in communi Aſia*, hoc eſt in loco, ubi legati Aſiæ congregabantur.

4 Apud Photium *in Biblioth. Codice* CCLIV. *pag.* 1403. *edit. an* 1653.

5 *Homil.* XV. *in* 1. *epiſt. ad Timoth. t.* XI. *opp. edit. Pariſ. Monach. s. Mauri. p.* 637.

6 Buddeus *Diſſert. Hiſt. Theolog. de Orig. & Poteſt. Epiſcop.* §. X. & *ſeq. pag* 202. & *ſeqq.* Salmaſius *de Fœnore Trapezitico pag.* 409. Sed is paullo aliter rem explicat. Nam *Doctorum* nomine eorum ordinem ſignificatum putat, qui presbyteri dicerentur; *adjutoriorum* autem, *curationum*, *gubernationumque* appellationibus alterum ordinem presbyterorum, qui Epiſcopi vocabuntur, quamquam uterque horum unum ordinem revera conſtitueret auctoritate, atque dignitate parem.

extraordinarius, ut fuit ordo *Apoſtolorum*. Nam fundata, & confirmata Eccleſia, nihil horum deinceps labore, præſidioque fuiſſe opus defendunt. Atque doctores, qui appellantur loco mox indicato a Paulo, vocatos aliis in locis a ſcriptoribus ſacris fuiſſe *paſtores*, *Presbyteros*, & *Epiſcopos* arbitrantur, quorum eſſet proprium docendi munus. Eorum deinde, qui prodigia edere conſueverant, *extraordinariam* quoque fuiſſe poteſtatem. Quocirca inſtituta, confirmataque Eccleſia, cum neceſſaria Chriſtianis eorum opera non eſſet, fuiſſe quoque facultatem patrandorum prodigiorum ſublatam. Doctrinam autem, qua fides ſtabilitur, potiorem prodigiis eſſe, adeoque ante eos, qui miracula ederent, numeratos ab Apoſtolo fuiſſe doctores, cenſent. Sequi deinde, ajunt, curatores, adminiſtratoreſque rerum, quæ ad corporum, non ad animorum curationem pertinerent. Huc enim ſpectant eorum quidem opinione, κυβερνήσεις, hoc eſt *gubernationes*, quas Apoſtolus nominat. Hunc vero ordinem proprium fuiſſe, exiſtimant, diaconorum. Sed res ipſa paucis comprehendenda eſt, ut quorſum evadat, intelligatur. Sic autem concludi breviter poterit hujus, qualecumque tandem ſit, argumenti ſententia. Ii ordines conſtituti divinitus ſunt, quorum in litteris ad Corinthios Paulus meminit; meminit autem Paulus doctorum, qui iidem atque Presbyteri erant; Epiſcoporum autem, quaſi diſtincti a Presbyteris eſſent, non meminit; non ſunt igitur Epiſcopi a Presbyteris jure divino diſtincti, adeoque ne gradu quidem, dignitate, poteſtateque presbyteris ſuperiores.

Sed tota hæc Buddei, Salmaſiique diſputatio nugatoria eſt, plenaque, meo quidem judicio, ineptarum, falſarumque ſententiarum. Principio enim nego, Paulum in eo, quo maxime abutuntur, Epiſtolæ ad Corinthios (1) loco, de Hierarchia Eccleſiaſtica agere, ordineſque deſcribere, qui partim ſublati, propagata, confirmataque religione,

1 *Epiſt.* 1. *ad Cor. cap.* XII. *v.* 28. „ Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia primum Apoſtolos, ſecundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes ſermonum.

gione, ſint, partim traducti in ſequentem ætatem. Nam dona quædam (1) Apoſtolus numerat (2), quæ Spiritus Sanctus, ut vellet, mortalibus largiretur, ordinaria autem munera, quæ miniſtris Eccleſiæ committi ſolerent, non item. Atque διδασκαλία *doctrina*, ἀντίληψις *opitulatio*, & κυβέρνησις *gubernatio*, cujus fit a Paulo mentio, eorum propria erat, qui inſtinctu, afflatuque ſpiritus aut divina decreta explicabant, aut iis, qui laborarent, opem ferebant, aut præditi erant in adminiſtrandis, componendiſque aliorum rebus ſingulari prudentia. Quo ſane dono cum Stephanus, Nicanor, Philippus, quatuorque alii illuſtres eſſent, cooptati ſunt ab Apoſtolis in ordinem diaconorum. Non enim quia diaconi erant, his erant inſtructi virtutibus; ſed contra, quia virtute tanta præſtabant, digni fuerunt, qui diſtribuendis, adminiſtrandiſque (3) rebus præficerentur. Quid? Si in *doctoribus* διδασκάλοις, quos ibidem Paulus deſcribit, numerandi (4) Stephanus, & Philippus (5) ſint, qui pleni *Spiritu Sancto* de rebus divinis admirabilem in modum loquebantur, hoſteſque religionis ita convincebant, ut hi cum nihil, quod opponerent, haberent; vel noſtris aſſentirentur, vel odio, atque ira inflammati de ſanctis viris ſupplicium ſumendum ſtatuerent? Stephanum autem, ac Philippum quotus quiſque veterum Chriſtianorum fuit, qui Presbyteros, Epiſcopoſve fuiſſe putaret? Atque eos

1 Conſule Petavium *Diſſert. Eccleſiaſticar. lib.* 1. *cap.* v. §. 3. 4. *pag.* 176. *edit. Antuerp. an.* 1700.

2 Paullo enim ante dixerat *v.* 4. *& ſeqq.* „ Diviſiones vero gratiarum ſunt, idem au-
„ tem ſpiritus, & diviſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus, & diviſiones ope-
„ rationum ſunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. Unicuique autem
„ datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem. Alii quidem per ſpiritum datur ſermo ſapien-
„ tiæ; alii autem ſermo ſcientiæ ſecundum eumdem ſpiritum; alteri fides in eodem ſpiri-
„ tu; alii gratia ſanitatum in uno ſpiritu: alii operatio virtutum; alii Prophetia; alii
„ diſcretio ſpirituum; alii genera linguarum; alii interpretatio ſermonum. Hæc autem
„ omnia operatur unus, atque idem ſpiritus dividens ſingulis, prout vult.

3 *Act. Apoſt. cap.* vi. *v* 2. ſic habet Lucas: „ Convocantes autem duodecim (Apo-
„ ſtoli) multitudinem diſcipulorum dixerunt, non eſt æquum nos derelinquere verbum
„ Dei, & miniſtrare menſis: conſiderate ergo, viri fratres, viros ex vobis boni teſtimonii
„ ſeptem, plenos Spiritu Sancto, & ſapientia, quos conſtituamus ſuper hoc opus .... & ele-
„ gerunt Stephanum virum plenum fide, & Spiritu Sancto, & Philippum, & Prochorum,
„ & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum &c.

4 *Act. Apoſt. cap.* vi. *v.* 8. *ſeqq.*

5 *Ibid. cap.* viii. *v.* 5. *ſeqq.*

eos quidem Diaconos & dici, & fuiſſe revera ſemper legi; Presbyteros, numquam: propterea quod διδάσκαλοι ex eorum numero non eſſent, qui docendi populi jus, ac poteſtatem ordinis cauſſa obtinent, ſed *extra ordinem* inſtinctu quodam, ac dono ſuperiore. Caveant autem Proteſtantes, ne hac diſputandi ratione, feminas in Hierarchiam Eccleſiaſticam inducere velle videantur. Nam ſi Prophetæ olim partem conſtituebant Hierarchiæ Eccleſiaſticæ, quod Buddeus cenſet, eaque facultate Philippi filiæ (1) primo Chriſtianæ religionis ſeculo claruerunt; conſequens plane eſſet, locum eas aliquem occupaſſe in conſeſſu, ordinibuſque Eccleſiaſticorum. Qua re nihil arbitror excogitari, dicique poſſe obtuſius. His explicatis, facile quiſque intelliget, quam ſint inania, quæ Buddeus addit de diſtinctione Epiſcoporum, & Presbyterorum, quorum certe hoc loco a Paulo prætermiſſa eſt mentio.

Quod Salmaſius ſcribit, *doctores* Presbyterorum, *& curatores, gubernatoreſque* Epiſcoporum vocabulis appellatos, ſed utroſque pari dignitate, auctoritateque præditos fuiſſe, non minus leve eſt, quam erat illud Buddei de *Epiſcopis, & Presbyteris doctorum* nomine a Paulo indicatis. Etenim nihilo magis Epiſcopi, & Presbyteri iis Pauli verbis continentur, quam contineantur gradus Diaconorum, & laicorum. Eſtque illud etiam atque etiam animadvertendum, ſi huic Salmaſianæ argumentationi quidquam vis, ponderiſque ineſſet, magnam, præter Epiſcopos, & Presbyteros, in Eccleſia ordinum copiam futuram. Cum enim curationes, gubernationes, aliaque ejuſmodi dona Apoſtolus numeret, quæ a Spiritu Sancto, ut vellet, Chriſtianis hominibus diſtribuerentur, ſi ea plura erant, muneraque diverſorum graduum indicabant, indicarint quoque neceſſe eſt plures gradus, ordineſque plures Epiſcoporum. Quod ſane, quoniam cum ſacris Bibliis, omnique antiquitate pugnat, concedi a nemine ſano poterit. Ter-

1 *Ibid. cap.* XXI. *v.* 9. „ Huic (Philippo) erant quatuor filiæ Virgines Prophetantes „. Polycrates Epheſius *epiſt. ad Victorem Papam apud Euſebium lib.* v. *hiſt cap.* XXIV. *p.* 211. *edit. Taurin.* „ Philippus . . . . qui mortuus eſt Hierapoli, & duæ ejus filiæ, quæ virgines „ conſenuerunt, alia quoque ejuſdem filia, quæ ἁγίῳ πνεύματι πολιτευσαμένη *Spiritu* „ *Sancto repleta* vixit, & Epheſi requieſcit.

Tertium eſt argumentum ſecundi omnino ſimile. Eſt enim concluſum ex Epiſtola Pauli ad Epheſios, in cujus quidem Epiſtolæ quarto Capite (1) legitur, fuiſſe Eccleſiæ Apoſtolos, Prophetas, Evangeliſtas, Paſtores, atque Doctores a Chriſto datos. *Miniſtrorum* namque, quos *docentes* vocat, gradus a Paulo deſcribi, Buddeus (2) contendit, ac priore ſane loco *eorum*, *qui extra ordinem* erant, deinde *ordinariorum*. Ac iis, qui *extra ordinem* erant, Evangeliſtas adjungi, qui prætermiſſi in litteris ad Corinthios fuerant, propterea quod ad Apoſtolicum proxime accedat Evangeliſtarum munus, & comprehendi utrique poſſint eodem nomine. Evangeliſtas enim comites quoſdam fuiſſe Apoſtolorum, quos idcirco ſibi Apoſtoli adjunxiſſent, ut magno labore levari aliquanto poſſent. In his Evangeliſtis fuiſſe Timotheum, Philippum, Titum, Soſthenem, Silvanum, Tychicum, Eraſtum, & Epaphram. Jam vero *paſtorum* vocabulo *Epiſcopos*, ſeu *Presbyteros* indicari, quorum eſſe *ordinarium* munus paſcendi rationem conſtat. Eodemque recidere *Doctorum* appellationem, etſi ſunt, qui *Doctores* a paſtoribus diſtinguendos putent. Nam eſſe horum inanem, commentitiamque ſententiam. Huc enim ſpectare, quod Paulinus Nolanus (3) ad Auguſtinum ſcribit: diverſis nominibus unum fuiſſe ab Apoſtolo doctrinæ officium demonſtratum.

Verumtamen, ut mittam, quod ante de Apoſtolis, Prophetis, doctoribuſque oſtenſum eſt; quibus eſſe dixi munera *extra* ordinem Spiritus Sancti beneficio data; ſac paſtorum nomine Epiſcopi intelligantur, non enim repugno (4); quid? an conſequens erit, hos ipſos Epiſcopos presbyteris æquari oportere? Nihil mihi, ajo, videri minus. Principio enim quibus monumentis Buddeus *doctores*, hoc eſt *presbyteros*, cum *paſtoribus*, ſeu Epiſcopis pari gradu collocare eſt auſus, quod Apoſtolus numquam fecit?

1 *Verſ.* 11. „ & ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, „ alios vero Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores &c.

2 *Ibid.* §. XIII. *pag.* 207. *ſeq.*

3 *Epiſt.* L. *al.* XLIII. *n.* IX. *pag.* 291. *edit. opp. Veron. an.* 1736.

4 Neque enim ulla eſt cauſſa, cur repugnem. Confer Petavium *lib.* III. *Hierarch. Eccleſ. cap.* XIV. §. IX. *pag.* 116. *edit. Antuerp. tom.* IV. *Theolog. Dogm.*

cit (1)? Deinde ſi in litteris ad Corinthios nomine *Apoſtolorum* complexus Paulus *Apoſtolos*, & *Evangeliſtas* (2) fuit, auctore Buddeo, etſi gradu, dignitate, poteſtate *Apoſtolis* inferiores *Evangeliſtæ* eſſent, cur non item nominibus iiſdem paſtorum, & doctorum indicare potuit ordines duos *Epiſcoporum*, & *Presbyterorum*, quorum primus ordo divino jure excellentior, præſtantior, ſuperiorque eſſet poſteriore? Id autem qui neget eſſe conſequens, næ is decreta religionis metiri videbitur ſuo arbitratu, non ratione. Atque, ut ſupra demonſtratum eſt, non traditione majorum modo, ſed etiam auctoritate (3) Scripturarum efficitur, *presbyteris* Epiſcopos antecellere. Quamobrem ſi de *Presbyteris, Epiſcopiſque* intelligi locus hic Epiſtolæ ad Epheſios deberet, non alio ſenſu, quam noſtro, explicari profecto poſſet. Aſſentior autem Paulino. Patiar enim Doctores, atque Paſtores eoſdem omnino eſſe; modo hiſce nominibus Præpoſiti Eccleſiæ, hoc eſt Epiſcopi (4) ſignificentur. Id vero eſt, quod Paulinus ſuſpicatur, quodque Auguſtinus (5) vehementer probat. Itaque quoquo ſeſe verterit Buddeus, exitum numquam reperiet.

Quartum argumentum quale tandem ſit, videamus. Negant adverſarii (6) diſtingui Epiſcopos a Presbyteris oportere, quo-

1 Nam Buddeus *Doctores*, *&* *Paſtores*, quos ibidem nominat Paulus, idem ſignificare putat, eumdemque eſſe ordinem Presbyterorum, & Epiſcoporum, qui his duabus vocibus exprimatur. *Ibid. pag.* 208. At ſi *Paſtores*, *&* *Doctores* unos Epiſcopos non ſignificant nullis monumentis oſtendere Buddeus poterit, duabus illis vocibus *Epiſcopos*, & *Presbyteros* indicari, quaſi *unum ordinem* conſtituant. Aut enim Epiſcopos Paulus ſignificare voluit, ut viſum eſt Paulino, cujus locum mox deſcribam; aut ſi Presbyteros, & Epiſcopos, horum ordines, numquam efficiet, conjunctos a Paulo fuiſſe, ut unum ordinem conſtarent, in quo dignitas, auctoritaſque par eſſet omnium.

2 Buddeus *ibid.*

3 *Vide ſupra pag.* 313. *ſeq.*

4 Paulinus *ibid.* „ Inter paſtores ſpecialiter, & Doctores quid interſit, dignoſcere vo-
„ lo, quia PRÆPOSITIS ECCLESIÆ utrumque nomen adſcribi ſolet.

5 S. Auguſtinus *epiſt.* CXLIX. *al.* LIX. *ad Paulinum pag.* 508. *tom* II. *edit. Monachor. s. Mauri n.* XI. „ Paſtores autem & Doctores, quos maxime, ut diſcernerem, voluiſti, eoſdem
„ puto eſſe, ſicut & tibi viſum eſt, ut non alios paſtores, alios doctores intelligamus; ſed
„ ideo cum prædixiſſet paſtores, ſubjunxiſſe, doctores, ut intelligerent paſtores ad officium
„ ſuum pertinere doctrinam.

6 Ita quidem Salmaſius, ſeu ut falſo ſe nominat, Walo Meſſalinus *Diſſert. de Epiſc. & Presbyt. cap.* 1. *pag.* 11. *edit. an.* 1641. „ Idem Paulus, *inquit*, in Epiſtola ad Philippen-
„ ſes: *συνεπισκόποις*, ϗ *διακόνοις*. Ergo nullo inter eos ordine interpoſito Epiſcopos in-
„ telligit, qui & presbyteri dicebantur.

quorum eſſe unum ordinem a Paulo, aliiſque Apoſtolis in ſacris novi Teſtamenti libris conſtitui arbitrantur. Aut enim Epiſcopos, & Diaconos, miſſa mentione (1) presbyterorum, in Epiſtolis Pauli memorari, quod numquam factum eſſet, ſi jure divino Epiſcopi Presbyteris antecellerent; aut Presbyteros (2) nominari, qui Eccleſias moderarentur, quæ ſane res indicaret, functos Presbyteros munere fuiſſe Epiſcoporum, adeoque ab Epiſcopis minime diſcrepaſſe; aut denique eoſdem modo (3) Epiſcopos, modo Presbyteros dici, quaſi idem eſſet utrorumque gradus, animadvertunt; hiſque rationum momentis perſtrictos ab ſe, victoſque fuiſſe Theologos noſtros putant.

Quamquam autem eſt id ſæpe argumentum non a Patribus modo, ſed etiam à novis Theologis refutatum (4),

qui

1 *Epiſt. ad Philipp. cap. 1. v. 1.* „ Paulus & Timotheus ſervi Jeſu Chriſti omnibus ſanctis in Chriſto Jeſu exiſtentibus Philippis cum Epiſcopis & Diaconis „. At Salmaſius non *cum Epiſcopis*, ſed coepiſcopis vertendum cenſet. Conjungit enim τὸ σὺν cum ἐπισκόποις. Ibid. *p.* 63. Atque ita legiſſe Chryſoſtomum conſtat. Vid. ſupra *p.* 338. *not.* 1. *hujus vol.*

2 Salmaſius *ibid. pag.* 54. „ Petrus, *inquit*, in prima catholica *cap.* v. de Presbyteris Eccleſiarum, ad quas ſcribit, quibus ſe & συμπρεσβύτερον facit, monet eos, ut paſcant gregem Dei, qui apud ipſos eſt, ἐπισκοποῦντες οὐκ ἀναγκαστῶς. Non alii autem ſunt, qui τὸ ποίμνιον ποιμαίνουσι, niſi vere inde appellati ποιμένες. Et quos ſic vocat Paulus in ep. ad Epheſios, illi ipſi ſunt Epiſcopi, ſive Presbyteri, qui præficiebantur ab Apoſtolis paſcendo gregi Chriſti, & Eccleſiæ toti regendæ &c. „. Walchius *ibid. pag.* 99. „ Epiſcopo, *inquit*, primo Epheſino Timotheo ſcribit Paulus, *ut rationem habeat donorum in ipſum collatorum per impoſitionem manuum presbyterii cap.* 1. *v.* 14. Unde intelligitur, ordinationem, & χειροθεσίαν, quod jus Epiſcopale clamitant diſſentientes, a Presbyterio eſſe factam; quodque adeo Presbyterium, ſeu Presbyterorum collegium, niſi ſuperioritate, & eminentia præ Epiſcopo gaviſum fuerit, certe non ſubordinatum ipſi fuerit. Præcipue cum ex aliis locis colligatur, Epiſcopos nullos fuiſſe alios, quam presbyterii membra. Teſtem alium advoco Petrum Apoſtolum in priore ſua Epiſtola *cap.* v. *v.* 1. 2. Presbyteros admonet ceu collegas compresbyter, ut munere Epiſcopali demandato rite fungantur; ποιμάνατε, inquit, τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον τοῦ θεοῦ, ἐπισκοποῦντες μὴ ἀναγκαστῶς, ἀλλ' ἑκουσίως. Ergo idem Petrus, qui Epiſcopus fuit, ſeſe presbyterum tantummodo venditat, & presbyteris vero ἐπισκοπούντων provinciam tribuit „. Hæc ille. Similia ex aliis ſacræ Scripturæ locis iidem proferunt, quæ cum huc ſpectent, neque plus quidquam contineant, conſulto a nobis ſunt prætermiſſa.

3 Walchius *ibid. pag.* 98. „ Synonyma, *inquit*, erant Presbyter, & Epiſcopus; præter vocis diſcrimen erat nullum. Ita enim *Ap. Paulus Act.* xx. *v.* 17. *ſeq.* Similiter cum Paulus in *epiſt. ad Titum cap.* 1. hunc edocuerit *v.* 5. quomodo Presbyteri in Creta fuerint conſtituendi, ſtatim *v.* 7. ſubjicit, quales oporteat illos eſſe, qui eligendi ſint, quos nunc Epiſcopos appellitant.

4 A Petavio *diſſert. Eccl. lib.* 1. *cap.* 1. §. 1. *ſeqq. pag.* 196. *tom.* IV. *Theologicor. Dogm. edit. Antuerp. & lib.* II. *Hierarch. Eccl. cap.* 1. *pag.* 40. *ſeqq. tom. eodem*. Natalis Alexander *diſſert. de Epiſcop. ſupra Presbyt. eminentia pag.* 51. *ſeqq. Triad. diſſert. edit. ann.* 1678. Duguetus *tom.* 1. *diſſert. Eccleſ.* III. §. III. *ſeq. pag.* 43. *ſeqq. edit. Colon. an.* 1742. & ex Epiſcopalibus Anglis Hammondus *diſſert.* IV. *pag.* 206. *ſeqq.* aliique innumeri, quos prætereo.

qui libros adverſus hæreticos ediderunt, quoniam tamen rurſum ab adverſariis opponitur, eſt item a nobis, ita ut ratio poſtulat, diligentiſſime refellendum. Ac priore quidem loco, ſi Epiſcopos ſolum, Diaconoſque Philippis eo tempore fuiſſe, quo ad Philippenſes Chriſtianos Paulus ſcribebat, dicamus; nulla eſſet cauſſa, quare me quiſquam aut erraſſe, aut a majorum ſententia receſſiſſe judicaret. Nam Epiphanius (1), qui quarto ſeculo magna & doctrinæ, & virtutis laude floruit, cum Aerium primo Epiſtolæ ad Philippenſes capite abutentem argueret; hunc ipſum prodromum Puritanorum imperitum veterum hiſtoriarum fuiſſe dixit, ut qui conſtitutis alicubi Epiſcopis ſcribi ætate Apoſtolorum ad Epiſcopos, & Diaconos conſueſſe neſciret. Illud quoque accedit, quod cum Apoſtolus eas litteras ad Philippenſes daret, Epaphroditus (2) eorum Epiſcopus Romæ ageret; quamobrem veriſimile eſt, datum fuiſſe Epiſcopis, qui proximarum civitatum Eccleſias (3) moderabantur, negotium, ut quamdiu ille abeſſet, Philippenſium curam ſuſciperent; ſcriptaſque eas litteras tum fuiſſe, cum illi Philippis, ut ſuo muneri ſatisfacerent, verſarent.

1 *Hæreſi* LXXV. *n.* V. *pag.* 908. *edit. Pariſ. Petav.* „ Sed nimirum, *inquit*, veritatis „ iſte feriem ignorans, nec in reconditiore hiſtoria verſatus non intelligit, Apoſtolum „ cum recens adhuc eſſet Chriſtiani dogmatis propagatio, pro re nata ſcripſiſſe. Nam ubi „ jam Epiſcopi conſtituti fuerant, ad Epiſcopos, & Diaconos ſcribebat „. Atque Epiphanius quidem in locis, ubi qui presbyteratu digni haberentur, minime inveniebantur, Epiſcopum tantum, diaconoſque ab Apoſtolis fuiſſe poſitos ſcribit. „ Neque enim, *inquit*, „ ſubinde omnia ab Apoſtolis ordinari poterant: & quidem Presbyteris imprimis, & diaconis opus erat, a quibus videlicet ambobus Eccleſiaſtica negotia adminiſtrari poſſunt. „ Quare ubi nondum Epiſcopatu dignus aliquis occurrerat, nullus ei loco præpoſitus eſt „ Epiſcopus. At ubi & neceſſitas poſtulabat, nec eorum, qui Epiſcopatu digni erant, copia deerat, ibi Epiſcopi conſtituti. Sed cum haud magna multitudo foret, reperiri nulli „ potuerunt, qui presbyteri crearentur, unde ſolo Epiſcopo contenti fuerunt. Sine diacono vero Epiſcopus eſſe non poteſt. Quare in id Apoſtolus incubuit, ut miniſtrandi gratia Epiſcopo Diaconi ſuppeterent. Itaque cum nondum Eccleſia ſuis omnibus functionibus „ expleri poſſet, per illud tempus iſtiuſmodi ſingulorum locorum ſtatus extitit. Neque vero ulla res eſt, quæ ab initio ſuis omnibus numeris abſoluta fuerit; ſed procedente demum tempore, ſua opportunitatibus omnibus ad perfectionem acceſſio contigit „. Fac igitur, quod Epiphanius cenſet, Epiſcopi, Diaconique in Philippenſi Macedoniæ provincia fuerint, nam ad hos omnes Paulus ſcripſit, ut mox videbimus, Presbyterorum profecto fieri mentio ab Apoſtolo, cum litteras ad Philippenſes daret, non poterat.

2 *Cap.* IV. *epiſt. ad Philipp. v.* 18. „ Accepi autem omnia, & abundo: repletus ſum „ accipiens ab Epaphrodito ea, quæ a vobis odorem ſuavitatis, hoſtiam acceptam placentem Deo &c.

3 Vide *Duguetum ibid. pag.* 49.

ſarentur. Erat enim apud Majores noſtros (1) in uſu, ut cum alicujus Eccleſiæ Epiſcopus, aut obeundi martyrii, aut alterius cujuſquam rei cauſſa, alio migrare cogeretur, Antiſtitibus, qui Chriſtianis in finitimis civitatibus præfecti eſſent, partes ejuſdem Eccleſiæ adminiſtrandæ, tuendæque committerentur. Eoque magis in ſententia confirmor, quo videam Epaphroditum (2) diutius Philippis abfuiſſe, quam ut una inferiorum miniſtrorum cura regi tam longo tempore tanta Chriſtianorum multitudo poſſet. Sunt autem Theologi, & ii quidem eruditionis exiſtimatione illuſtres, qui Epiſcopos in litteris ad Philippenſes nominari eos cenſeant, qui Macedoniæ Eccleſiis (3) præſiderent, inque ditionem veniſſent Philippenſium Metropolitarum. Nam Apoſtolos cum litteris ad Metropoleos alicujus Chriſtianos mitterent, ad omnes Provinciæ Chriſtianos ſcribere ſolitos fuiſſe putant. Id enim cum diſcipuli fecerint Apoſtolorum (4) cur quiſquam factum item ab Apoſtolis fuiſſe neget? Neque vero a diſcipulis Apoſtolorum, ut dixi, ſolum; ſed etiam a Paulo perfectum id ipſum fuiſſe conſtat, cum præſertim ad

 Corinthios

1 Vide s. Ignatii *Epiſtolam ad Polycarpum num.* VII: *pag.* 42. *edit. PP. Apoſtolicor. Amſtelod. an.* 1724. Et *epiſt. ad Philadelphenos n.* XI. *pag.* 33.

2 S. Paulus *epiſt. ad Philipp cap.* II. *v.* 25. *ſeqq.* „ Epaphroditum fratrem, & cooperatorem, & commilitonem meum, veſtrum autem Apoſtolum, & miniſtrum uſus mei mittere ad vos. Quoniam expetens erat omnes vos, & mœſtus, eo quod audieratis, quod ægrotaſſet. Etenim infirmatus eſt proxime morti, ſed Deus ejus miſertus eſt, non ejus autem ſolum, verum & mei, ut ne triſtitiam ſuper triſtitiam haberem. Studioſius ergo miſi illum, ut videntes eum iterum gaudeatis, & ego ſine triſtitia ſim. Excipite itaque illum in Domino cum omni gaudio, & ejuſmodi in pretio habetote „. Sic e Græco vertit Arias Montanus. Diu igitur abfuerat Philippis Epaphroditus. Nam advenerat Romam, tum in morbum inciderat. De morbo facti Philippenſes fuerant certiores, ægreque id tulerant. Nunciatum hoc fuerat Epaprodito, quæ res illum vehementer commoverat. Hujuſmodi autem nunciorum itus, reditusque brevi temporis intervallo fieri qui potuiſſent? Jam ſi verum eſt, quod Theodoritus putat, Epiſcopos cum Paulus ad Philippenſes ſcriberet, fuiſſe Apoſtolos appellatos; presbyteros autem ornatos nomine Epiſcoporum (nam Paulus Epaphroditum Philippenſium Apoſtolum vocat) nihil negotii eſſet, locum Epiſtolæ de Epiſcopis, & Diaconis explicare. Vide ſupra *pag.* 284. *hujus vol. not.* 1. ſed hæc hactenus.

3 Conſule Duguetum *ibid. pag* 50. & Hammondum, ſi licet, *differt* IV. *c.* X. *p.* 208 *ſeq.*

4 S. Polycarpus epiſt. ſuam ad Philippenſes inſcripſit hoc modo. τῇ ἐκκλησίᾳ παροικούσῃ Φιλίπποις. Id quod & habitatrici urbis, & proximorum locorum Eccleſiæ competit. Eſt enim vox *παροικοῦσις* conflata ex πόλις, & χέρα. Vide locum Polycarpi *tom.* II. *Apoſtolicor. PP. pag.* 186. *edit. an.* 1724. Eadem fere eſt epiſtolæ Clementis ad Eccleſiam Corinthiorum inſcriptio. Confer *collect. epiſt. Rom. Pontif. edit. Coutant. Pariſ. tom.* I. *pag.* 9.

Corinthios (1), & Coloſſenſes, adeoque cum ad reliquos Chriſtianos, qui in aliis provinciis degebant, ſcriberet. Quod autem Apoſtolus Epiſcopos, Diaconoſque appellet, nulla facta mentione Presbyterorum; id vero expedire nihil negotii eſt. Aut enim vera fuit opinio Epiphanii (2), quæ interdum in Eccleſiis aliquot Epiſcopos, Diaconoſque tantum; Presbyteros autem nullos fuiſſe ferret, propterea quod dignum Apoſtoli, qui hoc tanto munere fungeretur, reperiſſent neminem; aut concedendum eſt, quod Petavius (3) animadvertit, noſque non inviti credimus, eos in una Eccleſia, qui Presbyteri ſub Epiſcopo urbis alicujus eſſent conſtituti, fuiſſe etiam Epiſcopos ordinatos, ut cum opportunitas data rei bene gerendæ eſſet, proficiſci in alias civitates, Eccleſias fundare, populoque Chriſtiano præſidere poſſent. Horum duorum alterutrum ſi Puritani, Lutheranique conceſſerint, concedant una neceſſe eſt, ſcribi a Paulo ad Macedonas Epiſcopos, & Diaconos potuiſſe, quin ad Presbyteros, qui iiſdem in Eccleſiis non eſſent, ſcriberetur.

Eſt vero altera pars argumenti leviſſima. Quis enim neſciat, Epiſcopos ſingulares, hoc eſt eos, qui primas in quaque Eccleſia obtinebant partes, erantque ſine dubio Pre-

1 Confer *epiſt.* I. *s. Pauli ad Corinth. cap.* I. *v.* I. ubi hæc habentur: „ Paulus Apoſtolus Jeſu Chriſti Eccleſiæ Dei, quæ eſt Corinthi, cum omnibus Sanctis, qui ſunt in univerſa Achaja „. Neque eſſe aliquem video poſſe, qui id nobis revocare conetur in controverſiam. Nam cum Paulus ad Romanos ſcribens, teſtetur ſe Romam iturum, cum Macedoniam pertranſiſſet, *Cap.* XVI. & *cap.* XV. *v.* 25. ſic ſtatuit: „ Nunc igitur proficiſcar in Jeruſalem miniſtrare Sanctis. Probaverunt enim Macedonia, & Achaja collationem aliquam facere in pauperes Sanctorum, qui ſunt in Jeruſalem „. Quis autem ſibi perſuadeat, ſcriptas litteras ad unos Philippenſes fuiſſe, quin aut aliæ, aut eædem ad ceteras Macedoniæ Eccleſias pertinerent? Epiſtola quoque ad Coloſſenſes data, ſi ſola inſcriptio conſideretur, ad alias Eccleſias non ſpectat. At eſt certum imprimis, atque exploratum, eam ſpectare ad omnes Eccleſias Phrygiæ. Inſcriptio enim ſic habet. *Eis qui ſunt Coloſſis Sanctis, & fidelibus*. Sed *cap.* II. *v.* I. hæc leguntur. *Volo enim vos ſcire qualem ſollicitudinem habeam pro vobis, & pro iis, qui ſunt Laodiciæ*. Et *cap.* IV. *verſ.* 15. 16. *Salutate fratres, qui ſunt Laodiciæ ..... Et cum lecta fuerit apud vos Epiſtola hæc, facite, ut & in Laodicenſium Eccleſia legatur*. Vide Dugueti *diſſert.* III. *pag.* 51. Hammondus *ibid.* §. XI. *pag.* 208. „ Philippenſes, ad quos hæc epiſtola dabatur, non unius tantum aut civitatis, aut cœtus nomen eſſe, reſpondet, aut integre demum *Parœciæ*, aut Provinciæ, in qua plures fuerunt, adeoque ἐπίσκοποι in plurali. Philippos quippe *primam partis Macedoniæ civitatem*, ideoque metropolim fuiſſe. *Act. cap.* XVI. *v.* 12. Exhinc hinc ſtatim ſequitur, hanc s. Pauli epiſtolam Philippenſibus ſuis datam ..... ad totam παροικίαν, aut μερίδα univerſum ſcilicet civitatum confinium (quarum Metropolis Philippi) in quibus plures abſque dubio Epiſcopi fuere (nullique adhuc ..... presbyteri) miſſam eſſe &c.

2 Vide ſupra *pag.* 346. *not.* I. *hujus vol.*

3 Vide ſupra *pag.* 337. *not.* 3. *hujus vol.*

Presbyteris ſecundi gradus ſuperiores, fuiſſe a Majoribus interdum indicatos vocabulo Presbyterorum? Hoc ſi a Patribus (1), qui ſecundo ſeculo vivebant, factum eſt, quod paullo (2) ante demonſtravimus, quid impedit, quo minus factum etiam ab Apoſtolis fuiſſe arbitremur? Alioquin Apoſtolos ipſos Presbyteris æquabimus, quod ipſi ſeſe quandoque Presbyteros (3) appellaſſent.

Eodemque modo expedire, ſolvereque tertiam partem argumentationis adverſariorum licet. Etſi enim Paulus relictum ab ſe in Inſula Creta Titum, ut Presbyteros conſtitueret affirmat, oſtenſuruſque, quibus moribus iidem presbyteri eſſe debeant, *Epiſcopum* ſine crimine eſſe oportere, ſcribit; tamen cum Epiſcopos, quos civitatibus Inſulæ præficere Titus debebat, vocare nomine Presbyterorum (4), ut mox oſtendimus, liceret; mirabile profecto non eſt, ſi quos initio Apoſtolus Presbyteros, eoſdem paullo poſt Epiſcopos appellaverit. Quare fit, ut Epiſcoporum collegium, qui aliquem Epiſcopum conſecrarent, *presbyterium* diceretur a Paulo in epiſtolis ad Timotheum.

Quinti argumenti ſic eſt a Salmaſio (5), aliiſque Puritanis concluſa ratio. Qui primi omnium in Eccleſiis tempore Apoſtolorum eſſent, inveniri nulli omnino poterunt. Nam ſi qui primas ſibi vindicare audebat partes, is continuo ab Apoſtolis aut ſejungebatur, aut in ordinem redigi conſueverat. Quamobrem damnatus Diotrephes (6) ab Johanne eſt, qui ceteris præeſſe cupiebat. Itaque ſi nemo fuit

1 Confer quæ dixi ſupra *pag.* 322. *not.* 1. & 2. *hujus vol.*

2 Vide ſupra *pag.* 322. *not.* 1. 2. *hujus vol.*

3 Conſule ſupra *pag.* 345. *not.* 2. *hujus vol.* Id vero adverſarii non negant.

4 Hammondus *ibid. pag.* 213. *cap.* XII. „ Cum in Creta inſula, *inquit*, quam Paulus
„ ad fidem converterat, civitates plus minus centum eſſent, palam eſt phraſi iſta non
„ unam, ſed plurimas civitates intelligendas eſſe, quarum omnium, inquit Euſebius *lib.* III.
„ *cap.* IV. *hiſt. pag.* 81. *edit. Taurin.* ἐπισκοπὴν ſortitus eſt Titus, ut ſub ſe Epiſcopos
„ ordinaret, inquit Theodoritus.

5 Salmaſius *diſſert. de Epiſc. & Presbyteris cap.* 1. *pag.* 24.

6 Conſule Natalem Alexandrum *ibid. pag.* 61. Hammondus qui Salmaſium in Diſſertatione *de Epiſc. & Presbyt. de Diotrephe* diſputantem refellit, *diſſert.* 1. *cap.* XIII. *pag.* 43. „ Locus ipſe conſulatur, *inquit*, (*Johann.* 21. 9.) ſtatim manifeſtum fore, Dio-
„ trephen non ſolum comparibus ſuis, ſed & ipſi Johanni Apoſtolo præponi voluiſſe, di-
„ gnitatemque ambiiſſe, non quæ Presbyterorum collegio, ſed quæ ſanctiſſimo Apoſtolo de-
„ bebatur. Scripſi, inquit Johannes, Eccleſiæ, ſed ὁ φιλοπρωτεύων αὐτῶν *Primatus inter*
„ *eos cupidus* Diotrephes nos non recipit . . . . . quid ergo . . . . . hoc ad primatum Epiſco-
„ porum &c. „ Confer, ſi licet, quæ ſequuntur.

ſuit in Eccleſia Apoſtolica, qui primatum inter ceteros obtineret, par fuerit neceſſe eſt gradus, & dignitas Epiſcoporum, & Presbyterorum.

Hoc autem quale ſit, adverſarii quidem viderint. Nam ad rem profecto non pertinet. Diotrephes enim non ſolum Epiſcopis, ſed Apoſtolis etiam præferri cupiebat. Quare ne Johannem quidem recipiendum arbitrabatur. Id vero quemadmodum Epiſcoporum dignitatem, auctoritatemque, cujus nulla eſt ab Johanne facta commemoratio, tollat, nullo modo prorſus intelligo. Deinde aut ſingulari Epiſcopatu, quo presbyteris antecelleret, fungebatur Diotrephes, aut eo gradu, dignitateque carebat. Si fungebatur, cur non fuit ob arrogatam ſibi eam poteſtatem ab Apoſtolo reprehenſus? Eſt enim ejus damnata ſuperbia, quod anteferre ſe Apoſtolis, Johannemque negligere auderet. Aut cur ceteri, qui eamdem obtinerent in Aſia dignitatem, impune tulerunt? Si autem ea ipſa dignitate Epiſcopi carebat, quam per ſummam arrogantiam aſſequi cuperet, mirum nemini videri debet, quod redargutus ab Johanne eſſet.

Sed erunt fortaſſe, qui Philippos urbem neque ſatis magnam, neque Metropolim fuiſſe arbitrentur, quod a vetere Geographo apud Theophylactum *πόλις ὑπὸ μητροπόλεως θεσσαλονίκης* civitas ſub metropoli Theſſalonica ſit appellata: ſcriptiſque a Paulo ad Philippenſes litteris, proximas Eccleſias comprehendi negent, adeoque quod datum a nobis reſponſum eſt, ut argumentum adverſariorum de Epiſcopis, & diaconis Philippenſibus refelleremus, nullius eſſe momenti defendant. Iidem generatim *φιλοπρωτείαν primatus ſtudium* fuiſſe ab Johanne in Diotrephe reprehenſum dicent. Quamobrem quidquid primatus Epiſcopis conceditur, hoc totum eſſe reprehendendum.

Mihi vero nihil exhibet negotii, quod a vetere Geographo petitum (1) eſt. Non enim de Philippi regis, a quo urbs nomen accepit, ætate agimus, quo ſane Geographi dictum

1 Vide *Hypotheſin Commentariis Theophylacti in epiſt. ad Philippenſes præfixam pag. 575. edit. an. 1636.*

dictum ſpectat, ſed de temporibus Romanorum Imperatorum, quibus Paulum floruiſſe liquet. Ac recte eſt animadverſum ab Hammondo [1] „ De novo Metropoles na-
„ ſci, quæ prius non fuerant, ut & poſterioribus ſeculis
„ [2] πόλεις διὰ γραμμάτων βασιλικῶν τῷ τῆς μητροπόλεως
„ ὀνόματι τιμηθεῖσαι inveniuntur. Notum *enim* eſt illud
„ Strabonis [3] *αἱ ἐπαρχίαι μὲν διῄρηνται ἄλλοτε μὲν ἄλλως,*
„ *Provinciæ aliis temporibus alias diviſæ ſunt, ut & illud* l.XIII.
„ [4] quo Provinciarum confuſionis, quæ facta eſt, ratio-
„ nem reddendam curavit, διὰ τὸ τοὺς ῥωμαίους μὴ κατὰ διελεῖν
„ αὐτὰς, ἀλλ' ἕτερον τρόπον διατάξαι διοικήσεις, ἐν αἷς ἀγο-
„ ραίους ποιοῦνται, καὶ τὰς δικαιοδοσίας, *quod Romani eas non*
„ *diſtribuerent, ſecundum gentium, & Geographorum antiquas,*
„ *& proprias diviſiones, ſed ex politica deſcribendi ratione, ha-*
„ *bito reſpectu ad civitates, in quibus jus populo reddebatur*, &
„ ad quas περίχωρος [5] ad dirimendas lites congregaban-
„ tur „. Mox addit: „ Illud etiam hic locum habere ſuadet
„ Lucas [6], qui Philippos ſub hoc ipſo Paulinæ profectio-
„ nis tempore, non tantum πρώτην πόλιν [7], ideſt Me-
„ tropolim fuiſſe affirmat, ſed & κολωνίαν, adjicit, eam Ro-
„ manorum *coloniam* fuiſſe, unde *v.* 21. ἡμῖν οὐκ ἔξεστι ῥω-
„ μαίοις [8] οὖσι. Quamvis enim illud ſatis conſtet, *Præſi-*
„ *des Romanos* conventus, & conſeſſus ſuos, non tantum in
„ coloniis, aut municipiis celebrandos conſtituiſſe, ſed
„ quandoque in foris, quæ dicebantur *Livii, Julii, Appii,*
„ *Licinii &c.* nemini tamen dubium erit, colonias impri-
„ mis ab eis electas fuiſſe, ad quas reliquarum confinia pro-
„ pter judicia aggregarentur. Quod vero ad Eccleſiam iti-
„ dem Philippenſium attinet, ut ab Imperiali ad Eccleſia-
„ ſticam

1 *Diſſert.* IV. *cap.* X. §. XIII. *ſeqq. pag.* 209. *& ſeqq.*

2 Verba hæc Synodi Chalcedonenſis *can.* XII. *pag.* 606. *tom.* II. *Concilior. edit. Pariſ. Hard.* verti in Latinum ſermonem hoc modo poſſunt. *Urbes per reſcripta regia honorari metropoleos nomine.*

3 *Lib.* XVII. *pag.* 1197. *edit. Amſtel. an.* 1707.

4 *Pag.* 629.

5 Ideſt: *circumjacens regio.*

6 *Act. cap.* XVI. *v.* 12.

7 Hoc eſt: *primam civitatem.*

8 Nempe: *Nobis non expedit, cum Romani ſimus.*

„ ſticam notitiam deſcendamus, illud etiam manifeſtum „ eſt, in Evangelii Prædicatione, eam totius Macedoniæ „ *ἀπαρχὴν primitias* fuiſſe. Conſulatur Apoſtolicæ prædi- „ cationis Hiſtoria *Act.* XVI. *v.* 9. *& ſeqq.* ut & 1. *Theſſalonic.* „ II. 2. ex qua clarum eſt, Paulum *Philippis* exorſum, „ *προπαθόντα*, (1) *καὶ ὑβρισθέντα ἐν φιλίπποις*, Theſſaloni- „ cam poſtea progreſſum eſſe, in hoc (2) *κηρύγματος* curſu, „ aut *agone*. Nec certe illud novum, ut Eccleſiaſticarum „ diviſionum ratio ex (3) *πρωτοκλησίᾳ*, quod hæc matu- „ rius, illa ſerius ad fidem converſa ſit, peteretur; hinc „ *πρωτοτοκία* (4) olim Antiochiæ data, & *primitiis* aut „ *ἀπαρχαῖς* cujuſvis regionis ſolemniter aſſignata (5) *πρω-* „ *τεῖα*. Quod ſi hic etiam obtinuerit, *Philippi* non Me- „ tropolis tantum, aut (6) *πρώτη* unius *μερίδος πόλις*, „ ſed & totius Macedoniæ prima Metropolis cenſenda e- „ rit „. Hæc ille, quæ ad rem noſtram maxime pertinent. Quæ autem ſubdit, ea cum minus ad inſtitutum accedere videantur, prætermiſſa ſunt. Ac lectoribus quidem ſi modo ſibi ex uſu putarint eſſe, ac liceat, ut eadem conſulant, liberum eſſe volo. De Diotrephe idem ſcribit Hammondus: „ In Eccleſia Aſiatica, Johannis curæ immediate ſubjecta, „ nullo modo (7) ad Diotrephen Primatus pertinebat, nul- „ la ab Apoſtolis miſſio, aut (8) *χειροτονία* obtendebatur, „ ſuo ſolius calculo, & ſuffragio, non tantum non jubente, „ ſed, ut apparet, palam renitente Apoſtolo, ad *πρω-* „ *τεῖαν* (9) aſcendere voluit (10) *αὐθάδης*, & *τολμητὴς* (qua- „ les Gnoſticorum ſchola innumeros produxit). At quid „ hoc ad Epiſcopos, jubentibus, & per impoſitionem ma- „ nuum benedicentibus Apoſtolis, non ex ambitione, aut

φιλο-

1 Scilicet: *ante paſſum*, *& contumeliis affectum Philippis*. Theſs. 1. cap. II. v. 2.
2 *Prædicationis*.
3 *Prima Eccleſia*.
4 *Primogenitura*.
5 *Primatus*.
6 *Prima unius partis civitas*.
7 Hammondus *ibid. Diſs.* 1. *cap.* XIII. §. 3. *ſeqq. pag.* 44. *& ſeqq.*
8 *Impoſitio manuum*.
9 *Primatus*.
10 *Superbus*, *& audax*.

„ [1] φιλοπρωτείᾳ ſua, ſed ex miſſione, & providentia
„ Dei ad illud culmen, aliquando etiam poſtquam re-
„ cuſaverint, provectos? .... φιλοπρωτείαν Diotrephi illi
„ vitio verti potuiſſe, *addit*, ſalvo tamen ſuo *Epiſcopis pri-*
„ *matu*; nec enim πρωτείαν, aut ſuperioritatem omnem Ec-
„ cleſiaſticam in Diotrephe improbaſſe Apoſtolum, ut nec
„ in Simone *Act.* VIII. communicandi per [2] χειροθεσίαν,
„ *Spiritus Sancti* [3] ἐξουσίαν, ſed in hoc indignum acqui-
„ rendi modum (quod, ut ait Cyrillus Hieroſolymitanus:
„ [4] τὴν ἄπρατον τοῦ πνεύματος χάριν argento ſibi eo
„ emendam expectaret). In illo [5] φιλοτιμίαν, φιλοπρω-
„ τείαν *ambitionem*, aut immoderatam eminentiæ illius affe-
„ ctationem cenſura ſua multaſſe „. Deſcripto autem exem-
plo Phariſæorum, quos Chriſtus redarguit, propterea quod
primas cathedras expeterent, demonſtrat Hammondus, non
ideo fuiſſe eos damnatos,quod cathedram primam aut in Sy-
nagogis, aut in Conſiſtoriis unus aliquis ipſorum occupa-
ret; cum poſitis multis cathedris, quod uſu veniebat in
Synagogis, Conſiſtoriiſque, primam omnium ab aliquo oc-
cupari neceſſe eſſet; ſed quod *ambitione* Phariſæi ad eam oc-
cupandam permoverentur. Quare Diotrephen ab Johanne
fuiſſe reprehenſum, non quod primatum gereret; nam
erant tunc qui gererent in Eccleſiis permulti; ſed quod vel
ambitione incitatus expeteret, vel ſibi arrogaret, quod mu-
nus ei numquam impoſitum fuiſſet. Denique ſic ſtatuit: „
„ Non omne ἐπισκοπῆς (Epiſcopatus) deſiderium, ſive per
„ τὸ [6] ὀρέγεσθαι, ſive per τὸ ἐπιθυμεῖν [7] ab Apoſtolo
„ ſignificatum 1. *Timoth. c.* III. *v.* I.) culpandum eſſe,
„ cum qui *epiſcopatum deſiderat*, *bonum opus deſiderare* dica-
„ tur, ſed tantum *inane* illud, & ſolius eminentiæ, aut
„ prioritatis præciſe, & abſtracte ſumtæ (nullo ad offi-

1 *Primatus ſtudium.*
2 *Impoſitionem manuum.*
3 *Poteſtatem.*
4 *Catecheſi* VI. *pag.* 53. *edit. Pariſ. ann.* 1640. *Gratuitam, ſeu nullo modo pretio emendam ſpiritus gratiam.*
5 *Honoris, & primatus amorem.*
6 *Appetere.*
7 *Deſiderare.*

„ cium, aut ἔργον (1) reſpectu habito) impotens dignitatis,
„ & (2) προτωκαθεδρίας deſiderium. Loquatur pro aliis
„ Theodoretus in 1. Timoth. c. III. v. 1. (3) . . . *Non ſim-*
„ *pliciter deſiderium Epiſcopatus, ſed primatus amorem incuſat,*
„ *docetque, non honorem, ſed virtutem, non dignitatem, ſed opus*
„ *appetendum eſſe*. Sic cum Zebedæi uxor Matth. xx. (4)
„ dignitatem iſtam a Chriſto filiis ſuis impertiendam poſtu-
„ laret, ut unus illi a dextera, alter a ſiniſtra in regno ejus
„ ſederet, tale a Chriſto reſponſum tulit, ut ſciamus eam
„ (5) φιλοπρωτείας ream eſſe, honoribus quippe & affli-
„ ctionibus, quæ πρωτείοις (6) iſtis adhæſura erant, inſu-
„ per habitis, ſoli dignitati inhiaſſe. Quod igitur Chriſtus
„ diſcipulis reliquis eam matris, aut fratrum ambitionem
„ indigne ferentibus, adjiciendum cenſuit, (7) τὸν ἐν αὐτ-
„ οῖς μέγαν, πρῶτον, vel ut Lucas c. xxII. 26. τὸν (8) ἐν αὐ-
„ τοῖς μείζονα, καὶ τὸν ἡγούμενον, *principem*, aut *præcipuum*
„ inter eos (9) διάκονον, καὶ δοῦλον εἶναι aliis omnibus,
„ quibus præeſt, miniſtrare, & ſervire debere, id etiam
„ Diotrephi reponi potuit; non tamen exinde probari,
„ neminem in Eccleſia πρῶτον, aut μείζονα, aut ἡγούμε-
„ νον cenſendum eſſe. Id poſthæc fuſius monſtrabitur, &
„ ex ipſa φιλοπρωτείᾳ Diotrephis non obſcure concludi
„ poſſet, ſi minutiis iſtis probationum nobis opus eſſet.
„ Adeo ſine omni rationis ſpecie nobis alibi imponi voluit
„ Blondellus, qui hoc potiſſimum argumento Johannem
„ Epiſcopis adverſari concludit, quod Diotrephi φιλοπρω-
„ τείαν vitio verterit „. Atque de Diotrephe hactenus. Eo autem Hammondi verbis ſum uſus, quo & vere concluſa eſſent, & breviter.

Sextum argumentum repetunt Adverſarii ex Epiſtola a Cle-

1 *Opus*.
2 *Prima Cathedra*.
3 *Tom. III. opp. edit. Pariſ. Sirmondi pag. 473.*
4 *Verſ. 21. & ſeqq.*
5 *Primatus deſiderii, ſtudiive*.
6 *Primatibus*.
7 *In ipſis magnum, primum*.
8 *Eum, qui in ipſis eſſet, præcipuus, & dux*.
9 *Miniſtrum, & ſervum eſſe*.

a Clemente Romano ad Corinthios (1) ſcripta. Nullum enim ab eo nominari, ajunt, ordinem Diaconis ſuperiorem, niſi unum gradum Epiſcoporum. At ſi Presbyteri Diaconis, Epiſcopique Presbyteris divino jure antecellerent, priore loco Epiſcopos, tum Presbyteros, poſtremoque Diaconos Clementem fuiſſe commemoraturum; non ergo fuiſſe ullum ordinem medium inter Epiſcopatum, & Diaconatum. Quod ſi ita eſt, jam ordinem Presbyterorum in idem reciḋiſſe, atque Epiſcoporum gradum (2).

Qui autem hoc argumentationis genere abutuntur, non animadvertunt, Clementem, qui ſingulari Romæ Epiſcopatu

1 Eſt Clementis locus *ex epiſt. ad Corinth. tom. 1. Collect. epiſtolar. Romanor. Pontif. edit. Coutantii n.* 42. hujuſmodi: „ Apoſtoli nobis evangelizaverunt a Domino Jeſu Chri- „ ſto, Jeſus Chriſtus a Deo. Miſſus eſt igitur Chriſtus a Deo, & Apoſtoli a Chriſto, factum- „ que eſt utrumque ordinatim ἐκ θελήματος θεοῦ *ex voluntate Dei*. παραγγελίας οὖν „ λαβόντες *mandata igitur accipientes* .... egreſſi ſunt annunciantes, adventurum eſſe re- „ gnum Dei. Prædicantes igitur per regiones, ac urbes, primitias earum ſpiritu cum pro- „ baſſent, εἰς ἐπισκόπους, καὶ διακόνους in *epiſcopos*, & *diaconos* eorum, qui credituri erant, „ conſtituerunt „. Videſne ut de temporibus loquatur Apoſtolorum? Sequitur porro Clemens. „ Neque hoc nove. A multis enim temporibus de epiſcopis, & diaconis ſcriptum fue- „ rat. Sic enim alicubi dicit Scriptura: *Conſtituam* epiſcopos eorum in juſtitia, & diaco- „ nos eorum in fide „. *Et n.* XLIII. „ Et quid mirum, ſi quibus in Chriſto commiſſum eſt „ *a Deo* παρὰ θεοῦ ἔργον τοιοῦτο *tale opus* (*vel munus*) κατέστησαν τοὺς προειρημένους „ *prædictos conſtituerunt* „? N. XLIV. „ Apoſtoli quoque noſtri per Dominum noſtrum Je- „ ſum Chriſtum cognoverunt, futuram eſſe de nomine epiſcopatus contentionem. Eam igi- „ tur ob cauſſam perfectam præcognitionem adepti prædictos conſtituerunt, ac deinceps fu- „ turæ ſucceſſionis hanc tradiderunt regulam, ut cum illi deceſſiſſent, miniſterium eorum, „ ac munus alii probati viri exciperent. Qui igitur ab illis, vel ab aliis viris eximiis, „ conſentiente univerſa Eccleſia, conſtituti ſunt, & ovili Chriſti humiliter, quiete, libe- „ raliterque miniſtrarunt, ac longo tempore præclarum ab omnibus reportarunt teſtimo- „ nium, hos cenſemus officio injuſte dejici. Non enim leve erit peccatum, ſi eos, qui citra „ querelam, & ſancte offerunt dona, ab epiſcopatu removerimus. Beati presbyteri, qui „ viam prius emenſi fructuoſam, ac perfectam conſecuti ſunt diſſolutionem. Non enim ve- „ rentur, ne quis de conſtituto ipſis loco eos transferat. Nempe videmus nonnullos, quo „ honeſtati fuerant, & in quo inculpate ſe geſſerant, a vobis dejectos eſſe „. N. XLVII. *p.* 33. „ Turpia ſunt, dilecti, & valde turpia, & Chriſtiana converſatione indigna, audiri fortiſſi- „ mam, & antiquam Corinthiorum Eccleſiam propter unum, aut alterum hominem contra „ presbyteros ſeditionem movere „. *n.* LIV. *p.* 35. „ Quis ergo inter vos generoſus, quis „ miſericors, quis caritatis plenus dicat? Si propter me ſeditio, & contentio, & ſchiſmata, „ diſcedo, abeo quocumque volueritis, & quæ multitudo juſſerit, facio; tantum ovile „ Chriſti in pace degat, cum conſtitutis presbyteris „? N. LVII. *p.* 37. „ Vos qui ſeditio- „ nis fundamenta jeciſtis, ſubditi eſtote τοῖς πρεσβυτέροις *presbyteris*, & correptionem „ ſuſcipite in pœnitentiam.

2 Abutuntur Clementis teſtimoniis Salmaſius *in Appar. operis de Prim. Papæ pag.* 49. *& diſſert. de Epiſcop. & Presbyt. pag.* 212. Blondellus *Apolog. pro ſentent. Hieron. de Epiſcop. & Presbyt. ſect.* II. *pag.* 13. Buddeus *Diſſert. Hiſt. Theolog. de Orig. & Poteſtat. Epiſc.* §. IX. *pag.* 200. Walchius *Compend. Antiquit. Eccleſiaſt. lib.* 1. *cap.* III. *pag.* 100. *edit. an.* 1733. aliique.

ſcopatu (1) potiebatur, eratque presbyteris univerſis Urbis, ut a Petro Romani acceperant, auctoritate præſtantior, Epiſcopos nominare nequiviſſe, quaſi plures eadem in civitate, eidem Eccleſiæ præficerentur, vocarenturque non Epiſcoporum modo, ſed etiam presbyterorum vocabulo, ac ſi presbyteris dignitate, honore, ac poteſtate pares eſſent. Non enim credibile eſt, eum, qui traditione Apoſtolica fretus paſſus fuiſſet, hunc ſibi in Eccleſia magiſtratum dari, Epiſcopis Corinthiorum jus, poteſtatemque negaſſe, qua ipſe, Aſiani, aliarumque Provinciarum Præſules potirentur. Itaque ſic exiſtimo. Epiſtolam a Clemente non ad Corinthios ſolum, ſed etiam ad aliarum civitatum Chriſtianos fuiſſe datam, quæ civitates Corintho, ceu Metropoli, ſubjacerent. Scribit enim Eccleſiæ Dei *παροικούσῃ κόρινθον*, quæ vox *παροικούσῃ* ſatis indicat, non urbis ſolum Eccleſiæ, ſed reliquarum etiam, quæ proximæ erant, fuiſſe a Clemente habitam (2) rationem. Atque hoc quidem ſenſu vocabulum idem uſurpatum fuit a Polycarpo, quod paullo ante (3) vidimus. Corinthum autem Achaiæ metropolim fuiſſe, tam eſt perſpicuum, ut qui dubitet, næ is magna in rerum antiquarum ignoratione verſatur. Erat ea præterea Proconſulis (4) Achaiæ Provinciæ ſedes. Quodſi Paulus (5) cum ad Corinthiorum Eccleſiam principem ſcriberet, ad omnes Achaiæ Eccleſias ſcribebat, quid cauſſæ eſſe poterit, quare non ſit idem de Clemente putandum? Ergo pluribus in univerſa fere Achaia hominibus ad Chriſtiana ſacra adductis,

1 S. Irenæus *lib.* III. *contra Hæreſes cap.* III. *pag.* 176. *edit. Veneta an.* 1734. Singulares Romanæ Eccleſiæ Epiſcopos numerans, tertio loco Clementem nominat. Sed de hac re copioſius agam *n.* XI. hujuſce §.

2 „ Eccleſia Dei ἡ παροικοῦσα ῥώμην, *quæ incolit Romam*, *Eccleſiæ Dei* παροικούσῃ κόρινθον *Eccleſiæ Dei habitanti Corinthum*. Ita habet inſcriptio *epiſt. Clem. ad Corinth. pag.* 9. *tom.* 1. *Collect. epiſt. Romanor. Pontif. edit. Coutantii n.* 1.

3 Vide quæ dixi ſupra *pag.* 347. *n.* 4. *hujus vol.*

4 Vide *Acta Apoſt. cap.* XVIII. *v.* 12.

5 Si Paulus cum ad Corinthios ſcriberet, epiſtolam ad omnes Chriſtianos, qui in proximis urbibus degebant, miſit, cur non idem cenſendum de Clemente eſt, qui τῇ ἐκκλησίᾳ παροικούσῃ κόρινθον dedit? Ac Paulum quidem ad omnes Achaiæ incolas litteras eaſdem dediſſe, ex II. *epiſt. ad Cor. cap.* 1. *v.* 1. plane conſtat. Habet enim hoc modo. Τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ θεοῦ τῇ οὔσῃ ἐν κορίνθῳ, σὺν τοῖς ἁγίοις τοῖς οὖσιν ἐν ὅλῃ τῇ ἀχαΐᾳ. „ Eccleſiæ „ Dei, quæ eſt in Corintho, cum omnibus ſanctis exſtantibus in univerſa Achaia „. *Et* 1. *ad*

ctis, præfectus cuique civitati, ubi Eccleſia erat, Epiſcopus fuerit neceſſe eſt, qui eam moderaretur. Cumque Epiſcopi Clementis ætate, poſterioreque etiam tempore, etſi gradu, auctoritateque ſimplicibus Presbyteris erant ſuperiores, tamen presbyterorum vocabulo interdum (1) appellarentur, propterea quod primi gradus Sacerdotes, ac Presbyteri dici commode (2) poſſent, factum hinc eſt, ut qui primum ab eo Pontifice vocati Epiſcopi ſunt, iidem paullo poſt Presbyteri dicerentur. Quapropter non eſt ex epiſtola Clementis conſequens, in una Eccleſia plures Epiſcopos, hoc eſt Presbyteros primi gradus pari poteſtate inſtructos fuiſſe; ſed ſingulis civitatibus, in quibus Chriſtiani degerent, ſingulos fuiſſe præfectos Epiſcopos, qui Eccleſiam adminiſtrarent; ac Presbyteros ſecundi gradus, Diaconoſque moderarentur. Quid? ſi Præpoſitos (3) Eccleſiis Clemens a Presbyteris ſecernat,

ad Cor. 1. *v.* 2. πᾶσιν, inquit, ἐπικαλουμένοις τὸ ὄνομα .... Χριστοῦ ἐν παντὶ τόπῳ: „ Omnibus invocantibus nomen Chriſti in omni loco „. Nempe *Achaia*. Sunt enim, qui ita interpretentur. De qua re nonnulla ſcribit *in Diſſert.* v. *cap.* II. *pag.* 262. Hammondus. Nam perplura eorum, quæ iiſdem litteris complexus Apoſtolus eſt, cadere in omnes Eccleſias, quæ conſtitutæ in univerſo orbe fuiſſent, non poterant. Atque illud ſane, quod extat I. *Cor. cap.* XVI. *v.* 15. „ Obſecro vos fratres, NOSTIS DOMUM STEPHANÆ, quod „ eſt primitiæ Achajæ, & in miniſterium ſanctis addixerunt ſeipſos; *v.* 17. „ Gaudeo autem „ in præſentia Stephanæ, & Fortunati, & Achaici, quoniam veſtrum defectum hi ſupplevе„ runt, quemadmodum aliis, præterquam incolis Achaiæ attribuere liceret „? Præterea, quod apud Corinthios egiſſe Apollos dicitur I. *Cor. cap.* XIII. *v.* 6. *Apollo rigavit*, nonne omnibus Achaiæ incolis competit? *Act.* XVIII. *v.* 27. βουλομένου αὐτοῦ διελθεῖν εἰς τὴν ἀχαΐαν, *volente ipſo venire in Achaiam*. Ergo non Corinthi ſolum verſatus eſt Apollos. Quinetiam Paulus, eum ad Romanos ſcriberet, *ſalutant*, inquit, *vos* .... αἱ ἐκκλησίαι τοῦ Χριστοῦ *Eccleſiæ Chriſti*, plurali numero, quod indicat, non unam Corinthiam, ſed proximarum urbium quoque Eccleſias ſalutem Romanis dixiſſe. *Cap.* XVI. *v.* 16. Præterea quod in litteris ad Corinthios de Collectis in Palæſtinam mittendis ſtatuit, non ad unam Corinthiam, ſed ad omnes Achaiæ Eccleſias pertinet. I. *Cor.* XVI. *v.* 1. *&* II. *Cor.* VIII. *&* IX. Nam *in epiſt. ad Rom. cap.* XV. *v.* 26. εὐδόκησαν, *inquit*, γὰρ μακεδονία, καὶ ἀχαΐα κοινωνίαν τινὰ ποιήσασθαι εἰς τοὺς πτωχοὺς τῶν ἁγίων τῶν ἐν ἱερουσαλὴμ. „ Probaverunt enim „ Macedonia, & Achaia collationem aliquam facere in pauperes Sanctorum, qui ſunt in „ Hieruſalem „. Rurſum II. *ad Cor. cap.* IX. *v.* 2. „ Scio, inquit, promtum animum ve„ ſtrum, quem de vobis glorior Macedonibus, quod *Achaia* parata eſt a ſuperiori anno &c. Præterea quod addit *cap.* XI. *v.* 8. παρὼν πρὸς ὑμᾶς, καὶ ὑστερηθεὶς οὐ κατενάρκησα οὐδενός. „ Et præſens apud vos, & egens, non obtorpui cuiquam „ ad omnes Achaiæ Eccleſias ſpectat. Nam ſubdit *v.* 10. „ Eſt veritas Chriſti in me, quoniam gloriatio hæc non obſcurabitur „ in me regionibus Achajæ „. Ita vertit Arias Montanus.

1 Vide ſupra *pag.* 322. *not.* 1. *hujus vol.*

2 Confer notationem ſequentem.

3 S. Clemens *epiſt. ad Corinth. n.* 1. *pag.* 10. *edit. ejuſd.* ὑποτασσόμενοι τοῖς ἡγουμένοις ὑμῶν, καὶ τιμὴν τὴν καθήκουσαν ἀπονέμοντες τοῖς παρ' ὑμῶν πρεσβυτέροις. „ Subditi præ„ poſitis

nat, & eis quidem ſubditos eſſe, his honorem adhibere oportere Chriſtianos ſcribat? Præpoſitorum autem nomine quos tandem, niſi Epiſcopos ſignificat, quibus impoſitum onus regendarum Eccleſiarum eſſet? Diſtinguit igitur Clemens Epiſcopos a Presbyteris. Quinetiam ſimilitudinem ex vetere Teſtamento repetens (1) Pontificum, Sacerdotum, & Levitarum, ſatis indicat in Eccleſia tres fuiſſe ordines, qui iiſdem veteribus reſponderent.

Accedit Beveregii (2) animadverſio, qui Diaconorum appellatione non Diaconos ſolum, ſed etiam Presbyteros loco ſupra deſcripto indicari a Clemente potuiſſe cenſet. Neque enim intelligo, cur Presbyteri, qui miniſtri etiam vocarentur, *Diaconorum* nomine audire nequiverint; debuerint autem omnino intelligi vocabulo (3) Epiſcoporum. Nulla namque major eſt, graviorque cauſſa, quare ſecus eſſe ſtatuendum putem.

Jam

„ poſitis veſtris, & honorem debitum presbyteris veſtris tribuentes „. *Et n.* XXI. *pag.* 20. τὸν κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, οὗ τὸ αἷμα ὑπὲρ ἡμῶν ἐδόθη ἐντραπῶμεν. Τοὺς προηγουμένους ἡμῶν αἰδεσθῶμεν, τοὺς πρεσβυτέρους ἡμῶν τιμήσωμεν, τοὺς νέους παιδεύσωμεν &c. „ Dominum „ Jeſum Chriſtum, cujus ſanguis pro nobis datus eſt, revereamur. Præpoſitos noſtros veneremur, presbyteros noſtros honoremus, juvenes doceamus &c.

1 *Num.* XL. *pag.* 28. „ Cuncta ordine debemus facere, quæ nos Dominus juſſit peragere „ .... Qui ergo aſſignatis temporibus oblationes ſuas faciunt, accepti, & beati ſunt; nam „ qui legitima Dei ſequuntur, non peccant. Summo quippe Sacerdoti ſua munia tributa ſunt, „ & Sacerdotibus locus proprius præſtitutus eſt. Levitis quoque ſua miniſteria incumbunt; „ homo laicus præceptis laicis obſtringitur. *Unuſquiſque veſtrum fratres in proprio ordine, ac ſtatu gratias agat Deo.* ἕκαστος ὑμῶν, ἀδελφοί, ἐν τῷ ἰδίῳ τάγματι εὐχαριστείτω „ θεῷ „. Confer notationes Cotelerii in hunc locum *tom.* I. *PP. Apoſtolicor. pag.* 170. *ſeqq. edit. Amſtelod. an.* 1724. ſi quidem licet. Multis enim oſtendit, non ſolum Epiſcopos, & Diaconos, ſed etiam Presbyteros fuiſſe a Clemente commemoratos.

2 Beveregius *lib.* II. *Cod. Canon. Vindic. cap.* XI. *n.* X. *pag.* 124. *ſeq. tom.* II. *par.* II. *Apoſtolic. PP. edit. Amſtelod. an.* 1724. „ Vox Diaconus, *inquit*, in Eccleſiæ infantia latiſſime ſumta fuit .... Ipſi Apoſtoli διάκονοι paſſim vocantur; ut 1. *Cor.* III. *v.* 5. & διάκονοι καινῆς διαθήκης (*& Diaconi novi Teſtamenti*) 2. *ad Cor.* III. *v.* 6. Alias διάκονοι θεοῦ, & Χριστοῦ (*Diaconi Dei, & Chriſti*) .... Tychicus etiam vocatur διάκονος „ *Coloſſ.* IV. *v.* 7. Nec non Timotheus 1. *Theſſal.* III. 2. .... Et quidem D. Chryſoſtomus „ presbyteros antiquitus, & epiſcopos, & diaconos nuncupatos fuiſſe obſervat: καὶ οἱ πρεσβύτεροι, inquit, τὸ παλαιὸν ἐκαλοῦντο ἐπίσκοποι, καὶ διάκονοι τοῦ Χριστοῦ. (*& Presbyteri olim vocabantur Epiſcopi, & Diaconi Chriſti*) *Chryſoſt. in epiſt. ad Philipp. cap.* 1. Quapropter ſupradicta Clementis verba non ſine ratione, & ipſorum Apoſtolorum, „ Patrumque conſenſu ita intelligantur, ut Apoſtoli & Epiſcopos proprie ſic dictos, & alios „ quoſcumque Eccleſiæ primitivæ miniſtros, tam presbyteros ſcilicet, quam diaconos proprie ſic dictos inſtituiſſe iis perhibeantur. Quamvis enim per διακόνους iſto in loco ſoli „ forſitan presbyteri non ſignificentur, presbyteros tamen æque, ac (*Diaconos*) ſub iſta „ voce comprehendi poſſe, nemo, ut opinor, negabit.

3 Vide *not. ſuper.*

Jam vero certum eſt,Clementem de Apoſtolorum ætate (1) in eo Epiſtolæ ad Corinthios loco agere. Ætate autem Apoſtolorum fuiſſe aliquas Eccleſias, quæ cum Epiſcopum, Diaconoſque haberent, tum carerent iis, qui occuparent locum Presbyterorum, non patior modo, ſed eſſe etiam ad veritatem propenſius (2) arbitror.

At *Præpoſitorum*, ſeu *Ducum* *ἡγουμένων* appellatione non Epiſcopos, qui Presbyteris jure divino ſuperiores eſſent, ſed Presbyteros, adverſarii, ſignificari a Clemente, dicent. Quodſi *ἡγουμένους duces* a *πρεσβυτέροις Presbyteris* ibidem diſtingui cernimus, *πρεσβυτέρων* vocabulo hoc loco non *presbyteros*, quales ſunt miniſtri Eccleſiarum, ſed *majores natu*, hoc eſt *ſeniores*, ætateque provectiores viros, ut eos ab adoleſcentioribus ſecernat, ab eodem Clemente ſignificari (3).

Verumtamen quam inepta hæc ſit, a Blondello, ut vim argumenti declinare poſſet, verborum Clementis interpretatio, ne ii quidem ignorant, qui a nobis in Epiſcoporum poteſtate conſtituenda vehementer diſſident. Quotus autem quiſque tam eſt impudens, ut ſi vocem quampiam alicubi reperiat, quam ſibi præſidio eſſe, modo obvio ſenſu uſurpetur, putet, eam opponat, ſin repugnare arbitretur, contorquere in aliam ſignificationem, ne victus eſſe videatur, curet? Nam quod Clementem, ubi de Epiſcopis loquitur, hoſque presbyteros quandoque vocat, de Eccleſiæ Presbyteris loqui; alibi dum *presbyteros* rurſum nominat, de *ſenioribus*, hoc eſt de *majoribus natu* agere, Blondellus cenſet; quale tandem eſt?

Sed in ſecundo loco, inquit Blondellus, *τοὺς πρεσβυτέρους*

1 Confer ſupra *pag.* 355. *not.* 1. *hujus vol.*

2 Recolenda, quæ ſupra adnotavimus *pag.* 348. *hujus vol.*

3 Blondellus *ibid. pag.* 12. *ſeq.* Sed ei profecto non admodum repugnarem, (ut non repugnant Petavius *lib.* IV. *Hierarch. Eccl. cap.* XII. *pag.* 144. *tom.* IV. *Theologicor. Dogm. edit. Antuerp.* & Natalis Alexander *Diſſert. de Epiſc. ſupra Presbyt. Eminentia pag.* 34. *Triad. Diſſert. Eccleſiaſt. edit. Pariſ. an.* 1678.) ſi conſtans in ea ſententia permaneret, ut Clementem, ubi *laicos* memorat, de *Laicis* novi Teſtamenti agere, confiteretur. Nam ſi de Chriſtianis laicis loquitur Clemens, loquatur item de Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis neceſſe eſt, cum ibidem *ſummum Sacerdotem*, *Sacerdotes*, & *Levitas* nominet. Confer *not.* 1. *pag.* 21. *hujus vol.*

βυτέρους cum juvenibus Clemens comparat, in priore autem, ubi de Epiſcopis agit, non item.

Ita ne vero? Annon etiam in ſecundo Clemens meminit τῶν *ἡγουμένων*, *præpoſitorum*? Quinam autem ſint *ἡγούμενοι*, auctore Blondello, niſi *Epiſcopi* ſint, ne ſuſpicari quidem poſſum. Comparat igitur etiam Epiſcopos cum Presbyteris. Deinde de quo ſchiſmate loquitur in litteris ad Corinthios Clemens? Nonne de eo, quod laici adverſus Epiſcopos conflarant? [1] At is ipſe, ut hoc ſignificet, *inſipientes in ſapientes* viros Corinthi, *juvenes* in *presbyteros* ſeditionem concitaſſe ſcribit. Quid? Juvenes ne in ſenes inſurrexerant? Id vero nuſquam eſt a Clemente indicatum. Quorſum igitur hæc juvenum cum *Presbyteris* comparatio evadet? Mihi quidem certe eſſe ſimilius veri videtur, *juvenum* nomine laicos, qui nullum ordinem Eccleſiaſticum profiterentur, quam *Presbyterorum ſenes* a Clemente fuiſſe appellatos, cumque *Presbyterorum* vocabulum gradus contineret duos, quorum alter inferioris ordinis Sacerdotum eſſet, alter Epiſcoporum, factum hinc fuiſſe, ut hos *ἡγουμένους*, eos vero *presbyteros*, diſtincte acturus, Clemens diceret.

Ac ſunt quidem e noſtris nonnulli, [2] qui non ſolum Epiſcopum ſingularem Corinthiacæ Eccleſiæ ab Apoſtolis præfectum, ſed etiam Senatum quemdam Sacerdotum ætate, virtuteque gravium inſtitutum putent, quorum quidem Sacerdotum id eſſet munus, ut res Chriſtianorum Eccleſiaſticas una cum Epiſcopo adminiſtrarent, & veluti *ἐπισκοπὴν* gererent. His laicos animo infeſto, atque inimico, Clementis tempore, fuiſſe; ac tametſi cauſſa nulla erat, quare iidem de gradu, quem occupabant, dejicerentur, tamen dejiciendos exiſtimaſſe. Itaque datas a Clemente fuiſſe litteras, quibus laicos vehementer accuſavit, propterea quod tam

1 Commotam ab Laicis adverſus Presbyteros ſeditionem fuiſſe, conſtat ex iis locis Clementis, quæ ſupra *pag.* 355. *not.* 1. *hujus vol.* deſcripta ſunt. Atque de hac ipſa ſeditione agens *n.* 111. *pag.* 11. Clemens: „ Hine æmulatio, *inquit*, diſcordia, & ſeditio, perſecutio, „ & tumultus, bellum, & captivitas. Ita inſurrexerunt inhonorati contra honoratos, in„ glorii contra glorioſos, inſipientes contra ſapientes, *οἱ νέοι ἐπὶ τοὺς πρεσβυτέρους Juvenes* „ *adverſus presbyteros*.

2 Petavius, & Natalis Alexander *locis ſupra indicatis*.

tam indignum facinus perpetraſſent. Fac denique Clemens ſecundi ordinis Presbyterorum nuſquam meminerit, ſed Epiſcoporum ſolum, & Diaconorum: an presbyteros, cum in ceteris urbibus eſſent, tum nullos fuiſſe Corinthi ætate Clementis Blondellus defendet, qui auctoritate Epiſcopum non æquarent? Mihi quidem nihil eſſe minus veriſimile videtur. Ac ſi non meminiſſet Clemens Presbyterorum ſecundi ordinis; quoniam tamen is ordo inferior eſt, contineturque ſuperiore, hoc eſt Epiſcopatu, non erat neceſſe, ut nominaretur. Quamquam non video, quamobrem *Diaconorum* nomine intelligi presbyteri, diaconique nequiverint, cum Presbyteri interdum vocati ſint appellatione *diaconorum* (1).

His tot modis cum explicari locus ex Epiſtola Clementis expreſſus poſſit, hoc ſaltem aſſequutos nos eſſe arbitramur, ut neque tam ſit perſpicuus, quam Baſnagius (2) vellet, neque adeo cum Ignatii, aliorumque veterum Scriptorum teſtimoniis pugnans, ut his neglectis, eo præcipue confirmetur ſententia Puritanorum Presbyteros Epiſcopis extremi ſeculi prioris (3) æquantium. Quo magis impudentiam adverſariorum, temeritatemque miror, qui cum Ignatii, (4) Hegeſippi, Irenæi, ceterorumque Patrum, qui deinceps ſuis operibus Eccleſiam illuſtrarunt, tam eſſe manifeſta (5) de Epiſcopis ſingularibus dicta cernant, tamque conſtantem traditionem, quæ ad noſtra uſque tempora permanavit, ut negari, aut in dubium revocari nullo modo poſſit; nihilominus Majorum teſtimonia vel obſcura, vel quæ ad rem minime pertineant, congerere audent, ut quæ per ſe patent, implicaſſe, vimque argumentorum declinaſſe videantur. Sed de his teſtimoniis alias. Nunc de Jacobo Baſnagio (6) paucis agendum eſt, qui Ham-

1 Vide quæ ſupra dixi *pag.* 358. *not.* 2. *hujus vol.*

2 *Hiſt. de l' Egliſe l.* 1. *c.* 11 I. *pag.* 5. *ſeq. tom.* 1. *edit. an.* 1699.

3 Ita Buddeus *ibid.*

4 Vide teſtimonia Ignatii ſupra *pag.* 22. *hujus vol. not.* 2. *ſeq.* & quæ mox de ejuſdem epiſtolis dicam. Hegeſippi, Irenæi &c. loca deſcribam *num.* 11. *hujus* §.

5 Non negat Buddeus *ibid.* §. VIII. *pag.* 198. „ Sunt ex veteribus, inquit, qui Epi„ ſcoporum præ Presbyteris ἐξοχὴν (*eminentiam*) HAUD OBSCURE INDICANT „. In his Ignatium, Tertullianum, alioſque recenſet.

6 Baſnagius *ibid.*

mondum vexat, & a quo Buddeus noſtrum eſſe dogma labefactatum exiſtimat.

Is igitur Baſnagius in priore de Hiſtoria Eccleſiaſtica libro ſic ſtatuit: a Clemente niſi duos, alium præterea in Eccleſia ordinem poni omnino nullum. Pari enim gradu ab eo conſtitui Epiſcopos, atque Presbyteros, hiſque tribui honorem, ac poteſtatem Epiſcoporum. Queri enim Clementem, propterea quod dejecti ab Corinthiis de gradu Epiſcopatus eſſent ii, qui dona legitime offerrent, id quod, niſi in Presbyteros, in alium quemquam cadere non poteſt. Ac lapſos errore fuiſſe eos, qui loqui de omnibus Achaiæ Epiſcopis Clementem putarent, cujus quidem regionis metropolis Corinthus eſſet. Namque miſſis, quæ ſunt de origine Metropolitarum, quam eſſe Puritani tam veterem, quam ipſi arbitramur, negant, Epiſtolam Clementis non ad Epiſcopum eſſe datam, ſed ad Eccleſiam, & populum Corinthiorum. Satuiſſe enim Clementem ſeditionem reprimere, quæ orta Corinthi fuiſſet, quæque Achaiam minime diſcidiſſet in factiones. Atque hæc illa eſt tam gravis, quam Buddeus jactat, Baſnagii argumentatio.

Sed duos ne, an plures gradus recenſuerit Clemens, cum oſtenſum a nobis ſupra diligenter fuerit, nunc omittatur. Pari autem dignitate, ſententia Clementis, valuiſſe Epiſcopos, Presbyteroſque, quibus tandem argumentis Baſnagius demonſtrabit? An non *Præpoſitos* a Presbyteris diſtinguit Clemens, ut paullo ante vidimus? Non ergo æqualem eorum fuiſſe auctoritatem, dignitatemque putavit. Rurſum ſi Presbyteros inferiores nuſquam memoravit Clemens, quibus momentis rationum oſtendi poterit, nullos fuiſſe presbyteros Epiſcopis inferiores, Clementis tempore? Quos enim nullibi nominat, continuo excludendos ex Eccleſia eſſe quis credat? Neque vero omnia, quæ ſua ætate obtinebant, nominanda cenſebant Patres. Ac ſi tacitus prætermiſit Presbyteros Clemens, non prætermiſit Ignatius, & auditor Johannis, & æqualis temporum illorum. Ex appellatione autem Epiſcoporum, quos etiam Prebyteros Clemens vocat, nihil efficitur, quod eſſe Baſnagio

gio præſidio poſſe videatur. Non enim negamus, appellatos interdum fuiſſe ſingulares Epiſcopos nomine Presbyterorum, (1) quamquam eſſent hi ſimplicibus Presbyteris auctoritate præſtantiores. Eſtque ridiculum, quod idem ſubdit Bagnagius de *donis*. Quid enim? An Epiſcopi minime offerebant (2)? Si autem offerebant, ecquid erat impedimento, quo minus Clemens de Epiſcopis agens, offerre illos dona conſueſſe diceret? De vetuſtate Metropoleon differam alio loco opportune. Interea hoc animadverto, jacta earum fundamenta fuiſſe jam uſque ab ætate Apoſtolorum. Fateor Epiſtolam Clementis non fuiſſe ad Epiſcopum, ſed ad Eccleſiam Corinthiorum ſcriptam. Quid ergo? An ſequitur, ſcriptam eam perinde ad ceteras Eccleſias non fuiſſe, quæ in proximis urbibus florerent? Non equidem cenſeo. Sunt enim Epiſtolæ Pauli duæ ad Corinthiorum Eccleſiam datæ, in iiſque diſsenſiones, & flagitia Corinthi orta reprehenduntur, cum tamen non ad Corinthios eædem, ſed ad univerſas Eccleſias Achaiæ pertineant, ut èſt ab Hammondo in Diſſertationibus demonſtratum (3). Quamobrem nihil impediebat, quo minus Clemens etiam ad univerſas ejuſdem Provinciæ Eccleſias ſcriberet, cum ad Corinthios ſcriberet. Quod addit Baſnagius, univerſam Achaiam non concitaſſe Clementis tempore in Epiſcopos ſeditionem, id vero oſtendat neceſſe eſt. Solent enim inferiores Eccleſiæ exempla imitari ſuperiorum.

Septimum eſt argumentum concluſum ex Epiſtolis S. Martyris Ignatii, quas eſſe *νοθείας*, hoc eſt ſuppoſitionis notandas (4) cenſent. Nihil enim ſibi Catholicos præſidii polli-

1 Vide ſupra *pag.* 322. *hujus vol.*

2 Vide s. Irenæi locum apud Euſebium *lib.* v. *Hiſt. cap.* xxiv. *pag.* 216. *edit. Taurin.* ubi de Polycarpo, & Aniceto agit.

3 *Ibid.*

4 Quatuor ſunt, interque ſe diſſidentes de Ignatii epiſtolis novorum auctorum ſententiæ. Principio enim qui Epiſcoporum ordinem deprimunt, non ſolum interpolatas, confictaſque, atque Ignatio falſo tributas epiſtolas rejiciunt, ſed etiam ſeptem illas, quarum eſt ab Euſebio, & Hieronymo facta mentio. In his ſunt Claudius Salmaſius *in Apparatu ad opus de Primatu Papæ*, *pag.* 56. *& ſeq.* & in eo libro, quem inſcripſit *de Epiſcopis, & Presbyteris cap.* iv. *pag.* 253. *edit. an.* 1641. David Blondellus *Apolog. pro ſent. Hieron. de Epiſc. & Presbyt. Præf. pag.* 40. *ſeqq. edit. Amſtelod. an.* 1646. *& in Adnotat. in epiſt. Voſſii T.* 1. *Apo-*

polliceri ex iis litteris defendunt poſſe, quas eſſe in ſpuriis rejiciendas conſtat; conſtare autem Epiſtolas Ignatii rejici in ſpurias oportere; inanem igitur eſſe Orthodoxorum opinionem, qui ſe Ignatii teſtimoniis quidquam proficere poſſe ſperent. Atque conſtare id quidem, ajunt, propterea quod nemo ſit Patrum antiquior Euſebio, qui eas fuiſſe a Sancto Martyre perſcriptas tradiderit; tum quod & veteres, & minime contemnendi nominari Scriptores poſſint, qui eas in apocryphis ponendas eſſe judicarent. In his Anonymum στιχομετρίας ſcriptorem apud Syncellum eſſe numerandum. Conſentire autem Gelaſium. Præterea indicari in Epiſtolis, quæ Ignatio tribuuntur, nonnulla, quæ in ſequentem quidem competere videantur, in Ignatii autem ætatem nullo modo. Reprehendi namque errores Theodoti, & Valentinianorum, aliorumque hæreticorum, quos certum

Apoſtolicor. PP. pag. 404. ſeqq. edit. an. 1724. Edmundus Albertinus *lib. de Euchariſtia pag. 283. edit. an. 1654.* Johannes Dallæus *lib. II. de Dionyſii, & Ignatii ſcriptis, edit. an. 1666.* Johannes Ovvenus, quem oppugnat Henricus Hammondus in libro Anglico inſcripto *Anſvver to the Animadverſions on the Diſſertations touching Ignatius Epiſtles, and the Epiſcopaci in them Aſſerted. edit. Londin. an. 1654. & tom. II. opp. Hammondi Londin. an. 1684.* & Caſimirus Oudinus *Commentar. de Scriptorib. Eccleſiaſt. tom. I. p. 71. ſeqq. edit. an. 1722.* Alii deinde longiores epiſtolas, quibus ante Iſaaci Woſſii ex Codice Laurentiano Mediceo Florentino editionem majores noſtri utebantur, genuinas, poſtque depravatas fuiſſe, exque earum laciniis quibuſdam ſeptem eas breviores conflatas cenſent. Atque in hac quidem opinione verſantur Johannes Morinus *de Sacris Ordination. par. III. exercit. III. cap. III. pag. 46. edit. an. 1655.* & e Proteſtantibus Guillelmus Wiſtonus Anglus vir impotenti ingenio, qui per ſummam temeritatem, atque impudentiam deleta ex epiſtolis Ignatii, s. Athanaſii Alexandrini Epiſcopi fraude, quæ Arianis præſidio eſſe viderentur, ſuſpicatus eſt, ſingulari libro edito *Londini an. 1710.* Hunc autem copioſe refellit Johannes Clericus *tom. II. Apoſtolicor. PP. edit. an. 1724. pag. 501. ſeqq.* Contra vero ſunt, qui neque prolixiores, neque breviores epiſtolas probent, & utraſque vitiatas ab impoſtore quopiam fuiſſe arbitrentur. Placuit autem hæc Georgio Claudio *in ſpecim. novæ edit. Epiſtolar. s. Ignatii*, quod ſpecimen ab ſe viſum Fabricius ſcribit, *tom. V. Biblioth. Græcæ lib. V. cap. I. pag. 46. edit. Hamburg. an. 1712.* Guillelmus Erneſtus Tenzelius *pag. 63. Diſſert. Select. edit. an. 1692.* Non admodum diſcrepant Iſaacus Beauſobrius *Hiſt. des Dogm. de Manich. liv. II. cap. XIV. tom. I. pag. 378. edit. an. 1734.* & Johannes Laurentius Moshemius *Inſtit. Hiſt. Chriſt. major. ſecul. I. part. II. pag. 21. ſeqq. edit. Helmſtad. an. 1739.* Jacobus Gronovius in *Præfat. ad Herodot. pag. 1. 2.* Iſaaci Woſſii, & Thomæ Smithii in exſcribendo Codice Florentino deſiderat diligentiam. At ſi quid hi peccarunt, leve fuit, neque tanti eſt ponderis, ut corrupta eorum *tranſumta*, ac vitiata quiſquam eſſe defendat. Poſtrema eſt eorum opinio, quam nos ſequimur, quæ epiſtolas ſeptem Ignatii, quæ ſunt *ad Smyrnæos, ad Polycarpum, ad Epheſios, ad Magneſianos, ad Philadelphienſes, ad Trallianos, & ad Romanos*, quemadmodum ſunt a Voſſio, & Uſſerio editæ, genuinas eſſe, ſtatuit. Nam longiores, quæ ante circumferebantur, eſſe corruptas; Præter has ſeptem, ceteras eſſe ſpurias, cujuſmodi ſunt ad *Mariam Caſtabalitidem, ad Tarſenſes, ad Philippenſes, ad Antiochenos, ad Heronem, ad* Johannem Evangeliſtam, *ad Mariam Virginem*. Eos vero, qui ſic cenſent, notatione ſequente numerabo.

tum eſt aliquanto poſt Martyris tempora vixiſſe . Memorari præterea ἄρχοντας , & *Leopardos* ab Ignatio , pœnitentiumque receptionem , quorum priora duo recentiores eſſe Epiſtolas Conſtantini tempore , tertium non multo antiquiores demonſtrent . Oneſimi quoque meminiſſe auctorem earumdem Epiſtolarum , quem incredibile videri vivum , cum Ignatius ſcriberet , fuiſſe . Poſt multa iiſdem in litteris deprehendi , quæ plane oſtendant , male fuiſſe auctorem in ſacras litteras animatum . Accedere , quæ de fortitudine, magnanimitateque Martyrum diſputat , quæque aliena ab ea ætate , qua Ignatius claruit , videantur . Plura denique in iis ἀσύστατα , inepta , falſa , ac ne fando quidem , cum Ignatius viveret , audita legi.

Ego vero non ſolum conſtare, (1) ſed etiam eſſe veriſimile , quod adverſarii ſibi , quaſi concedatur, ſumunt, vehementer nego . Nam quod de veterum ſilentio jactant, inane eſt . Meminit enim ſeptem Epiſtolarum , quas Euſebius

1 Confer Dionyſium Petavium *lib.* v. *Hierarch. Eccl. cap.* VIII. *pag.* 161. *tom.* IV. *Theologicor. Dogm. edit. Antuerp. an.* 1700. Tillemontium *Monum. Hiſt. Eccl. tom.* II. *pag.*216. *edit. Pariſ.* Natalem Alexandrum *H. E. ſec.*II. *Diſſ.* XXIII. *pag.*268. *edit. Luc. an.* 1734. *tom.* II. Johannem Baptiſtam Cotelerium in *judicio de epiſtolis s. Ignatii* , & *in notationibus pag.* 9. *ſeqq. tom.* II. *PP. Apoſt. edit. an.* 1724. Nicolaum Nourrium *Apparat. in Biblioth. Max. Sanctor. PP. Diſſert.* VII. *pag.*78. *edit. an.*1703. Remigium Ceillierum *de ſcript. Eccl. gallice tom.*1. *pag.*623. *ſeqq. edit. an.*1729. & e Proteſtantibus, ſi licet, Iſaacum Woſſium loco indicato notatione ſuperiore , Jacobum Uſſerium in diſſertationibus de Ignatii *Martyris epiſtolis &c. tom.* II. *Apoſtolicor. PP. pag.* 199. *ſeqq. edit. an.* 1724. quamquam non intelligam , quid cauſſæ fuerit , cur is ob inanes quaſdam conjecturas in ſpuriis Ignatii ad Polycarpum epiſtolam numerarit , quare merito refellitur a Cotelerio *notat.* 1. *in genuinam ep. ad Polyc. pag.* 39. *tom.* II. *Apoſtolic. PP. ejuſdem edit.* Atque Albertus Fabricius *lib.* V. *Bibl. Græca cap.* 1. *pag.* 39. *edit. laudata* idipſum de Uſſerio queritur . Guillelmum Beveregium *lib.* II. *Codic. Canon. Eccl. Primitiv. Illuſtr. cap.* XI. §. IX. *pag.* 123. *tom.* II. *part.* 1. *PP. Apoſtolicor.* Henricum Hammondum *Diſſert.* II. *cap.* XXII. *ſeqq. de Jurib. Epiſcop. pag.* 100. *ſeqq. edit. Londin. an.*1651. Johannem Pearſonum *Vindic. Epiſtolar. Ignat. pag.* 175. *ſeqq. tom.* II. *part.* II. *Apoſtolicor. PP. edit. ejuſd.* Quamvis autem hujus argumenta eludere conatus Matthæus Larroquanus , homo de Calvinianorum quidem ſecta , fuerit , *in Obſervation. ad Ignatianas Pearſonii vindicias* , *editis* ſine Auctoris nomine *Rothomagi an.* 1674. tamen extorquere a nemine noſtrum , immo vero ne ab iis quidem aſſenſionem potuit , qui Epiſcoporum dignitatem averſarentur . Adeundus , ſi licet , Fabricius *ibid. pag.* 40. Thomas Ittigius *Diſſert. de Patribus Apoſtolicis* , quam Bibliothecæ PP. Apoſtolicorum præfixit , *edit. an.* 1699. Mitto ceteros , ne ſim longus . Hoc breve dico : Richardum Simonium , qui *librum* adverſus Iſaacum Woſſium edidit nomine Hieronymi le Camus , ſtatuere præſtantiores interdum lectiones interpolatarum Epiſtolarum eſſe , quam genuinarum . Id quod nemo, ut opinor , negaverit . Adde Catholicis Bollandianos *ad d.* 1. *Febr. t.*1. *p.* 21. & Duguet. *Obſ. Eccl. Diſs.*11. *p.*8. *ſeqq.*

bius numerat, Polycarpus (1) eo tempore, quo functus Martyrio Ignatius eſt, Epiſcopus Smyrnæorum; meminit Irenæus (2) Polycarpi auditor, & Epiſcopus Lugdunenſium; meminit ſeculo eodem ſecundo Theophilus Antiochenus (3) memi-

1 Euſebius *lib.* III. *Hiſt. Eccl. cap.* XXXVI. *pag.* 115. *edit. Taurin.* καὶ ὁ Πολύκαρπος, *inquit*, δὲ τούτων αὐτῶν (ἐπιστολῶν) μέμνηται ἐν τῇ φερομένῃ αὐτοῦ πρὸς Φιλιππησίους ἐπιστολῇ. „ Et Polycarpus vero harum ipſarum (*Epiſtolarum*) meminit, in ea, quæ circumfertur, ipſius ad Philippenſes epiſtola „. Subdit mox Euſebius. Φάσκων αὐτοῖς ῥήμασι. „ *loquens his verbis*: Obſecro vos omnes, ut pareatis Præpoſitis veſtris, omnemque patientiam exerceatis, quam ſpectaſtis non ſolum in Ignatio .... Et paullo poſt addit: ſcripſiſtis ad me & vos, & Ignatius, ut ſi quis forte in Syriam proficiſceretur, & veſtras litteras eo ferret. Quod quidem perficiam ſi tempus opportunum nactus fuero..... epiſtolas omnes Ignatii, quas ad me ſcripſit, & quaſcumque demum apud nos reperire potuimus, quemadmodum nobis mandaſtis, ad vos miſimus „. Confer *tom.* II. PP. *Apoſtolicor. pag.* 191. *par.* II. Negat Dallæus huic Polycarpi teſtimonio auctoritatem. Veretur enim, ne vera ſit eorum, qui in ſpuriis ponendum putant, ſententia. At novos equidem ſcriptores non moror. Irenæus ecce Polycarpi auditor, eamdem epiſtolam in genuinis poſuit, *lib.* III. *contra Hæreſes cap.* III. *pag.* 177. *tom.* I. *opp. edit. Veneta ann.* 1734. „ Eſt, *inquit*, & epiſtola Polycarpi ad Philippenſes ſcripta perfectiſſima, ex qua characterem fidei ejus, & prædicationem veritatis, qui volunt, & curam habent ſuæ ſalutis, poſſunt diſcere „. Confer Euſebium *lib.* IV. *cap.* XIV. *pag.* 138. *edit. Taurin.* Adeundus, modo liceat, Pearſonus *ibid. cap.* V. *pag.* 300. *ſeq.* Addit Dallæus, aſſuta epiſtolæ Polycarpi fuiſſe, quæ profert Euſebius de Ignatio. Sed cuinam hoc perſuadere poſſit, non video. Nam quod ſcribit, *Clauſulam* epiſtolæ, ut in editis legitur, *decentiſſimam* eſſe, quare eſſe aſſuta reliqua, ridiculum eſt. Unde enim novit, in eam clauſulam deſiiſſe Polycarpi Epiſtolam? Euſebius certe vetus imprimis auctor negat. Sed de his plura Pearſonus *ibid. pag.* 301. *& ſeq.*

2 De Irenæo ſic habet *lib.* V. *H. E.* Euſebius *cap.* VIII. *pag.* 190. *edit. Taurin.* „ Juſtini Martyris, & Ignatii mentionem facit μαρτυρίαις *teſtimoniis*, καὶ ἀπὸ τῶν τούτοις γραφέντων κεχρημένος, *& ex ſcriptis eorum uſus*. Quibus autem in libris Ignatii operum meminerit ignoramus, propterea quod eorumdem operum aliqua perierint, quæ Euſebii ætate extabant. Locum tamen unum idem nobis ſervavit Euſebius *lib.* III. *Hiſt. cap.* XXXVI. *pag.* 115. „ Hujus, *inquit*, Ignatii & Martyrium, & Epiſtolas commemorat Irenæus his „ verbis. *Quemadmodum dixiſſe fertur quidam ex noſtris ob Chriſti fidem damnatus* „ *ad beſtias: frumentum ego ſum Dei, & ferarum dentibus molor, atque comminuor*, „ *ut panis mundus efficiar*. „ Sunt autem hæc accepta ex Ignatii ad Romanos Epiſtola. Confer Irenæum *lib.* V. *cap.* XXVIII. *adverſus Hæreſes pag.* 327. Non negat Dallæus Ignatii hæc eſſe verba; Sed quid, inquit, hæc ad epiſtolas? Quid? An non ſunt in epiſtolis tantum, alibi autem nuſquam? Recte igitur Euſebius epiſtolarum ſtatuit, fuiſſe ab Irenæo mentionem factam; labiturque turpiſſime Dallæus, qui ut ſectæ ſuæ aſſentaretur, moremque gereret, rem eſt auſus manifeſtam in controverſiam revocare. At Irenæus non *ſcripſiſſe* Ignatium, ſed *dixiſſe* tradit. Quaſi vero *dixiſſe* non licuerit, de eo qui ſcripſit, ponere. Atque eſſe id quidem apud pleroſque in uſu tam eſt manifeſtum, ut nihil ſupra. Quod ſi *dicit* Ignatius, non *ſcripſit*, oſtendant adverſarii ubinam, apud quos, quo tempore hæc Ignatius dixerit. Sed age ineptas cavillandi rationes prætereamus. Interea confer, ſi licet, Pearſonum *ibid. cap.* VI. *pag.* 307. *ſeqq.*

3 Pearſonus *ibid. cap.* II. *pag.* 276. „ Sanctus Theophilus, *inquit*, VI. Antiochenſis „ Eccleſiæ Epiſcopus, poſt s. Ignatium IV. ſcripſit in ſanctum Matthæum commentarios, ante- „ quam (Hieronymus) ſuos in eumdem Evangeliſtam ſcriberet. Sub hujus Theophili nomine „ etiam num extant in s. Matthæum Commentarii, ſed latine tantum, in quibus ad illa „ verba: *Cum eſſet deſponſata Mater Jeſu Maria Joſeph. Matth. c.* 1. *v.* 18. hæc legimus:

„ *quare*

meminit Origenes (1) ; poſtque Euſebium innumerabiles quoque Scriptores Eccleſiaſtici meminerunt .

De Stichometria paucis agam . Principio ignoto (2) Scriptori , qui librarii fortaſſe obibat munus , neque tam vetus fuit , ut eum cenſeam eſſe cum Euſebio comparandum , auctoritatis in rebus aliis omnino parum , fidei quidem certe in hoc genere nihil tribuendum dico . At Nicephoro (3) accepta eſt referenda *στιχομετρία* . Fac verum ſit.

„ *quare non ex ſimplici Virgine , ſed ex deſponſata concipitur Chriſtus ? Primo ut per „ generationem Joſeph origo Mariæ monſtraretur . Secundo ne lapidaretur a Judæis , ut „ adultera . Tertio ut in Ægypto haberet ſolatium viri . Quarto ut partus ejus falleret diabolum , putantem Jeſum de uxorata , non de Virgine natum* . Si hæc Theophili „ ſunt , ſine dubio IV. rationem ex Epiſtola s. Ignatii hauſit „ . Eamdem cauſſam attulit Hieronymus , qui Ignatii *ibidem* meminit , legitque Theophili Commentarios . Addit paullo poſt Pearſonus . „ Nam s. Baſilius oratione in Natali Chriſti habita , eumdem ſine „ dubio auctorem reſpiciens , ait ... *Alia autem ratio a veterum quodam prolata eſt , „ quod ut principem hujus ſeculi lateret virginitas Mariæ , deſponſatio Joſephi eſt ex- „ cogitata* . Non igitur Theodorus fuit , non Apollinarius , non Didymus , hi enim om- „ nes s. Baſilio ſynchroni fuere ; ſed vel Hippolytus , vel Origenes , vel Theophilus , „ quod potius reor . Utcumque ſit , ſcriptor ille , qui a s. Baſilio antiquus dicebatur , „ haud injuria a nobis ſecundo ſeculo vendicatur .

1 Origenes *Homil.* IV. *in Lucam pag.* 544. *tom.* III. *opp. edit. Venetæ an.* 1743. „ Eleganter , *inquit* , in cujuſdam Martyris epiſtola ſcriptum reperi , Ignatium dico Epi- „ ſcopum Antiochiæ poſt Petrum ſecundum , qui in perſecutione Romæ pugnavit ab beſtias , „ *Principem ſeculi hujus latuit virginitas Mariæ* „ . Dallæus fruſtra Origenis Homilias laudari dicit , quæ anno 140. circiter poſt Martyrium Ignatii ſcriptæ ſint . At is Dallæus non meminit eorum , quæ alibi ſtatuit , *impoſtorem Ignatii* epiſtolas confinxiſſe poſt 100. ab ejus morte annos . Non ergo ſerum hoc ex Origenis Homiliis præſidium eſt . Errat deinde Dallæus , qui putat : *Euſebium eſſe omnis de Ignatianis epiſtolis erroris fontem* . Quare non fruſtra agit , qui ut Dallæum coarguat , utitur Origenis teſtimonio . Age vero fac Origenes Homilias anno 140. poſt Ignatii mortem ſcripſerit , quamquam id Pearſonus neget *c.* VII. *p.* 315. tamen cum paullo poſt initium ſeculi III. Catechiſtam agere cœpiſſet , centeſimo fere anno poſt Ignatium , non tam eſt ejus teſtimonium contemnendum , quam contemnitur ab Dallæo . Sed qui plura volet , adeat , ſi licet , Pearſonum *ibid. c.* VII. *p.* 315. *& ſeqq.* Accedunt Euſebius Cæſarienſis *lib.* III. *Hiſt. Eccl. cap.* XXXVI. *ſeq. pag.* 113. *ſeq. edit. Taurin.* s. Athanaſius *lib. de Synodis pag.* 761. *edit. Monach. s. Mauri Pariſ.* s. Johannes Chryſoſtomus *t.* I. *opp. orat. de s. Ign. pag.* 599. *edit. an.* 1718. s. Hieron. *Catalog. Scriptor. Eccleſ. ſeu Viror. Illuſtr. tom.* IV. *opp. pag.* 108. Theodoritus *epiſt. ad Monachos Conſtantinopolitanos pag.* 1027. *t.* III. *opp. edit. Sirmondi* , aliique prope innumerabiles. Confer Pearſonum *ibid. c.* II. *p.* 278. *& ſeqq.* Qui autem teſtimonia tam veterum , tamque illuſtrium Scriptorum rejiciunt , ut epiſtolis Ignatii fidem detrahant , caveant , ne genuina quæque Antiquorum ſcripta referant in numerum ſpuriorum . Niſi enim auctoritate , traditioneque majorum , & conjectura , nulla alia ratione , diſtingui ſinceri a ſpuriis libri poſſunt . Quare contemtis veteribus , nutet neceſſe eſt omnium librorum ſinceritas .

2 Multa in hanc rem diſputat Pearſonus *ibid. cap.* IV. *pag.* 287. *ſeqq.*

3 Confer Jacobum Goarium in *Notationibus ad Nicephori Chronographiam pag.* 88. *an.* 1652. qui ſcribit hoc modo . „ Canonicus Sacrorum Bibliorum latereulus ad Chronographiam nihil ſpectans , librarii parergon judicatur „ . Injuria igitur ab Dallæo laudatur Goarius , quaſi Nicephoro adſcripſerit *Stichometriam* . Adeundus Pearſonus *ibid. cap.* IV. *pag.* 287. *ſeqq.*

ſit . Quid ? Nicephorum ne anteponam Hieronymo , & Euſebio ? Minime vero . Sed eam eſſe Nicephori nemo ex me , ut fatear , extorquebit . Nulla enim eſt cauſſa , cur fateri aut debeam , aut poſſim . Sed patiar , ut cui tandem adverſarii volent , tribuatur . An uſquam *Stichometra* Epiſtolas Ignatium habuiſſe auctorem negat ? Nam quod *ἀπόκρυφα* dicat Ignatii opuſcula eſſe , non eſt ad rem . Latius enim vox *apocryphorum* patet , quam ut in *ſpuria* cadere omnino debeat . Sunt enim qui libros , qui in canonem veteris, aut novi Teſtamenti referendi non ſunt , (1) apocryphorum appellent nomine , ſive notus eorum ſit ſcriptor , ſive ignotus . Hoc ſenſu cur eam vocem *Stichometra* non uſurpaverit , ne ſuſpicari quidem poſſum . Ac ſunt profecto argumenta & gravia , & ſatis perſpicua, quibus non aliam eſſe apud Stichometram ejus vocabuli ſignificationem demonſtratur (2). Numeratis enim novi Teſtamenti libris , mox addit , quæ ſint *ἀπόκρυφα* , in iiſque Ignatii opuſcula , Hermæque Paſtoris librum ponit . At Paſtorem , quis negat , Hermæ fuiſſe ab antiquiſſimis , doctiſſimiſque viris (3) adſcriptum ? Sed

1 Conſtat id quidem ex decreto Gelaſii , quod extat Tomo II. *Concilior. edit. Hard. num.* v. *pag.* 942. ubi hæc habentur . „ Opuſcula Tertulliani apocrypha ; opuſcula La„ctantii apocrypha .... opuſcula Clementis Alexandrini apocrypha .... opuſcula Caſſiani „ presbyteri apocrypha &c. „ . Idem Decretum ex vetuſtiſſimo Codice Vaticano editum primum a Fontanino Archiepiſcopo Ancyrano viro doctiſſimo eſt, tum a Joſepho Blanchino eruditiſſimo presbytero Oratorii Romani *tom.* IV. *Anaſt. Biblioth. pag* LXI. *edit an.* 1735. At opuſcula Tertulliani , Lactantii , Clementis Alexandrini , quis putet eſſe in ſpuria conjicienda ? Non ergo ſpuria ſemper intelliguntur nomine apocryphorum . Vide Pearſonum *ibid. pag.* 288. *ſeqq.*

2 Stichometria poſt *Hiſt.* Georgii Syncelli *edit. an.* 1652. *pag.* 419. ſic habet :

Καὶ ὅσα τῆς νέας εἰσὶν ἀπόκρυφα
Περίοδος πέτρου στίχων βψν.
Περίοδος Ἰωάννου στίχων γχ.
Περίοδος θωμᾶ στίχων αχ.
Εὐαγγέλιον κατὰ θωμᾶν στίχων ατ.
Διδαχὴ ἀποστόλων στίχων σ.
Κλήμεντος λβ στίχων βχ.
Ἰγνατίου , Πολυκάρπου , Ποιμένος , καὶ Ἑρμᾶ.

Et quæ novi Teſtamenti ſunt apocrypha . Itinerarium Petri verſuum 2800. *Itinerarium Johannis verſuum* 2500 *Itinerarium Thomæ verſuum* 1600. *Evangelium ſecundum Thomam verſuum* 1300. *Doctrina Apoſtolorum verſuum* 200. *Clementis* 2600. *Ignatii, Polycarpi , & Paſtoris , & Hermæ .*

3 Confer Teſtimonia de Hermæ *Paſtore* , quæ collegit , inque primum *volumen Patrum Apoſtolicorum* conjecit Johannes Baptiſta Cotelerius *pag.* 68. *edit. Amſtelodam. an.* 1724. Adeundus , ſi licet lectori , etiam Pearſonus eſt , *ibid. cap.* IV. *pag.* 290. *ſeqq.*

Sed quum aliqui ſacris eum codicibus annumerandum (1) putaſſent, tum in *apocryphos* alii (2) conjecerunt, hoc eſt in eos, qui non eſſent in cenſu *canonicorum*. Miror autem quod eſt ab Dallæo adjunctum de Gelaſio. Nam in Decreto (3), quod ejus nomine recte inſcribitur, nulla fit Epiſtolarum Ignatii mentio. Redeo ad *Stichometram*. Is *Epiſtolarum* Ignatii nuſquam meminit. Igitur in *ἀποκρύφοις* fortaſſe *διδασκαλίαν* (4) *doctrinam* poſuit, quæ olim martyris nomine circumferebatur.

In ſeptem autem Epiſtolis, quarum meminit Euſebius, nulla eſt res ab Ignatio commemorata, quæ ad poſteriorem ætatem pertineat. Etſi enim hæreſes aliquas (5) confutatas ab eo fuiſſe video, tamen negari non poteſt, quin ortæ

1 S. Irenæus *lib.* IV. *contra Hæreſ. cap.* XX. *pag.* 253. *tom.* I. *opp. edit. ann.* 1734. & apud Euſebium *lib.* V. *Hiſt. Eccl. cap.* VII. *pag.* 188. *edit. Taur. an.* 1746.

2 Vide Pearſonum *ibid. pag.* 200.

3 Confer decretum *tom.* IV. *Anaſt. Bibl. pag.* LXII. *ſeq.*

4 Vide *Stichometriæ locum ſupra deſcriptum p.* 368. *not.* 2. *hujus vol.* Jam vero Pearſonus *ibid. pag.* 298. „ Indiculus ille Mſ., *inquit*, extat inter libros Baroccianos in Bibliothcea publica Oxonii, de quo monuit Uſſerius, quemque nos vidimus. In illo inter „ plurima Apocrypha numerantur *διδαχαὶ τῶν ἀποστόλων, διδασκαλία Κλημέντος, Ἰγνατίου διδασκαλία* „. *Inſtitutiones Apoſtolorum, doctrina Clementis, Ignatii doctrina*. Confer Uſſerium *Diſſert. de Ignat. Martyris epiſt. cap.* I. *Diſſ.* I. *pag.* 199. *tom.* II. *Apoſt. PP. edit. an.* 1724.

5 Euſebius *lib.* III. *Hiſt. cap.* XXXVI. *pag.* 114. *edit. Taurin.* „ Cum per Aſiam, „ *inquit*, ſub accuratiſſima ſatellitum cuſtodia ducaretur (*Ignatius*) ſingularum nihilominus civitatum, quas ingrederetur, Eccleſias ſermonibus, & cohortationibus „ ſuis confirmans, monebat, ut ſibi *imprimis a pravis maxime hæreticorum opinionibus caverent, quæ tunc primum in lucem emergere cum cœpiſſent, copioſius pullulaſſent. ἐν πρώτοις τὲ μάλιστα προφυλάττεσθαι τὰς αἱρέσεις ἄρτι τότε πρῶτον ἀναφυείσας, καὶ ἐπιπολαζούσας παρῄνει* „. At de Euſebio non negat Dallæus. Sed hunc primum fuiſſe pugnat, qui Ignatii Epiſtolarum meminerit. Quaſi vero a nobis falſum id eſſe paullo ante non fuerit demonſtratum teſtimoniis Polycarpi, Irenæi, atque Origenis, in quibus earumdem epiſtolarum fit mentio. Neque nos alicujus interdum ponderis argumentum *negativum* negamus eſſe, ſi cauſæ graves nullæ ſint, quæ contra pugnent. Verumtamen quod ad rem ſpectat, non ſolum veteres Epiſtolas Ignatii memorarunt; ſed etiam Euſebius ipſe ſatis indicat, ſe eas non fuiſſe probaturum, niſi probari antiquis ſcriptoribus animadvertiſſet. Nam is alia quædam opuſcula, quæ quibuſdam Apoſtolicorum temporum viris adſcribebantur, rejecit, propterea quod a majoribus nullam eorum videret eſſe mentionem factam. Itaque *lib.* III. *Hiſt. cap.* XXV. *pag.* 118. *edit. Cantabrig.* Andreæ, Johannis, aliorumque *Apoſtolorum Acta* rejecit, *quæ nullus umquam, qui continuata ab Apoſtolis ſucceſſione in Eccleſia docuit, in ſcriptis ſuis commemorare dignatus eſt*. Et *lib.* III. *cap.* XXXVIII. *pag.* 134. Clementis epiſtolam ad Corinthios ſecundam reſpuit, *quod hanc non perinde receptam, atque approbatam fuiſſe pro certo haberet, quandoquidem vetuſtiores ejus teſtimonio nequaquam uſos eſſe* compererat. Qui autem ſic de veterum operibus ſtatuebat, is ne Ignatii epiſtolas probaſſet, ſi a nemine veterum memorari, probarique cognoſſet? Non equidem arbitror. Sed multa in hanc rem diſputat Pearſonus *ibid. cap.* XI. *pag.* 532. *ſeqq. Et part.* II. *cap.* I. *ſeqq. pag.* 357. *ſeqq.*

eſſent, antequam Ignatius Romam ad ſubeundu n martyrium contendiſſet. *At Baſilidis, Theodoti, & Cleobuli edit nomina in Epiſtola ad Trallianos*. In ſincera ne? Non arbitror dicturum Dallæum. Neque enim tam fuiſſe arbitror impudentem, ut audacter mentiri auderet. Suppoſitam autem nihil moror. De genuinis namque (1) agimus, quibus confirmatur auctoritas Epiſcoporum. Sed patiar Cleobulum, ſeu Cleobium fuiſſe ab Ignatio nominatum, quamquam eſt hoc, ut dixi, falſiſſimum. Verum quid obſtabat, quominus Johannis auditor Ignatius nominaret Cleobium, quem veteres (2) Simonis Magi fuiſſe diſcipulum tradiderunt? At enim *Siges* meminit Auctor Ignatianarum Epiſtolarum, hoc eſt *Silentii*, ex quo ortum *verbum* fuerit, qui error proprius fuit Valentinianorum. Ridiculum! Quaſi vero non fuerint ante Valentinum (3) hæretici, qui pro ſilentio pugnandum (4) arbitrarentur. An non ſimilis omnino fuit Ebionæorum [5] de *ſige* hæreſis? Quid ergo eſt, quod ad Valentinianos confugiat Dallæus, ut Ignatianas litteras in falſi ſuſpicionem vocet? Eſtque illud etiam, atque etiam animadvertendum, cognoſci perfacile ex Epiſtolis iiſdem poſſe, non ad Valentinum ſpectare, quæ ſcribit auctor, ſed ad alium quempiam vete-

1 Pearſon. *ibid. cap.* II. *partis* II. *pag.* 362. *ſeqq.* Confer epiſtolas Ignatii genuinas, eaſque cum ſpuriis comparato, animadverteſque qua fide Dallæus egerit.

2 Confer Theodoritum *lib.* 1. *Hæretic. Fabular cap.* 1. *pag.* 193. *tom.* IV. *opp. edit. Paris. Sirmondi*, & *lib.* II. *cap.* 1. *pag.* 218. Adeundi Pearſonus *ibid. cap.* II. *pag.* 363. Tillemontius *tom.* II. *Monum. Eccl. pag.* 43. *ſeq. edit. Pariſ. an.* 1694. Atque Pearſonus quidem ſic habet. „ Auctor imperfecti operis in Matthæum *Homil.* XLVIII. *Vene-* „ *runt enim*, inquit, *Doſitheus*, & *Simon*, & *Cleonis* (lege *Cleobius*). Hæc ille ex antiquiſſimo rerum Eccleſiaſticarum ſcriptore Hegeſippo apud Euſebium *lib.* IV. *cap.* XXII. qui Cleobium hunc in prima hæreticorum claſſe collocat. ἀφ' ὧν Σίμων, ὅθεν Σιμωνιανοὶ, ϗ κλεόβιος, ὅθεν κλεοβιηνοὶ .... *a quibus Simon, ex quo Simoniani*, & *Cleobius, ex quo Cleobiani* .... Cleobius igitur Simoni ſynchronus ipſo Ignatio Martyre antiquior fuit.

3 Ita ſuſpicatur Pearſonus *ibid. cap.* IV. *partis* II. *pag.* 369. *ſeqq.* De Ebionæis præter Hiſtoricos Eccl. agit Moshemius *Diſſert. Utrum Ebion fuerit nec ne? Sintagm. Diſſert. pag.* 512. *ſeqq. edit. an.* 1733. Vide etiam, ſi licet, *ejus Inſtit. Hiſt. Eccl. P. ſec.* 1. *part.* II. *cap.* V. §. XX. *pag.* 477. *ſeqq. edit. an.* 1739.

4 Conſule notationes *Cotelerii in epiſt. ad Magneſianos tom.* II. *part.* 1. *Apoſtolicor. PP. pag.* 19. *edit. an.* 1724. *ubi*. „ Reſpexit, *inquit*, Ignatius ad Gnoſticos „ Valentino antiquiores. Conſtat enim ex Irenæo *lib.* 1. *cap.* V. Tertulliano *de Præ-* „ *ſcript. Hæretic. cap.* XXXIII. XLV. XLVII. *adverſus Valentinianos cap.* III. *ſeqq.* „ Epiphanio multis in locis ... Viam Valentino in erroribus ſuis, atque Æonibus patefeciſſe „ Gnoſticos Nicolaitas, Simonianos, aliosque hæreticos „. Conſule etiam Adnotationes Woſſii, ſi licet, *ibid. pag.* 18. *ſeqq.*

5 Adeundus Pearſonus loco modo indicato.

veterum hæreticorum. Nam Valentinus ex *Monogene* (1) *emiſſum* λόγον *verbum* tradit, qui *Monogenes Pater* eſt, ejuſdem hæreſiarchæ ſententia. Jam vero Ignatius ex Patre (2) verbum proceſſiſſe ſcribit. Non ergo agit eo in loco adverſus Valentinum Ignatius.

Eſt etiam παράδοξον, abſurdumque, quod ſubdit Dallæus de Conſtantino. Etenim ἀρχόντων (3) nomine Auctorem Epiſtolarum Ignatianarum aut Conſtantinum, aut Conſtantium indicaſſe, niſi amens, aut ſomnians, nemo certe vigilans, prudenſque crediderit. At *viſibiles* ἄρχοντας memorat. Quid ad rem? An non Præpoſiti Eccleſiarum ab antiquiſſimis (4) Chriſtianis ἄρχοντες appellabantur? *Leopardorum* vocem ſerius Conſtantini ævo cœpiſſe Bochartus (5) in Hierozoico prodidit ſuo arbitratu, non veritate. In Actis enim SS. Perpetuæ, ac Felicitatis (6), quæ diu ante Conſtantinum perſcripta ſunt, fieri diſtincte *leopardi* video mentionem. Atque idem ille (7) Spartianus, qui Conſtan-

 tini

1 Pearſonus *ibid. pag.* 376. *cap.* v. „ Si enim, inquit, ſic Auctor Valentinum reſpi- „ cit, non eum impugnat, ſed ſequitur, non ejus deliria confutaſſe, ſed potius ample- „ xus eſſe videtur. Negat enim quod negavit, dicit, quod dixit Valentinus. Negat au- „ ctor epiſtolæ λόγον exire a Sige Bythi conjuge? Negat & Valentinus, qui eum cæcum „ æona depinxit, qualis ex Sige Bythi conjuge exire non potuit, & eum in deminoratio- „ nem emiſſus eſſet, eum ex aliis æonibus Monogene, & Aletheja neceſſario eduxit. Dicit „ autem λόγον exire a Patre? Dixit & Valentinus, ex Monogene enim emiſſum tradit; „ *Monogenes* autem Valentino *Pater eſt*. Ita Irenæus: *Hanc autem mentem, & Mono-* „ *genem vocant, & Patrem*. Tertullianus de *nu*, ita *& ipſe*, inquit, *pater dicitur*, „ *& initium omnium, & proprie Monogenes* .... Exivit igitur λόγος ſecundum Valen- „ tinianos non a ſige, ſed a patre. Quare ſi auctor epiſtolæ illos hæreticos in animo ha- „ buiſſet, numquam negaſſet, quod illi non affirmarunt, numquam dixiſſet, quod illi „ dixerunt.

2 Confer *notationem ſuperiorem*.

3 Vide Ignatii *epiſtolam ad Smirnæos n.* vi. *pag.* 36. *tom.* II. *part.* 1. *PP. Apoſt. edit. an.* 1724.

4 Conſule, quæ dixi ſupra *pag.* 290. *ſeq. hujus vol.*

5 Samuel Bochartus *Hieroz. lib.* III. *cap.* IX. *pag.* 804. *edit. an.* 1712.

6 *Num.* XXI. *pag.* 88. *edit. Ruinart. Veron. Act. ss. MM. ſincer.*

7 Spartianus *in Geta pag.* 741. *edit. an.* 1671. hæc habet: „ Familiare illi fuit has quæ- „ ſtiones grammaticis proponere, ut dicerent ſingula animalia quomodo vocem emitterent, „ velut agni balant, porcelli grunniunt, palumbes minurriunt, urſi ſæviunt, leones ru- „ giunt, *leopardi* rictant &c. „ *Acta vero ss. Perpet. & Felicit. quæ circa an.* 203. marty- rium obierunt *n.* XIX *pag.* 87. habent hoc modo: „ In commiſſione ſpectaculi, ipſe (*Satur-* „ *ninus*) & Revocatus *leopardum* experti &c. „ *& n.* XXI. *pag.* 88. „ ſtatim in fine ſpecta- „ culi *Leopardo* objectus (Saturus) de uno morſu ejus tanto perfuſus eſt ſanguine, ut po- „ pulus revertenti illi ſecundi baptiſmatis teſtimonium reclamaverit „. Confer Plinium *lib.* VIII. *cap.* XVI. *pag.* 156. *edit. an.* 1685. Quod ſi Plinio memorati leopardi ſunt, qui ſcriptor æqualis temporum Trajani fuit, cur non item ab Ignatio nominari potuerunt, qui eodem Imperatore Martyr deceſſit?

tini ætate floruit, vocem *leopardi* uſurpari multo ante conſueſſe ſignificat. Sed de re manifeſta non eſt, cur multis eſſe diſputandum putem.

Nihilo gravius eſt, quod opponunt de recipiendis lapſis ad pœnitentiam. Nam Montaniſtas, & Novatianos ab Auctore Epiſtolarum pulſari cenſent, quos diu poſt Ignatium infeſtaſſe Eccleſiam liquet. Ac ſi ponderis ullius id genus argumenti eſſet, in ſpuriis libri aliquot canonici eſſent rejiciendi, ex quibus, univerſis, qui pœnitentia ducti ſint, (1) peccata dimitti oportere, cognoſcimus.

Oneſimum porro functum vita fuiſſe, cum Ignatius Romam proficiſceretur, id vero eſt, quod oſtendi mihi, niſi demonſtratione, at opinione ſaltem volo (2).

Som-

1 S. Ignatius *epiſt. ad Philadelph. n.* III. *tom.* II. *par.* I. PP. *Apoſtolic. pag.* 31. *edit. an.* 1724. Καὶ ὅσοι ἂν μετανοήσαντες ἔλθωσιν ἐπὶ τὴν ἑνότητα τῆς ἐκκλησίας, οὗτοι θεοῦ ἔσονται. *Et quotquot pœnitentes redierint in unitatem Eccleſiæ, hi Dei erunt. & n.* VIII. *pag.* 32. πᾶσιν οὖν μετανοοῦσιν ἀφίει ὁ κύριος, ἐὰν μετανοήσωσιν εἰς ἑνότητα θεοῦ. *Omnibus igitur pœnitentibus remittit Dominus, ſi pœnituerint in unitatem Dei.* At ſimilia habet Clemens in priore epiſtola ad Corinthios, quam tamen Adverſarii genuinum eſſe Clementis opus non negant. *n.* LI. *pag.* 34. *& ſeqq. tom.* I. *Collect. Epiſtolar. Rom. Pontif. edit. Coutantii.* ,, Quotquot, *inquit*, per quemdam adverſariis illapſum deliquimus, veniam poſtu- ,, lemus. Qui vero diſſenſionis, ac ſeditionis duces, & principes fuerunt, debent commu- ,, nem ſpem conſiderare ,,. *Et n.* LVII. *pag.* 37. ,, Vos ergo, qui ſeditionis fundamenta ,, jeciſtis, ſubditi eſtote presbyteris, & correptionem ſuſcipite in pœnitentiam, flectentes ,, genua cordis veſtri, diſcite ſubjici, deponentes arrogantem, ac ſuperbam linguæ ve- ,, ſtræ jactantiam. Melius enim vobis eſt in ovili Chriſti parvos, & probatos inveniri, ,, quam altum ſapientes e ſpe illius dejici ,,. Sed quid de Clementis epiſtola dico; ſi Paulus in epiſtolis ad Corinthios, inceſtuoſum, quem ſatanæ tradiderat, reſtituit, ob actam pœnitentiam, & Joh. in Apocalypſi *cap.* II. *v.* 16. hortatur Angelum Eccleſiæ Pergami, ut pœnitentiam agat, propterea quod *haberet tenentes doctrinam Nicolaitarum?* Sed de his rebus alias. *De remiſſione namque Capitalium criminum* & diſputatum ab eruditiſſimo viro Joſepho Auguſtino Orſio Ord. Præd. s. Palatii Apoſt. Magiſtro, ſingulari Diſſertatione Mediolani edita, eſt, & diſputabitur a nobis, cum tempus monuerit, teſtimoniis ſacrorum Bibliorum, Scriptorumque veterum diligenter. Interea hoc tenemus, non eſſe Ignatianas epiſtolas in ſpurias rejiciendas, propterea quod in eis fiat pœnitentiæ mentio. Neque enim, quia orti poſt Montaniſtæ fuerunt, reprobari, ut ſpuria, debent opuſcula, in quibus diu ante, quam orti eſſent, eorum eſt refutatus, damnatuſque error.

2 S. Ignatius *epiſt. ad Epheſios n.* I. *pag.* 12. *tom.* II. *Apoſtol.* PP. *par.* II. *edit. an.* 1724. Oneſimi Epiſcopi Epheſiorum, quaſi tunc viveret, meminit. Dallæus jam obiiſſe hominem, antequam Ignatius Antiochia excederet, ſcribit. Sed huic Euſebius repugnat *lib.* III. *hiſt. cap.* XXXV. *pag.* 114. ,, Itaque cum Smyrnam veniſſet, *inquit*, in qua tunc erat Polycarpus, ,, unam quidem epiſtolam ſcripſit ad Eccleſiam Epheſiorum, in qua *Oneſimi* ipſorum Paſto- ,, ris mentionem facit ,,. Atque Euſebius quidem vetera monumenta, quæ ſua adhuc ætate extabant, conſuluerat, noveratque, ſuperſtes ne tum, an mortuus Oneſimus eſſet. Quare huic veteri, non *Dallæo* ſcriptori & novo, & ſtudio partium in oppoſitam opinionem abrepto credimus. At Græcorum Menæa, Symeon Metaphraſtes, auctor Conſtitutionum Apoſto-

lica-

Somnia ſunt, quæ de Hæreſibus in Epiſtola non interpolata ab ſe repertis Dallæus jactitat. Nam quod Chriſtum filium ſecundum voluntatem, & potentiam Dei eſſe ſcribit [1] Ignatius, etſi ſunt, qui legendum: ſecundum *Divinitatem*, & *Potentiam Dei* putent, tamen nihil continet, quod cum Orthodoxæ religionis decretis componi non poſſe videatur. De *incarnatione* enim Ignatius agit, non de *aterna filii generatione*. Itaque non eſt ejus ab orthodoxa diſcrepans, diſſidenſque ſententia.

Nec minus inepta ſunt, quæ ſubdit Dallæus de Ignatii erga ſacra Biblia [2] *irreverentia*. Quandoquidem etſi uſus apo-

licarum, Dorotheus, & Hippolytus, & Nicephorus aut Martyrem Oneſimum Epheſi Epiſcopum fuiſſe nuſquam dicunt, aut Beræenſium fuiſſe antiſtitem putant, aut denique non Oneſimum, ſed Gajum Timotheo ſubſtitutum cenſent, aut mortuum tradunt, cum Domitianus imperium teneret. Verumtamen indigna hæc eſſe monumenta conſtat, quam ut comparari cum Euſebii Hiſtoria poſſint. Partim enim ſpuria, partim fabuloſa, partim plena ſunt ridicularum, ineptarumque narrationum.

1 Pearſonus *ibid. cap.* IX. *pag.* 396. Dallæum reprehendens „ *cap.* XVI., *inquit*, multa „ quaſi hæretica producit, ſed ex ſpuriis etiam, e noſtro unum tantum locum profert, qui „ ei non ſatis ſanus videtur, ſcilicet Chriſtum fuiſſe υἱὸν θεοῦ κατὰ θέλημα, καὶ δύναμιν θεοῦ „ *filium Dei ſecundum voluntatem, & potentiam Dei*. Hæccine autem, ut inter hæreti„ ca recenſeantur, quæ a B. Theodorito pro Catholica Eccleſiæ ſententia contra hæreticos „ proferuntur? Apud illum quidem legimus θεότητα, in noſtro autem codice θέλημα, ut & „ in Uſſeriano Interprete voluntatem. Variam hic lectionem eſſe, & quidem valde anti„ quam, quis non videt? Quid in ſuo codice viderit interpolator (Ignatii) an θεότητα, „ an θέλημα legerit, ſcire nos noluit. Adeo omnia immutavit. Utcumque ſit, ſi Theodo„ reti lectionem ſequamur, & θεότητα auctorem epiſtolæ ſcripſiſſe putemus, cadit objectio „ Dallæana, quæ in voce θέλημα fundatur; *Durum enim, & vix ferendum*, ait, *filium* „ *eſſe a patre ab aterno per voluntatem, & potentiam patris*; ſi legamus θέλημα, etiam „ ſic tandem objectio ruit: non enim (Ignatium) *loqui* de æterna generatione filii con„ ſtat, ſed de incarnatione potius, ut & antecedentia, & conſequentia demonſtrant .... „ ſic autem nos legimus, ἀληθῶς ὄντα ἐκ γένους Δαβὶδ κατὰ σάρκα, υἱὸν θεοῦ, κατὰ θέλημα, „ καὶ δύναμιν θεοῦ γεγεννημένον ἀληθῶς ἐκ παρθένου. Uſſerianus Interpres: *vere exiſtentem de* „ *genere David ſecundum carnem, filium Dei ſecundum voluntatem, & potentiam Dei* „ *genitum vere ex Virgine*: omnino quaſi reſpexerit illa verba Angeli apud Evangeliſtam: „ *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi, ideoque, &* „ *quod naſcetur ex te ſanctum vocabitur filius* Dei „. Vide Ignatii epiſtolam ad Smyrnæos *num.* I. *pag.* 34. *tom.* II. *Apoſtolic. PP. par.* II. *edit. an.* 1724. & Theodoritum *Dialogo* I. *tom.* IV. *opp. pag.* 34. *edit. Pariſ. an.* 1642.

2 Pearſonus *ibid. pag.* 395. „ Irreverentiæ exempla duo ex ſpuriis, unum ex noſtro „ (Sincero) proponit (Dallæus) ex epiſtola ad Smyrnæos (*n.* III. *pag.* 34. *ejuſd. edit.*) „ *& quando ad eos, qui circa Petrum, venit, ait ipſis, apprehendite, palpate me, & vi*„ *dete* ὅτι οὐκ εἰμὶ δαιμόνιον ἀσώματον *quod non ſum dæmonium vacans corpore*. Pro„ tulerunt hæc verba Ignatii Euſebius, Hieronymus, Theodoritus, nullam tamen in ullo „ erga ſ. litteras irreverentiam notarunt, nihil in iis verbis ſanctiſſimo Martyre indignum „ ſuſpicati ſunt: nos eorum judicium ſequimur „. Euſebius *lib.* III. *Hiſt. Eccl. cap* XXXVI. *pag.* 115. *edit. Taurin.* „ Idem, *inquit*, in epiſtola ad Smyrnæos de Servatore noſtro lo„ quens,

apocryphorum auctoritate eſſet, neque tantam ſacris Bibliis injuriam conflaſſet, neque ſolus qui uteretur fuiſſet. Namque hoc reſtabat, ut Irenæi, & Clementis Alexandrini (1) libros in ſpuriis numeraret Dallæus, propterea quod ſpuria interdum, apocryphaque probaverint. Ac mirum ſane eſt, quod ob eam rem unam minus *reverens* Dallæo Ignatius erga ſacra Biblia videretur, cum neque Euſebio, neque Hieronymo (2) viſus ſit, qui hæc diligenter in ſancti Martyris Epiſtolis animadvertiſſent.

De numero Martyrum (3) nihil eſt, quod nobis Dallæus opponat. Eſt enim manifeſtum, fuiſſe primo, ineunteque ſecundo ſeculo plurimos. Quod autem hortatus Ignatius (4) Romanos fuerit, ne reſiſterent, neu impedirent, quo minus ipſe beſtiis exponeretur, non eſt tanti ponderis argumentum, ut efficiat Ignatianas Epiſtolas rejici in ſpurias oportere. Extant enim in Actis (5) Epiſtoliſque ſanctorum

„ quens, quædam ejus verba recitat, quæ unde acceperit, ignoro „. Sed accepit ex Evan„ gelio ſecundum Hebræos. Hieronymus *in Catalogo Viror. Illuſtr. cap.* xvi. *pag.* 108. *tom.* iv. *opp. edit. Martianai.* „ In qua, inquit (*epiſtola ad Smyrnæos*) & de Evangelio, „ quod nuper a me tranſlatum eſt, ſuper perſona Chriſti ponit teſtimonium dicens: *Ego* „ *vero & poſt reſurrectionem in carne eum vidi, & credo, quia ſit; & quando venit* „ *ad Petrum, & ad eos, qui cum Petro erant, dixit eis: ecce palpate me, & videte &c.* Conſule *Proœmium Hieron. in lib.* xviii. *comment. in Eſaiam pag.* 478. *tom.* iii. *opp. edit. Martianai, & lib.* iii. *adverſus Pelagianos pag.* 533. *tom.* iv. *ejuſd. edit.* Confer etiam Adnotationes Cotelerii *in locum modo deſcriptum Ignatii*, & Caſaubonum, ſi licet, *Exercit.* xvi. *in Baron. n.* cxxvi. *pag.* 694. *edit. an.* 1614.

1 Irenæus laudat ut librum canonicum *Hermæ Paſtorem lib.* iv. *contra Hæreſes cap.* xx. *pag.* 255. *edit. Venet. an.* 1734. „ Bene, *inquit*, pronunciavit Scriptura, quæ dicit: *primo* „ omnium crede &c. „ qui locus extat *lib.* ii. *Paſtor. mand.* 1. Confer Clementem Alexandrinum *de Evang.* ſecundum Hebræos *lib.* 1. *Stromat. pag.* 380. *edit. Pariſ. ann.* 1641. & de Evangelio ſecundum Ægyptios *lib.* iii. *Strom. pag.* 445. 452. 453. Sed horum permulta collegerunt Johannes Erneſtus Grabius *Spicileg. ss. pp. pag.* 25. *& ſeqq. edit. Oxon. an.* 1714. & Johannes Albertus Fabricius *Codice Pſeudep. Nov. Teſt edit. Hamburg. tom.* iii. *pag.* 824. *ſeqq.*

2 Vide *notation.* 2. *pag.* 373. *ſeq. hujus vol.*

3 De Martyribus confer epiſtolam Clementis priorem ad Corinthios *num.* v. *ſeqq. pag.* 12. *tom.* 1. *Collect. epiſtolar. Romanor. Pontificum edit. Coutantii*, & quæ nos diximus *tom.* 1. *hujus operis pag.* 417. *ſeqq.*

4 S. Ignatius *epiſt. ad Romanos* hortatur eos, ne impediant, quo minus ſubeat ſupplicia, quæ illi decreta ab Imperatore fuiſſent. Confer quæ dixi *tom.* iii. *hujus operis pag.* 269. *ſeqq.*

5 Qui Ignatium reprehendit, Dallæus non animadvertit ſimilia fuiſſe ab Apoſtolo dicta. *Act. cap.* xxi. *v.* 12. *ſeqq.* hæc habentur. „ Ut autem audivimus hæc, (quæ Pau„ lo de vinculis prædixerat Agabus) rogabamus, noſque, & qui loci illius, non aſcendere „ eum in Hieruſalem. Reſpondit autem Paulus: quid facitis flentes, & comminuentes „ meum cor? Ego enim non ſolum vinciri, ſed & mori in Hieruſalem parate habeo pro „ nomine Domini Jeſu &c. „. Multa in hanc rem exempla congerit Pearſonus *cap.* ix. *pag.* 197. *ſeqq.*

ctorum Martyrum exempla, quæ adeo ſunt ſimilia, ut ovum ovo.

Nihil dico de repugnantibus, falſis, (1) ineptis rebus, quas

1 Opponit poſtremo Dallæus, ſcribi ab Auctore epiſtolarum, hæreticos ſua ætate
ſibi ab Euchariſtia temperaſſe. Id vero eſſe falſum. Nullum enim fuiſſe Trajani tempore
tam impium, tamque flagitioſum hæreticum. Quid? Si falſum etiam eſſe, ineptumque
addat, quod idem in epiſtola ad Romanos ſcribit Auctor, potuiſſe Chriſtianos Roma-
nos impedire, quo minus ipſe beſtiis exponeretur? Superbum præterea fuiſſe Pſeudo-
Ignatium, qui ſibi ſupercæleſtem ſcientiam arrogaret. Ridiculum item eſſe ἐπίθετον, &
fabuloſum, exque fabulis ortum θεοφόρου *Theophori*, quod ille ſibi tribuebat. Ad 1. reſ-
pondet Cotelerius *in notationibus ad epiſt. ad Smyrnæos num.* VII. *pag.* 36. *tom.* II.
Patrum Apoſtolicor. parte 1. *edit. an.* 1724. ubi ſic habet Ignatius: εὐχαριστίας, καὶ προ-
σευχῆς ἀπέχονται, διὰ τὸ μὴ ὁμολογεῖν τὴν εὐχαριστίαν σάρκα εἶναι τοῦ σωτῆρος ἡμῶν
Ἰησοῦ Χριστοῦ. *Ab Euchariſtia, & oratione abſtinent, eo quod non confiteantur Eucha-
riſtiam carnem eſſe Servatoris noſtri Jeſu Chriſti*: reſpondet autem Cotelerius hoc mo-
do. ,, Multa, & gravia peccat ad hunc locum oppugnator epiſtolarum ... Perperam acci-
,, pit vocem προσευχῆς: pro omni prorſus oratione, cum Ignatius aut loquatur de prece
,, myſtica, oratione ſolemni, qua corpus Chriſti conficitur (*Hieron. epiſt.* LXXXV. *& ad*
,, *Sophon.* III. Auguſtinus *lib.* III. *de Trinit. cap.* IV. εὐχὴ appellatur a Juſtino Martyre
,, *Apolog.* II. (*quæ vere* I. *eſt*) & Origene tum VIII. *contra Celſum*, *tum ad Matth.*
,, XV. 17. προσευχὴ ab Auguſtino *epiſt.* LIX.) aut potius intelligat preces liturgicas, ſive
,, Miſſam, juxta conſtitutiones Apoſtolicas *lib.* II. *cap.* LIV. Cyrillum Hieroſolymitanum
,, *Catecheſi Myſtagog.* V. & Zonaram *ad canon. Apoſtolic.* XI. *& Neocæſarienſem* XIII.
,, *ſacrificiorum orationes* in Tertulliano *lib. de orat. extremo* .... Secundo requirit, quis
,, ex veteribus ſcripſerit, aliquos Ignatianorum temporum hæreticos vel ab Euchariſtia
,, abſtinuiſſe, Euchariſtiam reprobaſſe, vel ideo abſtinuiſſe, quod non putarent Eucha-
,, riſtiam eſſe Salvatoris carnem pro nobis paſſam: reſpondetque nullum quod ſciat, hoc
,, prodidiſſe. Ea vero petitione ſemel admiſſa, actum eſt de omnibus libris, & auctori-
,, bus. Quotuſquiſque enim eſt, qui nihil novi, & alibi indicti dicat? Reſponſio autem
,, temeraria eſt. Debuit conſulere vir non indoctus Epiphanium *Hæreſi* XXVI. *n.* IV. VII.
,, *ſeqq. Hæreſi* XXXVII. *num.* V. Tertullianum *de Præſcript. Hæret. cap.* XLVII. Hiero-
,, nymi Indiculum .... Didiciſſet rejectam fuiſſe a Phantaſticis hæreticis vetuſtiſſimis Eu-
,, chariſtiam, ſubſtituta in illius locum falſa, infanda nimirum turpitudine .... Præterea in
,, Euchariſtiam notæ ſunt contumeliæ Priſcillianiſtarum, Meſſalianorum, Manichæorum,
,, Archonticorum, aliorumque. Quidni mali ſurculi e radice Phantaſtica pullularint?
,, Quamquam non omnes Docetæ Euchariſtiam repudiabant, teſte Irenæo *lib.* I. *cap.* IX.
,, *lib.* IV. *cap.* XXXIV. *lib.* V. *cap.* III. ,, . Multa quoque in hanc rem diſputat Pearſonus
ibid. cap. XI. *pag.* 406. *ſeqq.* Alterum autem, quod opponit Dallæus refelli perfacile po-
teſt. Martyrii namque ſtudio flagrans Ignatius, timenſque, ne Romani aut prece, quod
ſæpe apud veteres fiebat, aut pecunia, aut vi etiam ne beſtiis exponeretur, impetrarent, ita
ſcribebat. Confer *Conſtit. Apoſt. lib.* IV. *cap.* IX. *pag.* 300. *& lib.* V. *cap.* I. *ſeqq. pag.* 304.
tom. I. *PP. Apoſtolic. edit. Amſtelod. an.* 1724. Peregrinum Luciani *tom.* III. *opp.*
pag. 334. *ſeqq. edit. nova Amſtel. an.* 1743. & Euſebium *lib.* VI. *Hiſt. Eccl. cap.* XL. *pag.* 263.
edit. Taurin. Quod ſi Romani id extorquere nequiviſſent, nihilominus, qui tantopere
martyrium expetebat, timendum, ne poſſent, arbitrabatur. Conſule Cotelerii adnota-
tiones in *epiſt. ad Rom. num.* II. *&* IV. *pag.* 26. *ſeqq. tom.* II. *part.* I. *PP. Apoſtolic.*
edit. an. 1724. & Pearſonum *ibid. pag.* 407. *ſeqq.* Frequentiſſimus eſt vocis θεοφόρου apud
veteres, Clementem Alexandrinum *lib.* VII. *Stromat. pag.* 748. *edit. Pariſ. an.* 1641.
Baſilium *lib. de Sp. Sancto cap.* V. *pag.* 9. *edit. Pariſ. Monachor. S. Mauri. tom.* III.
alioſque uſus. In actis quoque Martyrii Ignatii ſinceris eadem appellatio ſæpe occurrit.
pag. 157. *tom.* II. *PP. Apoſtolicor. edit. an.* 1724. *parte* II. Sed fac addita epiſtolis ea
vox fuerit poſt Ignatii mortem; cum tamen eædem illæ ſint, quas Irenæus, Origenes,
Euſebius laudant, ſuſpectæ nobis eſſe ſuppoſitionis neque debent, neque vero poſſunt.

quas ſe in Epiſtolis deprehendiſſe Dallæus putat. Sunt enim hæc commenta hominis qua jure, quaque injuria Ignatianis Epiſtolis auctoritatem adimere conantis.

Cum ergo ſuſpectæ ſuppoſitionis Epiſtolæ Ignatii neque ſint, neque vero eſſe cuiquam prudenti poſſint, fit quidem ita, ut quæ de Epiſcopis, Presbyteris, Diaconiſque conſtituit, vera ſint, quum non ab eo excogitata, ſed ab Apoſtolis tradita fuerint, quorum ipſum fuiſſe auditorem plane conſtat. Revocari autem omnia, quæ ille de Epiſcopis, Presbyteriſque ſanxit, in capita omnino ſex poſſunt. Principio (1) enim affirmat, in quaque Eccleſia Epiſcopum ſingularem, Presbyterorum ſenatum, & Diaconos, tres diſtinctos ordines conſtituiſſe (2). Deinde hos ipſos Epiſcopos ſingulares, ubicumque tandem reperirentur, inſtitutos aut præcipiente, aut probante Chriſto Servatore fuiſſe. Tum Epiſcopis ſingularibus ſubditos (3) Chriſtianos quoſque eſſe oportere, ne presbyteris quidem exceptis, ita ut ſubditi Apoſtoli Chriſto fuerunt. Poſt [4] cum Epiſcopis ita eſſe colendam, obſervandamque conjunctionem animorum, atque concordiam, ut qui ab eis ſeſe disjungere auderet, is ſejunctus eſſe ab Eccleſia cenſeretur. Inde [5] nemini quidquam in Eccleſia agere licere, non impetrata ab Epiſcopo facultate. Poſtremo poſt Epiſcopum [6] Presbyteris, Diaconiſque honorem eſſe adhibendum. Hæc ſane cum perſpicua ſint, tum Proteſtantes, qui gradum, dignitatemque Epiſcoporum averſentur, ad incitas redigunt, coguntque, ut genuinas eſſe negent, quoniam contorqueri eas in ipſorum ſententiam nullo modo poſſe intelligunt.

Sed

1 *Epiſt. ad Smyrn. num.* VIII. & IX. *pag.* 36. *ſeqq. ad Polycarpum num.* V. *pag.* 41. *ad Magneſianos num.* II. *pag.* 18. *ad Philadelphenos num.* IV. *pag.* 31. *ad Trallianos num.* II. *pag.* 22. *tom.* II. *Patrum Apoſtolic. part.* 1. *edit. an.* 1724.

2 *Epiſt. ad Epheſ. num.* IV. *pag.* 12.

3 *Epiſt. ad Smyrn. num* VIII. *pag.* 36. *ad Polycarpum num.* VI. *pag.* 41. *ad Epheſios num.* IV. *pag.* 12. *ad Magneſianos num.* VII. *pag.* 19. *ad Trallianos num.* VII. *pag.* 23.

4 *Ad Epheſ. num.* III. *ſeqq. pag.* 12. *ad Magneſ. num.* VII. *pag.* 19. *ad Philadelph. num.* IV. *pag.* 31. *ad Trallianos num.* VII. *pag.* 23.

5 *Ad Polycarp. num.* V. *pag.* XI. *ad Magneſ. num.* IV. *pag.* 18. *ad Philadelph. num.* VII *pag.* 32. *ad Trallianos num.* VII. *pag.* 23.

6 *Ad Smyrn. num.* VIII. *pag.* 36. *ad Polycarp. num.* VI. *pag.* 41. *ad Epheſ. num.* IV. *pag.* 12. *ad Magneſian. num.* VI. *pag.* 18. *ſeqq. ad Philadelph. num.* V. *pag.* 31. *ad Trallianos num.* II. *pag.* 22.

Sed nihil hæc Caſimirum Oudinum movent, hominem & impudentem, & malum, qui cum ad hæreticos tranſfugiſſet, Hammondum, Uſſeriumque imprimis pro Epiſtolarum Ignatianarum *ſinceritate* pugnantes refellere conatus eſt, ut ſeſe utilem iis fuiſſe demonſtraret, in quorum ſocietatem veniſſet. Ac prætermitti quidem ab ſe argumentum, ſcribit, quod erat petitum ex antiquorum ſilentio, propterea quod defenſores Epiſtolarum Ignatii *negativum* eſſe, adeoque contemnendum putarent, quamquam eſſet, ut ſcribit, in hanc rem diſputatum ab Dallæo & pluribus verbis, & diligenter. Priore autem loco animadvertit, multa de Epiſcoporum inſtitutione divina, & dignitate ab auctore Epiſtolarum ad nauſeam uſque jactari, quæ cum a vetere Alexandrinæ Eccleſiæ conſuetudine, quæ ſatis erat Ignatio explorata, abhorreant, demonſtrant plane ad veritatem, eas non ab Ignatio, ſed ab alio quopiam fuiſſe perſcriptas, ut antiquiſſimi, ſanctiſſimique Martyris nomine permoti, in errorem incauti quique illicerentur. Atque uſus quidem, ait, conſuetudiniſque Chriſtianorum Alexandrinorum ab Hieronymo, aliiſque fieri mentionem, quorum ſummam eſſe in hoc genere fidem conſtat. Labi præterea Epiſtolarum Scriptorem, ut qui ſine Epiſcopis nihil eſſe in Eccleſia faciendum ſtatuat, cum traditum a Tertulliano ſit, ubi duo, treſve congregentur, Eccleſiam eſſe oportere. Rurſum pugnare nobiſcum Ignatium, quod nos olim in aliquibus ſaltem Eccleſiis Epiſcopos, Diaconoſque ſine Presbyteris, viguiſſe dicamus; ille neget. Argumentum autem ſibi & magnum, & grave videri, quod cum Apoſtoli, Patreſque omnes, qui ad initium ſeculi tertii floruerunt, duorum meminerint ordinum, (nam Presbyteros eoſdem appellarunt, quos Epiſcopos nominabant) hic tres ſæpe, ac multum commemoret, ut tertio demum ſeculo, quo tempore Epiſcopi, Presbyteri, Diaconique dici conſuerant, vixiſſe cenſeatur. Ac matrimonia ſine Epiſcopi ſententia nulla eſſe celebranda Ignatium jubere; idque jam componi cum ea ætate nequire, quæ duci ab Ethnicis uxores Chriſtianas ferret, neque poſceret Epiſcoporum conſenſionem. Secundo vero loco ſic exiſtimat: eſſe

eum Apoſtolorum auditorem, & Trajani æqualem, non poſſe, qui Saturninum exagitavit. Reſtitiſſe autem Saturnino Auctorem Epiſtolarum. Non ergo fuiſſe auditorem Apoſtolorum, & Trajani æqualem, qualem, ajunt, fuiſſe Ignatium. Nam Saturninum, Hadriano primum Imperatore, infeſtare Eccleſiam cœpiſſe. Eſſe vero ineptum, quod idem habet Auctor Ignatianarum Epiſtolarum, gratis ſeſe mori, ſi vera eſſet Saturninianorum opinio. Quæ namque eſſe Martyrii, opinioniſque Phantaſiaſtarum conjunctio, oppoſitiove poteſt? Neque vero Saturninum ſolum, ſed etiam Theodotum, qui anno CXCIV. hæreſim propagare aggreſſus eſt, refutatum fuiſſe ab Auctore Epiſtolarum. Quamobrem referri Ignatium ab Hieronymo in eorum numerum, qui Ebionem, Theodotum Byzantium, & Valentinum hæreſiarchas refellerunt. Pugnare præterea Auctorem Ignatianarum Epiſtolarum *pro uno Deo, quem nobis manifeſtavit Jeſus, proque Jeſu Dei Filio, ac Verbo*, quod non *a Sige*, ſed a Patre progrederetur. Hæc vero adverſus Valentinum eſſe diſputata. Nam ante Valentinum, nullum fuiſſe hæreticorum, qui hæc tam abſurda, tamque inepta de ſige defenderet. Quare Hammondi, & Pearſoni, qui contra ſentiunt, magnis in erratis verſari ſententiam. Reprobari quoque a Pſevdo-Ignatio data opera Marcionis *de malo veteris Teſtamenti auctore* decretum. Igitur floruiſſe hominem poſt ortam Marcionis hæreſim, adeoque non fuiſſe Trajani æqualem. Quinetiam contra Montaniſtas, & Novatianos ab Ignatio agi, qui capitalibus criminibus implicatos, & reſipiſcentes, recipiendos vetarent eſſe. Ut enim recte eſt ab Albaſpinæo viro & orthodoxo, & ſumma eruditione illuſtri animadverſum, ante Montaniſtas longe fuit diſciplina Eccleſiæ in admittendis ad pœnitentiam lapſis ſeverior. Itaque numquam fuiſſe dicturum Ignatium „ omnibus pœnitentibus di„ mittit Deus, ſi pœniteant in unitatem Dei, & conſi„ lium Epiſcopi. Tertio loco quædam eſſe in Epiſtolis falſa, atque inepta arbitratur. Scribi enim a Pſevdo-Ignatio, factam a Paulo Epheſiorum fuiſſe in omnibus Epiſtolis mentionem. Id autem eſſe a veritate omnino diſcrepans. De ſtel-

la etiam,

la etiam , quæ Magis apparuit , quamque ſplendidiorem ſole, luna, aſtriſque omnibus fuiſſe confirmat , nihil eſſe ab eo dictum , quod non eſſe ridiculum videatur. Non minus eſſe inane quod addit, viſum ab ſe *in carne* fuiſſe Chriſtum Servatorem . Potuiſſe quidem verum Ignatium Chriſtum , cum inter homines ageret, videre. At vidiſſe, a Chryſoſtomo , aliiſque negari . Diſſentire autem ab Evangeliſtis Pſevdo-Ignatium , cum hic manducaſſe, & bibiſſe Chriſtum poſt reſurrectionem ſuam teſtetur , illi contra manducaſſe ſcribant, bibiſſe autem non ſcribant. Quarto loco , narrari quædam de Salomonis, Joſiæque Regum ætate, ab Ignatio, dicit, quæ aut pugnent cum Hiſtoria Regum , aut evinci nullo modo poſſint. Joſiam enim anno ætatis XVIII. idololatriam deleſſe, non vero anno octavo, quod Pſevdo-Ignatius ſcribit, liquere. Quinto modeſtiam Martyris , animique moderationem Oudinus deſiderat. Multa enim ſe *ſapere in Deo* , ſcireque item ſe de cæleſtibus multa, Ignatium teſtari. Sexto eſſe quædam in Epiſtolis Ignatianis putat, quæ ſane efficiant, aut Arianum fuiſſe auctorem earum , aut prodromum Arianorum . Septimo loco eſſe quædam ab ſe in iiſdem Epiſtolis deprehenſa, affirmat, quæ obſcura , diſsolutiſque ſcopis ſimillima ſint , quæ non cohæreant, quæ nihil elegans, nihil conſtans, nihil denique grave complectantur, ut in iis recentiorem vix, imitatorem vero Apoſtolorum , atque diſcipulum nullo modo poſſis agnoſcere. Quinetiam Auctorem Epiſtolarum verba Ignatii, quæ, Romæ cum eſset, uſurpavit, *frumentum Chriſti ſum dentibus beſtiarum molar &c. & utinam fruar beſtiis &c.* in Epiſtolam ad Romanos fraude, doloque malo tranſtuliſse , quaſi dicta ab abſente, cum in urbem duceretur, eſsent. Octavo, Inſcriptiones Epiſtolarum eſse contendit implicatas, obſcuras, longas, plenas denique inconditarum , atque ab antiquorum Clementis, Polycarpi, Cypriani, Firmiliani conſuetudine alienarum vocum. Eſse vero ſingulare quidpiam in iis litteris, quæ ſunt ad Polycarpum ſcriptæ. Nam cum eum in inſcriptione Pſevdo-Ignatius Epiſcopum appellaſset, tum oblitus hujus tantæ, tamque ab ſe celebratæ dignitatis, qua præſtare

Smyrnenſium Præſulem cognorat, eumdem etiam, atque etiam ut Epiſcopum colat, hortatur. Nono, magnos, illuſtreſque eruditione viros ſibi præmonſtraſſe viam confirmat, in hiſque Centuriatores Magdeburgenſes, Johannem Calvinum, Vitackerum, Robertum Parkerum, Robertum Cocum, Claudium Salmaſium, Davidem Blondellum, & Dallæum. Immo vero propenſiorem in hanc ſententiam fuiſſe Leonem Allatium virum eruditiſſimum, & civem meum. Decimo, pugnantia Pſevdo-Ignatium loqui. Nam in litteris ad Romanos accuſari ab eo milites, quibus traditus in cuſtodiam fuiſſet, crudelitatis; in ceteris autem ita deſcribi, ut uſi erga ipſum ſingulari humanitate fuiſſe videantur. Ignatium vero tam fuiſſe ineptum quis credat, ut pugnantia loqueretur, & ſcriberet? Undecimo, Cotelerii de Romanorum poteſtate adſerendi eos, qui damnati fuiſſent, in libertatem, reſponſum inane eſſe, exiſtimat. Perſuaſiſſe namque Ignatium ſibi, modo vera Auctor Epiſtolarum ſcripſiſſet, Chriſtianos, qui Romæ agerent, impedire perfacile potuiſſe, quo minus ipſe a beſtiis dilaniaretur. Chriſtianos autem, qui in Urbe degebant neque multos, neque tanta auctoritate, dignitateque excelluiſſe, ut tam præclarum facinus aut ederent, aut molirentur. Atque hanc ad Romanos Epiſtolam in cauſſa fuiſſe ſuſpicatur Oudinus, cur omnes deinceps Scriptores Ignatium Romæ Martyrio functum fuiſſe arbitrarentur, quamquam veriſimile ſit, ipſum Antiochiæ deceſſiſſe, cum pace Eccleſia gauderet. Primum autem omnium, qui in hanc opinionem deſcenderit, fuiſſe Irenæum Epiſcopum Lugdunenſium. Neque vero affirmare Euſebium, ſed Romæ ne, an alibi Ignatius deceſſerit, dubitare. Itaque ut Epiſtolas, ſic Acta Martyrii Ignatii Antiocheni eſſe in opera ſpuria rejicienda. Alios contra ſentire. Sed horum eſſe inter ſe pugnantes, diſſidenteſque ſententias. Quoſdam enim Romæ a beſtiis Ignatium fuiſſe dilaceratum, alios multa quoque paſſum Antiochiæ, putare. Trajanum incredibili manſuetudine fuiſſe. Quamobrem veriſimile minime videri, eum, quem plectere Antiochiæ potuiſſet, Romam, ut in Amphitheatro beſtiis objiceretur, miſiſſe. Redit ad Euſebium. Hunc omnium pri-

primum fuiſſe, qui Epiſtolarum Ignatianarum meminerit, ab eoque Athanaſium, Hieronymum, Theodoritum, alioſque fuiſſe deceptos, cenſet. Poſtremo Polycarpum nuſquam feciſſe Epiſtolarum Ignatii mentionem, ſtatuit. Nam quæ proferuntur ab Euſebio, adjuncta fraude impoſtoris cujuſquam fuiſſe Epiſtolæ Polycarpi. Atque hujus tres circumferri editiones. Poſtremam curatam a Stephano Moynio Leidenſi Profeſſore fuiſſe, in qua verborum eorumdem ne veſtigium quidem extat. Irenæi locum ne ab Uſſerio quidem fuiſſe majoris habitum, quam poſcere videretur. Non enim *ſcripſiſſe*, ſed *dixiſſe* Ignatium, Irenæus tradit: *Frumentum Dei ſum &c.* Nihili ab ſe Origenis teſtimonia pendi. Scripta enim, quorum ante meminimus, non Græci cujuſquam, ſed Latini Auctoris opus & haberi, & eſſe. Quare Origeni accepta referri non oportere.

Atenim quoniam de ſilentio veterum copioſe dixi, demonſtravique, errare vehementer Dallæum, ut qui Polycarpi, Irenæi, aliorumque teſtimonia, fretus inanibus conjecturis, aut rejecerit, aut implicarit; non eſt neceſſe, ut rurſum eſſe dicendum putem. Itaque venio ad primum Oudini argumentum. Nego ætate Apoſtolorum, nullos in Eccleſiis ſingulares Epiſcopos fuiſſe, qui Presbyteris antecellerent, cœtuſque Chriſtianorum moderarentur. Jacobum ecce Apoſtoli Hieroſolymitano Presbyterio, atque Eccleſiæ præfecerunt. Romanis autem quis neget Linum ab Apoſtolis ipſis fuiſſe datum Epiſcopum? Atque in Eccleſiis Aſiæ Antiſtites, eoſque jam ſingulares floruiſſe conſtat, quos Johannes indicavit nomine Angelorum. Hinc ſecundo ſeculo Catalogi ſunt ab Hegeſippo, & Irenæo ſcripti ſingularium Romanorum Epiſcoporum, qui jam uſque ab Apoſtolis Eccleſias moderari cœpiſſent. Sed quid ego de Romanis dico? Annon antiquorum virorum, quos Euſebius eſt auctores ſequutus, teſtimoniis efficitur, a Paulo, aliiſque Apoſtolis fuiſſe ſingulares in Eccleſiis permultis ſacrorum Antiſtites conſtitutos? At eſt horum Catalogus paullo poſt nobis deſcribendus. Interea hoc certum erit. Cum ſingulares Epiſcopi Eccleſias gubernarent, quibus is honor adhibendus eſſet,

ſet, quem Apoſtoli præſcripſiſsent (nam eſt a Paulo ad Hebræos ſcriptum, ut præpoſitis ſuis obtemperarent, traditumque ab Luca capite Actorum viceſimo, Epiſcopos eſſe in Eccleſiis poſitos, ut regant) mirabile minime videri, ſi Ignatius ſæpe, ac multum Epheſios, Smyrnæos, Philadelphenos, Magneſianos, Trallianos hortetur, ut Epiſcopis pareant, quum præſertim exiſtere aliquos videret, qui res novas conſectarentur, cœtuſque ſeorſim celebrare, Epiſcopumque deſerere auderent. De Ægyptiorum conſuetudine agam aliquanto poſt accurate, ubi de Hieronymi, Ambroſiaſtri, Eutychii, aliorumque teſtimoniis diſseram. Qua vero impudentia Tertulliani loco Oudinus abutitur, quem Scriptorem antiquum imprimis, & quamdiu Catholicus fuit, pro Epiſcoporum & vetuſtate, & auctoritate pugnaſse novit? Ac de Tertulliano quidem alias. Quotus autem quiſque eſt noſtrum, qui ullam fuiſse Ignatii ætate Eccleſiam Presbyteris carentem defendat? Quod enim, auctoritate Epiphanii ducti, factum aliquando ab Apoſtolis alicubi, ut qui dignos Presbyterio nullos reperirent, fuiſſe diximus; neque de omnibus Eccleſiis diximus, neque ſi dixiſsemus, ita eſſet accipiendum, quaſi Apoſtoli minime voluiſſent, ut ubi inventi fuiſſent, qui digni hoc tanto miniſterio exiſtimarentur, Presbyteri creari poſſent. Eſt item alterum Oudini argumentum inane. Etſi enim Apoſtoli, Patreſque aliquot ſecundi ſeculi Presbyteros eoſdem interdum appellarint, quos appellabant Epiſcopos, non ſequitur tamen ea opera Ignatio eſſe adimenda, in quibus a Presbyteris Epiſcopi diſtinguantur. Annon Apoſtoli vocati interdum Epiſcopi, & Presbyteri fuerunt? Quis autem tam eſt abſurdo ingenio, qui Epiſtolam Clementis eidem non eſſe tribuendam putet, propterea quod Apoſtolos ab Epiſcopis diſtinxerit, eoſque jam Apoſtolos appellaverit, hoſque indicarit nominibus Epiſcoporum, & Presbyterorum? Deinde ſingulares Epiſcopos jam uſque ab Apoſtolorum ætate Eccleſias rexiſſe, Presbyteroſque habuiſſe, qui rem ſacram facerent, certum eſt. Quid igitur impediebat, quominus Ignatius, qui, Trajano Imperatore, deceſſit, Epiſcoporum, qui primi ordinis Presbyteri eſſent,

eſſent, ac Presbyterorum, qui ſecundum ordinem in Eccleſia conſtituerent, faceret mentionem? Neque vero intelligo, cur ſi confuſe, implicateque loquuti ceteri ſint, unus aliquis inveniri nequiverit, qui diſtincte, explicateque loqueretur. Jam vero Martyres Lugdunenſes, tametſi anno circiter 177. paſſi ſunt, hoc eſt diu ante initium ſeculi tertii, nihilominus Pothinum, qui Eccleſiam Lugdunenſem regebat, Epiſcopum, Irenæum autem Presbyterum, ut qui nondum eſſet creatus Antiſtes ejuſdem Eccleſiæ, appellarunt. Nemo eſt autem, qui Epiſtolam Lugdunenſium, quæ eſt ab Euſebio in quinto Hiſtoriæ libro deſcripta, in ſpuriis eam ob cauſſam eſſe numerandam arbitretur, quod Irenæus Polycarpum Smyrnæorum Antiſtitem modo Epiſcopum, modo Presbyterum nominet.

Atque haud ſcio, cur vitio dari Ignatio poſſit, quod ſine Epiſcopi ſententia matrimonia eſse celebranda negaverit. At erant mulieres, quæ ſe ab Ethnicis duci vellent. Patior. Quid igitur? Annon licuit Antiſtiti hortari majorem in modum ſuos, ne quid ſimile facerent? Nempe hoc etiam reſtabat, ut, probantibus Epiſcopis, mulieres Chriſtianæ ab Ethnicis ducerentur. Temporibus quidem Tertulliani, & Cypriani fuiſse etiam mulieres Chriſtianas, quæ Ethnicis nuberent, certum eſt. Quid? Eſt ne quiſquam tam audax, qui alterutrius opuſcula, in quibus hoc tam grave malum reprobant, in ſpuriis numeranda putet? Noverat ſane Ignatius qui ſua ætate in hoc genere abuſus invaluiſſet, & quia eum averſabatur, ac reprobabat, idcirco matrimonia ſine Epiſcopi ſententia celebranda non eſse ſcribebat.

Deinde aut rite Chriſtianæ virgines viris Ethnicis matrimonio jungebantur, aut contra. Si rite, cur *Chriſtianam* non decuiſſet Antiſtitem ſacrorum conſulere? Sin autem minus [1], cur non ſtatuiſſet Ignatius, ab iis, qui celebrare

1 Roget quiſpiam, quid cauſſæ fuerit, cur tantopere Ignatius Epiſcoporum, Presbyterorum, ac Diaconorum gradus, atque ordines celebraret, hortareturque Chriſtianos, ut eis obtemperarent, honoremque adhibere ne gravarentur. Atque roganti quidem & dilucide, & paucis ſatisfaciam. Animadvertendum igitur eſt, exiſtere tum aliquos cœpiſſe, qui clam congregari, atque e cœtu Chriſtianorum, qui cum Epiſcopo, & Presbyterio conjuncti erant,

brare nuptias decreviſſent, Epiſcopum eſſe conſulendum? Quamquam hoc unum Ignatius (1) velit: decere Chriſtianum virum, qui uxorem item Chriſtianam ducere conſtituerit, ſententiam Epiſcopi ſequi, nequid voluptatis captandæ cauſſa feciſſe videatur. Quod ut ſit Ignatii ætati contrarium, ne ſuſpicari quidem poſſum.

Venio ad Saturninum. Nego ullam ejus fuiſſe factam ab Ignatio mentionem (2). At is Saturninus primus omnium, Chriſtum ſpeciem carnis habuiſſe, putavit, re autem ipſa carne fuiſſe præditum, nullo modo; quem errorem Ignatius, qui ante Hadriani tempora deceſſit, confutare non potuit. Confutat vero Auctor Epiſtolarum. Eſt ergo Ignatio Auctor Epiſtolarum recentior. Verum hoc idem pernego, nullum

erant, ſeſe alioſque ſejungere curarent. Ergo ut horum conatus reprimerentur, Ignatius hortatus quemque Chriſtianum eſt, ut ne ſimile quidpiam auderet, ſi diſcipulus Chriſti vellet, & haberi, & eſſe. Epiſtola enim ad Philadelphenos *n.* VII. *p.*32. „ Clamavi, *inquit*, „ cum intereſſem; locutus ſum magna voce, voce Dei: Epiſcopo attendite, & Presbyterio, „ & Diaconis. Quidam autem ſuſpicati ſunt, me, ut præſcium diviſionis quorumdam hæc „ dicere. Teſtis autem mihi is eſt, in quo vinctus ſum, quod a carne humana non cognoverim; ſed ſpiritus annuntiavit dicens iſta: ſine Epiſcopo nihil facite; carnem veſtram, „ ut Dei templum cuſtodite, unitatem amate, diſſidia fugite .... Ego itaque quod meum „ erat feci, ut homo ad unitatem compoſitus. Ubi autem diviſio eſt, & ira ibi Deus mini- „ me habitat. Omnibus igitur pœnitentibus remittit Deus, ſi reſipiſcant, in UNITATEM „ Dei, & Epiſcopi conſeſſum „. *Et epiſt. ad Smyrn. n.*IX. *p.* 37. „ Conſentaneum eſt dein- „ ceps reſipiſcere, & dum adhuc tempus habemus, ad Deum per pœnitentiam redire. Bene „ habet Deum, & Epiſcopum reſpicere. Qui honorat Epiſcopum, a Deo honoratus eſt. „ Qui clam Epiſcopo aliquid agit, diabolo præſtat obſequium &c. „. Quod ſi Clementi Romano in epiſtola ad Corinthios, Schiſmaticos hortari, ut ad Eccleſiam redirent, Presbyteriſque parerent, licuit, *n.* 57. *p.* 37. *t.* 1. *Collect. Epiſtolar. Romanor. Pontif. edit. Pariſ. Coutantii*, cur non item Ignatio licuiſſet? Ad matrimonia Ethnicorum cum mulieribus Chriſtianis quod attinet, confer Tertullianum *lib.* II. *ad Uxor. cap.* III. *pag.* 168. *& ſeqq. edit. Venet. an.* 1748. s. Cyprianum *lib. de Lapſis pag.* 123. *edit. Oxon.* ubi reprehendit eas, quæ *jungerent cum infidelibus vinculum matrimonii, proſtituerentque Gentilibus membra Chriſti. Et lib.* III. *Teſtimonior. ad Quirinum cap.* LXII. *pag.* 83. ubi teſtimonia Apoſtuli recenſens, ſic habet: (1. *ad Corinth. cap.* VII. *v.* 39.) „ Mulier vincta eſt, „ quamdiu vivit vir ejus: ſi autem dormierit, liberata eſt, ut cui vult nubat. Tantum in „ Domino. *Et iterum* (1. *Cor.* VII. *v.* 15.) Neſcitis quoniam corpora veſtra membra „ Chriſti ſunt? Auferens membra Chriſti, faciam membra fornicariæ? abſit. Aut neſcitis, „ quia qui conglutinatur fornicariæ, unum corpus ſunt? Erunt enim duo in carne una. Qui „ autem ſe conjunxerit Domino, unus Chriſtus eſt. *Item* (*ad Cor.* II. *cap.* VI. *v.* 14.) „ Nolite conjungi cum infidelibus. Quæ autem participatio eſt juſtitiæ, & iniquitati? aut „ quæ eſt communicatio luci ad tenebras?

1 *Epiſt. ad Polycarpum num.* V. *pag.* 41. Πρέπει δὲ τοῖς γαμοῦσι, καὶ ταῖς γαμουμέναις μετὰ γνώμης τοῦ ἐπισκόπου τὴν ἕνωσιν ποιεῖσθαι, ἵνα ᾖ ὁ γάμος κατὰ θεὸν, καὶ μὴ κατ' ἐπιθυμίαν. „ Decet autem & ducentes, & ductas cum ſententia Epiſcopi unionem facere, ut „ ſint nuptiæ ſecundum Deum, & non ſecundum concupiſcentiam.

2 In nullo enim teſtimonio eorum, quæ ab Oudino adducuntur, memorari video Saturninum.

nullum fuiſſe, qui in tam gravem errorem ante Saturninum inciderit. Nam incidiſſe aliquos, teſtis eſt in Epiſtola ſecunda Johannes (1), ut qui hæreticorum opinionem damnaverit, qui Chriſtum in *carne veniſſe* inficiarentur. Saturninum autem, cum Trajanus imperium teneret Populi Romani, tacuiſſe, docereque tum primum cœpiſſe, cum Hadrianus regno potiretur, quibus tandem argumentis efficere Oudinus poterit? Tillemontius (2) quidem vir ſumma eruditionis, doctrinæque exiſtimatione, ac laude excellens, Saturninum Trajani tempore ſectæ fundamenta jacere cœpiſſe, ſcribit. Nam quod Euſebius (3) de Saturnino, & Baſilide agat, ubi res Hadriani ætate geſtas perſequitur, non tam eſt grave, ut quemquam fateri cogat, nihil hos fuiſſe, Trajano Imperatore, molitos mali. Quis enim ita eſt Hiſtoriæ veteris imperitus, ut Nicolaitas (4), Ebionæoſque, ante Trajanum, in Ecleſiam

1 S. Johannes *ep.* II. *v.* 7. „ Quoniam, inquit, multi ſeductores ingreſſi ſunt in mun-
„ dum; οἱ μὴ ὁμολογοῦντες Ἰησοῦν Χριστὸν ἐρχόμενον ἐν σαρκὶ, *qui non confitentur Je-*
„ *ſum Chriſtum veniſſe in carne*.

2 Tillemont. *tom.* II. *Mon. Hiſt. Eccl. pag.* 237. *edit. Pariſ.*

3 Euſebius *lib.* IV. *Hiſt. Eccl. cap.* VII. *pag.* 127. *edit. Taur.* quo in libro res Hadriani ætate geſtæ deſcribuntur, ſic habet. „ Igitur ex Menandro illo, quem Simonis ſucceſſorem
„ fuiſſe ſupra retulimus, exorta venenata quædam beſtia quaſi bilinguis, ac biceps duarum
„ hæreſeon inter ſe diſcrepantium duces conſtituit: Saturninum domo Antiochenum, &
„ Baſilidem Alexandrinum. Quorum ille quidem in Syria, hic vero apud Ægyptum impiæ
„ doctrinæ Scholas condidit. Et Saturninum quidem eadem fere, atque Menandrum emen-
„ titum eſſe declarat Irenæus „. Viden ut tum primum diſſeminari doctrinam ab Saturnino cœpiſſe, neque ajat Euſebius, neque neget?

4 Euſebius *lib.* III. *cap.* XXIX. *pag.* 108. ἐπὶ τούτων δῆτα καὶ ἡ λεγομένη τῶν Νικολαϊτῶν αἵρεσις ἐπὶ μικρότατον συνέστη χρόνον. „ Sub his (*temporibus*) igitur & dicta Ni-
„ colaitarum hæreſis breviſſimo tempore permanſit „. *Et cap.* XXVIII. *pag.* 107. κατὰ τοὺς δεδηλωμένους χρόνους, ἑτέρας αἱρέσεως ἀρχηγὸν γενέσθαι Κήρινθον παρειλήφαμεν. „ Ea-
„ dem tempeſtate alterius hæreſis auctorem fuiſſe Cerinthum accepimus „. *Et cap.* XXVII. *pag.* 107. agit de Hæreſi Ebionæorum. Atqui Cerinthum Apoſtolis nondum exactis ſectam inſtituiſſe, aut ſaltem ſuam hæreſim propagare cœpiſſe, teſtis eſt Irenæus in VII. *contra hæreſes libro cap.* III. *n.* IV. *pag.* 177. *edit. Ven. an.* 1734. Confer Euſebium *lib.* III. *hiſt. cap.* XXVIII. *pag.* 108. *edit. ejuſd.* Sed de origine hæreſeos Cerinthianorum agemus in eo libro, qui inſcribitur *de Catechiſtis*, & *Catechumenis*. Interea confer Sebaſtianum Tillemontium *Mon. Hiſt. Eccl. tom.* II. *pag.* 58. *ſeq. edit. Pariſ.* Renatum Maſſuetum *Diſſert. in Irenæum* I. *Art* III. §. VI. *pag.* 52. *tom.* II. *opp. edit. an.* 1734. Nicolaum Nourrium *Apparat. ad Biblioth. Max. ss. PP. Diſs.* I. *cap.* V. *pag.* 9. *ſeq. edit. Pariſ. ann.* 1703. &, ſi licet, Johannem Franciſcum Buddeum *de Eccleſ. Apoſtolica cap.* V. *pag.* 412. Et Moshemium *H. E. Inſtitut. Major. ſec.* I. *par.* II. *cap.* V. §. XVI. *pag.* 439. *ſeq.* De Nicolaitis agam & ipſe eodem, quem dixi, *de Catechetis*, & *Catechumenis* libro. Quamquam multa eſſe video de his Hæreticis diſputata ab Johanne Laurentio Moshemio in Opuſculo inſcripto: *Demonſtratio ſectæ Nicolaitarum adverſus doctiſſimos ejus oppugnatores* §. VI. *ſeqq. pag.* 400. *ſeqq.*

cleſiam irrupiſſe neget? Atqui eſt horum ſectæ, atque facinorum ab Euſebio facta mentio, cum hiſtoriam Trajani deſcriberet. Qua in re Oudini fidem, diligentiamque deſidero, qui Saturnini, Baſilidiſque hæreſeon primordia ab Euſebio in Hadriani tempora referri, confidenter (1) jactat. Si enim ita ſe res haberet, retuliſſet Euſebius initia hæreſeos Nicolaitarum in ætatem Trajani, id quod nec Oudinus dixit, neque ſi ratione uſus eſſet, inducere animum, ut diceret, potuit. Atque haud ſcio, cur Euſebio nihil de tempore, quo hæreſim diſſeminare Saturninus cœpit, ſtatuenti, quaſi ſtatueret, Oudinus credat; de Ignatio autem auctore ſeptem Epiſtolarum diſſertis verbis ſtatuenti non credat. Niſi tantum præjudicatam opinionem apud eum valuiſſe dicendum ſit, ut quæ ſtatuta, non ſtatuta, quæ vero non ſtatuta, eadem ſtatuta eſſe contenderet. Eodemque modo explicare locum Theodoriti licet (2). Quod ſi is ab Euſebio diſcreparet, tamen nulla eſſet cauſſa, quare ei de Saturnini ætate potius, quam de epiſtolis, quas eſſe germanum Ignatii opus fatetur, diſputanti aſſentiremur. Denique nego eſſe quidquam, quod obſtet, quo minus, Imperatore Trajano, hæreſim profiteri, ac promulgare aggrederetur is, qui Menandrum Simonis diſcipulum audiviſſet (3). De

ſeqq. Collect. Diſſert. ad Hiſt. Eccl. pertinentium edit. Altonav. ann. 1733. Ebionæorum errorem ortum circa *an.* 70. Æræ Chriſtianorum Epiphanius *hæreſ.* XXX. *num.* 1. *pag.* 125. *tom.* I. *opp. edit. Petav.* cenſet. Confer Nourrium *loc. cit. cap.* VI. *pag.* 10. Tillemontium *tom.* II. *Monum. Hiſt. Eccl.* & ut alios prætermittam, Renatum Maſſuetum *Diſs.* I. *in opp. Irenæi art.* III. *n.* VII. *pag.* 53. *tom.* II. *opp. Iren. edit. Ven. an.* 1734. Non enim inquirimus, ullus ne Ebion, qui ſectæ nomen tribuerit, primo Eccleſiæ ſeculo viveret, ſed ulla ne ſecta eodem ſeculo fuerit, quæ hoc nomine vocaretur. Eſt autem edita a Moshemio diſſertatio, cujus hæc inſcriptio eſt: *Diſs. qua oſtenditur certo hodie, & explorate conſtitui non poſſe, utrum Ebion quidam novæ ſectæ auctor extiterit, nec ne, pag.* 553. *& ſeqq. Collect. Diſs. ad Hiſt. Eccl. pertinent. edit. an.* 1733.

1 Verba Oudini ſunt *pag.* 99. *tom.* 1. *de Scriptor. Eccl. edit. Lipſ. an.* 1722. „ Euſebius IV. ſeculi Scriptor tum Saturninum Antiochenum, tum Baſilidem Alexandrinum ſub „ Imperio Hadriani hæreſes ſuas diſſeminare cœpiſſe, *dicit.*

2 Theodoretus *lib.* 1. *Hæreticar. Fabular. cap.* II. *tom.* IV. *opp. edit. Pariſ.* Sirmondi *pag.* 193. de Saturnino, & Baſilide agens, ἄμφω δὲ, inquit, ἐπὶ Ἀδριανοῦ τοῦ καίσαρος ἐγένοντο. *Ambo ſub Hadriano Cæſare fuerunt, vel extiterunt*; fortaſſe quod tum majores progreſſus feciſſent.

3 Vide ſupra Euſebii locum *pag.* 385. *hujus vol. not.* 3. Confer Irenæum *l.* 1. *cap.* XXIV. *pag.* 100. *tom.* 1. *opp. edit. Ven. an.* 1734. & e novis Maſſuetum *l. c. art.* III. *n.* III. *p.* 146. *tom.* II. *opp. Iren. ejuſd. edit. Veneta.* Miror autem quid ſit, quod Oudinus hunc Ignatii locum

De Theodoto, quod ſcribit Oudinus (1), perfacile quidem refellitur. Non enim nominatus ab Ignatio uſquam eſt, nec vero nominari potuit, cum diu ante is Martyr deceſſerit, quam Theodotus ſpargere ſua in vulgus dogmata cœpiſset. Nam Hieronymum (2), qui in libro, quem contra Helvi-

 dium

locum ex epiſtola ad Trallianos decerptum reprehendat *n. x. pag.* 24. *tom.* II. *par.* 1. *PP. Apoſtolic. edit. an.* 1724. „ Si vero, ut quidam Athei, hoc eſt infideles, ajunt, ipſum ſe- „ cundum apparentiam eſſe paſſum, ipſi ſecundum apparentiam exiſtentes, ego quid vinctus „ ſum? & cur opto cum beſtiis depugnare? Fruſtra itaque moror. Profecto mendacia de „ Domino non confingo „. Sic enim opponit Oudinus. *Quale autem argumentum, quæſo, quam ſtramineum, atque infirmum, ſua collegare vincula, atque pugnam ad beſtias ſibi paratam, ad humanitatis, & incarnationis Chriſti, veri ejus corporis, veræ paſſionis, & reſurrectionis veritatem probandam?* At qui ſic diſputat, non animadvertit infirmari ab ſe argumentum Pauli, quo reſurrectionem mortuorum, & Chriſti Corinthiis probavit, *epiſt.* 1. *cap.* XV. *v.* 12. *ſeq.* „ Si autem Chriſtus prædicatur, quod a mortuis reſurrexit, „ quomodo dicunt quidam ex vobis, quoniam reſurrectio mortuorum non eſt? ſi autem re- „ ſurrectio mortuorum non eſt, neque Chriſtus reſurrexit. Si autem Chriſtus non reſurre- „ xit, inanis utique prædicatio noſtra &c. „ Quomodo enim Paulus ex eo quod inanis alioqui prædicatio ſua eſſet, concluſit, Chriſtum reſurrexiſſe, ac fore ut mortui tandem omnes excitentur? At vis ineſt argumento Pauli, & Ignatii argumento fere eadem. Nam Apoſtolus fruſtra ſe prædicaſſe Evangelium, fruſtra & Corinthios Chriſtianæ religioni dediſſe nomen ſcribit, ſi crederent iis, qui cum ſe Chriſtianos jactarent, & reſurrexiſſe Chriſtum, & mortuos reſuſcitandos inficiabantur. Eadem ratione Ignatius Trallianos hortatur, ut ne Phantaſiaſtis auſcultent. Huc autem ejus oratio recidit. Si vera Phantaſiaſtæ prædicarent, ego certe fruſtra morerer, qui morior propter Incarnationis, Mortis, Reſurrectioniſque Chriſti fidem. Mori autem me mendacio obſtrictum, ut falſa dogmata confirmem, tamque eſſe amentem, ut fruſtra moriar, quis credat? Non ergo (me vincto, & martyre prædicatore ac teſte) vera ſtatuunt Phantaſiaſtæ. Sed de his ſatis dictum eſto. Hoc breve addo. Non negare me, ab Saturnino fuiſſe propugnatum Phantaſiaſtarum decretum, idque jam affirmari ab Irenæo loco indicato. At Saturninum primum omnium fuiſſe, ex Irenæo Oudinus quomodo oſtendet? Hieronymus ecce in eo libro, qui contra Luciferanos inſcribitur *cap.* VIII. *pag.* 304. *tom.* IV. *opp. edit. Martianæi* „ Apoſtolis, *inquit*, adhuc in ſeculo ſuperſtitibus, adhuc apud Ju- „ dæam Chriſti ſanguine recenti, phantaſma Domini corpus aſſerebatur.

1 De Theodoto hæc refert Oudinus ex *Hiſt. Eccl. Euſeb. lib.* V. *cap.* XXVIII. *pag.* 252. *edit. Cantabr.* „ Theodotum Coriarium defectionis illius, quæ Chriſtum Deum negat, pa- „ rentem, & auctorem fuiſſe, primumque aſſeruiſſe, Chriſtum eſſe nudum hominem „. Sunt autem hæc Gaii Presbyteri Romani verba. Colligit autem Oudinus, Theodotum poſt an. 194 ſuam hæreſim diſſeminare cœpiſſe. Sed de hac re nolo equidem acriter cum Oudino contendere. Hoc dico: fuiſſe alios, qui ante Theodotum *nudum hominem fuiſſe Chriſtum* defenderent. Confer quæ de Cerintho ſcribit Irenæus *lib.* I. *cap.* XXVI. *pag.* 105. *edit. Venetæ an.* 1734. & quæ de Ebione *ibid.* animadverterunt adnotatores *notat.* f Sed Gajus, primum qui hæreſim docuerit fuiſſe Theodotum, confirmat. Scilicet primum dixit hæreticorum ex gentibus. Nam hæreticos, qui ex Judæis Chriſtianiſmum ſe profiteri dicerent, aliquos ante fuiſſe conſtat, qui eumdem errorem defenderent. Atque ita cenſent Caveus *Hiſt. Litt. tom.* I. *pag.* 17. *edit. an.* 1693. & Bullus *in judic. Eccleſiæ Catholicæ cap.* III. *pag.* 26. *edit. an.* 1703.

2 S. Hieronymus adverſus *Helvidium cap.* IX. *pag.* 141. *tom.* IV. *opp. edit.* Martianæi: „ Numquid, *inquit*, non poſſum tibi totam veterum ſcriptorum ſeriem commovere, „ Ignatium, Polycarpum, Irenæum, Juſtinum Martyrem, multoſque alios Apoſtolicos, & „ eloquentes viros, qui adverſus Ebionem, & Theodotum Byzantinum, & Valentinum

„ plena

dium ſcripſit, & in quo inter Apoſtolicos viros; a quibus eſt oppugnatus Theodotus, Ignatium numerat, aut lapſum memoria fuiſſe, aut ſi lapſus non eſt; quod quidem magis credo: cenſuiſſe hæreſim Theodoti ab Ignatio, Polycarpo (1), aliiſque, antequam Theodotus erupiſſet, exploſam; aut denique ab Ignatio quidem Ebionem, a Polycarpo autem, Juſtino Martyre, & Irenæo & Ebionem fortaſſe, & Valentinum, ab aliis denique, quos nominatim minime appellavit, fuiſſe Theodotum oppugnatum putaſſe. Ac falſum profecto eſt, ante Theodotum, qui Chriſtum hominem purum eſſe mentiretur, fuiſse (2) neminem. Eſt enim aliquorum, qui ſic mentirentur, ab Johanne (3) Apoſtolo in Epiſtolis reprobatus error. Quod ſi confutati hujuſmodi homines ab Johanne ſunt, quid erat cauſſæ, cur confutari ab Johannis auditore Ignatio non poſſent? Mirabile autem videtur, quod cum Oudinus implicatas, & involutas Hieronymi ſententias conſectetur, luculentas nihilominus contemnat, ac reſpuat, quibus ab eodem Hieronymo Epiſtolæ Martyri Ignatio tribuuntur. Eſt deinde ridiculum, ne gravius dicam, quod Oudinus ſubdit de Valentino (4). Hunc enim ab Ignatio fuiſſe indicatum in

„ plena ſapientia volumina conſcripſerunt, quæ ſi legiſſes, aliquando plus ſaperes „? Cum autem tot recentiores Ignatio numeret Hieronymus, quid cauſſæ eſt, cur Oudinus ab eo uno putet, non ab Irenæo, aliiſque viris eloquentibus fuiſſe oppugnatum Theodotum? At Irenæus Theodotum nuſquam refellit. Quaſi vero omnia ejus Epiſcopi opera habeamus. An non eſt certum, ejus aliquot opuſcula periiſſe? Quis autem eſt, qui in iis opuſculis fuiſſe refutatum Theodotum, inficiari tuto poſſit? Neque vero credibile eſt, Hieronymum, qui diu ante Theodotum vixiſſe Ignatium norat, quique epiſtolas Ignatii genuinas eſſe exiſtimabat, voluiſſe Ignatium nobis ceu impugnatorem ejus hæretici proponere, quem hæreticum longe fuiſſe recentiorem certum eſſet. Quod ſi dixit, non alio quidem ſenſu, quam quod diu ante, non Theodotum; ſed ejus dogma fuiſſe ab Ignatio refutatum putaret, dixit.

1 Uſſerius in *Prolegom. in Ignat. cap.* I. *pag.* II. *tom.* II. *Apoſt. PP. pag.* 200. *edit. an.* 1724. *tom.* II. Pearſonus *vind. lib.* II. *cap.* II. *pag.* 363. *tom.* II. *eod. Apoſt. PP.* Hammondus *Diſſ.* II. *cap.* XXIV. §. XXIII. *pag.* 110. *edit. Londin. Quatuor Diſſertation. quibus Epiſcopatus jura ex ſacris Scripturis, & Primæva Antiquit. adſtruuntur, an.* 1651.

2 Vide ſupra *pag.* 370. *hujus vol.*

3 Conſule s. Irenæum *lib.* III. *cap.* III. *pag.* 188. *edit. ejuſd. tom.* I. & Maſſuetum *Diſſert.* I. *in Iren. art.* XI. *pag.* 52. *tom.* II. & e Proteſtantibus, ſi licet, Bullum *ibid. pag.* 16. & Moshemium *Inſtit. Maj. hiſt. Eccleſ. ſec.* I. *cap.* V. §. XV. *pag.* 450.

4 Satis eſt dictum ſupra de Valentino: fuiſſe autem ante Valentinum hæreticos, qui pro ſide pugnarent, ſcribit Irenæus *lib.* I. *cap.* XI. *al.* V. *pag.* 52. *tom.* I. „ Videamus, inquit, nunc & horum inconſtantem ſententiam, cum ſint duo vel tres, quemadmodum „ de eiſdem non eadem dicunt, ſed & nominibus & rebus contraria reſpondent. ὁ μὲν γὰρ „ πρῶτος, *qui enim primus* ἀπὸ τῆς, λεγομένης γνωστικῆς αἱρέσεως, τὰς ἀρχὰς εἰς ἴδιον „ χα-

in ea Epiſtola , quæ eſt ad Magneſianos ſcripta, cenſet ; propterea quod unum Deum eſse confiteatur, quem nobis manifeſtarit Chriſtus . *Unum enim Deum* , *quem nobis Chriſtus* manifeſtarit, Apoſtoli perinde ubique gentium confeſſi ſunt, quia ad Valentinum nondum natum eorum ſpectaret oratio . Cur autem non ad Apoſtolorum ſermonem potius , quam ad Valentini hæreſim Ignatius reſpexerit , ſuſpicari profecto non poſsum , explicare autem multo minus . At genealogias Valentinus de rebus divinis agens, ponebat, quas Ignatius rejicit unum nominans , confitenſque Deum . Ante Valentinum autem , qui *ſigem* admitteret , genealogiaſque numeraret , hæreticorum fuiſse nullum. Ego vero , ut neceſse ſit, ex unius appellatione Dei , concludere, rejectas genealogias Valentini ab Ignatio fuiſse , non video . Verum qui *ſigem* ante Valentini ætatem probarent , hæretici indicantur ab Irenæo in primo (1) contra Hæreſes libro . Rurſum qui genealogias ponerent , quaſi a Deo familia aleretur, erroris ſunt damnati a Paulo . Quid autem obſtat , quo minus adſertores genealogiarum, quos redarguit in Epiſtolis Paulus (2), iidem *ſigem* defenderent ? Sed fac diverſi fuerint . Nulla erat cauſsa , cur non utrique repelli ab Ignatio poſsent iis in litteris , quæ ſunt

„ χαρακτῆρα διδασκαλίας μεθαρμόσας Οὐαλεντῖνος οὕτως ἐξεφοφόρησεν *ab ea qua dicitur Gnoſtica , hæreſes aliquas in ſuum characterem doctrinas transferens Valentinus , ſic* „ *definivit* , dualitatem quamdam innominabilem , cujus quidem aliquid vocari inenarra- „ bile , aliud autem ſigen . Poſt deinde ex hac dualitate ſecundam dualitatem emiſsam , „ cujus aliud quidem patrem vocat , aliud autem aletheian &c. „ Hæc igitur Valentinus ex veteribus Gnoſticis accepit , auctore Irenæo . At quænam hæc ſunt , obſecro , niſi dogmata de ſige , & de genealogiis ceteris ? Igitur ab iiſdem Gnoſticis & ſigen , & portenta genealogiarum mutuatus eſt Valentinus . Quamobrem Irenæi verba viciat Oudinus , cum non ab iiſdem veteribus Gnoſticis , & genealogias , & ſigen propugnatam putat . Neque vero Hammondus ſolum *Diſſert.* 1I. *cap.* IX. §. XIII. *pag.* 81. Sed etiam Uſſerius *in Præfat. priore*, quæ præfixa eſt Ignatii epiſtolis *tom.* 1I. *PP. Apoſt. edit. an.* 1724. hoc Irenæi loco uſus eſt.

1 Vide *notat. ſuper.*

2 *Epiſt.* 1. *ad Timoth. cap.* 1. *v.* 4. „ Neque intenderent fabulis , & genealogiis inter- „ minatis , quæ quæſtiones præſtant magis , quam ædificationem Dei , quæ eſt in fide „ . „ *Epiſt. ad Titum cap.* III. *v.* 9. „ Stultas autem quæſtiones , & genealogias , & conten- „ tiones , & pugnas legis devita , ſunt enim inutiles , & vanæ „ . S. Irenæus *lib.* III. *cap.* XI. *pag.* 188. *tom.* 1. *opp.* oppugnatum ab Johanne Evangeliſta fuiſſe dixit errorem „ qui a Cerintho inſeminatus erat hominibus , & multo prius ab his , qui dicuntur Nico- „ laitæ , qui ſunt vulſio ejus , quæ falſo cognominatur ſcientia (hoc eſt *gnoſtica*) ut con- „ funderet eos , & ſuaderet , quoniam unus Deus , qui omnia fecit per verbum ſuum , & „ non quemadmodum illi dicunt , alterum quidem fabricatorem, alium autem Patrem Do- „ mini,

ſunt ad Magneſianos ſcriptæ . Atque horum quidem alterutrum dicendum Oudino erat, ſi bona fide egiſset; non inanibus conjecturis rejicienda teſtimonia Theodoriti, Hieronymi, Euſebii, Athanaſii, Irenæi, Polycarpi (1), Epiſtolas, de quibus nunc agimus, Ignatio Martyri tribuentium. Jam

,, mini, & alium quidem fabricatoris filium, alterum vero de ſuperioribus, Chriſtum, quem
,, & impaſſibilem perſeveraſſe, deſcendentem in Jeſum filium fabricatoris, & iterum revo-
,, caſſe in ſuum pleroma: & initium quidem eſse Monogenem, logon autem verum filium
,, Unigeniti &c. ,,. Quid autem obſtat, quo minus Paulus Nicolaitas, Gnoſticoſque cete-
ros, qui tum eſſent, genealogiaſque jactarent, iis in epiſtolis redargueret, damnandoſque
præciperet? Quid? ſi Cerinthus ut genealogiarum, ita Bythi, & ſiges adſertor fuit?
Confer Gregorium Nazianzenum *Orat.* xxiii. *pag.* 414. *editionis opp. ann.* 1690. *tom.* 1.
Iidem igitur genealogiarum, atque ſiges, ante Valentinum, propugnatores fuerunt. At
Ignatius Valentinianos oppugnat. Habet enim hæc in epiſtola ad Magneſianos *n.* 8. *p.* 19. *t.* 1I.
Apoſtolic. PP. edit. an. 1724. ,, Quoniam unus Deus eſt, qui manifeſtavit ſeipſum per Jeſum
,, Chriſtum filium ipſius, qui eſt ipſius Verbum æternum, non a ſilentio progrediens &c ,,.
Ego vero Valentinianos nego ab Ignatio indicatos. Indicavit enim Gnoſticos vetuſtiores, a
quibus accepiſſe Valentinum diximus. Quid enim? An Valentinianos refellit *cap.* 1. Evangelii Johannes, cum ait: *Et Verbum erat apud Deum*? Annon his verbis unum eſſe Deum
plane affirmat? Manifeſtatum autem Deum per Jeſum hominibus, nonne idem Johannes
ſignificat? *Erat*, inquit, *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc
mundum*. Jam vero Paulum ne, dicent, Valentinianos coarguiſſe, cum ad Romanos ſcriberet: *c.* III. *v.* 30. *Quoniam unus eſt Deus*? Cumque Hebræis *c.* 1. *v.* 1. *ſeq.* oſtenderet:
locutum eſſe Deum Patrem nobis in filio, locumque *pſalmi* xxi. *v.* 23. adduceret, qui eſt
hujuſmodi: *nunciabo nomen tuum fratribus meis*? Præterea *epiſt. ad Titum cap* 1. *v.* 3.
idem ait Paulus: ,, Manifeſtavit temporibus ſuis Verbum ſuum &c. ,,? Sed Valentinianos ab
eo indicari, quis credat? Vide *epiſt. ad Coloſſ cap.* 1. *v.* 26. *& ſeq.* De ſige quod Ignatius
addit, quale ſit, quoniam ſupra demonſtratum eſt, nova oratione non eget.

1 S. Ignatius *epiſt. ad Magneſianos n.* VIII. *p.* 19. ,, Ne ſeducamini alienis doctrinis,
,, neque veteribus fabulis, quæ ſunt inutiles. Si namque adhuc juxta legem Judaicam vi-
,, xerimus, confitemur nos gratiam non accepiſſe. Diviniſſimi namque Prophetæ juxta Je-
,, ſum Chriſtum vixerunt. Ob hoc & perſecutionem paſſi ſunt, gratia ipſius inſpirati, ut
,, qui erant increduli, certi redderentur, quod unus Deus eſt, qui ſeipſum manifeſtavit
,, per Jeſum Chriſtum filium ſuum &c. ,,. His verbis errorem Marcionitarum ab Ignatio repelli Oudinus putat *ibid. pag.* 107. Addit ipſe alterum Ignatii locum ex eadem epiſtola
n. IX. *p.* 20. ,, Quomodo nos vivere poterimus ſine (*Chriſto*)? Cujus etiam Prophetæ di-
,, ſcipuli cum eſsent, ſpiritu ipſum, ut doctorem expectabant. Et propter hoc is, quem illi
,, juſte præſtolabantur, adveniens ſuſcitavit ipſos ex mortuis ,,. *Et ep ad Philadelph. n.* V.
p. 31. ,, Sed & Prophetas diligamus, propterea quod & ipſi Evangelium annuntiaverint, & in
,, illo ſperaverint, cumque expectaverint, in quo & credentes ſalutem conſecuti ſunt, in
,, unitate Jeſu Chriſti exiſtentes, digni qui amarentur, & admiratione nobis eſſent, a Jeſu
,, Chriſto teſtimonium adepti, & connumerati in Evangelio ſpei communis. *Et num.* IX.
,, *pag.* 32. ,, Boni quidem ſunt Sacerdotes, præſtantior autem ſummus Pontifex eſt, cui
,, credita ſunt ſancta ſanctorum, cui ſoli ſecreta Dei credita ſunt, qui ipſe eſt janua Pa-
,, tris, per quam ingrediuntur Abraham, & Iſaac, & Jacob, & Prophetæ, & Apoſtoli, &
,, Eccleſia. Omnia hæc ad unitatem Dei ſpectant. Eximium autem quiddam habet Evan-
,, gelium, nempe adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti, paſſionem, & ipſius reſurrectio-
,, nem. Dilecti namque Prophetæ annunciaverunt de ipſo. Evangelium vero perfectio eſt
,, incorruptionis. Omnia in univerſum bona ſunt, modo in caritate credideritis ,,. *Et
epiſt. ad Smyrnæos num.* V. *pag.* 35. ,, Quem (Chriſtum) quidam ignorantes, abnegant,
magis

Jam vero ante Marcionem (1) fuiſse hæreticos, qui vetus Teſtamentum averſarentur, teſtata res eſt. Itaque minime miror, horum item fuiſse ab Ignatio refutatam, exploſamque ſententiam. Quamquam ſunt aliqua (2) eorum teſtimoniorum, quæ ex Epiſtolis collegit Oudinus, dictis Apoſtolorum ſimilia, qui Prophetas prædixiſse de Chriſto affirmarunt. Quod ſi his locis, efficere ſe poſse Oudinus putet, non Ignatium, ſed alium quempiam Epiſtolarum auctorem eſse, efficiet etiam non Paulum, ac Petrum Epiſtolarum, quæ ipſis merito adſcribuntur, ſed neſcio quem impoſtorem habendum eſse auctorem. Id quod ferri profecto non poterit. Quod de Cataphrygibus, & Novatianis ab Ignatio (3) notatis addit, ſimile eſt argumentorum ſuperiorum. Non enim Ignatius ſolum, ſed etiam Clemens (4) in ea, quam ad Corinthios ſcripſit, Epiſtola, pœnitentes recipiendos conſtituit.

„ magis autem abnegati ſunt ab ipſo, patroni mortis magis, quam veritatis, quibus nec „ Prophetæ perſuaſerunt, nec Moſaica lex, ſed nec ipſum Evangelium in hunc uſque diem, „ neque noſtræ, quæ in hominem cadunt, paſſiones „. Et *n.* VII. *pag.* 30. „ Decet itaque abſtinere ab ejuſmodi, nec in privato, nec in communi colloquio de illis verba facere, attendere autem Prophetis, præcipue autem Evangelio, in quo paſſio nobis oſtenſa, & reſurrectio perfecta eſt. Diviſiones autem fugite, ut principium malorum „. Ac nullum in his eſt teſtimonium, quod evincat, hæreticos, qui Teſtamentum vetus rejicerent, fuiſſe ab Ignatio indicatos, & refutatos. In primo enim Martyr, ne quis *in Judaiſmo* vivat, hortatur. In altero, neminem ſine Chriſto vivere poſſe defendit, quem ſpiritu Prophetæ expectabant. In tertio obſervari a nobis Apoſtolos, & diligi oportere Prophetas ſtatuit, ut qui Chriſtum & annunciarint, & expectarint. In quarto, bonos eſſe Sacerdotes, præſtantiorem ſummum Pontificem Chriſtum, eximium quiddam eſſe Evangelium, de quo multa Prophetæ prædixerunt, ſcribit. In quinto, fuiſſe aliquos, qui Chriſtum negare auderent, quibuſque neque Prophetæ, neque Evangelium veritatem perſuadere potuerint. In ſexto: decere, ut ab hæreticis abſtineant noſtri, & prophetis attendant, præcipue autem Evangelio. Sed hujuſmodi rerum, præſertim, quæ ad Prophetarum auctoritatem, & ſummum veteris Teſtamenti Pontificem pertinent, plena ſunt Evangelia, & Pauli epiſtolæ, imprimiſque ea, quæ eſt ad Hebræos ſcripta. Quid? Si in epiſtola Clementis ad Corinthios ſimilia legere liceat? Atque de re perſpicua ſatis dictum eſto.

1 Nam Cerinthus totum vetus Teſtamentum minime probabat. Epiph. *Hæreſ.* XXVIII. *pag.* 110. *tom.* 1. *opp. edit. Pariſ. Petav.* neque ulla re (*Cerinthus*) diſcrepantem ab illo „ (*Carpocrate*) doctrinam invenit, niſi quod Judaicos etiam ritus adſciverit ἀπὸ μέρους „ *ex parte* „. Carpocrates, quem ſub Trajano hæreſim diſſeminare cœpiſſe cenſeo, vetus Teſtamentum rejiciebat. Confer Euſebium *lib.* IV. *Hiſt. cap.* VII. *pag.* 128. *edit. Taurin.* & Epiphanium *Hæreſ.* XXVIII. *pag.* 110. *edit. ejuſd. Pariſ. Petav. t.* 1. Neque vero credibile eſt, primos Gnoſticos, qui tot monſtra opinionum conſectarentur, vetus Teſtamentum ex ſummo, bonoque Deo profectum exiſtimaſſe, ut Simonem, ut Menandrum, ut alios, quos Ethnicos potius, quam hæreticos appellare par eſt.

2 Vide ſupra *not.* 1. *pag.* 390. *hujus vol*

3 Vide locum *ſupra cit. pag.* 372. *not.* 1. *hujus vol.*

4 Confer locum ſupra *indic. pag.* 372. *not.* 1. *hujus vol.*

ſtituit. Quod ſi Albaſpinæus (1) ſeveriorem, ante ortos Cataphrygas, fuiſse de recipiendis pœnitentibus Eccleſiaſticam diſciplinam cenſet, non tanta eſt ejus in hoc genere auctoritas, ut me deterrere a ſententia poſſit. Aſsentior enim Joſepho Auguſtino Orſio (2), qui graviter, vereque Scripturarum, Patrumque trium priorum Chriſtiani nominis ſeculorum teſtimoniis demonſtravit, eos, qui capitalibus criminibus implicati fuiſſent, deindeque reſipuiſſent, ſuſcepta pœnitentia, gaudere deinceps communione Eccleſiæ conſueſſe.

Eſt vero tertium Oudini argumentum leviſſimum. Quod enim Ignatius ἐν πάσῃ ἐπιστολῇ (3) fieri ab Apoſtolo mentionem Epheſiorum dicit, non ita eſt intelligendum, quaſi Paulus in omni epiſtola eorum meminerit. Verti enim commode hoc modo verba eadem in latinum ſermonem poſſunt: *in tota epiſtola*. Nam eſt integra Epiſtola a Paulo ad Epheſios ſcripta. In *omni* autem neque Ignatius, neque alius quiſpiam quamlibet ineptus, imperituſque noſtrarum rerum, ſive is vetus, ſive recens fuiſſet, umquam dixiſſet. De ſtella porro Magis oſtenſa quid dicam? Cujus maximum ſplendorem Patres celebraverunt (4). In Sphærico autem cælo quis neget, quaſi choro circumdatam fuiſſe ab aſtris ceteris ſtellam, cujus eſt in Evangelio a Matthæo Apoſtolo facta commemoratio? Neque viſus ab Ignatio in carne Chriſtus, neque locum epiſtolæ ad Smyrnæos extorquere a quoquam, arbitror, poſſe, ut viſum cenſeat. Nam quod habet: αὐτὸν οἶδα

1 *Lib.* II. *obſervat. cap.* XV. *pag.* 75. *edit. opp. Optati Milev. an.* 1676.

2 Joſephus Auguſtinus Orſius *Diſſert. de capit. crim abſol. ſupra cit.*

3 *Epiſt. ad Epheſ. num.* XII. *pag.* 14. „ Pauli Symmiſtæ, qui Pontificatus martyrium „ conſequutus, & digne beatus eſt, ὃς ἐν πάσῃ ἐπιστολῇ μνημονεύει ὑμῶν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. „ *qui in tota epiſtola mentionem facit veſtrum in Chriſto Jeſu*.

4 *Ibid. n.* XIX. *pag.* 16. „ Stella in cælo fulſit ſplendore exſuperans omnes ſtellas, & lux „ illius ineffabilis erat, & ſtuporem incuſſit ipſius novitas. Omnia autem reliqua aſtra cum „ Sole, & Luna chorus fuere ſtellæ, ipſa vero lumen ſuum extendebat ſuper omnia „. Confer Origenem *lib.* I. *contra Celſum num.* LVIII. *tom.* I. *opp. edit. Monach. s. Mauri*, Tertullianum *lib. de Idololatr. cap.* IX. *pag.* 89. *ſeqq. edit. Venetæ an.* 1748. Juſtinum Martyrem *Dialogo cum Tryphon. num.* CVI. *pag.* 212. *edit. an.* 1747. Confer etiam quæ dixi *tom.* I. *hujus operis not.* 3. *pag.* 234. Quod ſi roges, undenam hæc acceperit Ignatius? Quæram & ipſe, undenam acceperit Leo Magnus, Chryſoſtomus, aliique multi, qui ſimilia litteris conſignarunt? An Leonis, & Chryſoſtomi conficta opera fraude impoſtorum fuiſſe Oudinus dicet? Non arbitror. S. Leo *ſer.* I. *de Epiph. pag.* 26. *edit. an.* 1741. „ In-

„ regione

οἶδα [1] non *ipſum vidi* ſignificat, ſed *ipſum novi*. Fuiſſe autem Ignatio exploratum, carne fuiſſe præditum Servatorem Chriſtum, ut qui Catholicam fidem coleret, eſſe neminem exiſtimo, qui miretur. Labitur autem Oudinus turpiſſime, qui pugnare cum Scripturis Ignatium nugatur, propterea quod manducaſſe poſt [2] reſurrectionem, bibiſſeque Chriſtum defendat. Quid enim? Annon eſt auctor in Actis Apoſtolicis Lucas [3], Apoſtolos *manducaſſe, bibiſſeque cum Chriſto poſtquam reſurrexit a mortuis*? Quemadmodum manducaſſent, bibiſſentque cum Chriſto, ſi Chriſtus minime bibiſſet?

Quartum eſt argumentum ab Oudino [4] ex epiſtola vitiata ad Magneſianos concluſum. Itaque ad inſtitutum non pertinet. Nam in genuina a Voſſio, Uſſerioque publicata [5] nulla fit ætatis Salomonis, Joſiæque Regum Hebræorum commemoratio. Corruptas autem [6], interpolataſque, quas vocant, Epiſtolas Ignatio tributas, nihil moror. Quamquam de Salomone, atque Joſia, quod in vitiata ad Magneſianos epiſtola legitur, hoc totum ex Rabbinicis fontibus, traditionibuſque Judaicis [7] ab auctore

„ regione orientis, *inquit*, ſtella novæ claritatis apparuit, quæ illuſtrior ceteris, pleniorque ſideribus, facile in ſe intuentium animos, oculoſque converteret „. S. Johan. Chryſoſtomus Homil. VI. *in Matth num.* 2. *pag.* 87. *ſeq. tom.* VII. *edit. Pariſ. Monach. s. Mauri*, cum omnia ſe ex Scripturis dicturum pollicitus eſſet: „ Non de nocte apparet, „ inquit, ſed meridie, ſplendente ſole, quam facultatem non modo ſtella nulla, ſed ne „ luna quidem ſortitur .... Hæc nativi ſplendoris exuberantia, etiam ſolis radios ſupera„ bat, illuſtrior illis apparens, & in tanta luce magis coruſcans „. Atque hæc ipſa cauſſa fuit, quare Ignatius illuſtriorem ſtellam hanc ſole fuiſſe diceret, quod die claro luceret. Multa de hac re diſputat Pearſonus *lib.* II. *vindic. cap.* X. *pag.* 404. *ſeqq. tom.* II. *PP. Apoſtolicor. part.* II. *edit. an.* 1724.

1 *Epiſt. ad Smyrnæos num.* III. *pag.* 34. Ego enim & poſt reſurrectionem eum ἐν σαρκὶ οἶδα, *in carne novi*. Confer *adnotation. Cotelerii ibid.*

2 *Epiſt. ad Smyrn. num.* III. *pag.* 35. Poſt reſurrectionem autem cum illis (Apoſtolis) „ comedit, & bibit.

3 *Cap.* X. *v.* 41. ubi Petrum ſic inducit loquentem. „ Nobis, qui manducavimus, „ & bibimus cum illo, poſtquam reſurrexit a mortuis.

4 Oudinus *ibid. pag.* 114.

5 Confer Epiſtolam *ad Magneſianos tom.* II. *Apoſtolicor. PP. pag.* 17. *ſeqq. par.* I. *edit. Amſtelod. an.* 1724.

6 *Epiſt. interpol. ad Magneſianos n.* III. *pag.* 54. *tom.* II. *Apoſtolicor. PP. par.* I. *edit. ejuſd.* „ Salomon, & Joſias, ille quidem duodecimo ætatis anno regnare incipiens .... hic „ vero octo natus annos, regni gubernaculis admotus.

7 Ita quidem cenſet Jacobus Uſſerius: *Diſſertat. de Ignatii Martyris epiſt. &c. cap.* XI. *pag.* 225. *tom.* II. *PP. Apoſtolic. par.* II.

Conſtitutionum Apoſtolicarum [1], & Ignatianarum Epiſtolarum Interpolatore hauſtum eſſe videatur. Quid? ſi fas Ignatio fuiſſet, quod ad Salomonem attinet, in re dubia, ſuo uti judicio, probareque, quam eſſe veriſimiliorem putaſſet, opinionem? Scripturis enim veteris, novique Teſtamenti, quo ætatis anno regno potitus Salomon fuerit, non conſtat. Quamobrem liberum Martyri fuiſſet, modo agere ſtatuiſſet de Salomone, eorum ſententiam ſectari, qui in hujuſmodi rebus inveſtigandis diligentem operam locaſſe [2] dicerentur. Quis vero neſciat, fieri potuiſſe, ut ſi Ignatius ab Joſia, decimo octavo ætatis anno fuiſſe idololatriam exciſam in Judæa [3] ſcripſiſſet; prætermitti deinceps τὸ *decimo* nequiviſſe, errore, oſcitantiaque librariorum? At Interpolator, non de ſublata idololatria, ſed de anno, quo [4] regnum eſt Joſias adeptus, agit, deſcribitque, quæ ſunt ab rege deinceps præclare contra idololatriam geſta. Non ergo laboraremus, ſi ſcripta hæc ab Ignatio fuiſſent. Sed quoniam ſcripta ad Interpolatore ſunt, cujus profecto nulla eſt auctoritas, multo laboramus minus.

Quintum eſt de moderatione animi argumentum; quam quidem moderationem in Ignatio Oudinus, Dallæuſque deſiderare ſe dicunt; qui autem nulla præjudicata opinione feruntur, non ſolum non deſiderant, ſed etiam admirantur. Ille enim Martyr, qui tanta virtute præſtabat, multaque divinitus acceperat, cum ſe celebrari a Chriſtianis intelligeret; mentitus ne fuiſſet, eaque ſibi conceſſa eſse dona negaſſet, quæ accepta eſſe cognoſset referenda Deo? Annon ſatius fuit Apoſtoli Pauli, quem ille ſibi [5] propoſuerat

1 *Lib.* II. *cap.* I. *pag.* 216. *tom.* I. *PP. Apoſtolic. edit. ejuſd.* Confer Euſebium *lib.* IX. *Preparat. Evang. cap.* XXX. *pag.* 447. *edit. an.* 1628. s. Hieronymum *epiſt.* CXXXII. *ad Vitalem pag.* 619. *tom.* II. *opp. edit. Martianæi*.

2 In his fuit Eupolemus *apud Euſebium loco modo indicato*.

3 „ Hic vero octo natus annos, regni gubernaculis admotus, aras, & templa diſturbavit, „ & lucos combuſſit „. *Interpolator Ignatianar. epiſtolar. ibid.*

4 Ita legimus *in* IV. *lib. Regum cap.* XXII. *v.* I. „ Octo annorum erat Joſias, cum re„ gnare cœpiſſet, triginta, & uno anno regnavit in Hieruſalem ..... fecitque quod placi„ tum erat coram Domino &c.

5 Apoſtolus Paulus II. *ad Corinth. cap.* XXII. *v.* I. *ſeqq.* „ Si gloriari oportet, non „ expedit quidem, veniam autem ad viſiones, & revelationes Domini; ſcio hominem in „ Chriſto

ſuerat ad imitandum , exemplum ſequi , ac ſe quidem multa eſse divinitus doctum , ſed ipſum ſibi diffidere , fateri ; ut qui optare quidem ſe mortem , ſciret , dignus ne vero eſset , qui martyr decederet , neſciret [1] ? Caveant autem , qui minus modeſte ab Ignatio actum putant , quod Trallenſes *parvulos* [2] appellaverit ; ne Paulum Apoſtolum *immodeſtiæ* arguant , qui cum Corinthios majorem in modum laudaſſet , tum eoſdem ut *parvulos* in *Chriſto* [3] redarguendos putavit .

Quod ſexti argumenti loco , de Arianiſmo Ignatii , Oudinus urget , latius patet , quam ipſe ſuſpicari poſſit . Nam ſi Arianorum decreta ſequutus Ignatius eſt , propterea quod *Patrem cum Epiſcopo , Filiumque cum Presbyteris* comparaverit; Arianis item Scriptores librorum novi Teſtamenti annumerabuntur, ut qui Filium a Patre miſsum , clarificatum , & ſanctificatum , veniſse in mundum tradiderint , *ut faceret Patris voluntatem , non ſuam* . Atque haud ſcio , cur Socinianos de Ignatio [4] diſputantes Oudinus ſe-

Ddd 2

„ Chriſto ante annos quatuordecim .... raptum hujuſmodi uſque ad tertium cælum . Et ſcio „ hujuſmodi hominem .... quoniam raptus eſt in paradiſum , & audivit arcana verba , quæ „ non licet homini loqui . Pro hujuſmodi gloriabor , pro me autem nihil gloriabor , niſi „ in infirmitatibus meis . Nam & ſi voluero gloriari , non ero inſipiens . Veritatem enim „ dicam . Parco autem , ne quis me exiſtimet ſupra id , quod videt in me , aut aliquid audit „ ex me &c.

1 S. Ignatius epiſtola ad Trallianos *n.* IV. *ſeq. pag.* 22. *tom.* II. *Apoſtolic. PP. par.* II. „ Multa ſapio in Deo , ſed me ipſum metior , ne gloriando peream . Nunc enim plus mihi „ timendum eſt , nec animus illis intendendus , qui me inflant . Qui enim me laudant , fla„ gellant me . Nam diligo quidem pati , ſed neſcio an dignus ſum . Zelus quidem multis „ non apparet , me vero majorem in modum impugnat . Opus itaque mihi manſuetudine , „ qua princeps ſeculi hujus deſtruitur . Numquid non poſſum cæleſtia vobis ſcribere ? At ne „ parvulis vobis damnum inferam , timeo , ac mihi ignoſcite , ne iſta capere non valentes „ ſtrangulemini . Etenim ego , non propterea quod vinctus ſum , & cæleſtia intelligere poſ„ ſum , & ſitus Angelorum , & cœtus , conſtitutioneſque Principatuum , viſibiliaque , & in„ viſibilia , propter hoc jam , & diſcipulus ſum ; multa enim nobis deſunt , ne a Deo ab„ ſimus .

2 Vide *not. ſuper.*

3 I. *ad Corinth. cap.* III. *v.* I. „ Et ego , fratres , non potui vobis loqui , quaſi ſpiri„ tualibus , ſed quaſi carnalibus . Tamquam *parvulis* in Chriſto , lac vobis potum dedi , „ non eſcam ; nondum enim poteratis , ſed nec nunc quidem poteſtis : adhuc enim carna„ les eſtis .

4 Oudinus *ibid. pag.* 115. nominat autem Chriſtophorum Sandium reſtitutorem ſectæ Arianorum , qui edidit *Nucleum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ exhibitum in Hiſtoria Arianorum tribus libris comprehenſa , Coſmopoli* , hoc eſt Amſtelodami *an.* 1668. & deinde *Coloniæ* , nempe rurſum Amſtelodami *an.* 1676. Sed Scriptores , qui adverſus Sandium , alioſque Patrum Calumniatores libros vulgarunt , recenſet Joh. Albertus Fabricius *lib.* V. *Bibliothecæ Græcæ cap.* XXIII. *pag.* 312. *tom.* VIII. *edit. Hamburg. an.* 1717.

ſequatur; contorquentes autem Apoſtolorum teſtimonia in ſuam ſententiam, non ſequatur. Niſi forte odio, malevolentiaque incitatus, Apoſtolos, ut debuit, vindicandos; Ignatium vero, qui Apoſtolorum doctrinam ſectatus eſt, per ſummam injuriam damnandum judicavit. Miror autem quid ſit, quod Uſserium laudet, quaſi ſanctum Martyrem Arianiſmi arguerit. Ita homo vafer, ac ſubdolus, omnia fraude, doloque malo miſcere audet, ut Ignatianis Epiſtolis detrahat auctoritatem. Uſserius enim de falſo Ignatio (1), qui aut genuinas Sancti Martyris Epiſtolas vitiavit, aut novas confinxit, Ignatioque tribuit, diſputat; de vero autem Ignatio, nullo modo.

Septimum, quod eſt de oratione, ſtyloque Ignatii, argumentum leviſſimum eſt. Obſcura enim eſse quædam in ſcriptis Apoſtolorum, neque tam polite, eleganterque ſcripta, quam Oudinus ab Ignatio poſtulat, certum eſt, quin ſint, qui aut Paulo Epiſtolas, aut Evangelia Johanni, Lucæque eſse adimenda putent (2). Nihil de colligatione, conjunctioneque ſententiarum dico. Uſu enim apud Chriſtianos primorum temporum invaluerat, ut rerum maxime, ſeriei autem ſententiarum, ut alia ex alia nexa, omneſque inter ſeſe aptæ, colligatæque eſſent, non adeo interdum rationem habendam exiſtimarent. Quod ſi hoc *ſuppoſitionis*, atque *νοθείας* indicium eſset, vererer equidem, ne exiſterent aliquando, qui libros aliquos novi Teſtamenti, *ſuppoſitos* Apoſtolis fuiſſe arbitrarentur.

Venio nunc ad octavum argumentum. Quæro ex Oudino, quo teſte ſit uſus, cum Ignatium Romæ agentem hæc verba: *Frumentum Chriſti ſum &c.* uſurpaſſe, ſcriberet? Scio quid reſpondeat. Accepiſſe namque ſe, dicit, ab Irenæo (3), atque etiam ab Hieronymo. Sic enim habet:
„ Primum eſt, quod ab Hieronymo in Catalogo Scripto-
„ rum Eccleſiaſticorum in *Ignatio* accepimus, diu quoque
„ antea

1 *In Diſſert. de epiſt. Ignat. &c. cap. XII. pag. 228. tom. II. Apoſtolic. PP. par. II. edit. Amſtelod. an. 1724.*

2 Ignatium in hoc etiam genere defendit Hammondus *Diſs.* II. *cap.* III. *pag.* 58. *ſeq.*

3 Oudinus *ibid. pag.* 117.

„ antea ab Irenæo, cum *jam damnatus eſſet ad beſtias, ardore* „ *patiendi, cum rugientes audiret Leones, dixiſſe: frumentum* „ *Chriſti ſum, dentibus beſtiarum molar, ut panis mundus in-* „ *veniar*: quæ & in Latinorum ſacris, feſto quotannis Igna- „ tii die recitantur in Breviario Romano „, At Irenæus, uſurpata hæc a Martyre, cum in Amphitheatro eſſet, rugienteſque audiret beſtias, nuſquam dixit. Sunt enim illius verba hujuſmodi. „ (1) Quemadmodum quidam de noſtris „ dixit, propter Martyrium in Deum adjudicatus ad be- „ ſtias: *quoniam frumentum ſum Chriſti, & per dentes beſtia-* „ *rum molor, ut mundus Panis Dei inveniar* „. Qua igitur confidentia Oudinus teſte uti audet Irenæo? Sequi autem ſe dicet, Hieronymum. Per me licet. Sed cur Hieronymo cum Euſebio, aliiſque veteribus probanti Epiſtolam Ignatii ad Romanos, non aſſentitur; hæc vero, quæ veterum nemini in mentem venerunt, ajenti aſſentitur? Sed fac ex majoribus Hieronymus (2) intellexerit, dicta hæc ab Ignatio, cum rugientes beſtias audiret, in amphitheatro fuiſſe; an quidquam impediet, quo minus iis etiam in litteris ſcripta eſsent, quas ante ad Romanos Ignatius (3) dediſſet? Euſebius ſane ſcriptor imprimis vetus, & diligens, ſcripſiſse hæc Irenæum tradidit in Hiſtoria; dixiſſe (4) autem de Ignatio, cum is rugientes audiret leones, nuſquam. At Hieronymus, qui ex *Epiſtola* ad Romanos verba quædam Ignatii protulit; quod erat de *Frumento*, quaſi inde eſset decerptum, non protulit. Ridiculum! Quaſi vero quod prætermiſit, negaverit. Non enim omnia, quæ Epiſtola continebantur, in librum de Scriptoribus Eccleſiaſticis tranſferenda putabat. Quamquam recte factum ab Hieronymo fuiſſe

1 S. Irenæus *lib. v. contra Hæreſes cap.* xxIII. *pag.* 327. ὥς εἶπέ τις τῶν ἡμετέρων διὰ τὴν πρὸς θεὸν μαρτυρίαν κατακριθεὶς πρὸς θηρία: ὅτι σῖτος εἰμι θεοῦ, καὶ δι' ὀδόντων θηρίων ἀλήθομαι ἵνα καθαρὸς ἄρτος εὑρεθῶ. Ita enim legit Euſebius cum in exemplaribus editis Epiſtolarum Ignatii habeatur: ἀλήθωμαι, ut paullo poſt dicemus. Confer Euſebium *lib.* III. *cap.* xxxvI. *H. E. pag.* 115. *edit. Taurin.*

2 S. Hieronymus *lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap.* xvI. *pag.* 108. *tom.* Iv. *edit. Martianæi.*

3 Conſule Cotelerium *not.* 12. *in epiſt. Ignatii ad Romanos n.* Iv. *pag.* 27. *tom.* II. *PP. Apoſtolicor. par.* 1. *edit. an.* 1724.

4 Euſebius *ibid. pag.* 115.

fuiſſe cenſeo: qui quod erat ſcriptum omiſit, ne *dictum*, ejus quidem opinione, in Amphitheatro commemorans, eamdem ſententiam repetere videretur.

Verumtamen inſtat Oudinus, Smyrnæque agentem Ignatium ad Romanos ſimilia ſcribere nequiviſſe pugnat, propterea quod ignoraret, quo tandem ſupplicii genere affici deberet. Damnatum enim ad beſtias, Chryſoſtomo teſte, fuiſſe, cum jam in Urbem perveniſſet (1).

Ego vero nullam eſſe cauſſam video, cur Euſebio (2) aliiſque (3) Scriptoribus, qui Ignatium diu ante, quam Smyrna ſolviſſet, intellexiſſe, quo ſupplicii genere moriturus eſſet, affirmant, non credam; uni autem Chryſoſtomo credam. Deinde Chryſoſtomum a communi ſententia diſſidere, falſum eſt. Non enim Romæ Ignatium hæc uſurpaſſe verba, ſcribit (4): *Utinam beſtiis illis fruar*; ſed tum ea uſurpaſſe, cum audiſſet, id ſibi eſſe genus ſupplicii ſubeundum. Id autem audiverat Antiochiæ, ut ex Actis Martyrii intelligimus.

Atenim ſi abſens iis verbis uſus Ignatius eſt, cur *dentibus beſtiarum molor*, non autem *molar*, dixit? Eſt enim τὸ molor temporis præſentis indicium.

Scilicet *molar* (5) Hieronymus, Græcum autem exemplar, non ἀλήθομαι, ſed ἀλήθωμαι (6) habet. Etſi *molor* etiam dici potuit, quod ſupplicium quaſi præſens Martyr contemplaretur. Alioqui ne tum quidem dicere *molor* potuiſſet, cum rugientes feras audiret, quod nondum ipſis objectus fuiſſet.

Nonum

1 Oudinus *ibid. pag.* 118.

2 Euſebius *ibid.*

3 Hieronymus *ibid.* Acta Martyrii s. Ignatii ſincera *tom.* II. *PP. Apoſtolicor. part.* 1. *pag.* 158. „ Verum Trajanus ſententiam hanc tulit: Ignatium juſſimus .... in vincula a mi„ litibus conjectum, adduci magnam Romam paſtum futurum ferarum ad delectationem po„ puli „. Atque hæc dicta ab Trajano *Acta* ferunt, quum is eſſet Antiochiæ. Scio revocari hæc ab Oudino in dubium. Sed hominem omnia turbantem, nihili pendimus.

4 Alioqui ſcripſiſſet contra Euſebium, ejuſque ætatis auctores, qui Epiſtolam ad Romanos probant, ex qua cognitum ante fuiſſe Ignatio, quo martyrii genere plectendus eſſet, intelligimus. Vide Euſebium *ibid. pag.* 114. Rurſum verba Chryſoſtomi *Homilia in Sanctum Ignatium tom.* II. *opp. edit. Paris. Monach. s. Mauri pag.* 506. nihil præ ſe tale ferunt.

5 Hieronymus *ibid.*

6 Vide *locum ſupra indicatum epiſtola ad Romanos ab Ignatio ſcripta*.

Nonum multo eſt levius , quam ſint argumenta ſuperiora . Inſcriptiones enim Epiſtolarum Ignatianarum longas eſſe facile patior : implicatas autem , obſcuras , plenas inconditarum , peregrinarumque vocum, non item . Sed longa inſcriptio indicium eſſe *νοθείας* , ſuppoſitioniſque non poteſt . Nam Epiſtolam Pauli ad Romanos , cujus multo eſt inſcriptio longior , quam ſint (1) longæ inſcriptiones pleræque Ignatianarum , quotuſquiſque tam eſt confidens , qui eſſe in ſpuriis ponendam arbitretur ? Conferat deinde Oudinus Epiſtolas Ignatii aliquot cum reliquis Pauli Epiſtolis , cumque ea imprimis , quæ eſt ad Titum ſcripta , ac ſi eas prolixiores hac eſſe oſtenderit , tum me concedam fuiſſe facile ſuperatum . At breviores ſunt inſcriptiones Polycarpi , & Clementis Epiſtolarum . Quis negat ? Annon Ignatio licuit imitari Paulum præ Clemente ? Vellem autem oſtendiſſet Oudinus , quamobrem *ſtribiliginoſas* appellarit *inſcriptiones* Epiſtolarum Ignatii . Nullam enim vocem omnino indicat , quam nos aut reprehendere , ſi ejuſmodi ſit ; aut vindicare , ſi non ſit , poſſimus . Ita eſt homo confidens , ac temerarius , ut modo conflare injuriam Ignatio queat, omnia impudenter turbet,

1 Ego vero inſcriptionem Epiſtolæ s. Pauli ad Romanos , cum inſcriptionibus duabus Ignatianarum Epiſtolarum conferam , ut conſtet utræ ſint longiores .

Eſt ergo Ignatianæ ad Magneſianos hujuſmodi . ,, Ignatius , qui & Theophorus
,, benedictæ per gratiam Dei Patris in
,, Chriſto Jeſu Salvatore noſtro , in quo ſa-
,, luto Eccleſiam , quæ Magneſiæ eſt juxta
,, Meandrum , optoque in Deo Patre , &
,, in Jeſu Chriſto plurimam ſalutem ,,. Inſcriptio Epiſtolæ ad Tralliianos. ,, Ignatius,
,, qui & Theophorus dilectæ Deo Patri Jeſu
,, Chriſti Eccleſiæ ſanctæ, quæ eſt Trallibus
,, Aſiæ , electæ , & Deo dignæ , pacem ha-
,, benti in carne , & ſanguine , & paſſione
,, Jeſu Chriſti ſpei noſtræ in ea reſurrectio-
,, ne , quæ in ipſum , quam & apoſtolico
,, charactere ſaluto in plenitudine, & opto
,, plurimum ſalvere .

Inſcriptio Epiſtolæ s. Pauli ad Romanos.
,, Paulus ſervus Jeſu Chriſti vocatus Apo-
,, ſtolus , ſegregatus in Evangelium Dei,
,, quod ante promiſerat per Prophetas
,, ſuos in Scripturis ſanctis de filio ſuo ,
,, qui factus eſt ei ex ſemine David ſecun-
,, dum carnem , qui prædeſtinatus eſt filius
,, Dei in virtute ſecundum ſpiritum ſancti-
,, ficationis ex reſurrectione mortuorum
,, Jeſu Chriſti Domini noſtri, per quem ac-
,, cepimus gratiam, & Apoſtolatum ad obe-
,, diendum fidei in omnibus gentibus pro
,, nomine ejus , in quibus eſtis & vos vo-
,, cati Jeſu Chriſti , omnibus qui ſunt Ro-
,, mæ , dilectis Dei , vocatis ſanctis , gra-
,, tia vobis , & pax a Deo Patre noſtro ,
,, & Domino Jeſu Chriſto .

Viden, ut inſcriptio Pauli multo ſit utraque Ignatiana longior ? At Epiſtolæ ad Romanos Ignatianæ aliquanto eſt inſcriptio longior Paulina. Non nego. Verum ſi Paulo ad Romanos ſcribenti tam longa inſcriptione uti licuit , cur non Ignatio uti licuiſſet paucis verbis longiore?

turbet, ac miſceat, quin rationem ullam, cur affirmet, negetve afferre poſſit. Metuebat fortaſſe, ne quid in *ſtribiliginum* cenſum conjiceret, quod ſimile eorum, quæ ſacris Bibliis continentur, eſſet. Ad Polycarpum (1) quod attinet, fateor appellatum ab Ignatio Epiſcopum Smyrnæorum fuiſſe. Nam Smyrnenſibus ab Johanne præfectus fuerat. Neque vero, quaſi oblitus Ignatius eorum, quæ dixerat, fuiſſet, iiſdem in litteris Polycarpum hortatur, ut Epiſcopum obſervet, ac veneretur. Paullo enim ante Antiſtitem eumdem hortatus erat, ſuos ut moneret. Quare non ſcribit Polycarpo, ut Epiſcopo pareat, ſed rogat, atque obſecrat, ut a Smyrnenſibus hæc fieri diligenter curet. De Scriptoribus autem,quos decimi eſſe argumenti loco,Oudinus voluit,quoſque, ait, ſibi præmonſtraſſe viam (quoniam aut Lutheranis, aut Calvinianis partibus ſtudebant, Hierarchiamque Eccleſiaſticam averſabantur, ac monumenta, quibus ea confirmari poſſe viderentur, aut rejiciebant, aut in dubium revocabant) non laboro. Quid enim Centuriatores, Calvinum, Vitackerum, alioſque morer, qui, niſi quod luberet, hoc eſſe in genuinis veterum operibus ponendum arbitrabantur? Quamquam fuerunt deinceps ex iiſdem ſectis homines, qui ſingulari apud ſuos exiſtimatione, laudeque eruditionis florerent, quorumque longe diſcrepans eſſet de Ignatianarum Epiſtolarum ſinceritate ſententia.

Quod ſi Leo Allatius (2) vir doctiſſimus, & civis meus, vidiſſe, ait, Epiſtolas Ignatii ſe, quas e codice Laurentiano Mediceo Florentino Iſaacus Voſſius deſcripſerat, in eamque opinionem veniſſe, ut eas ætatem Ignatii præſeferre, dicique

1 Epiſtola ad Polycarpum *n.v.ſeq.pag.*41.*tom.*II.*Apoſtolic.pp. par.*II. *edit.an.*1724.
„ Ταῖς ἀδελφαῖς μου προσλάλει *ſororibus meis dicito*, ut dominum ament .... ſimiliter καὶ
„ τοῖς ἀδελφοῖς μου παράγγελλε *& fratribus meis manda*, ut in nomine Jeſu Chriſti diligant
„ conjuges ſuas, ſicut Dominus Eccleſiam. Si quis poteſt in caſtitate manere ad honorem
„ carni. dominicæ, in humilitate maneat. Si glorietur, periit. Et ſi ſe majorem Epiſco-
„ po cenſeat, interiit ... omnia ad honorem Dei fiant.Epiſcopo attendite, ut Deus vobis &c.
Confer notationem Cotelerii 17. in hunc locum.

2 Leo Allatius *de Dominicis*, *& Hebdomadibus Græcorum pag.* 1407. *edit. an.*1648.
„ Vidi, *inquit*, apud Iſaacum Voſſium juvenem eruditum .... Ignatii Epiſtolas ex antiquiſ-
„ ſimo Bibliothecæ Florentinæ Codice deſcriptas .... verbis ab editis longe diverſas, ſen-
„ tentiis ut plurimum ſimiles: breviores tamen, ſuccinctiores, efficaciores, ut plane Igna-
„ tii ævum referant, adeo ut eas genuinas eſſe Ignatii diceres.

que genuinas poſſe, putaret; ex ejus tamen verbis non ſequitur, aut dubitaſſe hominem de earumdem ſinceritate, ſi eas diligenter conſideravit, aut ſi dubitavit, propterea quod diligens examen inſtituere, ut qui aliis curis eſſet diſtentus, nequiviſſet, eſſe eas continuo in claſſem ſpuriarum rejiciendas. Ac ſi novis Scriptoribus agendum eſſet, etiam ſi Allatius in adverſariorum ſententiam fuiſſet propenſior, noſtros nihilominus ſuperiores futuros conſtaret, qui pro ſinceritate Epiſtolarum Ignatianarum pugnaſse viros, maximo quidem numero, auctoritate autem, eruditioneque, ſin minus præſtantiores, at pares ſaltem Allatio, intelligerent (1).

Ad undecimum quod ſpectat, nego Ignatium pugnantia eſſe loquutum. Nam quod ſe traditum in cuſtodiam decem militibus, qui ſævitia, & crudelitate ſimiles leopardis eſſent, in Epiſtola ad Romanos ſcribit, non eſt ejuſmodi, ut componi cum iis, quæ ceteris epiſtolis continentur, non poſſit. Quod namque milites loqui hominem cum Chriſtianis Aſiæ, ad eoſque Epiſtolas dare, ſiverint, aut pecunia fortaſſe (2) a noſtris inducti, aut prece, id ſcilicet, magni argumenti loco eſſe non poteſt, ut eos vel mites, vel humanos fuiſse arbitremur.

Duodecimo autem argumento ſatis eſſe a Cotelerio factum defendo. Sed fac ſibi Ignatius perſuaſerit, Romanorum tantas opes, tantamque auctoritatem fuiſſe, ut quem vellent, liberare ab hoſtibus religionis valerent, quid inde eſſet incommodi conſequens? Annon Chriſtiani aliquando ab avaris Præfectis, Judicibuſque pecunia extorſerant, ut quos damnatos, carcerive incluſos ſciebant, vindicarent in libertatem? Cur ergo id ab Romanis impetrari nequire Ignatius putaſſet? At Chriſtiani, qui in Urbe degebant, & perpauci, & auctoritate, dignitateque minus valebant, quam hæc aut aſſequi, aut perficere ſe poſſe confiderent. Miror, ut hæc tam audacter dici ab Oudino potuerint. Quis enim hominem docuit, tam paucos ætate Trajani Romæ vixiſse Chriſtia.

1 Eos nos numeravimus ſupra *pag. 365. hujus vol. not.* 1.

2 Ita enim uſu apud veteres veniebat. Confer Lucianum *Dialog. Peregr. pag.* 334. *tom.* III. *edit. an.* 1743.

ſtianos, quum etſi tunc oblati judicibus Chriſtiani punirentur, tamen non quærerentur ad (1) necem? An magnus noſtrorum numerus (2), qui Neronis tempore in Urbe vigebat, repente vel extinctus, vel imminutus adeo eſt, ut tam exiguus, cum Trajanus imperio potiretur, eſſet? Age vero ſi Domitiano (3) Imperatore e magnis familiis viri, mulieresque noſtris ſacris initiati fuerunt; quis eſt, qui ſublato Domitiano, ſub Nerva, qui noſtrorum inimicus non erat, poſtque ſub Trajano, qui tanto in nos, quanto Domitianus, odio minime ferebatur, deterritos nobiles, dites, dignitateque illuſtres Romanos fuiſse putet, quo minus ad Chriſtianam Religionem accederent? Quod ſi multi Romæ, horumque aliqui dignitate, nobilitate, auctoritateque præſtantes Chriſtiani erant, ecquid obſtabat, quin hi aut prece, aut largitione pecuniæ liberare innocentem a præſenti periculo valerent?

Ignatium porro, quibus tandem argumentis efficit Oudinus, perfunctum martyrio non fuiſſe? An ullus eſt veterum, qui ei præſidio eſse poſſit? Si autem, quem ſequatur, indicare veterum poteſt neminem, quid eſt, quod novam, inauditam, quæque nulli umquam in mentem venerit, anteponat & antiquæ, & omnium gentium aſsenſione firmatæ ſententiæ? Irenæus, inquit, primus omnium fuit, qui deceptus ab Auctore Epiſtolarum, hæc, quæ ſunt de Martyrio, monumentis litterarum mandavit in quinto adverſus hæreſes libro. Ita ne vero ſui eſt oblitus Oudinus, ut qui paullo ante affirmavit, ex Irenæi libris nihil colligi, quod defenſoribus Epiſtolarum ſubſidio eſſe queat, idem nunc Epiſtolas in cauſsa fuiſse, cur errarit Irenæus, defendat? Ac mirum ſane cuiquam videbitur, quemadmodum is Ignatianas Epiſtolas in ſpurias rejecerit, quaſi pugnantia continerent; qui nunc immemor eorum, quæ ante ſtatuerat, conſectatur inter ſe diſſidentes, pugnanteſque ſententias. Redeo ad Irenæum. Permitto hoc Oudino, primum omnium Epiſcopum illum

1 Vide quæ *ex epiſtola Plinii ad Trajanum pag. 427. not. 2. tom. 1. hujus operis deſcripſi*.

2 Confer Taciti locum *tom 1. hujus vol. pag. 417.*

3 Vide *Tom. 11. hujus operis pag. 474.*

illum Lugdunenſem fuiſse, qui hæc de Martyrio Ignatii ſcripſerit. Quid? Nonne tam vetere teſte, tamque & diligente, & accurato uti nobis ad noſtram opinionem confirmandam licet? At dubitat, inquit, Euſebius. Nam habet hoc modo: „ Fertur (1) autem hunc a Syria ad Urbem Ro-
„ mam perductum, a beſtiis devoratum fuiſse „. Os hominis! Quaſi vero non ſit auctor Euſebius, perſcriptam ab Ignatio ad Romanos (2) Epiſtolam fuiſse, neque probet Irenæi de Ignatii morte locum. Atque ex Epiſtola ad Romanos Romam Ignatium perductum, exque Irenæi loco, damnatum fuiſse ab beſtias plane conſtat. Imponit igitur nobis Oudinus, omneſque rumores, ac ventos colligit, ut detrahere Ignatianis Epiſtolis, qua jure, quaque injuria auctoritatem poſſit. Itaque nihil agit ubi de Ignatio, ejuſque *Actis Martyrii* diſputat.

Quæro nunc ex Oudino, qui fuerint, quantaque præſtiterint auctoritate, qui multa Martyrem fuiſſe, eaque graviſſima Antiochiæ ſupplicia perpeſſum tradiderunt? Menæa, inquit, Græcorum ad viceſimam Decembris (3) diem. Sed patiar, falſa ut ſint, quæ Menæa de Ignatio continent. Quid? An ponenda in falſis perinde ſunt, quæ vetuſtiſſima Acta fortiſſimi Martyris complectuntur? At Ruinartius, Uſſerius, aliique rerum Ignatianarum adſertores, defenſoreſque plus fidei *Actis Martyrii*, quam veritas ipſa poſtulet, tribuendum putant. Quamobrem autem? Quia, inquit Oudinus, *nullum teſtimonium ab antiquis habent*. Quaſi vero antiquis plurimum ipſe adjungat auctoritatis, & fidei. Atque hoc Oudino eſt ſingulare, ut ſi *Antiquos*, qualis Irenæus (4) ſecundi ſeculi ſcriptor fuit, au-

1 Euſebius non dubitat, ſed, ut interdum Hiſtorici ſolent, loco ſupra indicato ſcribit, λόγος δὲ ἔχει, hoc eſt, *ſermo habet*.

2 Euſebius *ibid.*

3 *Pag.28.t.1.Februar. Bolland.* hæc habent, quæ componi cum Actis Martyrii non poſ-
„ ſunt. Adductus eſt ad Trajanum Imperatorem contra Parthos proficiſcentem, & multa cum
„ eo colloquutus, atque immutabilem ſuam in Chriſtum fidem profeſſus, mox plumbeis pilis
„ tunditur, & manibus expanſis ignem ſuſcipit, papyris oleo unctis latera aduritur, ar-
„ dentibus carbonibus imponitur, ungulis ferreis laceratur. His autem cum ſuperior eva-
„ ſiſſet, vinctus ſub decem militum ſatellitio Romam mittitur futurus beſtiis cibus „. Confer Bollandianos ad diem 1. *Febr. tom.1. pag. 28.* & Uſſerium, modo liceat, *in Præfat. ad Martyr. Ignat. tom.1I. par.1. Apoſtolic. PP. pag.171. edit. Amſtelod. an.1724.*

4 Vide ſupra *pag.380. hujus vol.*

auctores laudes, deceptos eos fuiſſe reſpondeat, ſin autem prætermittas, antiquorum ſibi teſtimonia produci velit. Quare, modo Ignatium neque auctorem epiſtolarum, neque Martyrem fuiſſe fateare, non æque conſiderat, ipſe ne ſibi conſtet, nec ne. Equidem cum damnatum ad beſtias Ignatium, Romæque ab feris diſcerptum, dilaceratumque legam fuiſſe, in iiſque rebus partim Irenæum, partim Euſebium, Hieronymum, alioſque, & veteres, & magnos viros auctores ſequar, actaque Martyrii, quibus nihil cum antiquorum Hiſtoria pugnans, ſed omnes vetuſtatis characteres inſint, vehementer probem, non Oudinum ſolum, qui res quaſque turbat, nullo modo, ſed ne reliquos quidem ſcriptores novos, quacumque tandem exiſtimatione floruerint, moror. At enim variæ ſunt Scriptorum de anno, quo Ignatius obiit, interque ſe diſſidentes (1) opiniones. Quid tum? An in conſtituendo anno, quo Chriſtus Servator deceſſit una eſt omnium Scriptorum eademque ſententia? Scilicet hoc etiam reſtabat, ut cruci numquam fuiſſe Chriſtum affixum Oudinus diceret, propterea quod Hiſtorici non modo novi, ſed etiam veteres inter ſe, cum de tempore, quo mortuus Servator generis humani fuit, agerent, diſſiderent. Quod Oudinus mitem fuiſſe Trajanum ſcribit, negari profecto non poteſt. Sed qui mitis, atque humanus erga populum eſſe conſuerat, idem ſævus interdum, crudeliſque in eos erat, a quibus ſuperſtitio Deorum (2) contemnebatur. Itaque ſi percunctanti Plinio, (3) quid facto opus de Chriſtianis eſſet, eos quidem non conquirendos; ſed in judicium adductos, plectendos, ſcripſit, quid Ignatio feciſſet, quem coram de falſis Romanorum numinibus tanta conſtantia, tantoque cum contemtu loqui audiſſet? Sed eſt de Trajani crudelitate inſignis in Apologetico Tertulliani Presbyteri Carthaginienſis (4) locus, cui equidem plus eſſe ajenti, quam Oudino neganti credendum ſtatuo.

Eſt

1 Sic enim diſputat Oudinus *pag.* 134.
2 Vide quæ dixi *tom.* 1. *hujus operis pag.* 426. *ſeqq.*
3 Confer locum Plinii *tom. eod.* 1. *pag.* 427.
4 Conſule, quæ ſcripſi tomo eodem *pag.* 428.

Eſt autem incredibile quod addit Oudinus: Athanaſium ab Euſebio accepiſſe, quæ de epiſtolis Ignatii ſcripſit. Quis enim ſibi perſuadeat, Euſebium fuiſſe auctorem earumdem epiſtolarum? Quod ſi auctor earum non fuit, ipſæque jam extabant Euſebii, Athanaſiique temporibus, cur non ab epiſtolis Athanaſius, ſed ab Euſebio accepit, quæ de Ignatio tradidit? Jam vero ſi epiſtolæ, Oudino (1) prædicatore, ac teſte, in cauſſa fuerunt, quare in errorem incideret Irenæus, cur non eædem Athanaſium in fraudem induxerunt?

Neque gravius eſt, quod ſubdit Oudinus de Polycarpi epiſtola. Nam quod in Moynii (2) editione partis illius veſtigium nullum extet, in qua fit Ignatianarum epiſtolarum commemoratio, non ſequitur partem eamdem fuiſſe epiſtolæ Polycarpi ab aliquo impoſtore adjunctam. Si enim in editione Moynii non extat, extabat in exemplaribus, quibus uſus eſt Euſebius (3), quorum certe longe major inerat & vetuſtas, & auctoritas.

Redit Oudinus (4) ad Irenæum. Hujus teſtimonium omiſſum pene ab Uſserio (5) fuiſse animadvertit, quod non *ſcripſiſſe* Ignatium quidquam, ſed *dixiſſe* ferat. Verumtamen quam hoc ſit inane, paullo ante vidimus. Itaque mitto de Uſſerio dicere. Non enim me illius auctoritas movet, cum & ratio, & auctoritas veterum cogant, ut contra, atque ille putavit, exiſtimem.

Paucis nunc de Homiliis Origenis in Lucam diſſeram. Nego ſcriptas ab Latino quopiam fuiſſe. Ex græcis enim latinas fuiſſe factas non Hieronymi ſolum teſtimonio, ſed etiam Græcorum codicum auctoritate conſtat. Quamobrem Monachi ſancti Mauri, cum rem diligenter conſideraſſent, committendum non putarunt, ut eas in ſpuriarum numerum rejici oportere ſtatuerent (6).

Ex-

1 Vide ſupra *pag.* 380. *hujus vol.*

2 Edidit eam Moynius an. 1685. inſeruitque operi inſcripto *Varia ſacra pag.* 1. *ſeqq.*

3 Vide locum Euſebii ſupra *pag.* 366. *not.* 1. *hujus vol.*

4 Oudinus *pag.* 138.

5 *Diſſert. de Ignat. epiſt. cap.* 11I. *pag.* 203. *tom.* 1I. *Apoſt. PP. par.* 1I. *edit. Amſtelod. An.* 1724. Confer, quæ ſupra diſputavimus *pag.* 366. *not.* 2.

6 Monachi Benedictini s. Mauri *in Præfat. ad tertium tomum Operum Origenis edit. Pariſ.*

Extremum eſt, ut lectorem etiam, atque etiam moneam, ne ſe Dallæi, Oudini, aliorumque hujus generis Scriptorum argumentis implicari ſinat. Si enim his auſcultet, atque Polycarpo, Irenæo, Origeni, Euſebio, Athanaſio, Hieronymo, Theodorito auctoritatem neget, nullum erit monumentum tam vetus, tamque illuſtre, quod pari temeritate, audaciaque rejicere non poſſit. Atque ſic habeat: ne Sacrarum quidem Scripturarum ſinceritatem tutam deinceps futuram, ſi illis tam inanibus conjecturis fides veterum Scriptorum labefactetur, qui ſcilicet, quomodo ſint veræ ab apocryphis diſtinguendæ tradiderunt.

Sed hactenus de argumentis Oudini, quæ tametſi non eodem ordine a nobis, quo ab ipſo, tamen ſumma integritate, ac fide propoſita eſſe nemo negaverit. Atque hinc ſane quiſ-

Pariſ. ſic ſtatuunt: ,, Ad Homilias in Lucam, quod attinet, cum Epiſtolarum ſancti Ignatii ,, Martyris Antiocheni diſertam mentionem faciat homilia VI. & Ignatianarum Epiſtolarum auctoritate jugulari ſe perſentiſcerent Heterodoxi, Presbyteriani vulgo dicti, quibus Epiſcoporum ordo diſplicet Presbyteris ex jure divino ſuperior, incredibile dictu ,, eſt, quot ſe illi modis verſaverint, ut homilias in Lucam Origeni adimerent, & petitum inde ad Ignatianarum Epiſtolarum veritatem adſtruendam argumentum radicitus ,, evellerent. Alii totum iſtud homiliarum opus Natalium Latinorum indiciis ſcatere clamitarunt, idque probare ſerio tentavit Dallæus *pag.* 439. 440. variis in medium prolatis, quæ ex iſtis Homiliis deſcripſit, locis, ſed quæ ſolutu tamen omnino facilia ſunt animum adtendenti partim ad ætatem auctoris Origenis, qui eas teſte Hieronymo, adhuc ,, juvenis compoſuit, partim ad interpretem Hieronymum, cui in vertendis græcis, ſciunt ,, eruditi, ſolemne eſſe nonnulla interdum de ſuo inſerere. Certe harum Homiliarum primigenium auctorem non Latinum, ſed Græcum eſſe, invicte probat Græcus contextus, cujus ,, maximam partem hodie repræſentamus ex ſchedis manuſcriptis Combefiſii, & Grabii, qui ,, ad ſuos uſus illum e variis mſs. Anglicanis, & Gallicanis codicibus eruerant. Huc adde, ,, quod ſanctus Hieronymus in catalogo inter opera a ſe edita in Lucam homilias XXXIX. ,, recitat, & in Prologo ad Paulam, & Euſtochium declarat ſe eas ex Origene tranſtuliſſe. ,, Hunc Hieronymi Prologum totum in ſuam invectivam tranſcripſit Rufinus; & quid in hoc ,, opere (*ut ipſi videtur*) infide tranſtulerit Hieronymus, oſtendit, aut innuit. Ergo ,, perinde ac Hieronymus, eas Origeni adſcribere cenſendus eſt Rufinus. Reclamat tamen ,, Dallæi ὑπερασπίστης Larroquanus in ſuis ad Ignatianas Pearſonii Vindicias obſervationibus, & ut Homilias in Lucam quoque modo Origeni eripiat, ſequens inſtituit ratiocinium ,,. Deſcriptis autem Larroquani verbis, ſubdunt Maurini: ,, Habes quod ineluctabile putabat Matthæus Larroquanus argumentum, ſed quod nihilominus nullius eſt ponderis, ſeu momenti, utpote falſo principio ſubnixum, nempe Euſebium affirmare, nullam ,, Origenem edidiſſe Homiliam ante ætatis ſuæ annum LX. Atqui id non dicit Euſebius. Id ,, unum dicit, Origenem ante ætatis ſuæ annum ſexageſimum non permiſiſſe, ut conciones, ,, quas habebat ad populum, a Notariis exciperentur. Eſto, non permiſerit. Numquid non ,, potuerunt ſaltem aliquot, cujuſmodi ſunt in Lucam oratiunculæ, ipſo non permittente, ,, aut inſcio, immo etiam invito a Notariis novitatis avidis, & lucri cupidis excipi? Quid ,, obſtat, quo minus id olim expertus ſit Origenes, quod nunc etiam ſibi invitis accidere ,, quotidie queruntur celeberrimi concionatores, quorum ſermones Notarii occulti ſurripiunt ,,? Confer, quæ ſequuntur. Non enim eſt otium omnia deſcribere.

quiſque intelliget, eum, qui colere ſe, ac venerari Hierarchiam Eccleſiaſticam profitetur (1), verbo quidem Hierarchicorum, re autem vera fuiſſe defenſorem Puritanorum. Sed bene habet. Etenim ne Lutheranos quidem, qui poſt ſcripſerunt, inducere potuit, ut ſibi aſſentirentur. Quapropter Buddeus (2), & Moshemius (3) Epiſtolas Ignatii in genuinis operibus numerant, quin eſſe Oudino auſcultandum arbitrentur.

Eſt autem octavum argumentum, quo dejici de gradu epiſcopos adverſarii arbitrantur poſſe, ex epiſtola Polycarpi concluſum. Atque eſt illud quidem hujuſmodi. Polycarpus una cum Presbyteris, qui cum ipſo erant, Eccleſiæ Philippenſium ſalutem (4) dicit. Par igitur erat auctoritas Polycarpi auctoritati, dignitatique presbyterorum. Niſi enim par fuiſſet, Presbyteros, qui σὺν αὐτῷ cum ipſo erant, in epiſtolæ inſcriptione numquam nominaſſet. Atque ut Cyprianus (5) cum collegis ad Lucium ſcribens, collegas indicat tanta poteſtate fuiſſe præditos, quanta ipſe in adminiſtrandis Eccleſiæ rebus valebat, ita Polycarpus Presbyteros, qui *cum ipſo erant* commemorans, æqualem ſe illis dignitate fuiſſe oſtendit. Neque vero Cypriani exemplo ſolum, ſed etiam aliorum Epiſcoporum, Presbyterorumque teſtimoniis demonſtrari hoc idem ad veritatem plane poteſt, qui dum ad aliquem ſcriberent, collegarum, compresbyterorumque mentionem fecerunt.

Quid? ſi Polycarpus duos in Epiſtola ad Philippenſes ordines in Eccleſia obtinuiſſe confirmet, quorum inferior Diaconorum eſſet, ſuperior autem (6) Presbyterorum? An-

Epi-

1 Oudinus *ibid. pag.* 139.

2 Buddeus *in Apparatu ad Theolog. Poſitiv. pag.* 748.

3 Moshemius *in Hiſt. Eccl. ſec.* 1. *pag.* 220. *ſeqq.*

4 Sic enim argumentatur Blondellus *Apolog. pro ſentent. Hieron. ſect.* II. *cap.* II *pag.* 1 ; *ſeq.* Verba autem Polycarpi *in epiſt. ad Philippenſes pag.* 286. *tom.* II. *Apoſtolic. PP. par.* 1. ſunt hujuſmodi. Πολύκαρπος, καὶ οἱ σὺν αὐτῷ Πρεσβύτεροι „ *Polycarpus*, *&* *qui cum* „ *ipſo Presbyteri* Eccleſiæ Dei, quæ habitat Philippis &c.

5 Cyprianus *epiſt.* LXI. *al.* LVIII. *pag.* 144. *edit. Oxon.* ſic habet: „ Cyprianus cum „ collegis Lucio fratri ſalutem „. Mitto cetera ejuſmodi exempla, quæ Blondellus collegit, quod hoc ſatis eſſe ad id, quod volumus, indicandum putem.

6 Polycarpus *ibid. n.* V. *pag.* 188. „ Quare oportet ab his omnibus abſtinere. Subjecti „ eſtote τοῖς πρεσβυτέροις, καὶ διακόνοις Presbyteris, & Diaconis ſicut & Deo, & Chriſto, „ ceu Virgines inculpata, & caſta conſcientia gradientes. Presbyteri autem ſint faciles ad „ compatiendum affectu præditi &c.

Epiſcopos ille prætermiſiſſet, ſi tertius ordo, atque omnium excellentior fuiſſet invectus in Chriſtianorum rempublicam? Duo igitur ordines, cum Polycarpus ſcriberet, vigebant; eſtque proinde tertius, quem nos appellamus Epiſcoporum, aliquanto recentior. Cumque aliqui iiſdem temporibus eſſent, quibus impoſitum onus erat gubernandæ, adminiſtrandæque Eccleſiæ, Epiſcopique ſingulares nulli reperirentur, concedendum profecto eſt, datum idem munus fuiſſe Preſbyterorum collegio.

Nihil hæc Hierarchiæ defenſores movent. Principio Polycarpum (qui ſeſe priore loco in Epiſtolæ inſcriptione nominarit, tum memorarit presbyteros, quin ullius eorum diſtincte meminerit) quam eſſet ceteris auctoritate, dignitateque præſtantior indicaſſe (1) reſpondent. Atque ſingularem Epiſcopum Smyrnæorum Polycarpum fuiſſe, non Polycratis (2) modo, ſed etiam Irenæi (3), qui Polycarpi auditor fuerat, teſtimoniis conſtare. Cypriani exemplum ad inſtitutum non pertinere. Ex inſcriptione namque Epiſtolarum ejus intelligi, quos tandem ille collegarum appellet nomine. Epiſcopos enim ab eo ſignificari, quibus ceu primas Africæ præfectus erat. Adverſarios autem, qui Cypriani verbis abuterentur, non animadvertiſſe, quo ſerperet argumenti, quam concluſiſſent, ſententia. Ætate namque ejus Præſulis Carthaginienſis Epiſcopos Presbyteris antecelluiſſe

1 Ita enim habet Epiſtolæ inſcriptio. Πολύκαρπος, καὶ οἱ σὺν αὐτῷ πρεσβύτεροι. *Polycarpus & qui cum ipſo Presbyteri*. An unum ſe nominaſſet Polycarpus, miſſis nominibus ceterorum, ſi par ceteris dignitate, auctoritateque eſſet? Deinde is unus ab Irenæo, a Polycrate, ab Ignatio, & ab aliis antiquis Scriptoribus appellatur, quaſi Epiſcopus Smyrnæorum eſſet, alii autem, quos pari auctoritate inſtructos fuiſſe adverſarii putant, numquam nominantur. Id vero quemadmodum fieri potuit, quin aliorum dignitas detrimentum caperet? Quod ſi plures in quaque Eccleſia Epiſcopi fuiſſent, mirabile ſane eſſet, quod ſemper is unus nominaretur *Epiſcopus Eccleſiæ, quæ Smyrnis erat*, non vero unus *ex Epiſcopis Smyrnæorum*.

2 Polycrates Epheſiorum Epiſcopus II. ſeculo *in Epiſtola ad Victorem Papam apud Euſebium lib. v. hiſt. cap. xxiv. pag. 211. edit. Taurin.* Πολύκαρπος ὁ ἐν Σμύρνῃ καὶ ἐπίσκοπος, καὶ μάρτυς. Polycarpus, qui in Smyrna & Epiſcopus, & martyr.

3 Sanctus Irenæus apud Euſebium *ibid. pag.* 215. Rurſum idem Irenæus *lib.* III. *contra Hæreſ. c.* III. *p.* 176. „ Et Polycarpus non ſolum ab Apoſtolis edoctus, & converſatus cum multis ex eis, qui Dominum noſtrum viderunt; ſed etiam ab Apoſtolis in Aſia, in ea, quæ eſt Smyrnis, Eccleſia conſtitutus Epiſcopus, quem & nos vidimus in prima noſtra ætate. Multum enim perſeveravit, & valde ſenex glorioſiſſime, & nobiliſſime martyrium faciens, exivit de hac vita.

luiſſe, qui neget, tam impudentem neminem futurum. Atque Presbyteros, hoc eſt ſecundi ordinis ſacerdotes, a Cypriano fuiſſe interdum compresbyteros (1) appellatos, quin horum auctoritatem æquaret ſuæ. Non ergo ex inſcriptione Epiſtolæ Polycarpi colligi jure a quoquam poſſe, Epiſcopos, ſecundo ſeculo, eoſdem atque Presbyteros fuiſſe. Huc item Synodicam Synodi Antiochenæ ſpectare, qua Blondellus, quaſi ſuam opinionem confirmaret, abutebatur (2). In ea enim Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, fratreſque ceteros commemorari. Quotum autem quemque eſſe, qui pari auctoritate Presbyteros, Diaconos, Laicoſque præſtitiſſe putet?

Accedere ad hæc eorum ſententiam, qui Presbyterorum vocabulo non ſecundi, ſed primi ordinis Presbyteros, hoc eſt Epiſcopos, quibus Smyrnenſis jure metropolitico (3) præerat, fuiſſe a Polycarpo indicatos judicaverunt. Quod ſi verum eſt (cur autem veri ſaltem non eſſe ſimile videatur, afferri cauſſam poſſe omnino nullam) jam hoc uno everti, quidquid ab ſe adverſarii conſtitutum cenſent. Jam primi ordinis Sacerdotibus poſitis, poni quoque Sacerdotes ſecundi ordinis, quibus illi antecellerent, oportere. Neque vero Sacerdotes ſecundi ordinis, atque Epiſcopos (4) ipſos, ſed

1 S. Cyprianus *epiſt.* VII. *pag.* 14. *edit. Oxon. Cyprianus Presbyteris, & Diaconibus fratribus cariſſimis ſalutem*. Et in ipſa epiſtola: „ Sumtus ſuggeratis de quantitate mea „ propria, quam apud Rogatianum compresbyterum noſtrum dimiſi „. Loquitur de ſimplici Presbytero, cumque *compresbyterum* vocat. *Epiſt.* XIV. *pag.* 33. „ Ad id vero, quod ſcri- „ pſerunt mihi compresbyteri noſtri Donatus, & Fortunatus; Novatus, & Gordius, ſolus „ reſcribere nihil potui „. Et *epiſt.* XXIV. *pag.* 49. „ Cypriano, & Compresbyteris Car- „ thagine conſiſtentibus Caldonius ſalutem „. At erat Caldonius Epiſcopus, ut ex epiſtolis Cypriani XLI. & XLVIII. liquet.

2 Apud Euſebium *lib.* VII. *Hiſt. cap.* XXX. *pag.* 314. *& ſeq.* „ Dionyſio, & Maximo, „ & omnibus per univerſum orbem comminiſtris noſtris, Epiſcopis, Presbyteris, & Diaco- „ nis, & univerſæ Eccleſiæ Catholicæ, quæ ſub cælo eſt, Elenus, & Hymenæus, Theophilus, „ Theotecnus, Maximus, Proculus, Nicomas, Helianus, Paulus, Bolanus, Protogenes, „ Hierax, Eutychius, Theodorus, & Malchion, & Lucius, & reliqui omnes, qui nobiſcum „ ſunt vicinarum Urbium, & Provinciarum Epiſcopi, Presbyteri, ac Diaconi, & Eccleſiæ „ Dei cariſſimis fratribus in Domino ſalutem.

3 Hammondus *Diſſert.* IV. *cap.* XXII. *pag.* 238.

4 S. Polycarpus *ibid. n.* V. *v.* VI. *pag.* 188. Primum omnium ἀδελφοὺς *fratres*, hoc eſt Chriſtianos omnes nominat, tum *viduas*, poſt *Diaconos*, inde τοὺς νεωτέρους (ii ſunt, inquit Hammondus *ibid. pag.* 238. omnes *diſcipuli*, aut inferiores a Chriſto communiter ſic dicti *Lucæ cap.* XXII. *v.* 26) ac denique Πρεσβυτέρους *Presbyteros*. Jubet præterea νεωτέρους τοῖς Πρεσβυτέροις, καὶ Διακόνοις ὑποτάσσεσθαι ὡς Θεῷ, καὶ Χριστῷ. *Juvenes ſubjici Presbyteris,*

etiam Apoſtolos vocari interdum Presbyteros [1] conſu eſſe. Apoſtolos vero æquatos ſimplicibus Presbyteris fuiſſe, quis credat? Quare ne Epiſcopos quidem, tametſi eodem nomine quandoque a Patribus appellarentur.

Rurſum Polycarpum Philippenſes, ut Presbyteris, Diaconiſque obtemperarent, hortantem, Presbyterorum nomine Epiſcopos demonſtraſſe, aliqui noſtrum adfirmant, Sacerdotes autem ſecundi ordinis, miniſtroſque Eccleſiæ ceteros, ut qui Epiſcopis ſubditi eſſent, vocabulo *Diaconorum*. Nam quæ de Presbyteris Polycarpus [2] diſputat, in Epiſcopos cadere; in

teris, & Diaconis ut Deo & Chriſto. Juvenum autem nomine *fideles* omnes nullum in Eccleſia gradum ſortitos intelligendos eſſe, Hammondus cenſet. Ac nos quoque ſimile quidpiam ſtatuimus *pag.* 360. hujuſce voluminis, cum de Clementis Romani teſtimoniis diſputaremus. Jam vero per *πρεσβυτέρους Epiſcopos* ſignificari idem defendit Hammondus *pag.* 239. Addit porro Hammondus §. VIII. *pag.* 239. *& ſeq.* ,, Hoc toto ſeculo vocem πρεσβυτέρου
,, (*multarum ſignificationum*) fuiſſe. Aliquando ad Epiſcopos, aliquando ad inferioris
,, gradus Presbyteros, ubicumque tales eſſent accommodatam, nec aliter, quam ex loco-
,, rum circumſtantiis diſtinguendam. Nec enim dubitandi cauſam ſubeſſe, quin ante hoc
,, tempus, quo & Polycarpus, & Ignatius epiſtolas ſcripſerunt, præter Epiſcopos Presby-
,, teri .... fuerint; adeoque tres in Eccleſia gradus, his tribus Ἐπισκόπων, Πρεσβυτέρων,
,, Διακόνων *Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum* notiſſimis nominibus dignoſcendi,
,, ideoque vocem hanc, cum per ſe uſurparetur, ambiguam, ſeu potius de Epiſcopis ſolis
,, dictam, de Presbyteris tamen ſecundariis ſatis commode uſurpari, quotieſcumque diſtin-
,, cta ſingulorum enumeratio facienda erit. Illud apud Ignatium ubique factum videmus,
,, Epiſcopis Presbyterium, ſeu Presbyteros, Presbyteris Diaconos adjungentem. At ſecus
,, apud Polycarpum in hac epiſtola Presbyterorum ſolummodo, aut Presbyterorum, &
,, Diaconorum mentionem facientem. Sic & a Papia Johannis auditore, & Polycarpi æquali
,, Hierapolitano etiam in Aſia Epiſcopo vocem Presbyteri ita uſurpari videmus, ut aliquan-
,, do Apoſtolos ipſos, & ab iis conſtitutos Epiſcopos, aliquando eorum γνωρίμους (hoc eſt
,, eos qui Apoſtolos cognoverunt) quoslibet ſignificet. Videantur Fragmenta ejus ab Ire-
,, næo (*lib.* II. *cap.* xx1I. *pag.* 148. *edit. Veneta an.* 1734) dein ab Euſebio (*lib.* III. *Hiſt.*
,, *Eccl. cap.* XXXIX. *pag.* 118. *edit. Taurin.*) recitata. *Si quando quiſquam veniſſet*, qui
,, Presbyteros ſequutus eſſet, Presbyterorum ſermones ſciſcitabar, quid Andreas, vel
,, quid Petrus dixit, vel quid quiſpiam alius diſcipulorum Domini, Ariſtion ſcilicet, &
,, Presbyter Johannes *Domini* diſcipuli dicunt. Ubi Presbyteri adeo clare de Apoſtolis a
,, Papia enunciantur, ut *Apoſtolis*, & *Apoſtolorum* legendum ſuſpicati ſint. Sic poſtea de
,, Marco Evangelii Scriptore: *Hoc Presbyter Marcus dixit Petri interpres.* Apud Irenæum
,, vero (*ibid.*) *Omnes Presbyteri, qui in Aſia apud Johannem diſcipulum Domini con-*
,, *venerunt*, quod Euſebius ex Græco exemplari exſcripſit. Πάντες οἱ πρεσβύτεροι οἱ κατὰ
,, τὴν Ἀσίαν Ἰωάννῃ τῷ τοῦ κυρίου μαθητῇ συμβεβληκότες omnes ſeniores, qui per Aſiam
,, cum Johanne Domini diſcipulo verſabantur. Quos quidem ipſos a Clemente Alexandrino
,, indifferenter Presbyteros, & Epiſcopos dici (*conſtat lib.* VI. *Stromat. pag.* 667. *editionis*
,, *an.* 1641.) Immo poſt Papiam Irenæus ipſe vir magnus .... *lib.* III. *cap.* II. hac etiam
,, Presbyterorum voce ad Epiſcopos deſignandos utitur ,,. Confer Irenæum *lib.* III. *cap.* II.
pag. 175. *edit. an.* 1734.

1 Conſule *not. ſuperiorem*.

2 Agit enim de gubernandæ Eccleſiæ munere. Confer *epiſt. Polycarpi n.* vI. *pag.* 188. *tom.* II. *Apoſtol. PP. part.* II.

in Sacerdotes autem ſecundi ordinis , nullo modo . Neque rem ullam eſse , quæ impediat , quin *Diaconi* vocarentur Sacerdotes [1] , ſive Presbyteri ſecundi ordinis, quos *miniſtros* in ſacris Litteris identidem appellari liquet . In idem enim omnino recidunt voces *Miniſtrorum* , & *Diaconorum* .

Jam vero hæc Polycarpi ex Epiſtola ad Philippenſes deſcripta loca , cum explicari tam facile , quam eſt hactenus demonſtratum, poſsint, ut non ſolum non evertant, ſed etiam confirment Catholicorum ſententiam , numquam certe efficient, aut tollendam, aut minuendam Irenæi, aliorumque veterum , qui cum Polycarpo vixerunt , auctoritatem eſse , qui ſingularem Smyrnenſibus Epiſcopum ab Apoſtolis datum, Epiſcopoſque ipſos a Presbyteris diſtinctos fuiſſe [2] tradiderunt .

Nonum argumentum deducunt Presbyteriani ex libro Hermæ, qui *Paſtor* inſcribitur . In hoc enim Epiſcoporum, & Diaconorum mentionem fieri ſtatuunt, Presbyterorum , qui Epiſcopis eſſent inferiores, non item . Ex qua re intelligi facile poſſe arbitrantur , duos ſeculo Eccleſiæ primo in Eccleſia gradus , ordineſve fuiſſe , unum Diaconorum , alterum Presbyterorum , ſeu Epiſcoporum, quibus junctim adminiſtrandæ Eccleſiæ poteſtas eſſet [3] .

Nobis mirabile videtur , quid ſit, quod Blondellus, aliique Hierarchicis infeſti, atque inimici , cum Hermam inſectentur [4] , ac lacerent , tum ejus teſtimoniis , ut ſuam confirment ſententiam , abutantur . Sed fac probanda ſint ,

 quæ-

1 Vide quæ dixi ſupra *pag.409. ſeq. not.4. hujus vol.*

2 Confer locum ex Epiſtola Hadriani apud Flavium Vopiſcum , quem deſcripſimus *t.1. hujus vol. pag.140. not.2.* Inde namque colliges, Epiſcopos ætate Hadriani diſtinctos fuiſſe a Presbyteris Chriſtianorum . Conſule quoque veterum Scriptorum teſtimonia , quæ producam *num.11. hujus paragraphi* .

3 Hermæ Paſtoris librum vetuſtiſſimum eſse, ſcriptumque primo Eccleſiæ ſeculo cadente, teſtimoniis veterum Patrum Irenæi , Clementis, Tertulliani , aliorumque multorum, quos Cotelerius *tom.1. Apoſtol. PP. pag.68. edit. an.* 1724. & Fabricius *lib. v. cap.1. Bibliotheca Græca pag. 8. tom. v. edit. Hamburg.* recenſent , conſtat . Hunc accuſat , majoremque in modum Blondellus coarguit *ibid.cap.11. pag.16.* tum addit: *Quidquid ſit, larvati Prophetæ ſomnia* . Antiquiſſimum tamen Scriptorem vocat , adeoque de ſui temporis Eccleſia diſſerentem audiendum .

4 Vide notationem ſuperiorem . Teſtimonia vero , quibus Blondellus abutitur , ſunt hujuſmodi . *Lib. 1. Viſione 11. pag. 78. tom. eodem Apoſtolicor. Patrum* . „ Clemens „ mittet

quæcumque Hermas litterarum mandavit monumentis, an quod ille *αἰνιγματωδῶς* [1] *obſcure*, data opera, ſcripſit, contorquenda continuo in Catholicos ſunt, hiſque jam ſtatuendum, Epiſcopos ſingulares nullos primis temporibus fuiſſe, qui Eccleſias moderarentur? Verumtamen quoniam obſcurum, implicatum, prophetarumque morem ſimulantem Scriptorem adverſarii teſtem vocant, age videamus, tres ne, an duos ordines Eccleſiaſticos memoraverit. Eum igitur Presbyteros primum omnium nominaſſe [2] defendo. Eſt autem illius luculentiſſimum teſtimonium. At hos ab Epiſcopis minime diſcrepare dicent. Quamobrem vero? Quia poſt, inquiunt, Epiſcopos, & Diaconos memorat, medium autem ordinem Presbyterorum non memorat. Sed medium ordinem non memorari ab Herma, id vero eſt, quod vehementer negamus. Nam priore loco ille Apoſtolos nominat, tum

„ mittet in exteras civitates, tu autem renunciabis *τοῖς πρεσβυτέροις τῆς ἐκκλησίας Presbyteris Eccleſiæ* „. *Lib.* II. *Mandato* VIII. *pag.* 96. „ *majores natu* colere, fraternitatem conſervare „. Addit Blondellus „ utrobique vero *communi ſeniorum conſilio* Romæ „ regi ſolitam fraternitatem inſinuat „. Ruſum Paſtor *Viſion.* II. *pag.* 80. „ Lapides „ quadrati, & albi &c. ſunt Apoſtoli, & Epiſcopi, & Doctores, & Miniſtri, qui ingreſſi „ ſunt in clementia Dei, & Epiſcopatum geſſerunt, & docuerunt, & miniſtraverunt „. Et *lib.* III. *ſimilitud.* IX. *pag.* 123. „ De decimo vero monte, in quo arbores erant, tegentes „ pecora, tales ſunt, qui crediderunt quidem Epiſcopi, ideſt præſides Eccleſiarum; alii „ vero hi lapides, qui non ficto, ſed alacri animo ſemper in domos ſuas ſervos Dei receperunt, & deinde qui præſides ſunt miniſteriorum „. Subdit Blondellus. *Utroque loco Cleri poſt Apoſtolos duos tantum gradus facit, Epiſcoporum, qui Eccleſiis, & Diaconorum, qui miniſteriis præſunt. Nam Doctores ad Epiſcopos præcipue referri, cum Epiſcopatum geſſiſſe dicantur.* Ruſum Hermæ Paſtor *lib.* II. *Mandato* XII. *pag.* 100. de ſpiritu ſeſe exaltante ſic ſtatuit. „ Exaltat ſe, & vult primam Cathedram habere „. Et *lib.* III. *ſimilit.* VIII. *pag.* 113. accuſat contentiones, quæ fratres diſcindebant in factiones, propter *principatum, & dignitatem*. „ Quibus verbis, *inquit Blondellus*, ut delatum communi „ Presbyterii ſuffragio jus primæ inter collegas Cathedræ iis, qui Epiſcopi poſtea κατ' „ ἐξοχὴν (*ſecundum eminentiam*) dicti ſunt, agnoſcere videtur. Sic contentioſam Dio„ trephis ſobolem, quam ἄμετρος illa in Montano a Claudio Apollinari Hierapolitanorum „ Epiſcopo damnata φιλοπρωτείας ἐπιθυμία (*primatus cupiditas*) piis omnibus intoleran„ dam dedit, ſuo ſeculo nequaquam defuiſſe notat.

1 Obſcure quidem loquitur Hermas, quaſi eſſet, ut Propheta, inſtinctu quodam ſuperiore impulſus ad ſcribendum.

2 Epiſcopum ſingularem ſemper Romæ, jam uſque ab ætate Apoſtolorum fuiſſe, qui Presbyteris antecelleret, conſtat ex iis veterum Patrum teſtimoniis, qui diſcipuli Patrum Apoſtolicorum fuerunt, quoſque memorabimus *num. ſeq. hujus paragraphi*. Locus autem, quem affert Blondellus e *lib.* I. *Paſtoris viſion.* II., multos fuiſſe Romæ Presbyteros plane oſtendit. „ Clemens mittet in ceteras civitates, tu autem renunciabis *Presbyteris Eccle*„ *ſiæ* „. Nempe Romanæ. Nam ad alias civitates, adeoque ad aliarum civitatum Epiſcopos, & Presbyteros ſcribere debebat Clemens. At his Presbyteris præfuiſſe Epiſcopum ex Irenæo, & Hegeſippo ſecundi ſeculi Scriptoribus, liquet.

tum Epiſcopos , inde Doctores (1), poſtremo Diaconos. Medios igitur inter Epiſcopos, Diaconoſque, Doctores memorat. Ecquis autem non inde colligat, virum, qui inſtinctu, afflatuque divino ſe ſcribere ſimularet, Presbyteros indicare voluiſſe Doctorum nomine.

Decimum argumentum petunt Adverſarii ex Epiſtola Pii Pontificis Maximi, exque Priore Juſtini Martyris ad Imperatores Apologia. Pium namque I. in ea epiſtola, quam fuiſſe ab ipſo ad Juſtum Viennenſem ſcriptam ferunt, Epiſcopos a Presbyteris, Diaconiſque non ut majores, ſed ut miniſtros colendos eſſe ſtatuere, defendunt. Itaque pugnant, Presbyteros, Epiſcopoſque locatos ſecundo Eccleſiæ ſeculo fuiſſe in eodem gradu honoris, ac dignitátis. De Juſtino autem Philoſopho, & Martyre ſic exiſtimant. Meminiſſe quidem eum Præpoſitorum, & Diaconorum, tertium autem ordinem, qui medius inter Epiſcopos, Diaconoſque eſſet, prætermiſiſſe; quod numquam ajunt, fuiſſe factu-

1 Alter locus, quo abutitur Blondellus, quique eſt de *colendis Presbyteris*, hoc eſt, ut habet Blondellus, *majoribus natu*, ad rem non pertinet. Non enim inde ſequitur, nullum Epiſcopum Romæ fuiſſe, qui Presbyteris præſideret. Quod addit Blondellus: *Utrobique communi ſeniorum conſilio Romæ regi ſolitam fraternitatem inſinuat*, ſic refellit Hammondus *Diſſert.* v. *cap.* IX. § 12. *pag.* 283. *ſeq.* *Inſinuat*? „ Sed quibus demum verborum involueris? Dicatur aperte. Certe non his, quæ a Blondello opponuntur, ne quidem aliis uſpiam. Si qua enim ſummæ diligentiæ viro ſpes (*talia inveniendi*) affulſerat, ſtili eum ſui non adeo parcum novimus, ut lectori ſuo ea (*invideret*). At ſecundo, ſi illud concedatur .... nihil tamen nobis *commune ſeniorum conſilium* officiet: quamdiu *Clemens ſingularis Romæ Epiſcopus*, qui ad regendam Eccleſiam hoc *conſilio* uti potuit, nobis ereptus non fuerit. Sed tertium teſtimonium, quod Blondellus e *viſion.* III. profert, rem plane conſtituit. Sic enim ſcriptum eſt a Paſtore: *Sunt Apoſtoli, & Epiſcopi, & Doctores, & Miniſtri, qui ingreſſi ſunt in clementia Dei, & Epiſcopatum geſſerunt, & docuerunt, & miniſtraverunt*. Tres igitur Ordines numerat paſtor. Sed *Doctores*, inquit Blondellus, iidem atque *Epiſcopi* erant. Ego vero *docuiſſe* Epiſcopos non nego. Sed cum *Doctores* ſuos medios inter Epiſcopos, & Diaconos Paſtor poſuerit, medii autem inter Epiſcopos, Diaconoſque a Patribus poſiti Presbyteri ſint, colligendum puto, indicatos Presbyteros a Paſtore fuiſſe doctorum nomine. Fallitur autem Blondellus, qui duo fuiſſe munera ordinum a Paſtore memorata cenſet, hoc eſt præſidendi, & miniſtrandi. Nam Paſtor, cum Epiſcopos, Doctores, & Miniſtros nominaſſet, munera deſignavit, quæ nominibus reſponderent; hoc eſt Epiſcopis *gerendi Epiſcopatus*, Doctoribus *docendi*, Miniſtris *miniſtrandi* munus tribuit. Cumque Epiſcopos idem appellarit *Præſides Eccleſiarum*, fit ita ut his jus eaſdem adminiſtrandi, gubernandique tribueret, ceteris non item. De primatus cupiditate, quod Blondellus ſubdit, inane eſt. Nemo enim eſt noſtrum, qui in Epiſcopis probandam ambitionem, æmulationem, contentionemque putet. Quamobrem exempla ex Epiſtola Johannis tertia de Diotrephe, exque Euſebii *Hiſt. Eccl. lib.* v. *cap.* XVII. *de Montano*, depromta non ſunt ad rem.

facturum, ſi Epiſcoporum, Presbyterorum, ac Diaconorum diverſi ordines fuiſſent. (1)

Hoc noſtri argumenti genus nihili faciunt. Pii namque epiſtolas in nothis, eique Pontifici falſo adſcriptis operibus numerandam cenſent (2). Sed fac genuina epiſtola tam prior, quam altera ſit, nam aliqui (3) eas in ſinceris ponunt, annon diſertis verbis Epiſcopos a Presbyteris diſtinguit, ſive is Pius, ſive alius quiſpiam ſit Pontifice eodem recentior? Nam Juſtum Epiſcopum appellat; eique honorem adhiberi a Presbyteris, Diaconiſque oportere præſcribit (4). Quamquam autem obſervari eum ab utriſque, ut miniſtrum ſtatuit, tamen ſic eſſe id conſtat intelligendum, ut Juſto hoc eſſe curandum ſignificet, ut non vi, non ſuperbia, ac ſupercilio; ſed demiſso per virtutem animo, ac prudenter, quaſi miniſter ſit aliorum, in Eccleſia verſetur, quamquam is Presbyteris antecelleret dignitate. Alioqui ne Apoſtoli quidem ſuperiores ceteris dignitate fuiſſent, quos Chriſtus eſſe *tamquam miniſtratores* aliorum præſcripſit. De Juſtino ſatis ſupra diſputatum eſt (5). Hoc addam unum: Martyrem cum de Præpoſito, hoc eſt Epiſcopo offerente ageret, nonniſi Diaconos commemoraſse, quod in eo munere fungendo opus Epiſcopo non eſset Presbyteri opera. Ceterum fuerunt, qui Juſtinum Presbyterum fuiſse arbitrarentur (6), Epiſcopum autem numquam. Vocaſsent autem, ſi iidem Epiſcopi, atque Presbyteri, majorum ſententia, fuiſsent. Sed de Epiſcopis, qui Presbyteris dignitate Juſtini tempore, immo vero jam inde a temporibus Apoſtolorum, præcellerent, erit paullo poſt etiam diſputandi locus (7).

Se-

1 Ita quidem argumentatur Blondellus *ibid. cap.* IV. & VI. *pag.* 18. *ſeqq.*

2 Confer Coutantium *tom.* I. *epiſt. Rom. Pontif. in Append. pag.* 18. Et Petavium *lib.* I. *Hierarch. Eccl. cap.* VII. *pag.* 169. *edit. Antuerp.*

3 Conſule Coutantium *ibid.*

4 *Epiſt.* II. quæ in *Collect. Coutantii* II. ponitur inter Pontificias *in Appendice p.* 20.
„ Juſto Viennenſi EPISCOPO ..... Presbyteri, & Diaconi non ut Majorem, ſed ut miniſtrum
„ Chriſti te obſervent. Plebs univerſa ſanctitate tua protegatur.

5 *Pag.* 322. *hujus vol.*

6 Confer Præfationem Monachorum S. Mauri *nova edit. Pariſ. operum S. Juſtini Mart. præfixam cap.* II. *n.* I.

7 *Num.* II. *hujus* §.

Sequitur argumentum undecimum, quod repetunt ex Papiæ Hierapolitani, ex Gallicanarum Eccleſiarum, exque Irenæi Lugdunenſis Epiſcopi teſtimoniis. A Papia namque unum memorari ajunt (1) Ordinem Presbyterorum, quibus impoſitum adminiſtrandæ Eccleſiæ onus eſset. Eccleſiam autem Lugdunenſem ita de Epiſcopis agere, ut plane indicet, eos non jure divino, ſed inſtitutione humana principatum obtinuiſse, quin tamen æquales poteſtate reliquis Presbyteris eſse (2) deſinerent. Irenæum denique multis in locis eoſdem Epiſcopos, atque Presbyteros eſse ſcripſiſſe (3).

Ad hæc noſtri mirari ſe dicunt, qua confidentia Blondellus Papiam teſtem appellet. Si enim ejus ſe verbis proficere quidquam confidat poſſe, næ is efficiet Presbyteros pares auctoritate, dignitate, poteſtateque Apoſtolis ſuiſse. Qua re quid dici poteſt obtuſius? Atque Papias quidem non ſolum Ariſtionem, quem Epiſcopum fuiſse facile patimur, ſed etiam Apoſtolos Presbyterorum appellat (4) nomine. Papiam autem Euſebius Epiſcopum Hierapolitanorum vocat in tertio libro Hiſtoriæ (5), cui nos de rebus non admodum a memoria ſua remotis agenti credimus. Hunc enim ut negligamus, quo novitatis ſtudioſis Blondello, aliiſque Presbyterianis aſsentiamur, extorquere a nobis nemo poterit. Qui autem Epiſcopus erat Hierapolitanorum, adeoque, Euſebio teſte, Presbyteris ſecundo ſeculo in Hierapolitana Eccleſia præerat, is ne quid eſset diſcriminis inter primi ordinis, ſecundique gradus Sacerdotes, ſeu Presbyteros ignoraſſet? Eo igitur Epiſcopos, Apoſtoloſque Presbyteros appellavit, non quo diſcrimen inter eos nullum eſſe arbitraretur, ſed quo honoris indicium id eſſe vocabulum judicaret.

Epi-

1 Blondellus *ibid. cap.* VII. *pag.* 22.

2 Blondellus *ibid. cap.* VIII. *pag.* 23. *ſeqq.*

3 Blondellus *ibid. cap.* IX. *pag.* 32. *ſeqq.* & Buddeus *l. c.*

4 Apud Euſebium *lib.* III. *Hiſtoriæ cap.* XXXIX. *pag.* 117. ubi „ Quod ſi quis interdum mihi occurrebat, qui & cum Presbyteris verſatus fuiſſet, ex eo curioſe ſciſcitabar, „ quænam eſsent ſeniorum dicta. Quid Andreas, quid Petrus, quid Philippus, quid Thomas, „ quid Jacobus, quid Iohannes, quid Matthæus, quid ceteri Domini diſcipuli dicere „ ſoliti fuiſſent? Quidnam Ariſtion, & Iohannes Presbyter, diſcipuli Domini prædica„ rent &c.

5 *Cap.* XXXVI. *pag.* 113. *edit. Taurin.*

Epiſtola Lugdunenſis Eccleſiæ, quæ ſcripta Marci Aurelii Antonini Imperatoris ætate fuit, qui Epiſcopi, Presbyterique fuerint, utque illi auctoritate, dignitateque his antecellerent, demonſtrat plane ad veritatem. De Pothino enim ſic agit, [1] ut eum Lugdunenſis Eccleſiæ Epiſcopatum geſſiſſe ſignificet, quo tempore Irenæus (2) *ſimplex* ejuſdem Eccleſiæ Presbyter eſſet. At ſederat Irenæus in cathedra Lugdunenſi Pothini loco, a *fratribus conſtitutus*, & *colobio Epiſcoporum indutus*, & tamen a Lugdunenſibus, qui eum in Urbem ad Eleutherium miſerant, Presbyter appellabatur. Sed video quam hoc ſit Blondelli argumentum inane. Neque enim Irenæus dictus Epiſcopus Lugdunenſium fuerat, antequam Romam ad Eleutherium mitteretur. Immo vero negat Euſebius, auctor imprimis vetus, & peritus Hiſtoriæ (3). Quamobrem ſapienter eſt a Maſſueto Monacho Benedictino ſancti Mauri animadverſum, lapſum Blondellum graviſſimo errore fuiſſe, ut qui non a Martyribus, ſed a Clero Lugdunenſi epiſtolam ad Eleutherium ſcriptam, Irenæumque miſſum, martyreſque ann. 167. antequam Eleutherius Pontifex diceretur, deceſſiſſe contendat, nulla habita Euſebii ratione, qui rem monumentis mandavit litterarum. (4)

Ad

1 *Epiſt. Eccl. Lugdun. apud Euſebium lib. v. Hiſt. cap. 1. pag. 175. edit. Taurinen.* Ποθεινός, ὁ τὴν διακονίαν τῆς ἐπισκοπῆς ἐν Λουγδούνῳ πεπιστευμένος *Pothinus, qui Epiſcopatum Lugdunenſis Eccleſiæ adminiſtrabat.*

2 Euſebius *lib. eodem cap. iv. pag. 184.* „ Οἱ αὐτοὶ μάρτυρες, καὶ τὸν Εἰρηναῖον *Ipſi* „ *Martyres, & Irenæum* πρεσβύτερον τότ' ὄντα τῆς ἐν Λουγδούνῳ παροικίας *Presbyterum* „ *tunc exiſtentem ejus, quæ Lugduni eſt, Parœcia*, ſupradicto Eleutherio per litteras „ commendarunt, cum teſtimonio ſuo non mediocriter ornantes, ſicut ipſorum verba de„ clarant, quæ ſic habent .... Has litteras, ut ad Te perferret, fratrem, & collegam no„ ſtrum Irenæum hortati ſumus .... Quod ſi nobis compertum eſſet, locum cuiquam ferre „ juſtitiam, eum ὡς πρεσβύτερον τῆς ἐκκλησίας, *tamquam Presbyterum Eccleſiæ*, ὅπερ „ ἐστὶν ἐπ' αὐτῷ, *hunc enim gradum obtinet*, tibi imprimis commendaſſemus.

3 Euſebius l. eodem *cap. iv. pag. 174.*

4 Maſſuetius Monachus Benedictinus s. Mauri *Diſſ. II. in opera s. Irenæi pag. 67. t. I. opp. s. Irenæi edit. Veneta an. 1734.* „ Has quidem Epiſtolas a Majoribus ipſis ſcriptas fuiſſe „ negat Blondellus, ſed potius a Clero Lugdunenſi, quia inquit, anno 7. Imperii Marci, „ Chriſti 167. quo Martyrium Pothini, ac Lugdunenſium contigit, Soter Romanam Eccle„ ſiam regebat, non Eleutherus. Sed ut id aſſequatur, prius Euſebii fidem elevet neceſſe „ eſt, qui eas Epiſtolas a Martyribus adhuc in carcere poſitis ſcriptas, eoſque ſub Eleuthe„ ro anno 17. Marci Aurelii paſſos eſſe affirmat. Hinc ergo potius concludere debebat „ Blondellus, eos ſaltem anno 170. quo Pontificatum iniiſſe vult Eleutherum (tardius „ ego iniiſſe putem) Martyrium ſubiiſſe, quam id vanis conjecturis nixus, ad an 167. re„ ferre. Certe poſt annum 167. immo & 170. exaratas fuiſſe illas Epiſtolas, demonſtrat „ ſcribendi occaſio.

Ad Irenæum quod attinet, dabo equidem, vocatos interdum ab eo Epiſcopos fuiſſe vocabulo Presbyterorum [1], ut qui honorificum hoc genus appellationis eſſe, meritoque attribui iis, qui primas in Eccleſiis partes obtinerent, arbitraretur. Verum idem ille eſt Irenæus, qui Epiſcoporum Romæ, aliorumque Eccleſiarum catalogum texens, ſingulares Epiſcopos nominat, quorum unus alteri ſucceſſerit: quod numquam feciſſet, ſi omnes Presbyteros pares Epiſcopis auctoritate, dignitateque eſſe exiſtimaſſet [2]. Cur enim unum ſucceſſiſſe alteri dixiſſet, ſi tot fuiſſent collegæ æquales auctoritate? An quiſquam ſucceſſiſſe ſenatorum aliquem ſingulari, qui obiiſſet, ſenatori diceret, eoque pacto ſucceſſionem texeret ſingularium ſenatorum? Argumento eſt igitur, unum aliquem ætate etiam Irenæi, dici Epiſcopum conſueſſe, qui auctoritate Presbyteris antecelleret. Nam quod de Epiſcopatu non divino, ſed humano jure Blondellus jactat, commenticium eſt, nulloque veterum teſtimonio, niſi Aerianorum hæreticorum, quos contemnimus, confirmari poteſt.

Duodecimum eſt argumentum ex verbis Victoris Papæ expreſſum, eſtque hujuſmodi. Victor iis in litteris, quas ad Dionyſium Viennenſem dedit, Epiſcopos appellat nomine Presbyterorum. Erant igitur iidem Epiſcopi, atque Presbyteri. Rurſum collegia Presbyterorum Victor nominat, quæ Eccleſias adminiſtrarent, ac regerent. Non ergo ſingulares Epiſcopi Eccleſias moderabantur [3].

At enim epiſtola ad Dionyſium, ſive ad Deſiderium Viennenſem ſcripta *ſuppoſita* Victori a, neſcio quo, impoſtore fuit [4], indignaque erat, quæ a Blondello in medium afferretur. Eſtque illud etiam, atque etiam animadvertendum, Blondellum, qui genuinas Ignatii Epiſtolas, propterea quod Hierarchicis præſidio eſſent, inanibus conjecturis fretus, in ſpuriarum claſſem rejecerit, ſpuria quæque conſectari, cujuſmodi eſſe Epiſtolas Pii ad Juſtum, haſque Vi-

1 Vide ſupra *pag. 409. ſeq. not. 4.*

2 V de *num. ſequentem hujus paragraphi.*

3 Vide eam Epiſtolam *apud Coutantium tom. 1. Collectionis epiſtolar. Roman. Pontif. pag. 22. in Append. edit. Pariſ.*

4 Confer Coutantii Monitum *ibid. pag. 19. ſeqq.*

ctoris ad Dionyſium conſtat, quod in iis deprehendiſſe arbitraretur quidpiam ſe, quod evertere Hierarchiam Eccleſiaſticam videretur. Verumtamen fac epiſtolam ad Dionyſium tribui Victori Pontifici oportere. Ideone Epiſcopos Presbyteris ſuperiores nullos fuiſſe dicemus, quod Epiſcopos Victor vocet nomine Presbyterorum? Sed nomen impedire qui poterit, quo minus diſtincti hi gradus eſſent, ſi de re conſtaret. Conſtat autem teſtimoniis illuſtrium hominum, qui Victoris tempore floruerunt. Ac niſi ita ſe res haberet, ne Cyprianus quidem Epiſcopus Carthaginienſium Presbyteris ſuperior fuiſſet, quod eos appellet vocabulo compresbyterorum (1).

Tertium ac decimum ex Clementis Alexandrini verbis repetunt argumentum. Nam adverſarii, majorum inſtitutione, non divino jure, invectum ordinem Epiſcoporum in Eccleſiam fuiſſe, a Clemente defendi, pugnant. Eum quippe duos alibi ordines nominare Presbyterorum, & Diaconorum. Neque ordines duos tantum, ſed etiam functiones omnino duas, quarum altera *βελτιωτικὴ meliorem reddens*, Presbyterorum, altera *ὑπηρετικὴ miniſtrans* propria Diaconorum eſſet. Præterea *Presbyterum* ab eo *Epiſcopum* appellari (2).

Sed eſt hæc omnis plena paralogiſmorum oratio. Neque enim uſquam eſt traditum a Clemente, invectum humana inſtitutione in Eccleſiam fuiſſe Epiſcoporum, qui Presbyteris antecellant (3) gradum. Nam quod alicubi Presbyteros, Diaconoſ-

1 Vide infra *pag. 432. not. 4. hujus vol.*

2 Blondellus *ibid. cap. XI. pag. 35. ſeqq.*

3 Quod enim neque dictum, neque indicatum a Clemente eſt, tribuere Clementi velle, hominis eſt aliorum ſententiam ſuo judicio metientis. Sunt autem Clementis loca hujuſmodi: *lib. VI. Stromateon pag 667. edit. an. 1641.* "Ἔξεστιν οὖν καὶ νῦν ταῖς κυριακαῖς ἐνασκήσαντας ἐντολαῖς, κατὰ τὸ εὐαγγέλιον τελείως βιώσαντας, καὶ γνωστικῶς εἰς τὴν ἐκλογὴν τῶν ἀποστόλων ἐγγραφῆναι. οὗτος πρεσβύτερός ἐστι τῷ ὄντι τῆς ἐκκλησίας, καὶ διάκονος ἀληθὴς τοῦ θεοῦ βουλήσεως, ἐὰν ποιῇ, καὶ διδάσκῃ τὰ τοῦ κυρίου, οὐχ ὑπ᾽ ἀνθρώπων χειροτονούμενος, οὐδ᾽ ὅτι πρεσβύτερος δίκαιος νομιζόμενος, ἀλλ᾽ ὅτι δίκαιος ἐν πρεσβυτερίῳ καταλεγόμενος, κἂν ἐνταῦθα ἐπὶ γῆς πρωτοκαθεδρίᾳ μὴ τιμηθῇ &c. horum verſionem dedimus ſupra *pag. 324. & ſeq. not. 2. hujus vol.* Idem *ibid. pag eadem.* αἱ ἐνταῦθα κατὰ τὴν ἐκκλησίαν προκοπαὶ ἐπισκόπων, πρεσβυτέρων, διακόνων μιμήματα οἶμαι ἀγγελικῆς δόξης, κἀκείνης τῆς οἰκονομίας τυγχάνουσιν, ἣν ἀναμένειν φασὶν αἱ γραφαὶ τοὺς κατ᾽ ἴχνος τῶν ἀποστόλων, ἐν τελειώσει δικαιοσύνης κατὰ τὸ εὐαγγέλιον βεβιωκότας. ἐν νεφέλαις τούτους ἀρθέντας γράφει ὁ ἀπόστολος διακονήσειν μὲν τὰ πρῶτα, ἔπειτα ἐγκαταταγῆναι τῷ πρεσβυτερίῳ κατὰ προκοπὴν δόξης. " Quoniam eas, quæ in " Ec-

conoſque; alibi Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos nominet, id argumento eſſe non poteſt, quare primam diſtributionem ordinum *divino jure* conſtitutam; alteram vero contra *humano*, putem. Quemadmodum enim qui diaconos nominaſſet nulla Presbyterorum mentione facta, non negaſſet, *divino jure* Presbyterorum ordinem eſſe diſtinctum a gradu, & ordine diaconorum; ita qui diaconos, Presbyteroſque nominat, miſſa mentione Epiſcoporum, non negat, Epiſcopos a Presbyteris eſſe diſtinctos, divino jure. Quod ſi rogent adverſarii, quamobrem Diaconos & Presbyteros aliquando; interdum vero Diaconos, Presbyteros, & Epiſcopos Clemens memoret, his ego & vere, & paucis ſatisfaciam. Erat Presbyterorum vocabulum, ut ſæpe diximus, primi, ſecundique ordinis Sacerdotibus, Clementis ætate, commune, (1) quamquam eſſent Epiſcopi, hoc eſt Presbyteri primi ordinis Sacerdotibus ſecundi ordinis ſuperiores. Quamobrem priore loco Epiſcopi, tum Presbyteri recenſebantur, ut ejuſdem Clementis auctoritate conſtat. Itaque ut breviter rem complecteretur, uno presbyterorum vocabulo Epiſcopos,

„ Eccleſia ſunt Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum progreſſiones Angelicæ gloriæ, „ illiuſque diſpenſationis, ut arbitror, imitationes ſunt, quam eos, qui ſecundum Apo„ ſtolorum tramitem in juſtitiæ, ſecundum Evangelium conſummatione vixerunt, expecta„ re dicunt ſcripturæ: hos in nubibus ſublatos, miniſtraturos primum, ac demum in Presby„ terium ſecundum gloriæ, profectum cooptandos ſcribit Apoſtolus „. Viden ut eadem in pagina Clemens, Diaconos, Presbyteroſque primum; tum Diaconos, Presbyteros, Epiſcopoſque recenſeat? utque Presbyteros progredi in *Presbyterio ſecundum gloriæ profectum* poſſe affirmet; quæ verba ſecundi, primique ordinis Presbyteros indicant, ita ut e ſecundo ad primum progredi per virtutem licere, ſignificent? Tertius eſt locus Clementis *lib.* VII. *Strom. pag.* 700. hujuſmodi. Κατὰ τὴν ἐκκλησίαν τὴν μὲν βελτιωτικὴν οἱ πρεσβύτεροι, τὴν ὑπηρετικὴν οἱ διάκονοι. ταύτας ἄμφω τὰς διακονίας ἄγγελοι τε ὑπηρετοῦνται τῷ θεῷ κατὰ τὴν περιγείων οἰκονομίαν, καὶ αὐτὸς ὁ γνωστικός. „ Eam quæ meliores facit in Eccleſia „ imaginem ſervant Presbyteri, miniſtratoriam Diaconi. Ambobus his miniſteriis Deo, „ ſecundum terrenarum rerum diſpenſationem, ſerviunt tum Angeli, tum ipſe, qui cogni„ tione præditus eſt „. Hinc Blondellus duas functiones memorari a Clemente ſcribit Presbyterorum, & Diaconorum, adeoque duos Ordines fuiſſe. Quaſi vero in functione priore, quæ propria Presbyterorum a Clemente dicitur, quæque in eo, *quod meliores facit*, conſiſtit, varii gradus, quorum alter ſit altero perfectior, eſſe nequeant, ita ut perfectior, excellentiorque Epiſcopo competat, minus autem excellens Presbytero. Eſt vero diſertum, luculentumque de Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis Clementis teſtimonium; quare his conjecturis Blondelli implicari nullo modo poteſt.

1 Vide Clementis Alexandrini *de Johanne Evangeliſta* locum apud Euſebium *lib.* III. *Hiſt. cap.* XXIII. *pag.* 100. *edit. Taurin.* ubi Epiſcopus Smyrnenſis ab eodem Presbyter etiam vocatur.

Presbyteroſque interdum ſignificavit Clemens, quin diſtincte utrorumque meminerit. Aliquando vero, ut diſtincte ageret, Epiſcopos primum, tum Presbyteros memoravit, quod ita ejus inſtitutum poſcere videretur. Ex qua re intelligitur, quid cauſſæ tandem fuerit, cur Polycarpus Presbyteros, Diaconoſque commemorarit, omiſſa mentione Epiſcoporum; Ignatius vero & Epiſcopos, & Presbyteros, & Diaconos nominaverit, quin alterutrius eorum epiſtolæ ab antiquis, ſapientibuſque viris vocarentur in ſuſpicionem falſi. Nam ſi potuit Clemens Alexandrinus modo Presbyteros, Diaconoſque; modo Epiſcopos, Presbyteros, atque Diaconos nominare, quin aut vitiatos illius Stromateon libros quiſquam, aut ejus ætate nullos Epiſcopos, qui Presbyteris antecederent, fuiſſe ſuſpicari poſſit; quid eſt, quod noſtrum aliquis vel Ignatii epiſtolas corruptas, aut fraude, doloque malo ab impoſtore quopiam confictas, propterea quod Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorumque meminerit; vel quoniam Presbyteri, Diaconique a Polycarpo memorantur, nullos tum fuiſſe Epiſcopos Presbyteris excellentiores putet? Atque hæc de Clementis Alexandrini teſtimoniis ſatis dicta adverſus Blondellum ſunto. Qui Blondellus, modo Epiſcoporum divinam inſtitutionem tollat, contorquere omnia aliorſum, atque dicta a majoribus fuerint, ſenſumque iis tribuere, qui ipſis ne in cogitationem quidem ceciderit, conatur.

Quartum ac decimum argumentum ex Tertulliani verbis, ſententiiſque concluditur. Dici autem vix poteſt, quam eo delectari ſoleant magiſtri Puritanorum. Ac Blondellus (1) quidem viros, qui Chriſtianis initio ſeculi tertii præſiderent, fuiſſe ab Tertulliano (2) *Seniores*, hoc eſt *Presbyteros*

1 *Sect.* I I. *cap.* X I I. *pag.* 38. *ſeq.*

2 Apologetici *cap.* XXXIX. *pag.* 31. *edit. opp. Venetæ ann.* 1738. „ Præſident probati „ quique ſeniores, honorem iſtum, non pretio, ſed teſtimonio adepti; neque enim pretio „ ulla res Dei conſtat. Etiam ſi quod arcæ genus eſt, non dehonoraria ſumma, quaſi re„ demtæ religionis congregatur „. Et *libro de Corona militis cap.* I I I. *pag.* 102. Euchari„ ſtiæ Sacramentum & in tempore victus, & omnibus mandatum a Domino, etiam antelu„ canis cœtibus, nec de aliorum manu, quam *præſidentium* ſumimus „. Et *lib. de Jejuniis cap.* XVIII. *pag.* 554. „ Ad elogium gulæ tuæ pertinet, quod duplex apud te *præſidentibus* „ honor

byteros appellatos ſcribit. Præſediſſe vero Epiſcopos Chriſtianis. Fuiſſe igitur eoſdem *Epiſcopos*, atque *Presbyteros*. Quare non duos, ſed unum, Tertulliani ætate, fuiſſe ordinem *Epiſcoporum*, *&* *Presbyterorum*. Salmaſius (1) item, ac Grotius (2), ſymmiſtæque, cum aliis quibuſdam, tum eo imprimis Tertulliani abutuntur, qui eſt in libro de *Exhortatione Caſtitatis* (3) loco. Statutum enim, illius quidem opinione, arbitrantur, inter Clerum, & Laicos diſcrimen, Eccleſiæ auctoritate fuiſſe, non Dei. Itaque ſi qui Epiſcopi dignitate præſtabant, eos non divina, ſed Eccleſiaſtica poteſtate presbyteris, ac laicis antecelluiſſe.

Sed fuerunt e ſectis Proteſtantium, (4) qui Hierarchiam minime probarent, viri ſumma apud ſuos eruditionis, doctrinæque laude florentes, & Tertullianum tamen a noſtris in hoc genere diſſentire inficiarentur: quod lectis illius operibus, multa reperiſſent, quæ cum Orthodoxorum ſententiam confirmarent, tum componi cum decretis Puritanorum nullo modo poſſent. Quamquam in re clara, atque perſpicua hujuſmodi teſtibus non egemus. Tertullianus enim ſæpe ac multum Epiſcopos a Presbyteris diſtinguit, eoſque jam ſummos, hos vero inferioris ordinis ſacerdotes (5) vocat. Quid? ſi his ipſis ſecundi gradus Presbyteris, ne

„ honor binis partibus deputatur, cum Apoſtolus duplicem honorem dederit, ut & fratribus, & præpoſitis „. Tertulliano tribuit carmina contra Marcionem Blondellus, exque iis *Presbyteros*, hoc eſt *Seniores* fuiſſe Romanos Pontifices ab ipſo appellatos, colligit. Habet enim *lib.* v. *Carm. eorumd. v.* 7. *pag.* 637. *ejuſd. edit.* hoc modo:

„ Tertius ingenua gentem de matre creata,
„ Vatibus, & Patribus ſacratos eſſe miniſtros
„ Quos numero bis ſex de cunctis Chriſte legebas
„ *Majorum natu cum nomine tempora &c.*

1 Salmaſ. *Diſſert. de Epiſcop. & Presb. cap.* v. *pag.* 384. *edit. an.* 1641.

2 Confer Petavium *Diatriba de Poteſtate Conſecrandi & Sacrificandi*, quam adverſus Grotium ſcripſit, *cap.* 1. *ſeq. tom.* IV. *Theologicor. Dogm. pag.* 206. *ſeq. edit. Antuerp.*

3 *Cap.* VII. *pag.* 522. „ Nonne & laici Sacerdotes ſumus? ſcriptum eſt, regnum quoque nos, & Sacerdotes Deo, & Patri ſuo fecit. Differentiam inter ordinem, & plebem „ conſtituit Eccleſiæ auctoritas, & honor per ordinis conſeſſum ſanctificatus. Adeo ubi Eccleſiaſtici ordinis non eſt conſeſſus, & offers, & tinguis, & Sacerdos es tibi ſolus. Sed „ ubi tres, Eccleſia eſt, licet laici. Unuſquiſque enim ſua fide vivit. Igitur ſi habes jus „ Sacerdotis in temetipſo, ubi neceſſe eſt, habeas oportet diſciplinam etiam Sacerdotis, „ ubi neceſſe ſit habere jus. Digamus tinguis? Digamus offers?

4 Joh. Franciſcus Buddeus *Diſſert. de Orig. & Poteſt. Epiſc.* §. VIII. *pag.* 199. *edit. Syntagm. Diſſert. an.* 1715.

5 Confer loca Tertulliani, quæ deſcripſi ſupra *pag.* 323. *hujuſce vol. not.* 4.

ne Baptiſmo quidem initiare quemquam, neſcio Epiſcopo, licere, (1) ſtatuat? Age vero, qui ab Eleutherio pulſum Eccleſiæ finibus Marcionem cenſet, is ne jus æquale Epiſcopis, atque Presbyteris in regenda, adminiſtrandaque Eccleſia (2) tribuiſſet? Quod ſi Epiphanius (3) mortuo Hygino, Marcionem Romam veniſſe, cumque Presbyteris egiſſe, ut Eccleſiaſticæ communioni reſtitueretur, ſcribit; is tamen neque evertit Tertulliani ſententiam, neque ſi everteret, pares Epiſcopos fuiſſe Presbyteris auctoritate, putaret. Quum enim diſcrepans ſit de tempore, quo Marcion ad Urbem pervenit Tertulliani, Epiphaniique narratio, incertum erit, utri nos aſsentiri oporteat, Tertulliano ne, & veteri auctori, & qui Roma haud ita longe abſuerit, an Epiphanio, quem extremo fere ſeculo quarto ſcripſiſse, uſumque teſtimoniis antiquorum ſuiſse conſtat. Sed dabo, ut Blondello rem gratam faciam, Epiphanium eſse hac in re præferendum Tertulliano. An quia Epiphanius, Hygino Pontifice vita functo, cum Presbyteris Marcionem egiſse confirmat, effici inde quiſquam contendet poſse, Presbyterorum auctoritate, vivo etiam Epiſcopo, gubernari Eccleſiam conſueſse? Immo vero hac tam caſtigata, exquiſitaque ratione dicendi, ſatis eſt ab Epiphanio indicatum: idcirco actum a Marcione cum Presbyteris fuiſse, quod mortuo Hygino, quocum ageret, Epiſcopum non inveniſset. Quare hoc fuiſse munus Epiſcopi

1 Conſule Tertull. *teſtimonium deſcriptum ibid.*

2 Tertullianus *lib. de Præſcript. Hæret. cap.* xxx. *pag.* 212. „ Nam conſtat, illos neque „ adeo olim fuiſſe, Antonini fere principatu, & in Catholicæ primo doctrinam credidiſſe „ apud Eccleſiam Romanenſem ſub Epiſcopatu Eleutherii benedicti, donec ob inquietam „ ſemper eorum curioſitatem, quam fratres quoque vitabant, ſemel & iterum ejecti, Mar„ cion quidem cum ducentis ſeſtertiis, quæ Eccleſiæ intulerat &c. „. Ita veteres, cum tempus, quo Romæ res quæpiam contigiſſet, indicare vellent, ſub Eleutherio, vel ſub Hygino rem contigiſſe ſcribebant. At ſi omnium Presbyterorum æqualis auctoritas fuiſſet, deſignare unum iiſdem veteres nequiviſſent, quo Epiſcopo rem eveniſſe ſignificarent.

3 Epiphanius *hæreſ.* XLII. *pag.* 302. *edit. Pariſ. Petav.* „ Romam ipſam petit, poſt„ quam Romæ Epiſcopus Hyginus deceſſerat. Erat is autem a Petro, & Paulo Apoſtolis no„ nus. Et cum ſenioribus uſque tum ſuperſtitibus, quique ab Apoſtolorum diſcipulis pro„ dierant, collatione facta, ſe in Synaxim recipi petebat. Nemo vero ipſi permiſit. Ce„ terum invidia elatus, velut cui nec præſidentia, nec ingreſſus Eccleſiæ datus, id ſibi „ cogitavit, ut ad Cerdonis impoſtoris hæreſim confugeret. Incœpit autem presbyteris, „ qui tum erant, hoc quæſitum prætendere „. Abutitur hoc Epiphanii loco Blondellus ibid. *cap.* V. *pag.* 19. *ſeqq.*

ſcopi proprium, ut ei ſacris interdicendum ſtatueret, qui in graviſſimum ſcelus incidiſſet, vel eumdem, ſi reſipuiſset, iterum in communionem recipiendum judicaret. Ita ſit, ut Epiphanius, cum Romanos Presbyteros accuſatos a Marcione fuiſse dixiſſet, propterea quod paſſi minime fuiſſent, ut Eccleſiaſtica communione frueretur; tum reſpondiſſe Presbyteros, affirmarit (1) :,, Quia id facere non poſſumus, ſine honorandi Patris tui permiſſu: una enim fides eſt, unaque animorum conſenſio, nec poſſumus comminiſtro bono Patri tuo contraire,,. Erat enim in Ponto Epiſcopus Marcionis Pater, qui filium, ob indignum facinus, ſuo jure, ac poteſtate uſus, ex Eccleſiæ finibus exterminarat. Quamobrem ad Epiſcopum aut excludendi indignum, aut recipiendi, quem dignum putaſſet, jus, Epiphanio teſte, pertinebat.

Redeo ad Tertullianum. Is Valentinum hæreſiarcham, (2) quod conſequi Epiſcopatum non potuiſſet, ſectam condidiſſe, narrat. Conſtat autem quid Epiſcopatus nomine Tertullianus ſignificarit. Nam Epiſcopum, ut ſupra demonſtratum eſt, ſummum (3) Sacerdotem vocat. Neque vero is in Africa ſolus fuit, qui Epiſcopos Presbyteris anteferendos eſſe arbitraretur. Eo enim, quo Tertullianus florebat, tempore, auctor (4) Hiſtoriæ Martyrii ſanctarum Perpetuæ, ac Felicitatis, qui certe cum Septimio Severo Auguſto vixit, Presbytero Epiſcopum, hoc eſt ſummum Sacerdotem præferendum putavit. Quod vero Tertullianus de Sacerdotibus, qui, cum celebraretur Euchariſtia, præſiderent, ſcribit, non eſt ejuſmodi,

1 Epiphanius *ibid. pag.* 303.

2 *Libro adverſus Valentinianos cap.* IV. *pag.* 251.,, Speraverat Epiſcopatum Valentinus, quia & ingenio poterat, & eloquio &c.

3 Vide ſupra locum Tertulliani *pag.* 323. *not.* 4. *hujus vol.* multa enim nos in notationibus *pag. ejuſd. ſeq.* ex Tertulliano deſcripſimus, quæ lector conſulet.

4 N. XIII. apud *Ruinartium*: *Act. ss. MM. ſincer. pag.* 85. *edit. Veron.*,, Vidimus ante fores Optatum Epiſcopum ad dexteram, & Aſpaſium Presbyterum doctorem ad ſiniſtram ſeparatos, & triſtes . . . & dixerunt nobis, componite inter nos: quia exiſtis, & ſic nos relinquitis? Et diximus illis: non tu es Papa noſter, & tu Presbyter, ut quid vos ad pedes noſtros mittitis? & miſimus nos, & complexi eos ſumus, & cœpit Perpetua cum illis loqui .... Et cum loquimur cum eis, dixerunt illis Angeli, ſinite illos refrigerent: & ſi quas habetis inter vos diſſenſiones, dimittite vobis invicem, & conturbaverunt eos, & dixerunt Optato: corrige plebem tuam,,. Viden, ut corrigendæ plebis munus, adeoque adminiſtrandæ Eccleſiæ Epiſcopo tribuebatur ætate Tertulliani?

modi, ut deterrere Hierarchicos ab ſententia poſſe videatur. Nemo enim eſt noſtrum, qui Sacerdotes in re divina faciunda, præſidere neget. Quamquam eſſe duos Sacerdotum ordines, confitente Tertulliano, diximus, quorum alter eſt ſuperior *Epiſcoporum*, alter inferior *Presbyterorum ſimplicium*. Atque utrique jus Euchariſtiæ celebrandæ competere, certum eſt. Quare quicumque eorum rem divinam faciat, is in eo munere fungendo diaconis, ceteriſque Chriſtianis præſidet. Neque vero dum offerebant ſolum; ſed etiam dum collectas habebant, eleemoſynaſque colligebant, (1) Presbyteri primas, ſi abeſſet Epiſcopus, obtinebant partes. Verum in conſeſſu, inque adminiſtratione Eccleſiæ Epiſcopum Presbyteris haud præceſſiſſe, quis umquam oſtendet teſtimonio Tertulliani?

At Epiſcopos interdum Tertullianus *Seniores*, (2) hoc eſt *Presbyteros* appellavit. Jam hoc plus millies dixi: *Seniorum* gradus fuiſſe duos, quorum alter Epiſcoporum, alter Sacerdotum ſimplicium erat; quocirca mirabile minime videri, ſi quos Epiſcoporum, eoſdem quandoque Tertullianus *Seniorum*, ſed primi gradus, vocarit nomine, cum tot extent ejus ſcriptoris teſtimonia, ex quibus cognoſci poſſit, Epiſcopos, illius quidem ſententia, ſummos Sacerdotes eſſe, Presbyteriſque ſimplicibus (3) antecellere.

Denique quod Tertullianus ſtatuit: omnes Chriſtianos Sacer-

1 De Synaxi enim agit in ſupra deſcripto Apologetici loco Tertullianus. Sic enim ſcribit: ,, Coimus ad litterarum divinarum commemorationem, ſi quid præſentium temporum qualitas, aut præmonere cogit, aut recognoſcere. Certe fidem ſanctis vocibus poſcimus, ſpem erigimus, fiduciam figimus, diſciplinam præceptorum nihilominus inculcationibus denſamus. Ibidem etiam exhortationes, caſtigationes, & cenſura divina. Nam & judicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conſpectu, ſummumque futuri judicii præjudicium eſt, ſi quis ita deliquerit, ut a communicatione orationis, & conventus, & omnis ſacri commercii relegetur. Præſident probati quique ſeniores &c.

2 Vide ſupra *pag.* 420. *not.* 1.

3 Liber v. Carminum contra Marcionem non eſt Tertulliani. Quod ſi hujuſmodi carminibus agendum eſt, conſtabit Epiſcopos auctoritate eſſe Presbyteris ſuperiores, jam uſque a temporibus Apoſtolorum. Nam ſi omnes Presbyteri pares Epiſcopis erant, cur unum ſolum in Cathedra Petri ſediſſe auctor Carminum *lib.* III. *pag.* 635. eique ſingulares Epiſcopos ſucceſſiſſe, diceret?

,, Hac Cathedra, Petrus qua ſederat ipſe, locatum
,, Maxima Roma Linum primum conſidere juſſit.
,, Poſt quem Cletus & ipſe gregem ſuſcepit ovilis.
,, Hujus Anacletus ſucceſſor ſorte locatus.
,, Quem ſequitur Clemens &c.

Sacerdotes eſſe, offerreque, ſi Sacerdos non adſit, poſſe, propterea quod diſcrimen inter Clerum, & Laicos Eccleſia conſtituerit, ὑπερβολικῶς, hoc eſt exſuperantia quadam, ut ſolebat, orationis ſtatuit, eoque omnino ſenſu, qui non pugnet cum Orthodoxorum & vera & ab Apoſtolis accepta ſententia. Nam eſt vocis *offerre* ſignificatio duplex. Aut enim (1) conſecrare Corpus, & Sanguinem Domini ſignificat,

1 Tertullianus *lib. de Exhortat. Caſtit. cap.* VII. *pag.* 522. ,, Differentiam, *inquit*, ,, inter Ordinem, & plebem conſtituit Eccleſiæ auctoritas ,, . At hæc de inſtitutione ordinis intelligi non poſſunt. Nam quod Laicos offerendi facultate præſtare, ſcribit, accipi alioſum non debet, atque acceptum ſemper a Patribus fuerit. Patres autem conficiendæ Euchariſtiæ poteſtatem, niſi Sacerdotibus, nemini competere tradiderunt. Itaque cum Tertullianus Laicis offerendi jus tribuit, non de *conficienda* Euchariſtiæ poteſtate, ſed de alia quapiam, ſi qua eſt, loquatur oportet. Eſt vero vocabuli τοῦ *offerre* ſignificatio apud majores noſtros multiplex. Ac recte quidem Petavius *in Diatriba cap.* 1. quam adverſus Anonymum edidit, *tom.* IV. *Theologicor. Dogm. pag.* 206. *edit. Antuerp.* ,, Sic in Chriſtiana ,, Eccleſia vetere, *inquit*, ad altare offerri varia munuſcula conſueverant, ut mel, lac, ,, aves, & animalia quædam, ac legumina, quæ deinceps offerre prohibet canon III. Apo- ,, ſtolicus, ac novas dumtaxat ſpicas permittit, nec non oleum, & thymiama. Quæ omnia ,, non ſoli fideles offerebant, ſed etiam Epiſcopus, vel Sacerdos ab illis accepta, quod ,, verba canonis indicant ,, . *Et pag.* 207. ,, Hinc ergo conſtat, Epiſcopum, aut Sacer- ,, dotem, qui veram, & incruentam oblationem, ac ſacrificium offerebant, etiam alia præ- ,, ter illud obtuliſſe, in quibus nulla fiebat conſecratio, eamque oblationem, & ad altare ,, factam, & eo tempore, quo divina Myſteria peragebantur. Simul & hoc obiter notan- ,, dum, offerendi verbum latius patere, nec de ſolis uſurpari ſymbolis Dominicæ paſſionis, ,, quæ non offeruntur ſolum, ſed etiam conſecratione mutantur. Sine qua mutatione non ,, poteſt ſacrificii ratio conſtare .... In Chriſtiano ſacrificio tam προσφορὰ, ſive *oblatio*, ,, quam conſecratio cernitur; qua panis, atque vini ſubſtantia ... in Chriſti corpus, & ſan- ,, guinem convertitur. Totum ipſum tamen ſacrificium ab una, & priori actione nomine ,, accepto, vocatur oblatio. At fieri poteſt, ut ex duabus ſola tantum uſurpetur oblatio, ,, quemadmodum in ea λειτουργίᾳ uſuvenit, quæ ἐκ τῶν προηγιασμένων a Græcis appellatur: ,, qualem in Paraſceve magna Latinæ Eccleſiæ conſuetudo retinet. Tum enim Dominicum ,, corpus offertur ſine conſecratione, quæ pridie eſt facta. De hoc ergo λειτουργίας, ſive ,, oblationis genere, ſi qua vel ſcripto, vel ſermone mentio fieret, erraret profecto, qui ,, cum λειτουργίαν, oblationemque eſſe factam audiret, ſtatim huic adjunctam fuiſſe conſecra- ,, tionem diceret ,, . Animadvertit deinde Petavius, duobus modis diſtingui oblationem a conſecratione poſſe; 1. cum longe ante conſecratus vivificus panis offertur, ut in *præſanctificatorum Miſſa*; 2. cum ante conſecrationem ſimplex panis ab Laicis etiam mulieribus offerebatur. Invaluiſſe præterea apud veteres Chriſtianos morem, ut qui communicandi jus haberent, iidem panem, & vinum in Eccleſiam deportarent, & ibidem offerrent. ,, Quod ,, etiam, *inquit*, ſacrificium vocat Cyprianus in libro de Opere, & Eleemoſyna .... *Quæ* ,, *in Dominicum ſine ſacrificio venis &c.* ... Hanc græci canones προσφορὰν vocant ,, . Concludit denique Petavius *ibid. cap.* II. *pag.* 207. Tertullianum, etſi tanta non ſit auctoritate, ut nobis negotium exhibere queat, cum, teſtibus Hieronymo, & Hilario, Eccleſiæ homo non fuerit, ſcripſeritque librum de Exhortatione Caſtitatis, cum jam ad Montaniſtas hæreticos defeciſſet, tamen explicari, transducique facile illius ſententiam in Catholicum ſenſum poſſe. Nam ,, mos, *inquit*, illic vetere in Eccleſia fuit, ut in Synaxibus, ut ex ,, Plinio *lib.* X. *epiſt.* XCVII. & Juſtino Martyre *Apolog.* I. *n.* LXV. colligitur, Euchariſtiam, ,, ideſt corpus Dominicum .... unuſquiſque fidelium acciperet .... & vel ſtatim abſumeret, ,, vel reſervaret, ac domum deferret. Docet hoc Tertullianus in extremo *libro de Oratione* (*cap.* XIV. *pag.* 136.) *Accepto*, inquit, *corpore Domini, ac reſervato, utrumque* ,, *ſal-*

cat, quod munus tribui, niſi Sacerdoti, nemini certe miniſtrorum, atque laicorum poteſt; aut diſtribuendæ, ſumendæque Euchariſtiæ, quam Sacerdos conſecraverit, rationem, uſurpatis certis quibuſdam precationum verbis, quæ uſurpari in Eccleſia conſueverant; id quod, ſi neceſſitas cogat, Eccleſiaque conceſſerit, cadere in laicum poteſt. Hoc poſtremo ſenſu Tertullianus omnes Chriſtianos Sacerdotes eſſe, diſcrimenque inter ordinem, & laicos eſſe ab Eccleſia conſtitutum, minus proprie loquens confirmat. Nam aliis locis idem non humano jure, ſed divino eſſe ordinem Eccleſiaſticum in Chriſtianam rempublicam invectum tradit (1), hæreticoſque homines, qui contra aut putarent, aut facerent, inſectatur.

Decimum & quintum argumentum e tertii ſeculi Patrum teſtimoniis concludunt, qui Blondellum auctorem ſequuntur. Initium autem ab Origene capiunt, atque hunc quidem, etſi morem ſuorum temporum conſectatum, Epiſcopos, Presbyteros, Diaconoſque alicubi nominaſſe concedunt; tamen cum de ordinibus diligenter ageret, duos poſuiſſe putant, quorum alter Presbyterorum, alter diacono-

,, *ſalvum eſt, & participatio ſacrificii, & executio officii* ... Cum igitur Chriſtiani perſe-
,, cutionis metu in cryptis, ac latebris deliteſcerent, credo aſſenſuros omnes, interdum
,, uſuveniſſe, ut Chriſti corpus ſecum eo portarent, ac ſi nullus eſſet Sacerdos, delectus ali-
,, quis e laicorum numero, illud ipſum offerret Deo certis ad id precibus adhibitis, quas
,, in ſynaxibus audire conſueverant, atque in omnes diſtribueret. Ita enim ſacrificii, ac
,, publicæ, & legitimæ λειτουργίας ſpeciem quamdam uſurpabant, quæ magno ipſis eſſet
,, ſolatio. Hoc tum illi faciebant, cum Sacerdotum nullam omnino copiam habere pote-
,, rant. Nam ſi commode id poſſet fieri, ad illos Sacerdos aliquis aſpirabat, præſertim ad
,, eos, qui propter Chriſti confeſſionem in carcere, ac cuſtodia vincti detinebantur, quos
,, confeſſores nominabant. Hujus rei locupletem dabo teſtem Cyprianum *epiſt.* v. ubi in
,, adeundis, viſitandiſque confeſſoribus cautione, ac prudentia uti præcipit, ut ne *glome-*
,, *ratim, ac per multitudinem ſimul junctam*, ad eos accedatur, ne *ex hoc ipſo invidia*
,, *concitetur, & introeundi aditus denegetur*. Tum ut *Presbyteri quoque, qui illic apud*
,, *confeſſores offerunt, ſinguli cum ſingulis Diaconis per vices alternent* .... *ſi autem laici*
,, ... abſente Sacerdote offerre, & conſecrare poterant, quid attinebat .... tanto cum ca-
,, pitis periculo ventitare Sacerdotes .... ut pro illis offerrent? ... Non igitur prorſus omni
,, Sacerdotali poteſtate, ac functione laicos Tertullianus inſtruxit, neque conſecrare ....
,, poſſe illos credidit, ſed offerre tantum, quod quia ſoli fere, ac publice Sacerdotes
,, faciebant, ideo laicos, qui idem interdum, & in neceſſitate agerent, Sacerdotes eſſe
,, dixit, non præciſa, & exacta ratione, ſed ſimilitudine quadam, & declamatoria hy-
,, perbole.

1 Vide locum Tertulliani *ex cap.* XLI. *lib. de Præſcript. Hæreticor.* quem nos deſcripſimus ſupra *pag.* 324. *hujus vol. in notationibus*, & teſtimonia cetera, quæ *ibid.* exhibuimus *pag.* 323. *ſeq.*

conorum eſſet. Ac diſertiſſima quidem hujus eſſe, ajunt, in Homiliis *in Numeros* (1), in *Cantica* (2), in *Hieremiam* (3), inque *Matthæum* (4) teſtimonia.

Deſcendunt ad Epiſtolam Cleri Romani ad Carthaginienſium Clerum ſcriptam. Ex ea vero, quid ſibi juris Preſbyteri, diaconique in adminiſtranda, gubernandaque Eccleſia vindicarent, demonſtrari perfacile poſſe arbitrantur. Nam præpoſitos ſeſe (5), Chriſti vicarios, paſtoreſque vocant, onuſque ſibi regendorum, cuſtodiendorumque fratrum impoſitum eſſe contendunt. Id vero numquam dixiſſent, ſi ut Epiſcopis, ita quoque Presbyteris minime tradita adminiſtrandæ Eccleſiæ poteſtas fuiſſet.

Idem concludi ex litteris Caldonii ad Cyprianum (6), Compresbyteroſque datis, Blondellus cenſet. Hos enim, ac Cyprianum una Eccleſiam gubernaſſe indicari ab Caldonio, arbitratur.

Neque vero diſcrepare Cyprianum putat. Majorum enim inſtituto præpoſitum eumdem Presbyteris fuiſſe dicit, quin

1 *Homil.* II. *num.* 1. *tom.* II. *opp. edit. Monach. s. Mauri*. Ordo eſt ſtatutus a Chriſto, „ quærere prius regnum Dei, & juſtitiam ejus, & credere quod ſecundo loco hæc nobis „ apponantur. Homo ergo ſecundum ordinem ſuum incedat. Putaſne qui Sacerdotio fun- „ guntur, & in Sacerdotali ordine gloriantur, ſecundum ordinem ſuum incedunt, & agunt „ omnia, quæ illo ordine digna ſunt? ſimiliter autem, & Diaconi putas ſecundum ordinem „ Miniſterii ſui incedunt? Et unde eſt, quod ſæpe audimus blaſphemare homines, & dicere: „ Ecce qualis Epiſcopus, aut qualis Presbyter, vel qualis Diaconus? Nonne hæc dicuntur, „ ubi vel Sacerdos, vel miniſter Dei viſus fuerit in aliquo contra ordinem ſuum venire, „ & aliquid contra Sacerdotalem, vel Leviticum ordinem gerere?

2 *Homil.* II. *in Cant.* laudat Blondellus *ibid. cap.* XIII. *pag.* 39. quaſi ſic habeat. „ Vidit, & ſedes puerorum ejus (*Reginæ Saba*) Eccleſiarum (*puto*) ordinem dicit, qui in „ Epiſcopatus, vel Presbyterii ſedibus habetur. Vidit & ordinationes, ſive ſtationes Mi- „ niſtrorum ejus, Diaconorum, ut mihi videtur, ordinem memorat, conſtantem divino „ Miniſterio.

3 *Homil.* VII. *nunc vero* XI. *num.* III. *tom.* III. „ Nos qui putamur aliquid eſſe, „ ideſt, qui in Clericatus vobis ordine præſidemus, intantum, ut quidam de minori gradu „ ad hunc locum cupiant pervenire, noſſe debetis non ſtatim in eo ſalvandos, quia Clerici „ ſumus; multi enim & Presbyteri pereunt, & Laici beatiſſimi reperiuntur.

4 Hæc ibid. profert Blondellus *ex Orig. Tract.* V. *in Matthæum* „ Chriſtum Eccleſiæ „ caput eſſe, non ego, ſed Apoſtolus intellexit. Sacerdotes autem rationabiliter poſſunt „ dici Eccleſiæ oculus, quoniam & ſpeculatores habentur. Diaconi autem ceterique mini- „ ſtri manus, quoniam per eos opera ſpiritualia univerſa geruntur &c „. *Et ex Tract.* XXIV. „ Proprie Epiſcopus Dominus Jeſus eſt. Et Presbyteri Abraham &c. Vel ceteri, qui hoc „ nomine digni habiti ſunt, quales fuerunt Apoſtoli Chriſti. Diaconi vero ſeptem Archan- „ geli ſunt, ad quorum myſteria ſeptem Diaconi in Actibus ſunt ordinati.

5 Integrum epiſtolæ locum deſcribam paullo poſt, cum huic argumento ſatisfecero.

6 Vide locum infra *pag.* 432. *hujus vol. not.* 2.

ἀρχοντικῶς; (1) *principum more* quidpiam aggrederetur, ac faceret. Immo vero partitum cum iis curam, ac poteſtatem (2) fuiſſe addit, gubernaſſeque hoc modo Carthaginienſem Eccleſiam. Adducit deinde loca ex Epiſtolis Cypriani quædam ſicque jam ſtatuit: „ (3) quis vel ex Cypriani unius arbitrio „ pependiſſe, vel in Cleri abſentis contumeliam eorum or- „ dinationem ceſſiſſe dixerit, quos Clericorum numero *di-* „ *vina dignatio* adſcribebat „? Quare non *pependiſſe ex unius Cypriani arbitrio* cooptationem cujuſquam in Clerum.

Magno præterea argumento putat eſſe, quod Cyprianus Carthaginienſes Presbyteros laudaverit, qui Gajum Diddenſem Eccleſiaſtica communione (4) prohibuiſſent; quod de Philumeno, & Fortunato Hypodiaconis, & Favorino Acolutho rogatus, nihil ſe dixerit, abſentibus quibuſdam e Clero (5), facturum; quod cum Presbyteris rem ſe Eccle- ſiæ

1 Blondellus *ibid. cap.* XVI. *pag.* 41. *ſeqq.*

2 Blondellus ibid. „ *Data*, ait, *ad Clericos ſuos Cyprianus an.* 250. *epiſtola* VI. Ad „ vos, *inquit*, properare, & venire deberem &c. ut ea, quæ circa Eccleſiæ gubernacula „ utilitas communis expoſcit, tractare ſimul, & plurimorum conſilio examinata limare poſ- „ ſemus &c. a primordio Epiſcopatus mei ſtatueram, nihil ſine conſilio veſtro, & ſine con- „ ſenſu plebis meæ privata ſententia gerere, ſed cum per Dei gratiam venero, tunc de iis, „ quæ vel geſta ſunt, vel gerenda (ſicut mutuus honor expoſcit) in commune tractabimus. „ *Epiſt.* X. *ad eoſdem*: Erunt rei qui præſunt, & hæc fratribus non ſuggerunt, ut inſtructi „ a Præpoſitis faciant omnia cum Dei timore. *Epiſt.* XVIII. Quæ res cum omnium noſtrum „ conſilium, & ſententiam ſpectet, præjudicare ego & ſoli mihi rem communem vindicare „ non audeo. *Cum Saturum Lectorem*, *Optatum Confeſſorem Hypodiaconum in ſeceſſu* „ *feciſſet*, *excuſat epiſtola* XXIV. Jampridem, *inquit*, communi conſilio Clero proximos „ feceramus &c. Nihil ergo a me abſentibus vobis novi factum eſt, ſed quod jampridem „ communi conſilio omnium noſtrum cœperat, neceſſitate urgente promotum eſt. *Rurſus* „ *epiſtola* XXXIII. *Aurelium Confeſſorem Officio lectionis admotum renuncians hæc habet*: „ In Ordinationibus Clericis, fratres cariſſimi, ſolemus vos ante conſulere, & mores, ac „ merita ſingulorum communi conſilio ponderare &c. Hunc a me, & a collegis, qui præſen- „ tes aderant, ordinatum ſciatis &c. *Quaſi dicat*, *nec ſolus*, *nec in contemtum veſtri*, *ſed* „ *cum bona venia veſtra ordinavi*. *In eamdem ſententiam epiſt.* XXXIX. Ego, & Collegæ „ mei, qui præſentes aderant, referimus ad vos, Celerinum fratrem noſtrum virtutibus pa- „ riter, & moribus glorioſum Clero noſtro non humana ſuffragatione, ſed divina dignatio- „ ne conjunctum &c. Presbyterii honorem deſignaſſe nos illis (*Aurelio*, & *Celerino*) jam „ ſciatis &c. Seſſuris nobiſcum, provectis, & corroboratis ſuis annis. *Epiſt.* XXXV. Admo- „ nitos nos, & inſtructos ſciatis dignatione divina, ut Numidicus Presbyter adſcribatur „ Presbyterorum Catholicorum numero, & nobiſcum ſedeat in Clero &c.

3 Blondellus *ibid. pag.* 42. poſt deſcriptum, quem extrema notatione ſuperiore retulimus Cypriani locum.

4 Laudat Cypriani *epiſt.* XXVIII. quæ ſic habet. „ Integre, & cum diſciplina feciſtis, „ fratres cariſſimi, quod conſilio collegarum meorum, qui præſentes erant, Gajo Diddenſi „ Presbytero, & Diacono ejus cenſuiſtis non communicandum.

5 *Ibid.* „ Non potui me ſolum judicem dare, cum multi adhuc de Clero abſentes ſint &c. „ Limanda plenius ratio non tantum cum Collegis meis, ſed & cum plebe univerſa. *Et* *epiſt.*

ſiæ publicam gerere (1), confirmarit; quod Præpoſitorum (2) nomine interdum Presbyteros deſignaverit; quod pari honore Epiſcopos, Presbyteroſque obſervandos (3) ſanxerit; quod duas in claſſes Clerum tribuerit, quarum altera Præpoſitorum, altera Diaconorum eſſet.

Adducit poſtremo ex Epiſtola Firmiliani Cæſareenſis (4) in Cappadocia Epiſcopi ad Cyprianum Carthaginienſem, de *Senioribus*, & *Præpoſitis*, qui quotannis de rebus Eccleſiaſticis acturi congregabantur, inſignem locum, exque eo efficere ſe poſſe contendit, pares Epiſcopis ſeniores, hoc eſt Presbyteros fuiſſe, ut qui non regendæ Eccleſiæ modo, ſed etiam ordinandorum Clericorum auctoritate præſtarent.

Sed hoc argumenti genus omnibus ſuis partibus nutat. Principio, qua tandem fronte, ac confidentia Origenem ſuæ

„ *epiſt.* XXXII. Plenius conſilio communi tractabimus, quando convenire in unum permittente Deo cœperimus. *Et* LXXI. Nuper in Concilio plurimi coepiſcopi cum compresbyteris, qui aderant, cenſuimus. *Et* LXXXIII. Quid de cetero nos obſervare conveniat &c. inſtruente Domino, in communi diſponemus.

1 Blondellus *ibid. pag.* 42. *ſeq.* „ Idem *epiſt.* LVIII. *an.* 253. *ad Lucium Papam data*: cum Epiſcopo Presbyteros Sacerdotali honore conjunctos *monet*, *adeo ut una præſideant*; *ſic enim Cornelium Papam epiſt.* LV. *anno proximo præcedente ſcripta compellaverat*: quamquam ſciam, frater cariſſime, pro mutua dilectione, quam debemus, & exhibemus invicem nobis, florentiſſimo illic Clero tecum PRÆSIDENTI legere te ſemper litteras noſtras &c.

2 Blondellus *ibid. pag.* 43. „ *Epiſtola denique* LXIX. *anno* 253. *ad Florentium Pupianum data*. Præpoſitos *quoſcumque* Apoſtolorum ſucceſſores *palam pronunciat*: per Apoſtolos, *inquit*, dicit Dominus ad omnes præpoſitos, qui Apoſtolis vicaria ordinatione ſuccedunt: *qui vos audit &c.*

3 Blondellus *ibid. pag.* 43. *ſeq.* „ Sed id exceptione omni majus eſt, quod conſtanter Cleri corpus διχοτομεῖ. *Epiſt.* LXXII.: *cum omnes omnino diſciplinam tenere oporteat, multo magis Præpoſitos, & Diaconos curare hoc fas eſt*. Ep. LXV. *Meminiſſe Diaconi debent, quoniam Apoſtolos, id eſt Epiſcopos, & Præpoſitos Dominus elegit; Diaconos autem poſt aſcenſum Domini in Cælum Apoſtoli ſibi conſtituerunt Epiſcopatus ſui, & Eccleſiæ miniſtros*. Epiſt. LXVIII. *Nec hoc in Epiſcoporum tantum, & Sacerdotum, ſed in Diaconorum Ordinationibus obſervaſſe Apoſtolos animadvertimus Act.* 1. 6. *quod utique idcirco tam diligenter, & caute convocata plebe tota, gerebatur, ne quis ad altaris Miniſterium, vel ad Sacerdotalem locum obreperet*. Epiſt. LXXII. *Oportet Sacerdotes, & Miniſtros integros eſſe*. De lapſis: *non in Sacerdotibus religio devota; non in miniſtris fides integra*. Erant igitur ex Cypriani mente duæ tantum univerſi Cleri claſſes: altera *præpoſitorum*, ſeu *Sacerdotum*, Epiſcopos, & Presbyteros complexa; altera Diaconorum, ſeu Miniſtrorum: Præpoſiti ſeu Sacerdotes (qua tales) nemine excepto, Apoſtoli erant, & Apoſtolis vicaria ordinatione ſuccedebant: Presbyteri eodem cum Epiſcopis; Sacerdotali nimirum honore conjuncti; eodem a fraternitate cultu proſequendi, σύνθρονοι, συνιδρυταὶ, cum Epiſcopis ex conſuetudine præpoſitis, manus pœnitentibus imponebant &c.

4 Confer locum infra *pag.* 436, *hujus vol. not.* 3.

ſuæ opinionis teſtem Blondellus citat ? Annon ille ſæpe ac multum (1) Epiſcopos nominat,eorumque auctoritatem,poteſtatemque anteponit ſuæ ? Nam ſi Presbyteros inferiores Epiſcopis & gradu, & dignitate, & poteſtate fatetur eſſe, ſuæ quidem certe poteſtati prætulerit Epiſcopalem neceſſe eſt, ut qui conſtitutus eſſet in ordine Presbyterorum. Atque experiundo ille quoque cognoverat, quid Epiſcopi (2) in Eccleſia poſſent. Novimus enim quot fuerit Alexandriæ perpeſſus calamitates, Demetrii cauſſa, utque ſe in fidem, & clientelam Alexandri Epiſcopi Hieroſolymorum receperit. Neque vero humano inſtituto Epiſcopatum fuiſſe in Eccleſiam invectum Origenes cenſuit, qui in eos auctoritatem clavium, quam Chriſtus Petro tradiderat, manaſſe, ipſoſque principatum in Chriſtiana republica obtinere, & tradere improbos, ſceleſtoſque homines Satanæ in interitum carnis, conſentiente Paulo Apoſtolo, poſſe, fatetur. Illum autem, qui ſic ſtatuat, quo tandem modo pertrahere Blondello licebit in partes Puritanorum ? At Presbyteros, diaconoſque duos ordines in Eccleſia conſtituere, Origenes arbitratur. Non equidem nego. Verum qui Epiſcopos, Presbyteroſque aliis in locis diſtinguit, is plane, ubi de ſolis Presbyteris, diaconiſque loquitur, ſatis indicat, Presbyterorum ordinem duos continere gradus, quorum ſit alter Epiſcoporum, alter Presbyterorum *ſimplicium*, commonſtratque nobis ad teſtimonia veterum explicanda viam. Nam ſi Origenes, qui Epiſcopos a Presbyteris, Diaconiſque diſtinguit, alicubi ſolos Presbyteros, diaconoſque nominat, Presbyterorumque nomine ordines, ſeu gradus duos Epiſcoporum, & ſecundi gradus ſacerdotum ſignificat, quid impediet, quo minus Presbyterorum vocabulo veteres Clemens, Polycarpus, Irenæus duos item gra-

1 Conſule Origenis teſtimonia, quæ ſupra deſcripſi *pag.* 325. *hujus vol. not.* 1:

2 Confer Euſebium *lib.* VI. *Hiſt. Eccl. cap.* XXIII. *pag.* 249. *edit. Taurin.* „ Origenes compellente ipſum neceſſitate, ob Eccleſiaſtica negotia in Achajam profectus, cum per Palæſtinam tranſiret, Presbyterii gradum per impoſitionem manuum Cæſareæ ab illius regionis Epiſcopis accepit. Porro qui deinceps motus ejus cauſſa fuerint concitati, & quæ ſuper iiſdem motibus a præſulibus Eccleſiarum conſtituta ſint, & quæcumque alia vigens ipſe ..... contulit, proprium opus requirunt &c. Conſule, quæ *ſeqq. capp.* ſubdit Euſebius.

gradus ſacerdotum complexi ſint, quorum alter ſuperior eſſet, hoc eſt Epiſcoporum, alter vero ſimplicium ſacerdotum inferior?

Eadem fere de Romani Cleri ad Carthaginienſes epiſtola dici adverſus Blondellum poſſunt. Ubinam enim ſeſe Epiſcopis Romanæ Eccleſiæ Presbyteri æquarunt? Annon iidem ipſi Presbyteri, Diaconique Romæ conſiſtentes fuerunt, qui ſcriptis ad Cyprianum litteris (1), nequire, dixerunt, ſe, mortuo Fabiano Epiſcopo, quidquam de lapſis ſtatuere, donec unus aliquis Pontifex conſtitueretur, qui rem moderaretur, eorumque, qui in idololatriam incidiſſent, *cum auctoritate*, & conſilio haberet rationem? Quæ igitur hæc tanta Blondelli audacia fuit, ut Cleri Romani verba raperet in pejorem partem? Quod ſi ſeſe Præpoſitos vocaverunt, nihil inde commodi polliceri ſibi Blondellus poteſt. Epiſcopo enim vita functo, quamdiu Eccleſia paſtore, ſeu Epiſcopo vacat, Presbyteris, Diaconiſque rem Eccleſiæ publicam adminiſtrare jus eſt, quæ neque graviſſima ſit, neque Epiſcopalem poſtulet poteſtatem. Atque hoc quidem pacto Presbyteri, Diaconique ſeſe dicunt, præpoſitos videri, viceque *Paſtoris* (2) cuſtodire gregem. Qua in re fidem Blondelli, diligentiamque deſidero. Is enim, ubi Epiſtolæ partem retulit, atque hæc verba deſcripſit: *Nobis qui videmur eſſe præpoſiti, & vice paſtoris cuſtodire gregem*: mox addidit: *nimirum Chriſti*. Nam Presbyteri *Paſtoris* nomine *Epiſcopum* ſignificarunt, quo tum carebant, cujuſque *vice* gregem cuſtodire cœperant. Cumque ad Carthaginienſes ſcripſiſſent, quorum Antiſtes Cyprianus Carthagine ſeceſſerat, factum hinc eſt, ut ejuſdem Epiſtolæ exemplaria quædam reperiantur, in quibus *vice paſto-*

1 Apud Cyprianum *epiſt.* xxx. *al.* xxxi. *pag.* 58. *ſeqq. edit. Oxon.* „ Quamquam nobis „ differendæ huius rei neceſſitas major incumbat, quibus poſt exceſſum nobiliſſimæ memoriæ „ Fabiani, nondum eſt Epiſcopus propter rerum, & temporum difficultates conſtitutus, „ qui omnia iſta moderetur, & eorum, qui lapſi ſunt, poſſit cum auctoritate, & conſilio „ habere rationem.

2 Apud Cyprianum *epiſt.* viii. *al.* iii. *pag.* 16. *edit. Oxon.* Scripta eſt epiſtola, quum mortuo Fabiano, Eccleſia Romana paſtore vacabat. Habet autem hoc modo: „ Et „ cum incumbat nobis, qui *videmur* præpoſiti eſſe, & vice paſtoris cuſtodire gregem, ſi „ negligentes inveniamur, dicetur nobis, quod & anteceſſoribus noſtris dictum eſt, qui „ tam negligentes præpoſiti erant, quoniam perditum non requiſivimus, & errantem non „ correximus, & claudum non colligavimus &c.

paſtorum (1) legatur. Neque vero quemquam eſſe arbitror tam imperitum noſtrarum rerum, qui Epiſcopos appellari nequire *paſtores* putet. Quamquam qui vice *Epiſcopi*, ſeu *paſtoris* vice, iidem vice Chriſti, hoc eſt *principis paſtorum* gregem cuſtodire & commode dici, & jure poſſunt.

De Caldonio quod addit Blondellus leviſſimum eſt. Non enim Epiſcopos Presbyteris æquat Caldonius, neque humanam eorum eſſe inſtitutionem ſcribit. Immo vero cum Cyprianum (2) priore loco, tum Presbyteros nominet, plane ſignificat, quam eſſet ille Presbyteris ipſis auctoritate præſtantior. Neque nos communi conſilio Epiſcopi, ac Presbyterorum res Eccleſiæ magnas imprimis, & graves fuiſſe conſtitutas negamus. Conſulto enim opus eſſe quandoque Epiſcopi arbitrabantur, ne quid ſuo arbitratu, temereque feciſſe viderentur. Sed de conſilio nulla eſt quæſtio. De auctoritate diſputamus. Verum hac de re in Epiſtola Caldonii nihil ſtatuitur contra Orthodoxorum ſententiam.

Eſt autem magnis in erratis, quod ex Epiſtolis Cypriani concludere ſe poſſe, Blondellus putat. Sunt enin Sanctiſſimi Martyris pro ſententia Orthodoxorum luculentiſſima teſtimonia. Sed age cujuſmodi ſit Blondellianum argumentum videamus. Partitus, inquit, Cyprianus cum Presbyteris Eccleſiæ curam, adminiſtrationemque fuit. Quid tum? An ergo æquales Epiſcopis Presbyteri fuerunt? Quis autem tam eſt diſciplinæ, quæ Cypriani ætate obtinebat, imperitus, qui neſciat, communicare interdum non modo cum Presbyteris, Diaconiſque, ſed etiam cum plebe Epiſcopos (3) conſilium conſueſſe? Quemquam ne igitur tam eſſe laicum amentem putem, qui Epiſcoporum poteſtatem æquandam arbitretur ſuæ? Non ergo Epiſcopi pares Presbyteris fuiſſe, hoc

1 Codex *Vatic.* 2. laudatus *ab editore Oxonienſi opp. s. Cypr. pag. eadem*.

2 Apud *Cyprian. epiſt.* XXIV. *pag.* 49. „ Cypriano, & Compresbyteris Carthagini „ conſiſtentibus Caldonius ſalutem ..... Ad conſilium veſtrum (lapſos reſipiſcentes) dimiſi, „ ne videar aliquid temere præſumere. Si quid ergo ex communi conſilio placuerit, ſcribite mihi.

3 S. Cyprianus *epiſt.* XXXIV. *al.* XXVIII. *pag.* 68. *edit. Oxon.* „ Cui rei non potui me „ ſolum judicem dare, cum multi adhuc de clero abſentes ſint, ne locum ſuum, vel ſero „ repetendum putaverunt, & hæc ſingulorum tractanda ſit, & limanda plenius ratio, non „ tantum cum collegis meis, ſed & cum *plebe ipſa univerſa*.

hoc uno argumento, credendi ſunt, quod partiri cum Preſbyteris curam Eccleſiæ, communicatiſque conſiliis rem Chriſtianorum ſacram moderari, adminiſtrareque ſolerent. Verum in hoc etiam genere primas ſemper ſibi Epiſcopi ſervabant partes, ita ut agere quidem ſe, interdum ſignificarent, ſine Presbyterorum conſilio poſſe; Presbyteros autem ſine Epiſcopi ſententia non poſſe. Quare Cyprianus (1) conſtitutum ab ſe, jam uſque ab epiſcopatus initio, fuiſſe ſcribit, nihil inconſultis Presbyteris, Diaconiſque decernere. Ex qua re intelligitur, valuiſſe hominem auctoritate faciundi, quod ſibi videretur opportunum, quin Presbyterorum opera uteretur.

Quid? Si injuriam ſibi fieri, conqueſtus graviter Cyprianus (2) eſt, propterea quod, ſe neſcio, atque abſente, pacem lapſis concedendam Presbyteri quidam putaſſent? Itaque eos ſua auctoritate repreſſit, utque incœptis deſiſterent, coegit. Id vero quemadmodum ipſe unus auſus fuiſſet, ſi par ejus auctoritas fuiſſet auctoritati Presbyterorum? Atque uſum quidem ſe in deligendis, ordinandiſque Presbyteris Sacerdotum conſilio, ſcripſit, quo teſtes haberet virtutis eorum, qui de-

1 *Epiſt.* XIV. *al.* VI. *pag.* 33. „ Reſcribere nihil potui, quando a primordio Epiſcopatus mei ſtatueram, nihil ſine conſilio veſtro, & ſine conſenſu plebis, mea privatim ſententia, gerere; ſed cum ad vos per Dei gratiam venero &c.

2 Sanctus Cyprianus epiſt. XV. *al.* XI. *pag.* 33. „ Et credideram quidem Presbyteros, & Diaconos, qui illic præſentes ſunt, monere vos, & inſtruere pleniſſime circa Evangelii legem, ſicut in præteritum ſemper ſub anteceſſoribus noſtris factum eſt, ut Diaconi ad carcerem commeantes, martyrum deſideria conſiliis ſuis, & Scripturarum præceptis gubernarent; ſed nunc cum maximo animi dolore cognoſco, non tantum illic vobis non ſuggeri divina præcepta, ſed adhuc potius impediri, ut ea, quæ a vobis ipſis, & circa Deum caute, & circa ſacerdotem Dei honorifice fiunt, a quibuſdam presbyteris reſolvantur, qui nec timorem Dei, nec EPISCOPI honorem cogitantes, cum vos ad me litteras direxeritis, quibus examinari deſideria veſtra, & quibuſdam lapſis pacem dari poſtulaſtis, cum perſecutione finita convenire in unum locum cum clero, & recolligi cœperimus, illi contra Evangelii legem, contra veſtram quoque honorificam petitionem, ante actam pœnitentiam ..... ante manum ab Epiſcopo & Clero in pœnitentiam impoſitam, offerre pro illis, & Euchariſtiam dare, ideſt ſanctum Domini corpus profanare audeant „. Et *epiſt.* XV. *al.* X. *pag.* 36. „ Quando aliqui de Presbyteris, nec Evangelii, nec loci ſui memores .... NEQUE NUNC SIBI PRÆPOSITUM EPISCOPUM cogitantes, quod numquam omnino ſub anteceſſoribus factum eſt, cum contumelia, & contemtu PRÆPOSITI totum ſibi vendicent? Atque utinam non contra fratrum noſtrorum ſalutem ſibi omnia vendicarent. Contumeliam EPISCOPATUS NOSTRI diſſimulare, & ferre poſſum, ſicut diſſimulavi ſemper, & pertuli; ſed diſſimulandi nunc locus non eſt „. Confer epiſtolam XXXI. *al.* XXVI. *pag.* 63. *epiſt.* XXXIII. *al.* XXVII. *pag.* 66. *epiſt.* XXXIV. *al.* XXVIII. *pag.* 67. *ſeqq.*

lecti, ordinatique eſſent, non quo ſine Cleri auctoritate nihil ejuſmodi ab ſe fieri poſſe arbitraretur. Modo enim habuiſſet, ex quibus dignos aliquos eſſe, qui ordinarentur, intelligeret; cognorat, ineſſe ſibi de his rebus decernendi, inconſultis ceteris, poteſtatem (1).

Quod autem Cyprianus Presbyterorum, Diaconorumque conſilium laudaverit, qui, re cum Epiſcopis communicata, Gajo Diddenſi Presbytero ſacris interdicendum cenſuerunt; quodque ſe, cum Carthaginem revertiſſet, cum Clero de rebus quibuſdam acturum promiſerit; adfirmaritque interdum, ſtatuiſſe in concilio una cum Epiſcopis, compresbyteriſque neſcio quid ſe; epiſtolaſque ad Cornelium miſerit, quibus ſignificaret, gratum ſibi eſse, quod ſuæ litteræ florentiſſimo Urbis Clero legerentur, deterrere neminem noſtrum a ſententia poteſt. Cur enim non laudaſſet, quod recte, ſapienterque factum exiſtimaret? Quid autem fieri rectius, majoreque prudentia a Presbyteris Carthaginienſibus potuit, quam cum Gajum una cum lapſis verſari, contra atque præceptum ab Epiſcopo fuiſſet, communicareque cernerent; conſilium ab Antiſtitibus, abſente proprio Paſtore, petere, inque hominem novis rebus ſtudentem, quibuſcumque modis valerent, animadvertere? Nam quod promiſerit, ſe de Eccleſiæ rebus, cum in patriam revertiſſet, acturum, fecit, quod diſciplina eorum temporum, quodque ab illo, jam uſque ab initio Epiſcopatus, ſuſcepta ratio poſtulabat, ut omnes illius æquitatis, atque prudentiæ teſtes eſſent. Neque vero, ſi in conſilio adfuiſſe Presbyteros dixit, parem in dirimendis controverſiis, ſanciendiſque decretis auctoritati Epiſcoporum fuiſſe Presbyterorum auctoritatem dixit. Immo vero Epiſcopis a Chriſto fuiſſe adminiſtrandæ Eccleſiæ poteſtatem datam confeſſus eſt, (2) addi-

1 *Epiſt.* XXXVIII. *al.* XXXIII. „ In ordinationibus Clericis, fratres cariſſimi, ſolemus „ vos ante conſulere, & mores, ac merita ſingulorum communi conſilio ponderare. Sed „ expectanda non ſunt TESTIMONIA HUMANA, cum præcedunt divina ſuffragia. Aurelius „ frater noſter illuſtris adoleſcens a Domino jam probatur, & in Deo ſuo carus .... merebatur Clericæ ordinationis ulteriores gradus, & incrementa majora .... Hunc igitur, fratres dilectiſſimi, a me, & collegis, qui præſentes aderant, ordinatum ſciatis, quod & „ vos ſcio libenter amplecti, & optare tales in Eccleſia noſtra quamplurimos ordinari „. Similia habet de Numidico *epiſt.* LX. *al.* XXXV. *pag.* 78. *ſeqq.*

2 Vide Cypriani loca, quæ deſcripſi ſupra *pag.* 327. *hujus vol. not.* 1.

addiditque horum gradum jure divino fuiſſe diſtinctum a gradu (1) Presbyterorum .

Eſt autem ridiculum , ne gravius dicam , quod adverſarius adjungit , de lectis Romæ in Cleri conſeſſu Epiſtolis ad Cornelium ſcriptis a Cypriano . Quid enim inde colligi ad ſtatuendam Presbyterianorum ſententiam poſſit , non video .

Etſi vero Cyprianus Presbyteros interdum appellavit nomine Præpoſitorum , tamen cum Præpoſitos Apoſtolis ſucceſſiſſe (2) ſcripſit , non Presbyteros , ſed Epiſcopos indicavit . Atque id quidem illius verba omnino poſtulant . Igitur , qui alioſum eadem accipienda putant , næ hi vehementer errant .

Venio nunc ad poſtremam Blondelli animadverſionem quam ille & graviſſimam , & omni eſſe exceptione majorem putat . Diviſum , inquit, a Cypriano fuiſſe Clerum in partes duas , hoc eſt in ordines Præpoſitorum , & Diaconorum . At Cyprianus iiſdem in locis , quibus Blondellus abutitur ,

 voca-

1 S. Cyprianus *epiſt.* LIX. *al.* LV. *pag.* 128. *ſeqq.* de Sacerdotibus ſuperioris gradus , hoc eſt Epiſcopis agens , conſtitutos jure divino eſſe pronunciat , & Presbyteros , aliuſque , qui Epiſcopis reſiſtant , & minime pareant , in ſchiſmaticis numerandos ſtatuit . „ Scriptum „ eſt , *inquit* , Principem populi tui non maledices . Cum hæc tanta , ac talia , & multa „ alia exempla præcedant , quibus Sacerdotalis auctoritas , & poteſtas de divina Digna- „ tione firmatur , quales putas eſſe eos , qui Sacerdotum hoſtes , & contra Eccleſiam Ca- „ tholicam rebelles , nec præmonentis Domini comminatione , nec futuri judicii ultione „ terrentur ? Neque enim aliunde hæreſes obortæ ſunt , aut nata ſunt ſchiſmata , quam in- „ de, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur , nec unus in Eccleſia SACERDOS , & ad tempus „ JUDEX VICE CHRISTI cogitatur , cui ſecundum magiſteria divina obtemperaret fraterni- „ tas univerſa , nemo adverſum Sacerdotum collegium quidquam moveret, nemo poſt Di- „ vinum judicium , poſt populi ſuffragium , poſt Epiſcoporum conſenſum , judicem ſe jam „ non EPISCOPI , SED DEI faceret .... Niſi ita eſt aliquis ſacrilegæ temeritatis , ac perditæ „ mentis , ut putet, ſine Dei judicio fieri ſacerdotem „ &c.

2 Confer *epiſt.* LXI. *al.* LVIII. *pag.* 140. *ſeqq.* Epiſtola autem LXVI. *pag.* 165. quæ eſt ad Florentium Pupianum Schiſmaticum , ſic habet . „ Nec hæc jacto , ſed dolens pro- „ fero , cum te judicem Dei conſtituas , & Chriſti , qui dicit ad Apoſtolos , ac per hoc „ ad omnes præpoſitos , qui Apoſtolis vicaria ordinatione ſuccedunt , *qui audit vos , me* „ *audit , & qui me audit , audit eum , qui me miſit* .... Inde enim ſchiſmata , & hære- „ ſes obortæ ſunt , & oriuntur , dum Epiſcopus , qui unus eſt , & Eccleſiæ præeſt , ſuperba „ quorundam præſumtione contemnitur , & homo dignatione Dei honoratus , indignus ab „ hominibus judicatur . Quis enim hic eſt ſuperbiæ tumor , quæ arrogantia animi , quæ „ mentis inflatio , ad cognitionem ſuam Præpoſitos , & Sacerdotes vocare , ac niſi apud te „ purgati fuerimus , & ſententia tua abſoluti , ecce jam ſex annis nec fraternitas habuerit „ Epiſcopum , nec plebs Præpoſitum , nec grex Paſtorem , nec Eccleſia Gubernatorem , nec „ Chriſtus Antiſtitem , nec Deus Sacerdotem „ ? Ecquis autem non videat dicta hæc de Epiſcopo fuiſſe ?

vocabulo Præpoſitorum Epiſcopos (1) indicat, omittit autem Presbyteros, quod eorum mentio ad inſtitutum non pertineret. Epiſtola autem LXVII. ex qua locum decerpſit, nominati a Cypriano Epiſcopi, Sacerdotes ſecundi ordinis, Diaconique fuerunt (2). Quare quidquid deinceps concludit Blondellus nugatorium eſt, omnibuſque ſuis partibus nutat, & claudicat.

Ad Firmilianum quod attinet, paucis expediri poteſt. Is enim Seniorum, Præpoſitorumque vocabulis, non quoſcumque Presbyteros indicavit, ſed eos dumtaxat, qui acceſſiſſent ad gubernacula Eccleſiaſticæ Reipublicæ, Epiſcopique appellarentur, ſimplicibuſque Presbyteris (3) antecellerent. Atque id quidem non arbitratu noſtro, ſed veritate, Firmilianique ſententia dici, ex eadem ipſa epiſtola, quam Blondellus nobis adverſari cenſet, perfacile intelligitur. Quare non eſt neceſſe, ut in hoc Blondelliano argumento refellendo diutius eſſe operam conterendam putem.

Sextum ac decimum argumentum Pontii, quo Diacono uſus

1 Confer *epiſt.* IV. *al.* LXII. *pag.* 8. *ſeqq.* Quodſi præpoſitorum nomine presbyteros intellexit, quod cum his conſilia Epiſcopus communicaret, tamen *ibid.* Cyprianus *Epiſcopos* a ſimplicibus *ſacerdotibus* diſtinxit *pag.* 9. Conſule *epiſt.* XXXIII. *pag.* 66. *Epiſt.* vero III. *al.* LXV. *pag.* 5. non erat opus presbyteros commemorare, cum de Diacono ageretur, qui Epiſcopum inſectatus fuerat contumelia. Scribit enim ad Rogatianum Epiſcopum hoc modo. „ Graviter, & dolenter commoti ſumus ego, & collegæ, qui præſentes aderant .... lectis tuis litteris, quibus de Diacono tuo conqueſtus es, quod immemor ſacerdotalis loci tui ... contumeliis .... te exacerbaverit. Et tu quidem honorifice circa nos, & pro ſolita tua humilitate feciſti, ut malles de eo nobis conqueri, cum PRO EPISCOPATUS VIGORE, ET CATHEDRÆ AUCTORITATE HABERES POTESTATEM, qua poſſes de illo ſtatim vindicari .... Meminiſſe autem Diaconi debent, quoniam Apoſtolos, ideſt Epiſcopos, & Præpoſitos Dominus elegit, Diaconos autem poſt aſcenſum Domini &c.

2 *Epiſt.* LXVII. *al.* LXVIII. *pag.* 172. „ Nec hoc in EPISCOPORUM tantum, & SACERDOTUM, ſed in Diaconorum ordinationibus obſervaſſe Apoſtolos animadvertimus &c.

3 *Epiſt. inter Cyprianicas* LXXV. *pag.* 221. *edit. Oxon.* „ Quum omnis poteſtas, & gratia in Eccleſia conſtituta ſit, ubi præſident majores natu, qui & baptizandi, & manum imponendi, & ordinandi poſſidens poteſtatem „. Quinam autem hi ſint *majores natu*, explicat paullo poſt *pag.* 225. „ Poteſtas ergo peccatorum remittendorum Apoſtolis data eſt, & Eccleſiis, quas illi a Chriſto miſſi conſtituerunt, & EPISCOPIS, qui eis ordinatione vicaria ſucceſſerunt. Hoſtes autem hujus Catholicæ Eccleſiæ, in qua nos ſumus, & adverſarii noſtri, qui Apoſtolis ſucceſſimus, ſacerdotia ſibi illicita contra nos vindicantes, & altaria profana ponentes, quid aliud ſunt, quam Chore, & Datan, & Abiron pari ſcelere ſacrilegi &c. „. Mox de Stephano Romano Pontifice agens, a cujus ſententia abhorrebat. (Nam Firmilianus Aſtis Epiſcopis, qui cum Cypriano erant, aſſentiebatur) „ Quod ſi qui, *inquit*, de Epiſcopatus ſui loco gloriatur, & ſe ſucceſſionem Petri tenere contendit, ſuper quem fundamenta Eccleſiæ collocata ſunt, multas alias Petras inducat &c. „ Singulares igitur Epiſcopos & præſediſſe Eccleſiis, & Apoſtolis ſucceſſiſſe pugnat.

uſus eſt Cyprianus, teſtimonio nititur. Hæc enim ab eo eſſe ſtatuta Blondellus jactat. Primo, Cyprianum poſt baptiſmum mox ad Epiſcopatum evectum, Presbyterium, & Sacerdotium ſive accepiſſe, ſive emeruiſſe. Secundo, in presbyterio, & ſacerdotio creditos ei fuiſſe omnes Eccleſiaſticorum honorum gradus. Tertio, vitæ Cypriani ſtatum fuiſſe duplicem, primum Laici, alterum Presbyteri. Quarto, ad *Epiſcopatus gradum*, quem ante Presbyterium, & Sacerdotium ſive emeruiſſet, ſive accepiſſet, *electum neophytum*. Quinto, munus, quo maxime illuſtris fuit, ſacerdotium fuiſſe. Quare pari auctoritate Epiſcopos, Presbyteroſque excelluiſſe.

At Presbyterium ſatis explicate ab Epiſcopatu diſtinguit Pontius (1), atque huic attribuit ſacerdotii appellationem, quod eos præcipue ſacerdotes vocandos judicaret, qui ſuperiorem ejus ordinis gradum occupaviſſent. Eſt vero hic ſenſus verborum Pontii, quibus confidit Blondellus. Cyprianum vix myſteriis noſtris initiatum, fuiſſe ordinatum Presbyterum, paulloque poſt, cum tam exiguo tempore & plura, & præclara facinora edidiſſet, ſumma omnium ordinum conſenſione, dictum fuiſſe Epiſcopum Carthaginienſium. Itaque *neophytum*, ac *novellum*, cum multi reperirentur, & religionis cultu, & ordinatione antiquiores, fuiſſe ad Epiſcopatum nolentem raptum. Itaque tres vitæ Cypriani ſtatus fuiſſe, primum *laici*, alterum *Presbyteri*, tertium *Sacerdotis primi*. Quare quæ de *Presbyterio*, & *Sacerdotio* Blondellus turbat, cum aliena ab inſtituto Pontii ſint,

1 *Pag. 2. ejuſd. edit.* „ Mora circa gratiam Dei nulla, nulla dilatio. Parum dixi: „ Presbyterium, & Sacerdotium ſtatim accepit. Quis enim non omnes honorum gradus „ crederet, tali mente credenti? Multa ſunt quæ adhuc *plebejus*, multa quæ jam *presbyter* fecit, multa quæ ad veterum exempla juſtorum imitatione conſimili proſecutus, „ promerendo dominum *totius religionis obſequio* præſtitit .... Ad probationem bonorum „ operum ſolum hoc arbitror ſatis eſſe, quod judicio Dei, & plebis favore ad officium *Sacerdotii*, & *Epiſcopatus* gradum adhuc neophytus, & ut putabatur novellus electus eſt ... „ Non prætaeribo etiam illud eximium, quemadmodum eum in dilectionem ejus, & honorem totus populus adſpirante Domino proſiliret, humiliter ille ſeceſſit, antiquioribus „ cedens, & indignum ſe titulo tanti honoris exiſtimans, ut dignus magis fieret. Magis „ enim dignus efficitur, qui quod meretur, excuſat. Quo tunc ardore plebs æſtuans fluctuabat, ſpiritali deſiderio concupiſcens, ut exitus docuit, non tantum Epiſcopum, ſed „ in eo, quem tunc latentem divinitatis præſagio taliter flagitabat, non ſolummodo ſacerdotem, ſed & futurum etiam martyrem requirebat „. Confer quæ ſequuntur. In iis „ autem Cyprianum Epiſcopum, & Pontificem, & Antiſtitem vocat.

ſint, nihil Catholicis exhibere negotii poſſunt. Pontius enim, ut perſpicue dilucideque ageret, *Presbyterium* a *Sacerdotio* primi gradus diſtinxit. His autem diſtinctis, animadverſiones quæque Blondellianæ nutent, corruantque, neceſſe eſt; quæ omnes ſumtæ, concluſæque ſunt, quod is Blondellus a Pontio confuſum Presbyterium cum primo Sacerdotio fuiſſe aut putaret, aut mentiretur.

Eſt autem decimum, ac ſeptimum argumentum petitum ex Patrum ſcriptis, qui quarto Eccleſiæ ſeculo floruerunt. Ac priore quidem loco Euſebium Cæſareenſem adverſarii (1) teſtem appellant. Ab hoc enim eos, qui Apoſtolis ſucceſſerunt, Eccleſiaſque moderati ſunt, Presbyteros vocatos, & Presbyteratum, quem nos ſimplicem dicimus, *τὴν ἀνωτάτω τιμὴν ſupremum honorem* appellatum, & ordines in Eccleſia duos fuiſſe numeratos, ajunt, quorum unus ductorum, alter ſubditorum eſſet; qui rurſum in fidelium, ac catechumenorum claſſes divideretur. Eum, qui ſic ſtatuat, auctoritatem Epiſcoporum æquare, cenſent, poteſtati Presbyterorum ſimplicium.

Euſebio aſſentiri Hilarium Epiſcopum Pictavorum (2) pugnant, qui duos item ordines numeraverit, quorum unum, hoc eſt Sacerdotum in Aarone ſignificatum, alterum, ideſt diaconorum in Levi commonſtratum arbitraretur. De Hilario diacono, cujus teſtimonio abuti Puritani majorem in modum ſolent, ſingulari argumento agam, quod longiorem poſcat orationem.

Ego vero neſcio, ſtuporem ne Blondelli, an impudentiam, temeritatemque mirer. Cum enim tot extent ab Euſebio de Epiſcopis, Presbyteris, Diaconiſque relicta poſterorum memoriæ monumenta (3), quæ & perſpicua ſint, & obduci

1 Blondellus *ibid. cap.* XI. *pag.* 45. *ſeqq.*

2 Blondell. *ibid. cap.* XX. *pag.* 46. *ſeqq.*

3 Conſule Euſebium *lib.* II. *cap.* I. *Hiſt. pag.* 42. *edit. Taurinenſis*, Clemens, inquit, „ in VI. Inſtitutionum libro ita tradit. Ait enim poſt Servatoris aſcenſum (*Apoſtolos*) „ Jacobum cognomine juſtum Hieroſolymorum EPISCOPUM elegiſſe „. Et *cap.* XXIII. *pag.* 70. „ Cum Paulus ad Cæſarem provocaſſet, Romamque a Feſto miſſus eſſet, *Judæi*, „ qui inſidias ipſi ſtruxerant, ſpe ſua fruſtrati, in Jacobum fratrem Domini, cui EPISCO„ PALIS HIEROSOLYMORUM SEDES AB APOSTOLIS TRADITA FUERAT, rabiem convertunt. *Cap.*

duci tenebris nullo modo poſſint, tum eadem Blondellus, dolo, ac fraude, tacitus prætermiſit, inque ſuum librum tranſtulit teſtimonia, quæ tametſi facilia explicatu ſint, tamen implicata aliquanto eſſe viderentur.

Quis autem neſciat, Epiſcoporum, qui a Presbyteris diſtincti eſſent, hiſque auctoritate dignitateque præſtarent, inſtitutionem jam uſque a primis Eccleſiæ temporibus ductam ab Euſebio fuiſſe, confirmatamque (1) multis eam, quæ in hoc genere, voluntate Chriſti, Apoſtolorumque conſenſu, invaluerat, traditionem? Age vero qui Ignatii Epiſtolas probavit (2), in quibus tam diſtincte de Epiſcopis Chriſti ſententia inſtitutis, de Presbyteris, deque Diaconis ageretur, is ne Presbyterorum dignitati, quæ erat inferior, dignitatem æquaſſet ſuam? Atque eſt illud etiam incredibile, ut qui catalogos ſingularium Epiſcoporum, qui Eccleſias rexiſſent, ab Irenæo, Hegeſippo (3), aliiſque editos, & deſcripſit, & laudavit, is oblitus ſui, accederet opinioni Aerianorum? Quid? Si in quoque libro Hiſtoriæ quærat, qui Epiſcopi Eccleſias ſub quoque Imperatore moderati ſint, hoſque non plures, qui eumdem cœtum moderarentur, ſed ſingulares, quorum unus alteri ſucceſſiſſet, commemoret? An Epiſcopus ſeriem (4) tradens Epiſcoporum,

„ *Cap.* XXIV. *pag.* 75. „ Primus poſt Marcum Evangeliſtam Alexandrinæ Eccleſiæ adminiſtrationem ſuſcepit Anianus „. Et *lib.* III. *cap.* II. *pag.* 79. Ceterum poſt Pauli, Petrique Martyrium primus Eccleſiæ Romanæ *Epiſcopatum* ſuſcepit Linus „. Confer §. hujus *num.* II.

1 Confer notationem ſuperiorem. Adiſis etiam *lib.* III. *Hiſt. Euſeb. cap.* IV. *pag.* 81. & *lib.* III. *cap.* XXIII. *pag.* 99. *ubi* „ Cum poſt obitum Tyranni, *inquit*, (*hoc eſt Domitiani*) ex Inſula Pathmo Epheſum rediiſſet Johannes, ad finitimas quoque provincias „ rogatus ſe contulit, partim ut EPISCOPOS CONSTITUERET, ὅπου μὲν ἐπισκόπους καταστήσων, partim ut Eccleſias integras diſponeret, ac formaret, partim etiam, ut homines ſibi a divino ſpiritu indicatos in Clerum quemdam, ſeu ſortem Domini ſeponeret „. Sed ſimilia paſſim in Hiſtoria Euſebii reperiuntur.

2 *Lib.* III. *Hiſt. cap.* XXXVI. *pag.* 114. *ſeqq.*

3 Vide *numer.* II. *hujus Paragraphi*.

4 *Cap.* IV. *lib.* III. *Hiſt. pag.* 81. „ Timotheus .... Eccleſiæ Epheſinæ Epiſcopatum „ primus accepiſſe dicitur .... Titus Inſulæ Cretæ Eccleſiarum Epiſcopus .... Linus primus „ poſt Petrum .... Eccleſiæ Romanæ Epiſcopatum adeptus eſt .... Clemens quoque is, qui „ tertius Eccleſiæ Romanæ Epiſcopus eſt conſtitutus. Areopagitam illum nomine Dionyſium .... Athenienſis Eccleſiæ primum Epiſcopum fuiſſe tradit alter quidam Dionyſius „ Corinthiorum Epiſcopus antiquiſſimus ſcriptor „. *Cap.* XI. *pag.* 94. „ Omnes uno conſenſu Simeonem filium Cleopæ ... Epiſcopali ſede dignum judicaverunt. *Cap.* XIII. *pag.* 94. „ Linus Eccleſiæ Romanæ Epiſcopus .... Anacleto deinde eam regendam tradidit „.

rum, quos, Blondello prædicatore, pares dignitate, auctoritateque Presbyteris fuiſſe exiſtimabat, omiſſis reliquis Presbyteris, unius tantummodo feciſſet mentionem? Sed quid multis eſt opus? Annon idem ille eſt Euſebius, qui Cornelii Epiſtolam ad Fabium Antiochenum, quæ ſcripta adverſus Novatianum fuit, maximi fecit, in ſuamque Hiſtoriam tranſtulit? qua in Epiſtola Pontifex quot Presbyteris præſideret (1), ſcripſit. At Presbyterorum nomine vocat Epiſcopos libro v. & vi. (2) Hiſtoriæ. Quis negat? Quamquam ſunt ea verba conſuetudini temporum accommodata, quibus florebant Irenæus Epiſcopus Lugdunenſium, & Alexandrinus Clemens. Tunc enim obtinuiſſe morem Presbyterorum vocabulo appellandi Epiſcopos, diximus, non quo Presbyteri *ſimplices* æquales, pareſque Epiſcopis eſſent, ſed quo Epiſcopi primum gradum ſacerdotii occupantes, primi quoque gradus, ordiniſque Presbyteri dici commode poſſe viderentur. Neque vero Presbyteros Epiſcopis æquavit Euſebius,

„ dit „. *Cap.* xiv. *pag.* 95. „ Primus Alexandrinorum Eccleſiæ Epiſcopus Anianus ..... „ abiit e vita. Cui ſecundus ordine ſucceſſit Avilius „. *Cap.* xv. *pag.* 96. „ Anacletus „ exactis in Epiſcopatu annis duodecim ſucceſſorem reliquit Clementem „. *Cap.* xxi. „ *pag.* 98. „ Cum Avilius, qui per tredecim annos Alexandrinam rexit Eccleſiam, mortuus eſſet, in ejus locum ſucceſſit Cerdo „. *Cap.* xxii. *pag.* 99. „ Apud Antiochiam „ vero defuncto Evodio .... ſecundus tum maxime florebat Ignatius „. *Cap.* xxxvi. *p.* 113. „ Iiſdem temporibus florebat in Aſia Polycarpus Apoſtolorum diſcipulus, qui e familiari- „ bus, ac miniſtris Domini Smyrnenſis Eccleſiæ Epiſcopatum acceperat. Papias quoque „ Hierapolitanus Epiſcopus eadem ætate celebris fuit „. *Ibid. pag.* 114. de Ignatii Epiſtolis agens „ Cum Smyrnam veniſſet, *inquit*, in qua tunc erat Polycarpus, unam „ quidem Epiſtolam ſcripſit ad Eccleſiam Epheſiorum, in qua Oneſimi ipſorum paſtoris „ mentionem facit. Alteram quoque dedit ad Eccleſiam Magneſiæ civitatis, quæ ad Me- „ andrum ſita eſt, in qua etiam Damæ ἐπισκόπου EPISCOPI mentionem facit. Aliam item „ ad Eccleſiam Trallianorum, cujus Antiſtitem tunc fuiſſe memorat Polybium „ *lib.* iv. „ *cap.* i. *pag.* 121. „ Cerdo ..... abiit e vita, quartuſque ab Apoſtolis miniſterium ejus „ Eccleſiæ ſortitus eſt primus. Eodem tempore cum Evareſtus annos octo in Pontificatu „ exegiſſet, Romæ Epiſcopatum ſuſcepit Alexander „. Confer *cap.* iv. & *cap.* v. *p.* 129. *cap.* xi. *pag.* 132. *cap.* xiv. *pag.* 137. *cap.* xix. *pag.* 154. *cap.* xx. *pag.* 155. *cap.* xxiii. *pag.* 158. *cap.* xxiv. *pag.* 160. *cap.* xxv. & xxvi. *pag.* 161. *cap.* xxvii. *pag.* 164. *lib.* v. *cap.* xi. *pag.* 175. *cap.* xiv. *pag.* 185. *cap.* vi. *pag.* 187. *cap.* viii. *pag.* 189. *cap.* ix. *pag.* 191. *cap.* x. *pag.* 191. *cap.* xii *pag.* 193. *cap.* xv. *pag.* 196. *ubi Florinum* Presbyterum Romæ aliquando ſub commodo fuiſſe ſcribit. At ſi auctoritas Epiſcoporum, & Presbyterorum par erat, cur Florinum in cenſum Epiſcoporum non retulit? *Et cap.* xx. *p.* 205. *cap.* xxii. *pag.* 209. *cap.* xxiv. *pag.* 211. *ſeqq. lib.* vi. *cap.* x. *pag.* 232. *cap.* xxi. *pag.* 248. *cap.* xxvi. & xxvii. *pag.* 254. *cap.* xxix. *pag.* 255. *cap.* xxxv. *pag.* 259. *cap.* xl. *pag.* 262. *ſeqq. cap.* xliii. *pag.* 269. &c.

1 *Cap.* xliii. *lib.* vi. *pag.* 269. *ſeqq.*

2 *Lib.* v. *Hiſt. cap.* viii. *pag.* 189. & *lib.* vi. *cap.* xiv. *pag.* 237.

ſebius, propterea quod Origenem fuiſſe ſupremo honore dignum ab Epiſcopis judicatum tradiderit. Quamvis enim Origenem Epiſcopi Presbyterum ordinarunt, tamen, cum tanta eruditionis exiſtimatione floreret, judicare dignum potuerunt, qui Epiſcopatu in Eccleſia (1) potiretur. Nec Epiſcopatum continuo obtinent, qui pares cenſentur adminiſtrandæ, gubernandæque Eccleſiæ. Eſt item veri eorum reſponſio ſimilis, qui *Presbyteratum* (2) vocari *ſupremum honorem* ab Euſebio potuiſſe putant, ſi habeatur inferiorum ordinum ratio. Quum enim præſtantior Presbyter Diacono ſit, ſupremus ſit honor presbyteratus, neceſſe eſt, ſi cum diaconatu comparetur. Jam vero Presbyterum Euſebius, niſi voluntate Epiſcopi (3), jus docendi ſibi arrogare potuiſſe, negat. Extremus locus Euſebii (4), quem tantopere Blondellus vexat, non eſt ad rem. Alioqui Diaconi, quos cum Epiſcopis, & Presbyteris, Ductorum nomine complectitur Euſebius, æquales Epiſcopis, Presbyteriſque eſſent, quod ne Puritani quidem conceſſerint. Reipublicæ namque noſtræ duos eſſe ordines Euſebius ſcribit, unum Ductorum, alterum Laicorum. Laicos porro in baptizatos, & catechumenos partitur. Ductorum autem vocabulo, quos tandem niſi Eccleſiaſticos indicat? Eccleſiaſticorum vero quis neget, tres potiſſimum ordines fuiſſe ab Euſebio numeratos, unum Epiſcoporum, qui ceteris eſſet excellentior, alterum Presbyterorum, qui Diaconis præſtarent, tertium Diaconorum? Quodſi horum trium in præparatione Evangelica non meminit Euſebius, contentuſque *generali*, quam vocant, diſtinguendi Laicos ab Eccleſiaſticis, ratione fuit, non ſequitur, reprobatum ab illo unquam fuiſſe modum ſubdividendi Ductorum ordinem in claſſes tres, quem modum aliis in libris tenuiſſet. Id autem

1 Euſebius *lib.* VI. *cap.* VIII. *Hiſt. pag.* 230. „ Probatiſſimi, & maxime inſignes „ apud Palæſtinam Antiſtites Cæſarienſis ſcilicet, & Hieroſolymitanus cum Origenem Πρεσβεῖων τὸν Ὠριγένην, καὶ τῆς ἀνωτάτω τιμῆς ἄξιον εἶναι δοκιμάσαντες *cum Origenem* „ *prærogativa*, *&* *ſupremi honoris apice dignum judicaſſent*, manus ei imponentes, Pre„ sbyterum ordinaverant.

2 Natalis Alex. *Diſſ.* 1. *Triad. Diſſ. de Epiſc. Eminent. pag.* 95. *edit. Pariſ. an.* 1678.

3 *Ibid. cap.* XXVIII. *pag.* 254. „ Sed & Alexander Hieroſolymorum, & Theoctiſtus Cæ„ ſareæ apud Palæſtinam Epiſcopus .... ſoli interpretationem ſacræ Scripturæ, ac reliquum „ omnes Eccleſiaſticæ Doctrinæ officium permiſerunt.

4 Vide ſupra *pag.* 2. *hujus vol. not.* 2.

ſi ita ſe haberet, nihil negotii eſſet, Patrum ſententias, atque decreta pervertere, qui quod uno in loco explicate dixiſſent, aliis in locis tacuerunt, propterea quod idem tunc ad eorum inſtitutum pertinere non putarent.

De Hilario Pictavienſi pauca dicam. Itaque ille Sacerdotum (1) nomine Epiſcopos imprimis ſignificavit. Cum enim indicatos ab Aarone ſacerdotes fuiſſe confirmarit; Aaron autem Pontifex Hebræorum Maximus fuerit, ſequitur ut Hilarius non quoſcumque intellexerit, ſed eos, qui primum ſacerdotii gradum obtinerent. Ac omittere quidem Blondellus (2) locum Hilarii poterat, cum hujus viri luculentiſſima teſtimonia ſint, quibus non debilitetur modo error Puritanorum, ſed etiam funditus labefactetur. Eſt vero Hilarii in octavo de Trinitate libro inſignis locus. In eo namque libro Epiſcopos (3) ab Apoſtolo indicari ſcribit, principeſque Eccleſiæ eoſdem & appellari, & eſſe. Miror autem quid ſit, quod Hilarium Blondellus ſui erroris teſtem appellet, hominem & Epiſcopum, & acerrimum defenſorem dignitatis ſuæ: omittatque Athanaſium [4] Luciferum Calarita-

1 S. Hilarius *in Pſ. cxxxiv. n. xxvii. pag. 480. edit. Pariſ. Monach. S. Mauri*, ubi hanc ſententiam deſcripſit. „ *Domus Iſrael benedicite Dominum, domus Aaron benedicite Dominum, domus Levi benedicite Dominum, qui timetis Dominum, benedicite eum* „; hæc habet. „ In his nominum, atque officiorum diſtinctionibus omnem Eccleſiæ populum „ complexus (*Pſalmiſta*) eſt, ſed per nuncupationum, & proprietatum ſignificationem ipſa „ illa officiorum merita diviſit &c. In Aaron Sacerdotes ſignificari non ambiguum eſt. Sacerdos enim in lege primus fuit Aaron, & exinde in ſucceſſione ejus Sacerdotum honor „ manſit. In Levi autem miniſtros oſtendi abſolutum eſt. Hæc enim tribus in miniſterium „ electa eſt. Reliquus autem populus cum non Sacerdotii, nec miniſterii, ſed timoris officium eſt, in his, qui timent Dominum nuncupatur. Docet autem nos Apoſtolus, ſuper „ omnes hos eſſe Iſrael, cum ait, *Galat.* vi. & quotquot regulæ huic obſecundabunt, pax „ ſuper eos, & miſericordia, & ſuper Iſrael. Sacerdotes, & miniſtros officii ſui regula in „ eo, quod agunt, continet, ſed præſtat longe voluntate magis agere, quam lege &c.

2 *Ibid. cap. xx. pag. 47.*

3 *Pag. 946. ſeq. edit. ejuſd.* „ Beatus Apoſtolus Paulus formam conſtituendi Epiſcopi fingens, & plane novum Eccleſiæ hominem præceptis ſuis condens, hanc veluti ſummam „ conſumatarum in eo virtutum eſſe docuit, dicens: obtinentem ſecundum doctrinam fidei „ verbum, ut potens ſit exhortari ad doctrinam ſanam, & contradicentes revincere.... „ Quia non ſtatim boni, atque utilis Sacerdotis eſt, aut tantummodo innocenter agere, aut „ tantummodo ſcienter prædicare; cum & innocens ſibi tantum proficiat, niſi doctus ſit, „ & doctus ſine doctrinæ ſit auctoritate, niſi innocens ſit. Non enim Apoſtolicus ſermo „ probitatis, honeſtatiſque praeceptis hominem tantum ſeculo conformat ad vitam, neque „ rurſum per doctrinæ ſcientiam ſcribam ſynagogæ inſtituit ad legem, ſed perfectum Eccleſiæ principem perfectis maximarum virtutum bonis inſtruit, ut & vita ejus ornetur docendo, & doctrina vivendo.

4 Vide ſupra *pag. 328. not. 2. hujus vol.*

ritanum, alioſque Patres, qui quarto Eccleſiæ ſeculo non minore doctrina, exiſtimationeque virtutis floruerunt [1].

Octavum, ac decimum argumentum repetunt adverſarii ex Hilarii diaconi in epiſtolas Pauli [2] Commentariis. Vixit is Hilarius Damaſi tempore. Multa vero de Epiſcopis, atque Presbyteris diſputavit, quibus maxime niti, atque confidere Puritani [3] ſolent. Colligenda autem omnia, atque in hunc locum transferenda ſunt, ne quid a nobis quiſquam prætermiſſum fuiſſe queratur. Habet igitur Hilarius in IV. epiſtolæ ad Epheſios caput hoc modo. „ Apoſtoli Epiſcopi, „ Prophetæ vero exploratores ſunt Scripturarum, quamvis „ inter ipſa primordia fuerint Prophetæ, ſicut Agabus, & „ quatuor virgines Prophetantes, ſicut continetur in actis „ Apoſtolorum, ſed propter rudimenta fidei commendan- „ da, nunc autem interpretes Prophetæ dicuntur. Evan- „ geliſtæ diaconi ſunt, ſicut fuit Philippus; quamvis non „ ſint ſacerdotes; evangelizare tamen poſſunt ſine cathedra, „ quemadmodum & Stephanus, & Philippus memoratus. „ Paſtores poſſunt eſſe Lectores, qui lectione ſaginant popu- „ lum audientem, quia non in pane tantum vivit homo, „ ſed in omni verbo, quod procedit ex ore Dei. Magiſtri „ vero Exorciſtæ ſunt, quia in Eccleſia ipſi compeſcunt, & „ verberant inquietos, ſive ii, qui litteris, & lectionibus „ infantes ſolebant imbuere, ſicut mos Judæorum eſt, quo- „ rum traditio ad nos tranſitum fecit, quæ per negligen- „ tiam obſolevit. Inter iſtos poſt Epiſcopum plus eſſe intel- „ ligitur, qui propter reſeratum occultum Scripturarum „ ſenſum prophetare dicitur, præſertim, quia futuræ ſpei „ verba depromit. Qui ordo nunc poteſt eſſe presbyterii. „ Nam in Epiſcopo omnes ordines ſunt, quia PRIMUS SA- „ CERDOS EST, hoc eſt PRINCEPS EST SACERDOTUM; & Pro- „ pheta, & Evangeliſta, & cetera adimplenda officia Ec- „ leſiæ in miniſterio fidelium; tamen poſtquam omnibus lo-

1 Confer quæ ſcripſi ſupra *pag.* 124. *not.* 2. *hujus vol.*

2 *Tomo* II. *in Appendice opp. s. Ambroſii edit. Pariſ. Monach. s. Mauri pag.* 241.

3 Ita quidem Salmaſius *Diſſert. de Epiſc. & Presbyt. cap.* IV. *pag.* 205. Blondellus *ibid. cap.* XXI. *pag.* 47. *ſeqq.*

„ cis Eccleſiæ ſunt conſtitutæ, & officia ordinata, aliter
„ compoſita res eſt, quam cœperat. Primum enim omnes
„ docebant, & omnes baptizabant quibuſcumque diebus,
„ vel temporibus fuiſſet occaſio, nec enim Philippus tem-
„ pus quæſivit, aut diem, quo Eunuchum baptizaret, ne-
„ que jejunium interpoſuit, neque Paulus, & Silas tempus
„ diſtulerunt, quo Optionem carceris baptizarent cum
„ omnibus ejus, neque Petrus Diaconos habuit, aut diem
„ quæſivit, quando Cornelium cum omni domo ejus ba-
„ ptizavit, nec ipſe, ſed baptizare juſſit fratribus, qui cum
„ illo ierant ab Joppe. Adhuc enim præter ſeptem diaco-
„ nos nullus fuerat ordinatus. Ut ergo creſceret plebs, &
„ multiplicaretur, omnibus inter initia conceſſum eſt, &
„ evangelizare, & baptizare, & ſcripturas in Eccleſia ex-
„ planare. At ubi omnia loca circumplexa eſt Eccleſia;
„ conventicula conſtituta ſunt, & rectores, & cetera offi-
„ cia in Eccleſiis ſunt ordinata, ut nullus de clero auderet,
„ qui ordinatus non eſſet, præſumere officium, quod ſci-
„ ret non ſibi creditum, vel conceſsum; & cœpit alio or-
„ dine, & providentia gubernari Eccleſia; quia ſi omnes
„ eadem poſſent, irrationabile eſſet, & vulgaris res, & vi-
„ liſſima videretur. Hinc ergo eſt, unde nunc neque Dia-
„ coni in populo prædicant, nec clerici, vel laici bapti-
„ zant, neque quocumque die credentes tinguntur, niſi
„ ægri. Ideo non per omnia conveniunt ſcripta Apoſtoli or-
„ dinationi, quæ nunc in Eccleſia eſt, quia hæc inter ipſa
„ primordia ſunt ſcripta. Nam & Timotheum (Presbyte-
„ rum a ſe creatum) Epiſcopum vocat, quia primum Preſ-
„ byteri *Epiſcopi* appellabantur, ut recedente uno, ſequens
„ ei ſuccederet. Denique apud Ægyptum Presbyteri conſi-
„ gnant, ſi præſens non ſit Epiſcopus. Sed quia cœperunt
„ ſequentes Presbyteri indigni inveniri ad primatus tuen-
„ dos, immutata eſt ratio, proſpiciente Concilio, ut non
„ ordo, ſed meritum crearet Epiſcopum multorum ſacer-
„ dotum judicio conſtitutum, ne indignus temere uſurpa-
„ ret, & eſſet multis ſcandalum. In lege naſcebantur ſa-
„ cerdotes ex genere Aaron, Levitæ; nunc autem omnes
„ ex

„ ex genere ſunt ſacerdotali, dicente Petro Apoſtolo, *quia* „ *eſtis genus regale*, *& Sacerdotale*. Ideoque ex populo po- „ teſt fieri Sacerdos „. Rurſum in caput tertium Prioris ad Timotheum Epiſtolæ *p.* 295. „ Poſt Epiſcopum, *inquit*, diaconi „ ordinationem Apoſtolus ſubiecit. Quare? Niſi quia Epi- „ ſcopi, & Presbyteri una ordinatio eſt? Uterque enim ſa- „ cerdos eſt. Sed Epiſcopus primus eſt; ut omnis Epiſco- „ pus Presbyter ſit, non omnis presbyter Epiſcopus. Hinc „ enim Epiſcopus eſt, qui inter Presbyteros primus eſt. „ Denique Timotheum Presbyterum ordinatum ſignificat, „ ſed quia ante ſe alterum non habebat, Epiſcopus erat. „ Unde & quemadmodum Epiſcopum ordinet, oſtendit. „ Neque enim fas erat, aut licebat, ut inferior ordinaret „ majorem. Nemo enim tribuit, quod non accepit „. Ex his Hilarii verbis adverſarii colligunt: Quinque initio Eccleſiaſticorum munerum diſtinctiones fuiſſe. Primo, Apoſtolorum, ſeu Epiſcoporum. Secundo, Prophetarum, qui futura prædicerent, cujuſmodi Agabus, & Philippi Diaconi filiæ fuerunt; quamquam eos etiam, ſed minus proprie, appellat Prophetas Hilarius, qui Scripturas explicare deberent. Tertio, Evangeliſtarum, hoc eſt Diaconorum. Quarto, Paſtorum, quos fuiſſe *Lectorum* ſimiles arbitratur. Quinto, Magiſtrorum, ſeu Exorciſtarum. Animadvertunt deinde adverſarii in Eccleſiæ primordiis non fuiſſe opus ordinatione, auctore Hilario, ut obire cuipiam Eccleſiaſticum munus liceret. Hanc enim conſuetudinem invaluiſſe, cum late, longeque propagata religio eſt. Quare χειροθεσίαν non divini, ſed eccleſiaſtici juris eſſe. Synonyma porro fuiſſe *Presbyteri*, *Epiſcopique* vocabula. Nam Timotheum, qui a Paulo ordinatus eſt *Presbyter*, fuiſſe Epiſcopum appellatum. Inde eum, qui Presbyteris in quaque Eccleſia antiquior eſſet, in conſeſſu primam obtinuiſſe ſedem, & caput fuiſſe ceterorum. Id vero non Hilarii auctoritate modo, ſed etiam illuſtribus totius Chriſtianæ antiquitatis monumentis confirmari poſſe. Huc enim ſpectare, quod Apoſtulus jubet, ne quis neophytus Epiſcopus crearetur, quodque ſynodi Nicæna, Sardicenſis, Laodicena, Arelaten-

latenſis, & Pontifex Siricius probant. Non diſcrepare Clementem Romanum, qui *primitias*, hoc eſt primos, qui adducti ad Chriſtianam religionem fuerant, ab Apoſtolis auctos Epiſcopatus honore fuiſſe ſcribit. Conſtitutis vero, amplificatiſque Eccleſiæ rebus, ne, æquales cum eſſent omnes, perturbatio oriretur, & magna confuſio, majori natu honorem, ut patri, fuiſſe adhibitum, quin ei quiſquam hanc gloriam invideret. Id cleri conſidentis, ſtantiſque populi conſenſu fieri conſueſſe. Hanc Reipublicæ Chriſtianæ formam, rationemque vivis Apoſtolis fuiſſe. Eum autem, qui antiquior cum eſſet, aliiſque præcederet, remque Eccleſiaſticam, quaſi rector, inſpectorque adminiſtraret, fuiſſe Epiſcopum vocatum, cui rem Presbyteri ceteri gratam facturi, id vocabuli genus tribuerunt, quo ipſi etiam ante gaudere conſueviſſent. Cumque deinceps augeri opes Epiſcopi, dignitaſque amplificari cœpiſſet, ita fuiſſe affectos collegas Presbyteros, ut quod ille humano jure obtinebat, id divina voluntate illi eſſe traditum arbitrarentur. Hinc autem eveniſſe, ut, quod ab aliquibus olim uſurpatum eſſet, factum poſt fuerit ſermone tritum proverbium: *Omnis Epiſcopus Presbyter*, non *omnis Presbyter Epiſcopus*. Jam vero quum Presbyter ordinatione ceteris ſenior aptus interdum ad rem bene gerendam non videretur, immutatam fuiſſe rationem, conſtitutumque, ut *non ordo, ſed meritum crearet Epiſcopum*. Quamquam aliquanto eſſe cauſſam hujus immutationis ab Hieronymo indicatam prima ſpecie diſcrepantem. Nam hunc ſublatum fuiſſe conſuetudinem eligendi antiquiorem teſtari, vitandorum ſchiſmatum cauſſa. Verumtamen in idem fere hæc, atque illa, quæ ſunt ab Ambroſiaſtro, ſeu Hilario, ſcripta recidere. Cum enim eſſent, qui ambitione ducti munire ſibi ad Epiſcopatum viam conarentur; ab his antiquiorum Presbyterorum imbecillitatem, ſtuporem, imperitiamque accuſari conſueviſſe, dividique populos in factiones, quarum factionum aliqua Eccleſiaſtici *principatus* cupido ſuffragaretur. Hujuſmodi Diotrephem, Thebuthim, Valentinum, alioſque fuiſſe. Inde ad nonum uſque ſeculum manaſſe quædam, ex quibus veterem Eccleſiæ morem cognoſcere liceret.

ret. Nam eos, qui præfecti Eccleſiis eſſent, *Papas* vocatos fuiſſe, quaſi propter ætatem reliquorum parentes eſſent. Rurſum in quaque Provincia unum aliquem ordinatione antiquiorem fuiſse, qui, ut canon Apoſtolicus præſcribit, Epiſcopis ejuſdem ipſius Provinciæ antecelleret; idque jam Synodi, quæ anno 341. celebrata Antiochiæ eſt, auctoritate confirmari, efficique poſſe. Quid? Si Palmam Amaſtrianorum Antiſtitem ſecundo ſeculo Epiſcoporum Ponti Concilio, ut qui omnium antiquiſſimus eſſet, Euſebius præfuiſſe ſcribat? Cyprianum præterea, cum intellexiſſet poſtulari a populo Epiſcopum ſe, latebras quæſiviſſe, quod antiquioribus cedendum arbitraretur. Atque Cornelium Pontificem fuiſſe Epiſcopum factum *de Sacerdotum antiquorum Collegio*. Quinetiam Pudentianum a Cuiculis, *novitatem Epiſcopatus feciſſe*, fateri, *ut ſuſtineret, quid majores judicarent*. Immo vero *conſeniores* interdum ab Epiſcopis fuiſſe collegas appellatos. Statutum quoque interdum fuiſſe, ut qui inſectatus majorem natu contumelia eſſet, a vicinis Epiſcopis argueretur; ut ne cui ſcelere implicato jus ſeniorem accuſandi eſſet; ut ne primæ ſedis Epiſcopus *Princeps Sacerdotum*, aut *ſummus Sacerdos*, *ſed primæ ſedis Epiſcopus vocaretur*; ut qui antiquior ordinatione eſſet, is in provincia inter Epiſcopos primas obtineret partes; ut Maſſilienſis Proculus in Eccleſiis Provinciæ ſecundæ Narbonenſis, vel quas ſuas Parochias, vel in quibus ſuos diſcipulos ordinatos fuiſſe conſtitiſſet, primatus haberet dignitatem. Accedere ad hæc conqueſtiones Syneſii, qui ægre patiebatur, ut qui recens adlectus in clerum fuerat, is antiquis ſacerdotibus reſiſtere auderet. Romanos item *conſecratum divinæ inſtitutionis ordine* fuiſſe Bonifacium *veterem Presbyterum* dixiſse. Atque huc denique ſtatuta, ſententiaſque Synodorum Regenſis *an.* 439. Bracarenſis *an.* 563. Narbonenſis *an.* 589. Toletanæ IV. *an.* 633. Herndefordienſis *an.* 673. & Pontificum Leonis Magni, Hilarii; ac Patrum Auguſtini, Fulgentii, & Hincmari Remenſis ſpectare. Deſiiſſe paullo poſt exactos Apoſtolos antiquiorem Presbyterum ad primam cathedram evehendi morem, paullatimque obſoleviſſe conſuetudinem, qua fiebat, ut Metropolim moderarentur, qui ordinatio-

nationis antiquitate ceteris Epiſcopis Provinciæ præſtarent; demtaque una Africa, in aliis regionibus jus Metropoliticum in eum fuiſſe translatum, qui in Principe urbe Provinciæ Epiſcopatu potiretur. Igitur Hilario teſte primum communi conſilio Presbyterorum nulli ſedi addictorum Eccleſiam regi conſueſſe, nec ullum, præter Chriſtum, ubivis locorum fuiſſe habitum Chriſtianorum caput. Tum ſenioribus fuiſſe conceſſum, ut prima in Cathedra ſederent, ordineque fratribus pari honoris, & poteſtatis conſortio inſtructis præirent, paullatimque rectores fierent, tandemque in eos, qui conſenſu populi delecti Antiſtites eſſent, traductam fuiſſe non dignitatem modo; ſed etiam poteſtatem. Immo vero, Hilarii opinione, licet Eccleſiaſtico jure *non omnis Presbyter Epiſcopus* ſit, Epiſcopi tamen, & Presbyteri *unam eſſe ordinationem*, adeoque parem jure divino auctoritatem. Idque jam magis magiſque confirmari Ægyptiorum more poſſe, qui, Hilario confitente, ſi Epiſcopus non adeſſet, conſignari initiatos a Presbyteris, patiebantur. Non fuiſſe autem legem, qua, Hilarii tempore, cavebatur, ne Diaconi conciones ad populum haberent, omnium Eccleſiarum communem. Nam Ephræmum Syrum, & Johannem Chryſoſtomum orationes dixiſſe, cum Diaconi munus obirent, & graves, & elegantes. Plura, quæ rem demonſtrent, produci in medium exempla poſſe; ſed cum hæc ſatis ſint, nihil eſſe cauſſæ, quamobrem prætermittenda non videantur.

Ego vero primum quid de Hilario ſentiam, tum quæ ſit ejus de Epiſcoporum inſtitutione, auctoritateque opinio, poſtremoque quemadmodum ſint animadverſiones adverſariorum refellendæ, dicam. Itaque fuerunt, qui (1) Hilarium ad Luciferianos defeciſſe defenderent. Quorum ſi vera eſt ſententia, futurum arbitror neminem, qui illum ceteris Eccleſiaſticis Scriptoribus vetuſtate, religione, auctoritateque illuſtribus, quibuſcum Catholicis noſtris præclare convenit, præferendum putet. Sed quoniam fuiſſe majorum memoria, eſſeque hoc tempore permultos intelligo, eoſque jam eruditionis,

1 Bellarm. *de Script. Eccl. pag.* 174. *tom.* VII. *opp. edit. an.* 1728.

doctrinæque laude (1) præſtantes viros, qui Hilarium auctorem commentariorum in epiſtolas Pauli, conjunctum ſocietate communionis Eccleſiaſticæ cum Damaſo Pontifice, minimeque proinde contemnendum arbitrarentur (quibus propter rationum momenta, quibus nitebantur, atque fidebant, quaſque eſſe video ſimillimas veri, aſſentior) dabo equidem, eſſe illi in hoc genere adhibendam fidem.

Verum eſt Hilarii a decretis Puritanorum omnino diſcrepans ratio. Id autem ut conſtet, explicem illius neceſse eſt, atque evolvam diligenter ſententiam. Sed ſtatuit ille quidem initio ab *Epiſcopis* occupari locum *Apoſtolorum. Apoſtoli,* inquit, *Epiſcopi ſunt*. Quis negat? Etſi enim pares Apoſtolis non eſſe Epiſcopos, ſucceſſores tamen *Apoſtolorum* eſſe fatemur. Quod certe Puritani aut numquam, aut ægre conceſſerint. Quamobrem liquet, eſſe nobis ipſo in limine Hilarium conſentientem. Quod *explanatores Scripturarum* Prophetarum, & *Diaconos* Evangeliſtarum, & *Lectores* Paſtorum, *& Exorciſtas* Magiſtrorum nomine Hilarius vocet, nihil noſtra intereſt. Hæc enim ſcribens ab Irenæi, Tertulliani, Origenis, aliorumque veterum doctrina recedit, quibus nos de ſcripturis agentibus plurimum eſſe tribuendum defendimus. Quid autem a veterum doctrina dico? ſi labefactari ab eo, quod ad interpretandi hujuſce Paulini loci rationem ſpectat, Eccleſiæ communem ſententiam non ſolum Orthodoxi pugnent, ſed etiam Blondellus fateatur? Jam vero omnes ordines Epiſcopatu contineri, quod Epiſcopus ſit *primus ſacerdos, hoc eſt ſacerdotum princeps*, quotuſquiſque eſt Presbyterianorum, qui nobis eſſe ultro concedendum putet? Nam Presbyteriani *ſacerdotium* eſſe in Eccleſia verum negant. Sacerdotum autem Principem, multo magis. At Hilarius contra & ſacerdotes ſecundi ordinis, & ſacerdotium ſummum, hoc eſt Epiſcopatum ponit, quod ſacerdotium, cum majus, ſuperiuſque ſit, ordines inferiores complectitur. Huic Catholici aſſentiuntur. Quare non cum Catholicis Hilarius, ſed cum Presbyteria-

1 Petavius *lib* 1. *Hierarch. Eccleſ cap.* XII. *pag.* 31. *edit. Antuerp.* Et Monachi s. Mauri *tom.* II. *epp. Ambr. edit. Pariſ. pag* 24. *in Adm. in Comm. in cit. epiſt. Pauli.*

nis pugnat. Sequitur, quod eſt de *diſpoſitis aliter rebus*, quam cœperant, ubi omnibus in locis Eccleſiæ conſtitutæ ſunt, & munera diſtributa. Hæc autem non ita accipienda ſunt, quaſi ſublatis Apoſtolis, inſtituti ordines Eccleſiæ fuerint arbitrio Chriſtianorum. Id enim nuſquam Hilarius ſcripſit. Eſt igitur hæc omnino verborum Hilarii ſignificatio: officia, quæ inſtituta jam ante a Chriſto fuiſſent, cum nondum aucta, & amplificata eſſet Eccleſia, non fuiſſe pluribus diſtributa, ſed aliquibus tantum, ut diaconatus ſeptem ſolummodo viris, quorum eſt in Actis Apoſtolicis facta mentio. Itaque cum tam pauci miniſtri reperirentur, laicos, qui Chriſtianam religionem colebant, ſi opus eſſe cognorant, iis muneribus interdum fungi conſueſſe, quibus, quamquam ad Eccleſiaſticos pertinent, tamen fungi cuique, ſi neceſſitas poſtulat, licet. Quamobrem & baptiſmi ſacramentum laicos adminiſtraſſe, & tempus, quo eſſe adminiſtrandum Eccleſia deinceps decrevit, non æque fuiſſe obſervatum. Propagata autem late,longeque religione Chriſtiana, non ſolum auctum Epiſcoporum,Presbyterorum, Diaconorumque, quorum Apoſtoli, & Lucas in libris novi Teſtamenti identidem meminerunt, numerum fuiſſe; ſed etiam alia officia inſtituta, cautumque, *ut nullus de clero auderet, qui ordinatus non eſſet, præſumere officium, quod ſciret non ſibi creditum, vel conceſſum.* At in his officiis non numerabantur, quæ ita propria erant Presbyterorum, & Epiſcoporum, ut uſurpari ab aliis nullo modo poſſent. Numquam enim aut *ordinandi* Presbyteri Catholici; aut Diaconi, aliique inferiores Clerici conſecrandi corporis,& ſanguinis Domini jus ſibi arrogarunt. Quare de hujuſmodi muneribus officiiſque Ambroſiaſter, hoc eſt Hilarius ſilet; de facultate autem docendi, baptizandique loquitur, quæ certe committi Diaconis poteſt, ſi Præſulibus e re Eccleſiæ videatur. *Hinc ergo eſt*, inquit, *unde nunc neque diaconi in populo prædicant, nec clerici, vel laici baptizant*. Subdit proinde Hilarius in his rebus tantummodo, *non per omnia convenire ſcripta Apoſtoli ordinationi, hoc eſt* diſciplinæ, *quæ nunc in Eccleſia eſt*. At Hilarius, *Timotheum Presbyterum* ab Apoſtolo *creatum*, Epiſcopum in Pauli ejuſdem lit-

teris

teris appellari, teſtatur. *Quia primum presbyteri*, inquit, *Epiſcopi appellabantur, ut recedente uno ſequens ei ſuccederet*. Non equidem nego. Nam Epiſcopos interdum ab antiquis Scriptoribus fuiſſe presbyterorum vocabulo indicatos, dixi. Mortuo autem Epiſcopo ei unum aliquem e collegio Presbyterorum delectum ſucceſſiſſe, facile patior. Quod ſi Hilarius *recedente* uno *Epiſcopo*, *ſequentem ei ſucceſſiſſe* affirmat, non ſequitur *ſequentis* voce fuiſſe ab eo *antiquiorem* ordinatione *presbyterum*, ſed *alterum* presbyterum indicatum, quem Clerus ſcivisset, utilem Eccleſiæ futurum. Initio enim Epiſcopi deligi e cœtu presbyterorum conſueverant. Uſu namque obtinuit, ut qui ſuccedit *ſequens* vocetur, ſive ſit *ſenior* ordinatione, ſive junior. Sed cum, temporum progreſſione, minus apti, qui rempublicam Chriſtianam adminiſtrarent, viſi aliquando Presbyteri fuiſſent, factum hinc eſt, ut ratio immutaretur, adeo ut non ſolos Presbyteros, ſed etiam diaconos eligere Epiſcopos liceret. Quæ res e Synodi illius, quam Hilarius memorat, (1) decretis colligitur. Quocirca ſapienter eſt ab Hilario animadverſum, diu ante ſuam ætatem, mortuo Epiſcopo, *ſequentem*, videlicet *alterum* eidem e gradu presbyterorum ſuccedere fuiſſe ſolitum; poſt vero non ita ſeſe rem habuiſſe, cum *diaconi* etiam, ſi viſum clero fuiſſet, in eum gradum honoris conſcendere valerent. Jam vero conſignaſſe presbyteros Alexandriæ, ſi Epiſcopus aberat, defendit (quod facile concedimus; obtinet enim is uſus hac etiam ætate in pleriſque Eccleſiis Orientis) *ordinaſſe* autem numquam. Id namque munus, ut paullo ante diximus, cum ad Epiſcopum omnino pertineat, ita ut ne *committi* quidem illius voluntate cuiquam alteri in inferiore ordine conſtituto queat, a Presbytero uſurpari non poterat. Addit ſubinde: *ſed quia cœperunt ſequentes Presbyteri indigni inveniri ad primatus tuendos, immutata eſt ratio proſpiciente Concilio, ut non ordo, ſed meritum crearet Epiſcopum multorum Sacerdotum judicio conſtitutum*. Quid hoc eſt *ſequentes*? An ceteris Presbyteris ordinatione antiquiores? Cur igitur decretum non fuit ab

1 Vide Petavium *lib. 1. de Eccl. Hierarch. cap.* XIII. *pag.* 37. *edit. Antuerp.*

Synodo, conſiſtendum eſſe in ordine, alterumque Presbyterum, qui etſi junior, virtute tamen præſtantior eſſet, quærendum? Non igitur ea, teſte Hilario, primorum Chriſtianorum diſciplina fuit, ut antiquiorem Presbyterum eſſe Epiſcopum conſtituendum, arbitrarentur. Sed cum, Epiſcopo vita functo, ex ordine, ſeu collegio Presbyterorum unum aliquem, qui ipſis idoneus videretur, Antiſtitem deligere conſueſſent, cognoſsetque deinde Synodus (1), rem ſeſe Eccleſiæ utilem facturam, ſi eum creari juſſiſſet, cujus tametſi inferior gradus, illuſtriora nihilominus in rempublicam Chriſtianam merita, atque præſtantior virtus eſſet; factum hinc eſt, ut deinceps non presbyteri ſolum, ſed etiam diaconi ſæpe, nonnumquam vero clerici ex ordine inferiore, ut in aliis urbibus, ſic etiam Alexandriæ Epiſcopi crearentur. Quare poſt Alexandrum Athanaſius (2) Diaconus dictus Epiſcopus Alexandrinorum fuit. Atque hoc ſane inter veteris, novique Teſtamenti Sacerdotium intereſſe Hilarius ſcribit. In vetere Sacerdotes, nonniſi ex Aaronis ſtirpe fuiſſe; in novo autem omnes, qui baptizati ſunt, deligi, conſtituique ſacerdotes poſſe. Quamobrem Chriſtianos fuiſſe a Petro *regale, atque ſacerdotale genus* vocatos. Quæ cum ita ſint, ſatis conſtat, priorem Ambroſiaſtri, ſeu Hilarii locum, nihil continere, quod cum orthodoxæ religionis decretis pugnet. Immo vero ſi verum fateri Puritani velint, eſſe in eo concedent multa, quæ componi cum ipſorum errore nullo modo poſſint.

Venio ad alterum Hilarii ejuſdem, quo Blondellus abutitur, teſtimonium. Is igitur unam eſſe Epiſcopi, atque Presbyteri ordinationem ſcribit. Utrumque enim eſſe ſacerdotem. Ergo poſt Epiſcopum memorari ab Apoſtolo Diaconum, quin mentio fiat Presbyterorum. Verum unam eſse Presbyteri, Epiſcopique (quod ad conſecrandi corporis, & ſanguinis Domini, offerendique poteſtatem attinet, qua in re ſacerdotii munus potiſſimum conſiſtit) ordinationem nemo quidem noſtrum negaverit. Quare ſi hoc ſibi Hilarius voluit,

Ca-

1 Ita quidem Hilarius *ibid.*

2 Confer Petavium *lib.* I. *Hierarch. Eccl. cap.* XIII. *num.* XIV. *pag.* 37. *tom.* IV. *Theologicor. Dogm. edit. Antuerp.*

Catholicis profecto non adverſatur . Quid ? Si refellat Preſbyterianos , qui nullum eſſe in Eccleſia verum ſacerdotium pugnant ? Atqui hoc quærimus , ſintne duo ſacerdotum gradus,quorum unus ſit altero Divino jure præſtantior,quorumque ille ſit proprius Epiſcoporum , hic Presbyterorum ? Id vero vel tacitus prætermiſit Hilarius , vel ſi indicavit , ſic , mea quidem ſententia , indicavit , ut oſtenderit : Epiſcopos, qui conſecrandi , offerendique poteſtate æquales Presbyteris ſint , aliis rebus eſſe presbyteris iiſdem præſtantiores . Atque hujuſce diſtinctionis originem repetit ab ætate Apoſtolorum . Mox enim addit: *Sed Epiſcopus primus eſt , ut omnis Epiſcopus Presbyter ſit , non omnis Presbyter Epiſcopus . Ille enim Epiſcopus eſt , qui inter Presbyteros primus eſt . Denique Timotheum Presbyterum ordinatum ſignificat , ſed quia ante ſe alterum non habebat , Epiſcopus erat .* Timotheum namque Epiſcopum revera fuiſſe , adeoque primum presbyterorum a Paulo conſtitutum, & auctoritate Apoſtoli , & majorum traditione , & conſenſu Ambroſiaſtri plane liquet . At Hilarius idcirco fuiſſe Epiſcopum appellatum Timotheum dicit, quod Presbyter cum eſſet , nullum haberet ſuperiorem . Fateor. Scilicet Presbyter erat Timotheus , ſed primi gradus , quocirca nullo erat inferior ſimplici Sacerdote . Quodſi ſuperiorem habuiſſet , Presbyter primi gradus non fuiſſet . Verum quoniam ſacerdos primi gradus erat , Epiſcopus fuerit neceſſe eſt , obtinueritque non ſolum conſecrandi , offerendique , ſed etiam ordinandi , quæ eſt Epiſcoporum propria , poteſtatem . Quapropter ſic ille concludit ſententiam : *Unde & quemadmodum Epiſcopum ordinet , oſtendit . Neque enim fas erat , aut licebat , ut inferior ordinaret majorem. Nemo enim tribuit , quod non accepit .* Jam vero ſi humano jure inſtituti Epiſcopi , diſtinctique a Presbyteris ſunt , cur presbytero ordinare Epiſcopum , concedente Apoſtolo , non licuiſſet? Agit enim Ambroſiaſter de ætate Apoſtoli,exque hujus verbis,argumentando, intelligi poſſe defendit, Epiſcopum fuiſſe Timotheum , propterea quod litteras a Paulo accepiſſet, quibus ſignificabatur,cujuſmodi Epiſcopos Eccleſiis præficere deberet ; quodque tum etiam Presbytero ſimplici ordi-

ordinare Epiſcopum nefas eſſet. Illud quoque accedit commodum, quod his poſtremis verbis Hilarius demonſtret, ordinationem, poteſtatemque Epiſcopi, etſi (quod attinet ad offerendi, conſecrandique munus) eadem, atque Presbyteri ſit, tamen quod ad cetera ſpectat, plus continere, quam contineat ordinatio, & poteſtas *ſimplicium* Presbyterorum. Nec enim accipi hæc alioſum videntur poſſe: *Unde & quemadmodum Epiſcopum ordinet oſtendit. Neque fas erat, aut licebat, ut inferior* ORDINARET MAJOREM. NEMO ENIM TRIBUIT, QUOD NON ACCEPIT. Nam ſi eadem omnino Presbyteri, Epiſcopique ordinatio erat, tribuiſſet Presbyter ordinando Epiſcopum, quod acceperat. Sed cum *tributurum* fuiſſe Presbyterum quod *non accepiſſet*, ſi Epiſcopum ordinaſſet, Hilarius ſcribat, argumento eſt, *vi ordinationis* plus aliquid *accepiſſe* Epiſcopum, quam Presbyteri accipere, illius quoque judicio, crederentur. Cumque nemo tam ſit audax, ut ordinationem, jure humano, introductam exiſtimaſſe Hilarium cenſeat, concedendum eſt ſcilicet, divino jure, ut quæ vi ordinationis obtineatur, majorem, amplioremque eſſe auctoritatem Epiſcoporum.

Extremum eſt, ut de obſervationibus adverſariorum agam. Atque hoc prædico, non moveri eorum argumentatione me, qui initio *diſtinctiones munerum Eccleſiaſticorum* numeratas fuiſſe ab Hilario quinque, animadvertunt. Cum enim in ea re ab antiquiſſimorum Patrum ſententia (1), fatente Blondello, Hilarius diſcrepet, nihil eſt cauſſæ, cur illis neglectis, huic uni eſſe auſcultandum putem. Sed eſt magnis in erratis, quod adverſarii ſubdunt: Apoſtolorum tempore, quemadmodum viſum Hilario eſt, ad *officia Eccleſiaſtica* obeunda, non fuiſse manuum impoſitione opus. Hoc enim numquam Hilario in mentem venit. Neque ille aut conſecraſſe, obtuliſſeque corpus, & ſanguinem Domini quemquam, aut *ordinaſſe*, qui manuum impoſitione *ordinatus* non eſſet, dixit. Immo vero ſatis explicate, dilucideque teſtatus eſt, initio quoque nemini fas fuiſſe vel con-

1 Id vero fatetur Blondellus *ſect.* I I. *cap.* xx1. *obſerv.* 2. *pag.* 50.

conſecrare, vel ordinare, qui *ordinatione* cooptatus minime fuiſſet in Sacerdotum primi, ſecundive gradus collegium. Quod ſi initio Eccleſiæ docuiſſe omnes, omneſque baptizaſſe, propterea quod exiguus eſſet numerus miniſtrorum, dixit: nihil ſane dixit, quod differat a decretis, inſtitutiſque Orthodoxæ religionis. Quotus enim quiſque Catholicorum eſt, qui ſi miniſtri non adſint, fas cuique eſſe Chriſtiano & docere, & baptizare, ſi tempus, ratioque hortetur, neget? Hæc enim munera quamquam impoſita Epiſcopis, Sacerdotibus, Diaconiſque ſunt, non tamen ita eſse impoſita credimus, ut, ſi hi deſint, obiri ab laicis non poſſint. De temporibus, quibus baptiſmum adminiſtrare veteres ſolerent, de jejuniis, quod Hilarius ſcribit, non eſt ad rem. Sunt enim ea omnia inſtituta Eccleſiæ auctoritate, non divina lege. Itaque initio Eccleſiæ obſervata, Hilario teſte, non ſunt, ut populus Chriſtianus *multiplicaretur*. De Epiſcoporum, Presbyterorumque vocabulis, ut ſumta ab Hilario fuerunt, quoniam demonſtratum paullo ante eſt, nunc omittatur. Eſt autem ridiculum, quod Blondellus tradit, Presbyterum ordinatione antiquiorem fuiſse Epiſcopum appellatum, atque idcirco cautum ab Apoſtolo fuiſse, ne quis neophytus Epiſcopi dignitatem conſequeretur. Non enim Apoſtolus modo, ac ſynodi, ſed nos etiam ipſi, hominem, qui recens baptizatus ſit, Epiſcopum non eſse creandum arbitramur. Quid igitur? An presbyterum ordinatione antiquiorem, nobis auctoribus, eſse Epiſcopum deligendum (1) putaverit?

1 Apoſt. 1. *ad Timoth. cap.* III. *v. 6. Non Neophytum, ne in ſuperbiam elatus, in judicium incidat diaboli*. Laudat deinde Blondellus canones ſynodorum Laodicenæ, Nicænæ, Sardicenſis &c. At canon III. Laodicenæ, quem indicat, *tom. 1. concilior. edit. Hard. pag.* 781. ſic habet. „ De his, qui nuper ſunt illuminati baptiſmate, quod eos in „ ſacerdotali non conveniat ordine promoveri „. Canon II. Nicænæ primæ *tomo eodem concilior. pag.* 323. „ quoniam plura aut per neceſſitatem, aut alias urgentibus ho„ minibus adverſus Eccleſiaſticam facta ſunt regulam, ut homines ex gentili vita nuper „ accedentes ad fidem, & inſtructos brevi tempore, mox ad lavacrum ſpirituale perdu„ cerent, ſimulque ut baptizati ſunt, ad Epiſcopatum, vel ad Presbyterium promove„ rent, optime placuit, nihil tale de reliquo fieri „. Sardicenſis canon XIII. *ibid. pag.* 645. „ Conveniens non eſt, nec ratio, vel diſciplina patitur, ut temere, & leviter ordinetur aut Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui Neophytus eſt „. Similia ſunt, quæ

rit? Paulus autem neophytum non eſſe Epiſcopum conſtituendum præcepit; antiquiorem vero ordinatione presbyterum in mortui Epiſcopi locum ſuccedere oportere non modo nuſquam præcepit, ſed ne indicavit quidem. Nihilo gravius eſt, quod ex Epiſtola Clementis Romani ad Corinthios (1) ſcripta Blondellus concludit. *Primitias* enim eorum, quos Apoſtoli ad Chriſtianam fidem adduxerunt, Epiſcopos fuiſſe conſtitutos, fatemur; quamquam non ii ſumus, qui primos, ſine delectu, in eum ordinem fuiſſe cooptatos arbitremur. Itaque e primis illis, qui nomen Chriſtianæ religioni dederant, aliquos fuiſſe ab Apoſtolis delectos puto, qui Epiſcopatu fungerentur, quoſque Chriſti auditores judicaſſent Eccleſiæ utiles futuros, ita tamen ut virtutis potius, quam ſenectutis habendam rationem cenſuerint. Secus enim ab Apoſtolis factum, qui credat, næ is minus eorum prudentiæ conſulet, ut opinioni conſulere poſſit ſuæ. Auctis vero, amplificatiſque Eccleſiæ rebus, ne omnes pares auctoritate eſſent, magnaque inde oriretur perturbatio rerum, majori natu honorem primatus fuiſſe adhibitum, quibus tandem monumentis Blondellus efficiet? Id enim neque ab Hilario, quod ſupra vidimus, eſt, neque ab alio quoquam monumentis mandatum litterarum. Nam quæ ſubdit Blondellus, quoniam ſuo arbitratu, non ratione, auctoritateque veterum permotus, ſubdit, prætermitti a nobis & poſſunt, & vero debent. De Hieronymi opinione mox videro. Diotrephis (2), Thebutis, ac Valentini exempla, quorſum pertineant, ne ſuſpicari quidem poſſum. Nemo enim eſt veterum, qui eos Epiſcopatum optaſſe, conſequutoſque minime fuiſſe, ſcribat, quod ordinatione antiquiores ceteris non eſſent. Diotrephen quippe Johannes accuſat, quod cupidus gloriæ principatuſque eſſet, ſeſeque Apoſtolis præferre auderet; quin eum aut juniorem, aut

quæ ex epiſtolis Siricii, exque aliarum ſynodorum canonibus Blondellus congerit. Sed quam ſint a re noſtra aliena, viderint eruditi. Nos enim de presbyteris agimus, qui ordinatione ceteris antiquiores non eſſent, non de Neophytis, quorum Neophytorum exemplum quid ad inſtitutum conferat, ne ſuſpicari quidem poſſumus.

1 Vide locum Clementis ſupra *pag. 22. hujus vol. not. 2.*

2 De Diotrephe vide, quæ ſcripſi ſupra *pag. 349. ſeq.*

aut ſeniorem fuiſſe commemoret. Similia ſunt ab Euſebio (1) ac Tertulliano (2) tradita de Thebute, & Valentino. Hos enim expetiviſſe Epiſcopatum, ſcribunt; non obtinuiſſe autem, propterea quod juniores ceteris Presbyteris eſſent, nuſquam ſcribunt. Quamobrem nihil agit Blondellus, qui hiſce exemplis proficere quidquam ſe poſſe ſperat. Eſt illud præterea leviſſimum, quod ex *Papæ* vocabulo repetit, argumentum. Fac enim quiſque Epiſcopus ad nonum uſque Eccleſiæ ſeculum ornatus fuerit appellatione (3) *Papæ*: an eſt inde conſequens, primis Eccleſiæ temporibus ordinatos Epiſcopos fuiſſe, qui ætate, antiquitateque ordinationis ceteris antecederent? Timotheum, quem adhuc juvenem fuiſſe Apoſtolus (4) teſtatur, nonne Epiſcopum (5) fuiſſe conſtat? Ante alios vero, quos Paulus ad religionem Chriſtianam adduxerat, fuiſſe ordinatum Presbyterum, ut Epiſcopus conſtitui poſſet, quis credat? Mihi vero ſatis fuiſſe, eſſeque jam hoc tempore videtur, ut Epiſcopi, qui Eccleſiam, veluti parentes familiam, regunt, Patrum nomine appellentur. Niſi forte hoc etiam ſibi adverſarii velint, nullum fuiſſe in Romana republica ætate provectiorem his, quos fuiſſe *Patres patriæ* vocatos ſcimus. Id autem cum ineptum, abſurdumque ſit, quid eſt, quod argumentum ex una Papæ appellatione ductum non minus eſſe ineptum, abſurdumque videatur? In quaque vero Provincia eum, qui *ordinatione* antiquior ceteris Epiſcopis eſſet, honorem fuiſſe Archiepiſcopi conſequutum (6) nego. Non enim id canon Apoſtolicus (7) poſtulat, quod ſibi Blondellus ſomnians perſuaſit.

 Mul-

1 Euſebius *lib.* IV. *Hiſt.Eccl. cap.*XXII. *pag.*159. ex Hegeſippi libris, de Thebuthe agens: „ Primus, *inquit*, indigne ferens, quod minime creatus eſſet Epiſcopus, eam „ (*Eccleſiam Hieroſolymitanam*) occulte vitiare eſt aggreſſus.

2 Vide ſupra *pag.*423. *hujus vol. not.*2.

3 Confer quæ dixi ſupra *pag.* 297. *ſeqq. hujus vol.*

4 *Epiſt.* 1. *ad Timoth. num.* 12. „ Nemo adoleſcentiam tuam contemnat, ſed exem- „ plum eſto fidelium in verbo, in converſatione, in caritate, in fide, in caſtitate ..., „ Seniorem ne increpaveris, ſed obſecra ut Patrem, juvenes ut fratres.

5 Conſule, quæ dixi ſupra *pag.*439. *not.*4. *hujus vol.*

6 Id vero cur negem, oſtendam, ubi agam de origine metropoleon.

7 Canon Apoſtolieus XXXIII. apud *Harduinum tom.* 1. *Concilior. pag.*18. „ Epiſco- „ pos uniuſcujuſque gentis noſſe oportet eum, qui in eis eſt primus, & exiſtimare, ut „ caput,

Multoque minus eſſe Blondello canon Antiochenus (1) præſidio poteſt, cujus eſt longe diſcrepans de metropolitis ſententia. Nihil de Palma Amaſtrianorum Antiſtite dico. Non enim quia tributus ei ab Epiſcopis Ponti is honor, propter ſenectutem, ut Synodo (2) præſideret, fuit, adeptus continuo eſt Archiepiſcopi dignitatem. Cypriani autem exemplum qua confidentia Blondellus profert? Nam ſi abdidit ſeſe, ut eſt auctor Pontius, in interiorem ædium partem, antiquioribus cedens (3), fecit id quidem, non quo nefas eſſe Clero, populoque Epiſcopum petere, qui recens Preſbyter ordinatus eſſet, judicaret; ſed quo demiſſe imprimis de ſe ipſo ſentiret. Jam vero ſi omnium antiquiſſimo, qui in collegio eſſet, Presbytero Epiſcopatus erat tribuendus honor; cur *antiquioribus* Cyprianus, non *antiquiori* cedendum exiſtimavit? Non ergo ea lex, eaque diſciplina in Eccleſia obtinuerat, ut *antiquior* ordinatione Presbyter eligeretur, alioqui *antiquioribus* Pontius numquam dixiſſet, ſed *antiquiori*. Neque Cypriano *ſenioribus* cedente, clerus, populuſque Carthaginienſis, cum ipſum peteret, quidquam contra leges, diſciplinamque Eccleſiæ peccavit. Dabo autem Cornelium *de Sacerdotum antiquorum* (4) *Collegio* fuiſſe factum Epiſcopum. An ſequitur, neminem niſi *antiquiorem* conſequi Romanum Epiſcopatum eo tempore potuiſſe? Cur igitur clerus, ſtante plebe de eligendo Pontifice tamdiu inter (5) ſeſe

„ caput, & nihil facere, quod ſit arduum, aut magni momenti, præter illius ſententiam „. Nempe agnoſcere metropolitam Epiſcopi debent, quod interdum de metropoli ortæ fuerint contentiones. At hunc ſeniorem ceteris fuiſſe, nuſquam a canone præſcribitur.

1 *Canon.* IX. *pag.* 595. *tom.* I. *Concilior. edit. Hard.* „ Per ſingulas provincias Epiſcopos conſtitutos εἰδέναι χρὴ *noſſe oportet* Epiſcopum metropolitanum, qui præeſt, „ curam, & ſolicitudinem totius provinciæ ſuſcepiſſe. Propter quod ad metropolitanam „ civitatem ab his, qui cauſſas habent, ſine dubio concurratur „. Viden ut civitatem Provinciæ metropolim memoret? At *noſſe oportere* ſcribit canon; ſi autem metropolis civilis eadem atque metropolis Eccleſiaſtica eſſet, res per ſe clara fuiſſet, neque ſynodus *noſſe oportere* dixiſſet. Verum τὸ εἰδέναι χρὴ idem eſt, atque notum eſſe debere, quod metropolitæ jus ſit. Quamquam varia in variis provinciis ratio, in eo quod ad metropoles attinet, obtinebat. Nam in Africa ſenior, alibi metropoleos civilis Epiſcopus metropoliticum jus exercebat. Sed de hac re alias.

2 Euſebius *lib.* V. *Hiſt. cap.* XXIII. *pag.* 210. *edit. Taurin.*

3 Confer Cypriani vitam a Pontio ſcriptam, extat apud Ruinartium *in Act. SS. MM. ſincer. pag.* 181. *edit. Veron.*

4 Conſule Cypriani *Epiſt.* LV. *pag.* 104. *edit. Oxon.* Quamquam Cyprianus de Sacerdotum antiquorum conſenſu loqui videatur.

5 Vide Euſeb. *l.* VI. *Hiſt. c.* XXIX. *p.* 255. *edit. Taurin. ubi de* Fabiani *electione* agit.

ſeſe deliberabat, ſi ſatis erat exploratum, cui eſſet dignitas tribuenda? Hoc enim Blondellus, modo ſibi aſſenſionem adjungi velit, evincat, neceſſe eſt: Romæ, Carthagine, inque aliis urbibus eum, qui antiquitate ordinationis ceteris antecederet, conſtitui in prima ſede, nominarique Epiſcopum conſueſſe. Namque id illi erat propoſitum. Quod cum efficere nullo exemplo, nulloque Eccleſiæ canone potuerit, quid reſtabat, niſi ut ſe victum eſſe confiteretur?

In Africa, demto uno Carthaginienſi (1), qui primas partes obtinebat, ſive recens ordinatus Epiſcopus, ſive diu ante fuiſſet, ii primas ſedes in quaque regionis ejuſdem provincia occupabant, qui antiquitate Epiſcopatus ceteris præcedebant. Sed unius regionis conſuetudo labefactare ceterarum Chriſtiani orbis Provinciarum, quæ diſcrepans erat, diſciplinam non poteſt. Ac ſi Epiſcopus ordinatione antiquior in Provinciis Africæ primæ ſedis Epiſcopus vocabatur, & erat; non ſequitur ad Epiſcopatum evehi neminem in iiſdem Provinciis conſueviſſe, qui ordinationis cauſſa non eſſet in collegio Presbyterorum antiquior. Auguſtinum enim Epiſcopum fuiſſe a Valerio ordinatum conſtat, cum alii Hyppone reperirentur Presbyteri ſeniores, quin ob eam rem actum quidquam contra canones fuerit. Nam, etſi, vivo Epiſcopo, alium conſtitui Epiſcopum ejuſdem Eccleſiæ nefas erat, quod Auguſtinus, cum eſt conſecratus Antiſtes, ignorabat, ut memoriæ traditum a Poſſidio (2) eſt, tamen nefas fuiſſe, eum, qui recens ordinatus Presbyter fuiſſet, ad Epiſcopatum evehere, neque ab ipſo, neque ab alio quoquam veterum auctorum eſt ſcriptum. Nos autem de Presbyteris agimus, qui Epiſcopo vita functo ſuccederent, non de Epiſcopis, qui ob antiquitatem ordinationis ceteris Epiſcopis præcedere ſolebant. Quamobrem Blondellus, qui oblitus eorum, quæ confirmare ſtatuerat, ad Epiſcoporum uſum, ac diſciplinam, miſſis Presbyteris, confugit, turpiſſime labitur. Atque ſimile profecto eſt argumentorum ſuperio-

 rum,

1 De hac re diſſeram, ubi agam de origine metropoleon.

2 Confer Poſſidium *vit. Auguſt. pag. 262. in Append. tom. x. opp. ejuſd. Auguſt. edit. Monach. S. Mauri*.

rum, quod addit Blondellus de Pudentiano a Cuiculis, qui ob *novitatem Epiſcopatus*, ſuſtinere ſe, dixit, quid majores faciundum judicarent. Nam fecit ille quidem, quod prudentia, quod Africanæ Eccleſiæ diſciplina, quodque aliorum experientia poſcebat, ut faceret. At *conſeniores* Epiſcopi olim collegas vocabant. Quis hoc non dederit? Erant ne igitur ceteris Epiſcopi ſeniores? Aut presbyter nullus, qui ſacerdotis munere iis eſſet antiquior, reperiebatur? Hoc quale ſit, Blondellus, Symmyſtæque viderint. Mihi certe ne veri quidem eſſe ſimile videtur: cum permultos olim vixiſſe Epiſcopos ſciam, qui etſi dignitate poſſent, ætate (1) tamen, ſacerdotiique antiquitate presbyteris anteferri non poſſent. Aſſumit Blondellus, ſtatutum ab ſynodis fuiſſe, ne quis majorem natu (2) inſectari contumelia auderet. Quid? Num ſeniorem concludet, antiquioremque ſacerdotem conſtitutum ſemper fuiſſe Epiſcopum? Id vero quemadmodum ſequatur, oſtendi mihi, ſin minus ratione perſpicue, at conjectura ſaltem implicate vellem. Neque nos tam barbari, tamque efferatis moribus ſumus, ut putemus, majorem natu, præſertim ſi Diaconus ſit, aut Presbyter, aut Epiſcopus, cuiquam contumelia inſequi licere. Quemquam ne igitur adeo ineptum futurum, dicemus, qui, noſtra ſententia, neminem creari Epiſcopum, qui ceteris non ſit ordinatione antiquior, poſſe arbitretur? Sed næ ego fruſtra bonum otium contero, qui tam abſurda ſtudeam copioſe refellere. Redeo ad Africanas Eccleſias. Concedo cautum ab iis fuiſſe in Synodis, ne quis in ejus regionis Provin-

1 Confer Ignatium epiſtola ad Magneſianos *n.* III. *pag.* 18. *tom.* II. *Apoſtolicor. PP. edit. an.* 1724. *par.* I. ubi de Dama Epiſcopo agens, ἐν προσειληφότας, inquit, τὴν φαινομένην νεωτερικὴν τάξιν: *non reſpicientes ad apparentem novam ordinationem* ejus. Ex qua re intelligitur, Damam aut juvenem fuiſſe, aut recens ordinatum Presbyterum, moxque evectum ad epiſcopatus munus. Conſule etiam, quæ ſupra dixi de Cypriano *p.* 458. *hujuſce vol.* & quæ ſcribit Euſebius *lib.* VI. *Hiſt. cap.* XXIX. *pag.* 255. *edit. Taurin.*

2 Concilium Carthaginienſe I. ſub Grato *an.* 348. *can.* XI. *tom.* I. *Concilior. Hard. pag.* 687. „ Elpidophorus Cuieulitanus Epiſcopus dixit: ſtatuat Sanctitas veſtra, ut Clerici, „ qui ſuperbi, vel contumaces ſunt, coerceantur, qui minores majoribus irrogaverunt in„ jurias, ut metum habeant diſciplinæ. Gratus Epiſcopus dixit: manifeſtum eſt, illum non „ eſſe Dei, qui humilitatem commendat; ſed diaboli, qui ſuperbiæ inventor, & princeps „ eſt. Unde ſi quis tumidus, vel contumelioſus extiterit in majorem natu, vel aliquam „ cauſſam habuerit, a tribus vicinis Epiſcopis, ſi Diaconus eſt, qui arguitur, Presbyter „ a ſex, ſi Epiſcopus a duodecim conſacerdotibus audiatur.

vinciis (1) appellaretur aut principis Sacerdotum, aut Summi Sacerdotis nomine; ſed qui ſenior, hoc eſt antiquior ordinatione eſſet, is primæ ſedis Epiſcopus diceretur. Verum hæc diſciplinæ ratio propria, ut diximus, ejus regionis fuit. Quamquam ne ad rem quidem attinet. Eſt enim de presbyteris, non de Epiſcopis quæſtio. Quorſum autem illud, quod eſt de Proculo Maſſilienſi pertineat, nullo modo prorſus intelligo. Is enim Metropolitam ſe Eccleſiarum ſecundæ Provinciæ Narbonenſis pugnabat eſſe, nulla facta antiquitatis ſui ſacerdotii mentione. Namque id honoris concedendum civitati (2), cujus erat Epiſcopus, arbitrabatur. Alii contra putabant, Epiſcopum alterius Provinciæ ſibi præfici non oportere. Itaque ut diſſenſiones, altercationeſque tollerentur, neque concedenda omnia, quæ peteret, neque neganda omnia Proculo cenſuerunt. Quare ſanxerunt, ut ei, quoad viveret, is honos adhiberetur: ubi autem deceſſiſſet, Maſſilienſes Antiſtites in ſecunda Narbonenſi provincia primatum obtinere deſinerent. Id enim juris non urbi, ſed Proculo conceſſum eſſe concordiæ cauſſa. Quæ cum ita ſint, ſtatuendum profecto eſt, & egiſſe Blondellum mala fide, & peccaſſe contra leges dialecticorum. Quid enim in decretis eſt Synodi de primatu ſuſcepto, ſenectutis, antiquitatiſque ordinationis Proculi cauſſa? Si autem nihil eſt, cur Proculi exemplum profertur, ubi eſt quæſtio de antiquiore

1 Synodus Carthaginienſis III. *an.* 397. *can.* XXVI. *tom.* I. *Concil. edit. Harduini pag.* 964. ,, Ut primæ Sedis Epiſcopus non appelletur Princeps Sacerdotum, aut ſummus ,, Sacerdos, aut aliquid hujuſmodi, ſed tantum primæ Sedis Epiſcopus ,,. Tunc vero quiſque Epiſcopus ſummus Sacerdos alicubi dicebatur. Vide *not. ſequentem*.

2 Synodus Taurinenſis *an circ.* 394. *can.* II. *p.* 957. ,, Cum primum omnium vir ſan-
,, ctus Proculus Maſſilienſis Epiſcopus civitatis ſe tamquam metropolitanum Eccleſiis, quæ
,, in ſecunda Provincia Narbonenſi poſitæ videbantur, diceret præeſſe debere, atque per
,, ſe ordinationes in memorata Provincia ſummorum fieri Sacerdotum, ſiquidem aſſereret,
,, eaſdem Eccleſias vel ſuas Parochias fuiſſe, vel Epiſcopos a ſe in eiſdem Eccleſiis ordina-
,, tos, & e diverſo ejuſdem regionis Epiſcopi alium defenſarent, ac ſibi alterius Provinciæ
,, Sacerdotem præeſſe non debere contenderent, id judicatum eſt a ſancta Synodo CON-
,, TEMPLATIONE PACIS, ATQUE CONCORDIÆ, ut non TAM CIVITATI EJUS, quæ in altera
,, provincia ſita eſt, cujus magnitudinem penitus neſciremus, quam ipſi potiſſimum de-
,, ferretur, ut tamquam Pater filiis honore primatis adſiſteret. Dignum enim viſum eſt,
,, ut quamvis unitate Provinciæ minime tenerentur, conſtringerentur tamen pietatis affectu.
,, Hæc igitur ipſi tantum in vita ejuſdem forma ſervabitur, ut in Eccleſiis Provinciæ ſe-
,, cundæ Narbonenſis, quas vel ſuas Parochias, vel ſuos diſcipulos fuiſſe ordinatos conſti-
,, terit, primatus habeat dignitatem &c.

quiore presbytero? Sed permittam Blondello, ut ceteris Epiſcopis ſenior Proculus fuerit. A ſeniore Epiſcopo ad antiquiorem Presbyterum, qui Epiſcopo vita functo ſuccedere ſoleret, quomodo deſcendit? In Africa namque antiquior ordinatione Epiſcopus primæ ſedis Epiſcopus erat; ſenior autem presbyter ſucceſſor Epiſcopi non erat. Igitur Blondellus & ea ſumit ad concludendum, quorum ipſi nihil conceditur; & ita argumentatur, ut quod concludit, non ſit ex minime datis conſequens. Aſſentior equidem Syneſio (1). Facile enim patior, ut qui recens conſtitutus ſacerdos ſit, is non reſiſtat, ſed utatur conſiliis ſeniorum. Verum quid hinc ſibi commodi polliceri Blondellus poterit? An ſeniores fuiſſe aut Metropolitas in Ægypto, Lybia, atque Pentapoli, ſi Epiſcopi; aut ſi ſimplices ſacerdotes eſſent, Epiſcopos delectos Syneſiii ætate, defendet? Hoc ni ſequitur (neque enim, quo tandem modo ſequatur, intelligo) qua confidentia Blondellus abutitur Syneſii teſtimonio? De Bonifacio non laboro. Concedo *veterem fuiſse Presbyterum*, & opinione Romanorum, *divinæ inſtitutionis ordine conſecratum* (2). Sed quis eſt, qui idcirco *divinæ inſtitutionis* ordine conſecratum fuiſſe putet, propterea quod vetus eſſet? An Synodus, cujus eſt ab Hilario facta mentio, quæque ſanxit, ut *non ordo, ſed meritum crearet Epiſcopum*, quidquam contra divinam inſtitutionem decrevit? Non arbitror dicturum Blondellum, qui Hilarium, quamquam injuria, ſui tamen erroris teſtem appellat. Jam vero poſt eam Synodum fuiſſe Bonifacium Epiſcopum Romanum conſtitutum liquet. Non ergo cauſſa, cur *divinæ inſtitutionis ordine conſecratus* Bonifa-

1 Hoc mirabile eſt. Fatetur Blondellus Syneſium fuiſſe Ptolemaidis Pentapolitanæ Metropolitam, & nihilominus nititur ejus teſtimonio, qui ſe ordinatione ceteris ſacerdotibus juniorem aſſirmat eſſe. Quid eſt autem, niſi id pugnantia loqui eſt? Sunt vero Syneſii verba hujuſmodi; *Epiſt.* LXXII. *pag.* 219. *edit. an.* 1640. ἀλλ' ἴταμὸν γὰρ ἀντισχεῖν ἕνα πολλοῖς, παλαιοτέροις νεώτερον, προσδεδαπανηκόσι τὸν βίον ἱερωσύνῃ τὸν οὔπω πέρυσιν ἡμμένον τοῦ πράγματος. εἶξα δεομένοις μήπω περιπέμψαι τὰ γράμματα &c. quæ ſic vertit Petavius. „ Verum pluribus unum obſiſtere, pervicacis animi eſt, ſenioribus „ maxime juniorem, iiſque, qui ſenectutem ſuam in ſacerdotio contriverant, eum qui „ nondum ante hunc annum eam rem attigiſſet. Ceſſi itaque deprecantibus, ut nondum „ litteras mitterem &c.

2 Auctar. Symmachi *epiſt.* XXII. *pag.* 309. *edit. an.* 1604. Cleri Romani pars potior, an. 419. Bonifacium: *veterem presbyterum divinæ inſtitutionis* ordine conſecratum dicit.

nifacius eſſet, *vetuſtas Presbyteratus* fuit. Atque eſt illud veriſſimum, fuiſſe ante Hilarii tempora creatos Pontifices (1) Romæ eos, qui neque ætate, neque antiquitate ordinationis cum aliis urbis Presbyteris comparari poſſent. Quamobrem ſenectutem, antiquitatemque ordinationis, cauſſam cur quiſquam Epiſcopus diceretur, minime fuiſſe liquet; etſi ita ſint homines animis inſtituti, ut virum & probum & ſenem magis, quam ceteros colant, ac venerentur. Verumtamen Bonifacium omnium Presbyterorum Romanorum antiquiſſimum fuiſſe, oſtendere Blondellus qui poterit? Nos autem id quærimus, antiquiorem ne, an quem clerus aptiorem, magisque idoneum putaſſet eſſe, Presbyterum Epiſcopo vita functo ſucceſſorem dare oporteret? Similis eſt Blondelli error de Synodis Regenſi (2), Bracarenſi, Narbonenſi, Toletana, Herndfordienſi, deque decretis Leonis, atque Hilarii Romanorum Pontificum. Senem quippe aut Epiſcopum, aut Presbyterum honorandum affirmant, antiquiorem autem vel Presbyterum creandum Epiſcopum, vel Epiſcopum metropolitam conſtituendum, nuſquam affirmant. At deſiit, inquit, Blondellus, exactis Apoſtolis, mos creandi Epiſcopum eum, qui antiquior ordinatione reliquis presbyteris eſſet. Ita ne vero? Cur igitur tot ſententias, totque Synodorum ſtatuta contorquere conatus eſt, ut veſtigia ejus uſus jamdiu in Eccleſia manſiſſe, demonſtraret? Cur Bonifacii Romani Pontificis exemplum, qui ſeculo v. floruit, cur Eccleſiæ Alexandrinæ diuturnam conſuetudinem de *ſequente* Presbytero poſt mortem Epiſcopi deligendo Catholicis objecit? Sed is mos, inquit, etſi quod ad Pre-

1 Vide Euſebium *lib.* VI. *cap.* XXIX. *pag.* 215. Confer etiam vitas Romanor. Pontificum, quæ Anaſtaſio tribuuntur *pag.* 4. *ſeqq. edit. an.* 1649. & Pagii Breviarium *Rom. Pontif. pag.* 54. *tom.* 1. *edit. an.* 1717.

2 Synodus Regenſis *an.* 439. *cap.* III. *tom.* I. *Concilior. edit. Harduini pag.* 1749. agit de Armentario, *qui perperam fuerat ordinatus*, cuique, *pœna remiſſa*, *Chorepiſcopi munus certis legibus indultum eſt*. Synodus Bracarenſis an. 563. *cap.* XXIV. ut refertur a Blondello *pag.* 56. ſic habet. „ Conſervato Metropolitani Epiſcopi primatu, ceteris Epi„ ſcoporum, *edicit*, ut ſecundum ſuæ ordinationis tempus alius alii ſedendi deferat locum„. Id vero ad inſtitutum noſtrum non pertinet. Obtinet namque hoc etiam tempore, quia inde concludi quidquam adverſus Orthodoxorum ſententiam poſſit. Eodem fere ſpectant reliquarum Synodorum, & Patrum teſtimonia, quibus Blondellus ibibem abutitur. Quare non eſt opus, ut ea deſcribam.

Presbyteros attinet, ceſſavit; tamen quod ſpectat ad Epiſcopos ſeniores, manavit in ſequentes ætates, quoad Epiſcopi, qui in civili metropoli Eccleſiam adminiſtrabant, id ſibi (1) iuris arrogaviſſent. Hoc vellem a Blondello oſtenderetur. In Africa enim hanc conſuetudinem invaluiſſe, concedo, in aliis regionibus nullo modo. Neque tanta eſt apud me Blondelli exiſtimatio, ut ajenti, quin ratione quod ait confirmet, continuo eſſe aſsenſionem adjungendam putem. Sed nulla monumenta, quibus ſua dicta confirmet, adducit. Monumenta autem? Immo vero ne conjecturam quidem ullam profert, ut quod ſtatuit, ſuis lectoribus probaſſe videatur. Jam ex Hilarii verbis conſequens illud etiam eſſe Blondellus cenſet, primum communi Presbyterorum, qui nulli ſedi addicti eſſent, conſilio gubernari Eccleſiam conſueviſſe, nec ullum, præter Chriſtum, ubivis locorum, fuiſse habitum Chriſtianorum caput. Quam optarem verba Hilarii, ex quibus hoc opinionis monſtrum ſequatur, indicaviſset? Tam vero obtuſos omnes, ut hæc in Hilarii verbis non viderint, unumque Blondellum tam acutum fuiſse, ut viderit, quis credat? Mitto, quæ deinceps de antiquiore Presbytero diſputat. De Epiſcoporum autem Eccleſiaſtica inſtitutione, deque more Æpyptiorum Presbyterorum, qui abſente Epiſcopo, conſignare ſolerent, quoniam dictum ſupra eſt, nihil eſt, cur iterum dicendum eſse videatur. Diaconos Hilarii ætate alicubi conciones ad populum habuiſse, non nego. Id vero ad inſtitutum non pertinet. Cetera exempla, quibus Blondellus abutitur, aut ſimilia ſunt ſuperiorum, aut minus ad rem conferunt. Itaque prætermittantur.

Sed urgent adverſarii, (2) opponuntque Auctoris *Quæſtionum in vetus, ac novum Teſtamentum*, (3) quem eumdem atque Hilarium (4) eſſe arbitrantur, locum. Sic autem agunt.

1 De hac re agam, ubi ſermonem inſtituam de Originibus Metropoleon.

2 Blondellus *cap.* XXII. *pag.* 68. *ſeqq.* & Buddeus *Diſſert. Hiſtor. Theolog. de Origine, & Poteſtate Epiſcopor.* §. XV. *pag.* 212.

3 Confer *Quæſtion. in vet. & novum Teſtamentum, & in utramque Mixtim t.* III. *opp. s. Auguſtini par.* 1. *edit. Pariſ. Monach. s. Mauri pag.* 92. *in Append. qu.* CI.

4 Nempe *Diaconum*. Ita quidem Blondellus *loco modo indicato*. Fuerunt qui Auguſtino tribuerent. In his Patres Synodi Pariſienſis, quæ anno 824. celebrata eſt, *cap.* IV. & VI.

agunt . Qui Antiſtites, qui totius honoris Eccleſiaſtici digni, qui Dei, Chriſtique perſonam gerentes, Vicariique Chriſti ſunt, iidem atque Epiſcopi ſunt habendi. Sunt vero Presbyteri quique, Hilario teſte, hujuſmodi. Sunt igitur iidem habendi Presbyteri atque Epiſcopi. Rurſum qui uſu Eccleſiæ Epiſcopi appellantur, ac Presbyteros, quos *Conſacerdotes* vocant, ſola ætatis prærogativa ſuperant, ii minime diſcrepant a Presbyteris; Epiſcopi vero ſola ætatis prærogativa Presbyteris, quos *Conſacerdotes* vocant, auctore Hilario antecedunt; non ergo ab iiſdem Presbyteris diſcrepant. Quinetiam ſi quæ munera obit Epiſcopus, obire Presbyter, niſi lege Eccleſiaſtica impediretur, poſſet, Presbyter certe ab Epiſcopo, niſi lege Eccleſiæ, non differret; obire autem Presbyter, niſi Eccleſiaſtica lege impediretur, munera Epiſcopi poſſet, fatente Hilario; non igitur differt, Hilario teſte, niſi Eccleſiaſtica lege, ab Epiſcopo Presbyter. Quod ſi quis reſpondeat, dari, ſive *delegari*, ut ajunt, preſbyteris conſignandi, ſeu confirmandi facultatem poſſe, hunc adverſarii turpiſſime labi contendunt. Nam quod lege divina ſancitum eſt, hoc immutari hominis voluntate nequire pugnant, idque jam confirmant ejuſdem auctoris ſententia, qui ſane quod *omnino non licet*, *ſemper non licere*, *nec mitigari aliqua neceſſitate poſſe* cenſet. Quare ſi Sacerdos inferior jure divino eſſet Presbytero, jureque divino munus Epiſcopi obire prohiberetur, ſacerdoti concludunt, fas non fuiſſe futurum, etiam ſi neceſſitas poſceret, fungi Epiſcopi munere.

Nos autem contra veremur, ne is Auctor diverſus omnino ſit ab Hilario. Verumtamen fac ut idem Hilarius fuerit. Quid? an ſecum ipſe pugnavit, ut modo Epiſcopos jure divino eſſe Presbyteris ſuperiores affirmaret,

 modo

tom. IX. *Concilior. edit. Veneta pag.* 645. *ſeq.* numerari poſſunt. Contra ſentiunt Deſiderius Eraſmus, Lovanienſes, Alphonſus a Caſtro, Claudius Eſpencæus, Alphonſus Salmeronus, Thomas Hardinghus, Johannes Maldonatus, Angelus Rocha, Guillelmus Eſtius, Benedictus Pererius, Robertus Bellarminus, aliique innumeri, quorum aliquos ibidem recenſet Blondellus. Monachi Benedictini s. Mauri in eam opinionem venerunt, ut plures earumdem quæſtionum Auctores fuiſſe ſuſpicarentur, idque jam cognoſci poſſe affirmarunt diverſitate orationis, ac ſtili. *In Monito ibid. pag.* 35. *ſeq.* His ego aſſentior.

modo negaret? Nam affirmaſſe, paullo ante vidimus, negaſſe autem hoc ſaltem loco, de quo nunc agimus, Blondellus jactat. Ego vero ne hic quidem ab Auctore quæſtionum quidquam eſſe dictum defendo contra decreta Orthodoxorum. Atque ut omnes intelligant, quæ illius de Diaconis, Sacerdotibus, Epiſcopiſque ratio fuerit, proferam, quod idem centeſima prima quæſtione ſcribit. Eſt enim is Calvinianorum, & Lutheranorum ſermone, diſputationibuſque vexatus locus. Ille igitur (1) Falcidium Diaconum

1 ,, Quidam igitur, qui nomen habet Falcidii, duce ſtultitia .... Levitas Sacerdotibus,
,, & Diaconos Presbyteris coæquare contendit: non dicam præferre .... Qua igitur lege,
,, quave conſuetudine, quonam exemplo hoc aggredi audeat, nullum ſcire arbitror, ut
,, iſtos, quibus conſeſſus in Eccleſia datus eſt minime, iis coæquet, qui propter quod ANTI-
,, STITES DEI SUNT, IN DOMO DEI, ET IN HONORE CHRISTI CUM DIGNITATE CONSIDUNT;
,, quæ audacia eſt Presbyteris miniſtros ipſorum pares facere? quæ temeritatis præſumtio
,, Sacerdotibus bajulos tabernaculi, & omnium vaſorum ejus, & lignorum conciſores, &
,, & portitores aquæ conferre? Hoc enim officium fuit Levitarum. Tale eſt, ſi præfectis
,, officiales, Dominis ſervi æquentur. Hoc enim ſcriptum eſt, dicente Domino ad Moyſen:
,, Accipe tribum Levi de medio filiorum Iſrael, ET STATUE ILLOS ANTE AARON SACER-
,, DOTEM, ET DESERVIENT EI. Quid hoc exemplo apertius, quod etiam nunc in Eccleſia
,, cuſtoditur? Quamquam Romanæ Eccleſiæ Diaconi modo invereundiores videantur, ſe-
,, dendi tamen dignitatem in Eccleſia non præſumunt. Ut autem non omnia miniſteria ob-
,, ſequiorum per ordinem agant, multitudo facit Clericorum. Nam utique & altare porta-
,, rent, & vaſa ejus, & aquam in manus funderent Sacerdoti, ſicut videmus per omnes
,, Eccleſias, & ſicut conſtitutum eſt a Domino per Moyſen: ... ſic autem Diaconus adverſus
,, Presbyteros defendit, quaſi ex Presbyteris Diaconi, non ex Diaconis Presbyteri ordinen-
,, tur. Sed quia Eccleſiæ Romanæ miniſtri ſunt; idcirco honorabiliores putantur, quam
,, apud ceteras Eccleſias, propter magnificentiam Urbis Romæ, quæ caput eſſe videtur
,, omnium civitatum. Si itaque ſic eſt, hoc debent & Sacerdotibus ſuis vindicare: quia ſi
,, ii qui inferiores ſunt, creſcunt, propter magnificentiam civitatis, quanto magis, qui
,, potiores ſublimandi ſunt? Quidquid enim officialibus præſtatur, augumentum fit pote-
,, ſtati: ſicut honor ſervi ad laudem proficit Domini. Quamquam apud juſtum Judicem
,, Deum unicuique hic honor maneat, qui decretus eſt ſingulis Eccleſiarum officiis, ut qui
,, Diaconus eſt, Diaconi honorem per omnes Eccleſias habeat. Non enim qualiſcumque
,, honor eſt, Antiſtiti Dei ſervire in ECCLESIA dumtaxat, ut Sacerdos totius honoris Ec-
,, cleſiaſtici dignus habeatur. Major enim ordo intra ſe, & apud ſe habet & minorem.
,, Presbyter enim & Diaconi agit officium, & Exorciſtæ, & Lectoris. Presbyterum autem
,, intelligi Epiſcopum, probat Paulus Apoſtolus, quando Timotheum, quem ordinavit
,, Presbyterum, inſtruit, qualem debeat creare Epiſcopum. Quid eſt enim Epiſcopus, niſi
,, primus Presbyter, hoc eſt SUMMUS SACERDOS? Denique non aliter, quam *compresby-
,, teros* hic vocat, & *conſacerdotes* ſuos. Numquid & miniſtros *condiaconos* ſuos dicit
,, Epiſcopus? Non utique, QUIA MULTO INFERIORES SUNT. Et turpe eſt Judicem dicere
,, primicerium. Nam in Alexandria, & per totam Ægyptum, ſi deſit Epiſcopus, conſe-
,, crat (al. *conſignat*) Presbyter. Quanta autem ſit dignitas Ordinis Sacerdotalis, cauſſa
,, oſtendit Cayphæ, qui cum eſſet homo peſſimus, Prophetavit. Quare? QUIA PRINCEPS,
,, inquit, ERAT SACERDOTUM. Et iterum multum diſtare inter Diaconum & Sacerdotem
,, liber approbat, quem dicimus Actus Apoſtolorum. Cum enim ex Samaria credidiſſent
,, Philippo prædicanti, Diacono ab Apoſtolis ordinato, miſerunt, inquit, ad Petrum, &
,, Jo-

conum Romanum accuſat, propterea quod Diaconos Presbyteris æquare auderet. Ac mirari quidem ſe dicit, quid eſſet, quod, tametſi neque lex, neque conſuetudo, neque exemplum ullum afferri poſſet, quo efficeretur, Diaconos, quibus conſeſſus in Eccleſia minime dabatur, Presbyteris pares eſſe, qui primas (quoniam conſecrandi offerendique Corporis, & Sanguinis Domini poteſtatem habebant) in domo Dei, hoc eſt in templis Chriſtianorum, partes obtinerent, conſiderentque poſt Epiſcopum in Presbyterio, adeoque Antiſtites vocari poſſent; nihilominus æquare Diaconos Presbyteris Falcidius non dubitaſſet. Temere autem eum, impudenterque agere, qui Diaconos, qui ſimiles Levitarum, ſive bajulorum tabernaculi antiqui fœderis eſſent, cum Sacerdotibus comparet. Id enim perinde eſſe, ac ſi quis cum Domino ſervum comparare velit. Nam Levitas juſſos fuiſse Aaroni deſervire. Quamobrem idipſum erga Presbyteros præſtari ab Diaconis oportere; non quo ſummi Sacerdotes ſint, id enim proprium eſse Epiſcopi, auctor ſtatuit, ſed quo jus offerendi non minus, quam Epiſcopus obtineant, ſintque non ſolum nomine, ſed re etiam ipſa Sacerdotes. Jam vero Diaconos, etſi audaciores eſse ſolerent, ſibi tamen non arrogaſse ſedendi in Eccleſia poteſtatem. Ineptire quoque Falcidium, qui ita Diaconos adverſus Presbyteros defenderet, quaſi non e Diaconis Presbyteri, ſed Diaconi e Presbyteris ordinarentur. Quod ſi Eccleſiæ

 Ro-

„ Johannem, ut venirent, & his, qui crederent, darent Spiritum Sanctum per manus impoſitionem. Sed inſcii, credo, Scripturarum, aut immemores legis hæc defendunt. Recordari ergo debet, qui iſta putat aſſerenda, quid Levitis acciderit, cum taliter ſaperent. Cum enim nihil inter Sacerdotes, & Levitas intereſſe præſumerent, Deo Judice, hiatu terræ abſorpti ſunt Chore, & conſentientes ei, & 250. viros torrens ignis ſimul conſumſit .... Nunc enim videmus Diaconos temere, quod Sacerdotum eſt, agere per convivia, & in oratione id velle, ut reſpondeatur illis, cum iſtud ſolis liceat Sacerdotibus. Diaconi enim ordo eſt, ACCIPERE A SACERDOTE, ET SIC DARE PLEBI. Vides quid pariat vana præſumtio? ... ſed teſtimonio, inquit, Diaconi fit Presbyter. Quaſi iſtud ad prærogativam pertineat magnitudinis. Legimus enim ad plebem dixiſſe Petrum Apoſtolum: Eligite, inquit, ex vobis, quos conſtituamus deſervire myſteriis Eccleſiæ. Nolo dicere menſis. Ecce laicorum teſtimonio creati ſunt Diaconi .... Ita & teſtis poteſt eſſe creandi Presbyteri, qui inferior ordine eſt. Et iterum quo inflentur, & putent ſibi multum deberi. A nobis enim, inquiunt, perducuntur, qui ordinandi ſunt, ut dum lateri illorum ſepti ſunt, honore digni videantur. Fac verum eſſe. Quaſi officialis enim ab EPISCOPO MITTITUR, ut obſequium præbeat ordinando.

Romanæ Diaconi id ſibi concedendum exiſtimarent, propter auctoritatem, dignitatem, amplitudinemque Urbis, cur non item Romani Diaconi Romanis Presbyteris cederent, quorum Presbyterorum ordinem conſtaret eſſe Diaconorum gradu ſublimiorem? Quamquam non Romanis modo, ſed etiam ceterarum Eccleſiarum Sacerdotibus ab Diaconis, cujuſcumque tandem civitatis eſſent, honorem tribui oportere, ſubdit; quum nefas ſit, ut qui Diaconus alicubi eſt, idem alibi æquare Presbyterum conetur. Sacerdotem autem Diaconi munere fungi poſſe, Diaconum munere Presbyteri non poſſe. Epiſcopos etiam vocari poſſe vocabulo Presbyterorum, idque Apoſtoli teſtimonio demonſtrari plane ad veritatem. Paulum namque, qui Timotheum Presbyterum, hoc eſt Epiſcopum ordinaverat, eidem Timotheo conſecrandi Epiſcopi præſcripſiſſe modum. Hoc enim pacto intelligenda ſunt Auctoris verba, quæ ſic habent. *Presbyterum autem intelligi Epiſcopum, probat Paulus Apoſtolus, quando Timotheum, quem ordinavit Presbyterum inſtruit, qualem debeat creare Epiſcopum*. Niſi enim ita acciperentur, concedenda, hujus auctoris opinione, Presbyteris eſſet *ordinandorum Epiſcoporum* poteſtas, id quod ipſe non ſolum non dixit, ſed etiam negavit. Nam Presbyteros *conſignaſſe* interdum alicubi, abſente Epiſcopo, dixit, ordinaſſe autem, nuſquam dixit. Immo vero cum ab Epiſcopo ordinari *Presbyterum* affirmavit, etſi conferre id quidem ad defendendum Sacerdotem contra Diaconum videretur, tamen non addidit, Epiſcopum a Presbytero, vel Presbyterum a Presbytero ordinari aut conſueſſe, aut potuiſſe. A Diaconis, inquit, *perducuntur, qui ordinandi ſunt, ut dum lateri illorum ſepti ſunt, honore digni videantur. Fac verum eſſe. Quaſi officialis enim* Diaconus *ab* EPISCOPO *mittitur, ut obſequium præbeat ordinando*. At ne in cogitationem quidem cadit, ut qui Epiſcopum *primum Presbyterum, & ſummum Sacerdotem* eſse confeſsus eſt, is cum Diaconos deprimere ſtuderet, æquandum *ſummo Sacerdoti* Sacerdotem *ſimplicem* arbitraretur. Subdit Auctor: Presbyteros ab Epiſcopo

Com-

Compresbyteros, & *Conſacerdotes* dici ſolere, miniſtros autem *Condiaconos* non item, quod hi multo ſint inferiores gradu Epiſcoporum. Ex qua re intelligitur, eſse Epiſcopos ſuperiores Presbyteris, Auctoris quæſtionum ſententia. Quod ſi quis exiſtimet, Epiſcopum ab eo in gradu eodem, quo *ſimplicem* Sacerdotem poni, propterea quod ſic interdum loquatur, ut æquare Presbyterum Epiſcopo videatur; is caveat, ne fateri cogatur, ſummum veteris Teſtamenti Pontificem non divina, ſed humana inſtitutione *ſimplicibus* Teſtamenti ejuſdem Sacerdotibus fuiſse ſuperiorem. Nam Auctor quæſtionum ita de Aarone, deque Caipha diſserit, ac de Sacerdotibus ceteris loquatur, quos tamen legis divinæ auctoritate inferiores Aarone fuiſse liquet. Quid? ſi Apoſtolos etiam *ſimplicibus* Presbyteris æquaſset noſter? Petri namque, atque Johannis, qui in Samariam manus impoſituri iis, qui a Philippo baptizati fuerant, venerunt, exemplo utitur, ut oſtendat ab Diaconis conſignari neminem poſse, a Sacerdotibus autem contra poſse. At Petrus & Johannes ſimplices Sacerdotes non erant, ſed Apoſtoli, quorum erat, inſtitutione divina, auctoritas longe major. Quamvis autem Patres, Epiſcopos eſse Apoſtolorum ſucceſsores, tradiderint; nuſquam tamen idem ſucceſſionis decus ſimplicibus *Presbyteris* fuiſse conceſsum tradiderunt. Atque hoc ipſo Petri, Johanniſque exemplo uſus Innocentius I. Pontifex (1) auctor ſane illuſtris, ac vetus eſt, ut ſolis Epiſcopis jus eſse datum conſignandi oſtenderet. Quæ cum ita ſint, fateantur neceſse eſt adverſarii, dicta quidem nonnulla minus caſtigate a Scriptore quæſtionum fuiſse, nihil autem reipſa conceſsum, quod cum Orthodoxæ religionis decretis componi facile non poſſit. Atque hoc ſcilicet veterum quorumdam vitium fuit, ut, ſi alicujus rei defenſionem ſuſcipiebant, ſic agerent, ut in oppoſitum errorem declinaſse viderentur. Omnia enim colligebant, ſcriptiſque mandabant, ſive ea ad rem pertinerent, ſive ipſa per ſe plus, quam illi vellent, efficerent, modo ne quid ab ſe

1 *Epiſt. ad Decentium Eugubinum cap. III. pag. 858. tom. I. Collect. epiſt. Roman. Pont. edit. Pariſ. Coutantii.*

ſe prætermitteretur, quod aliqua ratione ſuſceptæ cauſſæ præſidio eſſe poſſet. Quod ſi redarguti a quoquam fuiſſent, tum quæ vellent, quæque ſentirent, accurate explicare ſtudebant, ut ab omnibus, quam longe ab errore ipſi diſtaſſent, cognoſceretur. Cujus rei in Hieronymi ſcriptis exempla eſſe nonnulla videmus. Factum idem ab Auctore quæſtionum fuiſſe arbitror. Is enim cum Presbyterorum patrocinium adverſus Diaconos ſuſcepiſſet, quæcumque ad Sacerdotes ſpectabant, complexus eſt, quin ſane interdum in ſummumne, an in *ſimplices* Sacerdotes caderent, inquirendum exiſtimaret. Igitur, quæ de Aarone, Caipha, Petro, Johanne, Epiſcopis denique omnibus aut ſcripta erant, aut traditione majorum in ſuam ætatem manaverant, produxit, quod hi etiam Sacerdotes eſſent, ratus ſuam operam presbyteris utilem futuram, ſi Sacerdotes cum eſſent, Sacerdotum, etſi *ſummorum*, exemplis munirentur. Id vero dum fecit, numquam commiſit, ut Presbyteros omnibus rebus æquandos Epiſcopis, utque Sacerdotes veteris Teſtamenti pares Aaroni, Caiphæque fuiſſe diceret. Noverat enim Aaronem quamvis Sacerdotem, præfectum nihilominus ceteris Sacerdotibus, divina lege, fuiſſe; Epiſcopoſque ordinandi poteſtate valere, qua Presbyteri *ſimplices* careant.

Jam hiſce conſtitutis, nihil negotii erit adverſariorum argumentationes repellere. Itaque aſſentior, eos, qui Antiſtites vocentur, propterea quod moderentur Eccleſiam, & Diaconos, Presbyteroſque ordinent, eoſdem atque Epiſcopos eſſe; eos autem, qui Antiſtites dicti ſint, quia in conſeſſu, poſt Epiſcopum, & quia in conſecratione, oblationeque Corporis, & Sanguinis Chriſti, primas partes obtinent, eoſdem atque *Epiſcopos* eſſe, non aſſentior. Atque hoc quidem poſtremo ſenſu Quæſtionum Auctor Presbyteros appellavit vocabulo *Antiſtitum*, & *Vicariorum Chriſti*, non primo. Quamobrem offerendi, conſecrandique Corporis Chriſti poteſtate Epiſcopos æquavit Presbyteris, rebus autem ceteris, non item. Secunda autem argumentatio nihilo eſt, mea quidem ſententia, gravior. *Conſacerdotes* enim ab Epiſcopis Presbyteri ſimplices vocantur, poteſtatis conſecran-

ſecran-

ſecrandi , offerendique Corporis , & Sanguinis Domini cauſſa , non autem *ordinandi*, qua unus Epiſcopus gaudet. Quapropter Auctor Quæſtionum , accipere *Diaconum* e manu Sacerdotis *oblationem* , ut miniſtret , dicit quandoque ; *ordinari* autem *Diaconum* a *Presbytero* numquam . Quod adjungunt adverſarii de Epiſcopis , quaſi ſola ætatis prærogativa Presbyteris antecellerent, commenticium eſt. Hujus enim rei apud Auctorem Quæſtionum ne (1) veſtigium quidem reperitur. Tertia ejuſdem eſt ponderis argumentatio. Dabo enim Epiſcopum æqualem Presbytero fuiſſe futurum , ſi munera , quæ obit Epiſcopus , omnia obire etiam presbyter valeret . Sed non poteſt. Etſi namque *conſignaſſe* presbyteros Alexandriæ , dum Epiſcopus abeſſet , concederem , tamen haud eſſet conſequens, omnibus Epiſcopi muneribus fungi Presbyterum potuiſſe. Quibus enim teſtimoniis veterum , imprimiſque Auctoris quæſtionum Blondellus efficiet , cadere in Presbyterum ſimplicem *ordinandi* facultatem poſſe? Sed de conſignandi poteſtate agam alio loco accurate (2) & copioſe , dum tempus monuerit. Interea ſatis hæc ſunto ad explicandam Auctoris Quæſtionum in vetus , & novum Teſtamentum de Epiſcopis , Presbyteriſque ſententiam .

Quæ de Baſilio (3) , de Gregorio Nazianzeno , de Gregorio Nyſſeno , de Pelagio hæreſiarcha , de Syneſio Ptolema-

1 Hujuſce rei teſtes etiam eſſe Hieronymum , & Chryſoſtomum , Blondellus mentitur. *Ibid.* Sed de his Patribus erit paullo poſt opportunior diſſerendi locus.

2 Auctor Quæſtionum in vetus , & novum Teſtamentum *qu.* LXI. *pag.* 66. *tom. eod.* „ Illud , *inquit* , quod omnino non licet , ſemper non licet , nec aliqua neceſſitate mitiga„ tur , ut admiſſum non obſit. Eſt enim ſemper illicitum , quod legibus quia criminoſum „ eſt, prohibetur „ . *Et qu.* CI. *pag.* 91. „ Apud juſtum Judicem Deum unicuique hic honor „ maneat , qui decretus eſt ſingulis Eccleſiarum officiis „ . *Et qu.* XLXI. *pag.* 39. „ Num„ quid Diaconus poteſt vicem gerere Sacerdotis ? Præfectus enim poteſt agere vicem præfe„ cti , & prætor prætoris , non tamen privatus poteſt agere vicem poteſtatis alicujus ; quan„ to magis Sacerdotis vicem agere non poteſt , qui non eſt Sacerdos „ . Sed hæc non officiunt , quo minus , ſi voluntate Dei conſtitutum eſt , ut a Presbytero , delegante Pontifice , cui datum id eſt munus , adminiſtretur confirmationis Sacramentum , idem adminiſtrari a Presbytero , cui Epiſcopus non committat , poſſit. Quare nihil agit Blondellus , qui contra pugnat. Sed de his in *lib.* qui erit de *confirmationis Sacramento* , agam.

3 Baſilii Locus , quo Blondellus abutitur, decerptus ex Commentariis in Iſaiæ *cap.* III. eſt , habetque hoc modo. „ Quantuſcumque præſidentia dignus habitus , & Presbyterio ad„ ſcriptus , ſive qui Presbyteri Characterem irreprehenſibiliter portat , maxime vero uxo„ ris

lemaidenſi, de Auguſtino, de Paulino Nolano, de Salviano, deque iis, qui poſt quartum, quintumque ſeculum vixerunt, ſcriptoribus Blondellus jactat, cum leviſſima ſint, irrideri merito debent, refelli certe non debent. Nec enim adhibenda eſt inanibus rebus aut evolvendis, aut refu-

„ ris expers, hic presbyter eſt. Si vero ſecundum Domini legem, *unius uxoris vir &c.* „ hic presbyter eſt „. Blondellus cum hæc legiſſet, vidiſſetque, quæ de monogamo Epiſcopo Paulus dixit, ea ipſa a Baſilio tributa Presbyteris etiam fuiſſe, continuo ſtatuit, eoſdem fuiſſe, Baſilii opinione, Epiſcopos, atque Presbyteros. Mirum quod non perinde hoc ipſum concluſerit ex noſtra ſententia. Nos enim Presbyterum, niſi monogamum, ordinandum negamus eſſe. Quid? An Epiſcopos eſſe eoſdem, atque Presbyteros arbitramur? Ridiculum! Ejuſdem furfuris ſunt, quæ colligit ex Regulis Moralibus Baſilii Blondellus. Quare mitto de ipſis dicere. Sed Presbyteriano *pag. 63. cap.* XXIII. *ſect.* II. Baſilii loca in ſuam ſententiam contorquenti ſexcenta Epiſcopi ejuſdem Cæſarienſis opponere teſtimonia poſſumus, quibus Puritanorum confutetur error. His paucis contenti erimus. *Epiſt.* XLII. *pag.* 128. *tom.* III. *opp. edit. Pariſ. Monachor. s. Mauri. Epiſcopos* eſſe ait παρὰ τοῦ θεοῦ τεταγμένους *a Deo conſtitutos*, vel *ordinatos*. *Et epiſt.* LXIX. *ad Athanaſium pag.* 161. „ Pleriſque aliis, inquit, ſatis eſt ſua cujuſque propria circumſpicere. Tibi vero id ſatis non eſt; ſed tanta „ ineſt Tibi omnium Eccleſiarum cura, quanta illius *Eccleſiæ*, qua PRIVATIM TIBI παρὰ τοῦ „ κοινοῦ δεσπότου ἡμῶν *a communi noſtro Domino* concredita eſt „. Vide *epiſt.* CXCIII. *ad Ambroſium Mediolanenſem pag.* 288. Si autem conſtituti Epiſcopi divinitus ſunt, Epiſcoporum vero nomine ſingulares antiſtites Eccleſiarum intelligit Baſilius, fit ita, ut ejus ſententia, ſingulares Epiſcopos, qui Eccleſias moderentur, eſſe divinitus inſtitutos, quare concidere errorem Puritanorum. De Gregorio Nazianzeno agit Blondellus *cap.* XXIV. *ſect.* II. *pag.* 64. Atque Gregorium, ubi anteponit Epiſcopum Presbyteris, agere ita Blondellus reſpondet, ut eorum temporum conſuetudo poſcebat. Quod quam ſit ineptum, lector dijudicet. Non enim Inſtitutione divina ſuperiores eſſe Epiſcopos Presbyteris Gregorius uſquam negavit, ut ne conſuetudine quidem Eccleſiæ affirmavit. Qua ergo fronte Gregorii orationem aliorſum Blondellus accipit, atque ejus verba Theologi poſtulent? Sed Presbyteros & paſcere, & præeſſe, & deificare Gregorius ſtatuit. Non nego. Verumtamen cur non paſcant ii, neque regant, qui eſſe debent adjutores Epiſcoporum? Confer ejus *orationem* I. *pag.* 43. *tom.* I. *opp. edit. an.* 1690. & *Orat. eamdem pag.* 3. & 5. & *Orat.* XXXII. *pag.* 527. De Gregorio Nyſſeno diſputat Blondellus *cap.* XXV. *pag.* 65. ſed eo in loco, quo Presbyterianus abutitur, de Epiſcopis agit Gregorius, quos honoris cauſſa ſeniores vocat. Pelagii teſtimonium *ex comm. in epiſt. ad Rom.* quod Blondellus laudat, eodem modo explicatur, quo aliorum, qui duos ordines, Sacerdotum, & Diaconorum memoraverunt. Syneſius Epiſcopus erat, deque ſe ipſo loquebatur, dum LXXII. Epiſtolam ſcripſit. Igitur Sacerdotis nomine Epiſcopum indicavit. Quamobrem operam ludit Blondellus, qui eodem loco abutitur. Vide ſupra *pag.* 462. *hujus vol. not.* I. Quodſi alicubi paſci gregem a Presbyteris dixit, recte quidem dixit; nam id munus ad Presbyteros item ſpectare fatemur, ut qui ſint adjutores Epiſcoporum. Mitto cetera, quæ Blondellus congerit *cap.* XXIX. *pag.* 68. quoniam eodem revolvuntur. S Auguſtinus *epiſt.* LXXXII. *al.* XIX. *pag.* 202. *tom.* II. *opp.* Hieronymo ſcripſit: „ Quamquam ſecundum honorum vocabula, quæ jam Eccleſiæ uſus obtinuit, Epi„ ſcopatus Presbyterio major ſit, tamen in multis rebus Auguſtinus Hieronymo minor eſt. Hunc locum opponit Blondellus *cap.* XXIX. *pag.* 68. ſed de conſuetudine loquutus eſt Auguſtinus, quæ divina lege obtinuerat. Nam in eo libro, quem de Hæreſibus *ſcripſit ad Quodvult Deum*, *cap.* LIII. *pag.* 18. *tom.* VIII. *opp. edit. Pariſ. s. Mauri*: in Hæreticis Aerium numerat, quod diceret: *Presbyterum ab Epiſcopo nulla ratione debere diſcerni*. Confer *librum de Utilit. credendi cap.* XVII. *p.* 69. *tom.* VIII. & *lib. contra Adverſ. Legis, & Prophetar. cap.* XX. *pag.* 570. *tom. eod.* Præterea Paulini, & Salviani teſtimonia, quæ in idem recidunt, ne ſim longior, quam oporteat.

refutandis oratio. Itaque venio ad Hieronymum, quo maxime adverſarii (1) auctore, ac duce gloriantur.

Atque eſto id quidem octavum ac decimum argumentum. Igitur qui contra nos diſputant, multa illius eſſe dicta defendunt, quibus oſtendi, efficique poſſe videatur, divino jure Epiſcopos nulla re Presbyteris antecellere. Ego vero cum idipſum vehementer negem, tum ne quis egiſſe me cenſeat Presbyterianorum more, qui omnia aut turbant, aut diminuunt, ut effugere invidiam erroris poſſint; deſcribam initio Hieronymi teſtimonia, ea fide, qua ſunt a Blondello deſcripta; deindeque quemadmodum explicanda ſint, accurate, diligenterque, ut potero, demonſtrabo. Habet ergo Hieronymus in epiſtola ad Titum (2) hoc modo.
„ Audiant Epiſcopi, qui habent conſtituendi Presbyteros
„ per urbes ſingulas poteſtatem, ſub quali lege Eccleſia-
„ ſticæ conſtitutionis ordo teneatur. Nec putent Apoſtoli
„ verba eſſe, ſed Chriſti, qui ad diſcipulos ait, *qui vos*
„ *ſpernit, me ſpernit, qui autem me ſpernit, ſpernit eum,*
„ *qui me miſit*, ſic & *qui vos audit me audit, qui autem me*
„ *audit, audit eum, qui me miſit*. Ex quo manifeſtum eſt,
„ eos, qui Apoſtoli lege contemta, Eccleſiaſticum gra-
„ dum non merito voluerint alicui deferre, ſed gratia,
„ contra Chriſtum facere, qui qualis in Eccleſia Presby-
„ ter conſtituendus ſit, per Apoſtolum ſuum in ſequenti-
„ bus exſequutus eſt..... Diligenter Apoſtoli verba attenda-
„ mus dicentis, *ut conſtituas per civitates Presbyteros, ſicut*
„ *ego tibi diſpoſui*; qui qualis Presbyter debeat ordinari, in
„ conſequentibus diſſerens, hoc ait: *ſi quis eſt ſine crimine,*
„ *unius uxoris vir &c.* Poſtea intulit: *oportet enim Epiſcopum*
„ *ſine crimine eſſe, tamquam Dei diſpenſatorem*. Idem eſt
„ ergo Presbyter, qui & Epiſcopus, & antequam diaboli
„ inſtinctu ſtudia in religione fierent, & diceretur in po-
„ pulis: *Ego ſum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ*, com-
„ muni Presbyterorum conſilio Eccleſiæ gubernabantur.

1 Salmaſius *Diſſ. de Epiſc. & Presb. cap* 11. *pag.* 113. *ſeqq.* Blondellus *Apolog. pro ſent.* Hieron. *ſect.* 1. *cap.* 1. *pag.* 1. *ſeqq.* Buddeus *ibid.* §. xv. *pag.* 213. *ſeq.*

2 *Pag.* 412. *tom.* IV. *P.* 1. *op. edit. Martianæi Pariſ.*

„ Poſtquam autem unuſquiſque eos, quos baptizaverat, „ ſuos putabat eſſe, non Chriſti; in toto orbe decretum „ eſt, ut unus de presbyteris electus ſuperponeretur cete- „ ris, ad quem omnis Eccleſiæ cura pertineret, & Schiſ- „ matum ſemina tollerentur. Putat aliquis non Scriptu- „ rarum, ſed noſtram eſſe ſententiam: *Epiſcopum, & Pres-* „ *byterum* unum eſſe, & aliud ætatis, aliud eſſe nomen „ officii: relegat Apoſtoli ad Philippenſes verba dicentis: „ *Paulus*, & *Timotheus ſervi Jeſu Chriſti, omnibus ſanctis in* „ *Chriſto Jeſu, qui ſunt Philippis cum Epiſcopis, & diaconis,* „ *gratia vobis, & pax*, & reliqua. Philippi una eſt urbs „ Macedoniæ, & certe in una civitate plures, ut nuncu- „ pantur, Epiſcopi eſſe non poterant. Sed quia eoſdem „ Epiſcopos illo tempore, quos & Presbyteros appella- „ bant; propterea indifferenter de Epiſcopis, quaſi de „ Presbyteris, eſt loquutus. Adhuc hoc alicui videatur am- „ biguum, niſi altero teſtimonio comprobetur. In Acti- „ bus Apoſtolorum ſcriptum eſt, quod cum veniſſet Apo- „ ſtolus Paulus Miletum, miſerit Epheſum, & vocaverit „ Presbyteros Eccleſiæ ejuſdem, quibus poſtea inter cete- „ ra ſit loquutus: *attendite vobis, & omni gregi, in quo vos* „ *Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos paſcere Eccleſiam Domini,* „ *quam acquiſivit per Sanguinem ſuum.* Et hoc diligenter ob- „ ſervate, quomodo unius civitatis Epheſi Presbyteros vo- „ cans, poſtea eoſdem Epiſcopos dixerit. Si quis vult re- „ cipere eam epiſtolam, quæ ſub nomine Pauli ad Hebræ- „ os ſcripta eſt, & ibi æqualiter inter plures Eccleſiæ cura „ dividitur; ſiquidem ad plebem ſcribit; *parete principibus* „ *veſtris, & ſubjecti eſtote, ipſi enim ſunt, qui vigilant pro* „ *animabus veſtris, quaſi rationem reddentes, ne ſuſpirantes* „ *hoc faciant, ſiquidem hoc utile vobis eſt.* Et Petrus, qui „ ex fidei firmitate nomen accepit, in epiſtola ſua loqui- „ tur dicens: *Presbyteros ergo in vobis obſecro compresbyter,* „ *& teſtis Chriſti paſſionum, qui & ejus gloriæ, quæ in futuro* „ *revelanda eſt, ſocius ſum, paſcite eum, qui in vobis eſt, gre-* „ *gem Domini, non quaſi cum neceſſitate, ſed voluntarie.* „ Hæc propterea, ut oſtenderemus, apud veteres eoſdem

„ fuiſſe

„ fuiſſe Presbyteros, quos & Epiſcopos, paullatim vero,
„ ut diſſenſionum plantaria evellerentur, ad unum omnem
„ ſollicitudinem eſſe delatam. Sicut ergo Presbyteri ſci-
„ unt, ſe ex Eccleſiæ conſuetudine ei, qui ſibi præpoſitus
„ fuerit, eſſe ſubjectos; ita Epiſcopi noverint, ſe magis
„ conſuetudine, quam diſpoſitionis Dominicæ veritate
„ Presbyteris eſſe majores, & in commune debere Eccle-
„ ſiam regere, imitantes Moyſen, qui cum haberet ſolus
„ præeſſe populo Iſrael, ſeptuaginta elegit, cum quibus
„ populum judicaret „. Hoc primum eſt Hieronymi teſti-
monium. Alterum eſt ex Epiſtola ad Oceanum (1) Presbyte-
rum decerptum,eſtque hujuſmodi: „ In utraque epiſtola ſive
„ Epiſcopi, ſive Presbyteri, quamquam apud veteres ii-
„ dem Epiſcopi, & Presbyteri fuerint, quia illud nomen
„ dignitatis eſt, hoc ætatis, jubentur monogami in Cle-
„ rum eligi „. Tertium repetunt ex epiſtola ad Evagrium,
quo loco ſic ſtatuit. „ (2) Legimus in Eſaia: *fatuus fatua loque-*
„ *tur*. Audio quemdam in tantam erupiſſe vecordiam, ut
„ Diaconos Presbyteris, ideſt Epiſcopis, anteferret. Nam
„ cum Apoſtolus perſpicue doceat, eoſdem eſſe Presbyte-
„ ros, quos & Epiſcopos, quis patiatur, menſarum, &
„ viduarum miniſter ut ſupra eos ſe tumidus efferat, ad
„ quorum preces Chriſti Corpus, Sanguiſque conficitur?
„ Quæris auctoritatem? Audi teſtimonium: *Paulus*, &
„ *Timotheus Servi Chriſti Jeſu omnibus ſanctis in Chriſto Jeſu*,
„ *qui ſunt Philippis cum Epiſcopis, & Diaconis*. Vis & aliud
„ exemplum? In Actibus Apoſtolorum ad unius Eccleſiæ
„ Sacerdotes ita Paulus loquitur: *attendite vobis, & cuncto*
„ *gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos, ut re-*
„ *geretis Eccleſiam Domini, quam acquiſivit Sanguine ſuo*.
„ Ac ne quis contentioſe in una Eccleſia plures Epiſcopos
„ fuiſſe contendat, audi & aliud teſtimonium, in quo ma-
„ nifeſtiſſime comprobatur, eumdem eſſe Epiſcopum atque
„ Presbyterum. *Propter hoc reliqui te Cretæ, ut ea, quæ dee-*
„ *rant, corrigeres, & conſtitueres Presbyteros per civitates, ſicut*
„ *& ego tibi mandavi. Si quis eſt ſine crimine unius uxoris*
 „ *vir*

1 *Epiſt.* LXXXII. *al.*LXXIII. *pag.*648. *t.*IV. *opp.* 2 *Ep.*CI. *al.* LXXXV. *ibid. p.*802.

,, *vir filios habens fideles non in accuſatione luxuriæ, aut non ſubditos. Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe, quaſi diſpenſatorem*. Et ad Timotheum: *Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ tibi data eſt Prophetiæ per impoſitionem manuum Presbyterii*. Sed & Petrus in prima epiſtola: *Presbyteros*, inquit, *in vobis precor compresbyter, & teſtis paſſionum Chriſti; & futuræ gloriæ, quæ revelanda eſt particeps, regere gregem Chriſti, & inſpicere non ex neceſſitate, ſed voluntarie, juxta Deum*. quod quidem græce ſignificantius dicitur ἐπισκοποῦντες, ideſt *ſuperintendentes*, unde & nomen Epiſcopi tractum eſt. Parva tibi videntur tantorum virorum teſtimonia? Clangat tuba Evangelica filius tonitrui, quem Jeſus amavit plurimum, qui de pectore Salvatoris doctrinarum fluenta potavit: *Presbyter Electæ dominæ, & filiis ejus, quos ego diligo in veritate*. Et in alia epiſtola: *Presbyter Cajo cariſſimo, quem ego diligo in veritate*. Quod autem poſtea unus electus eſt, qui ceteris præponeretur, in ſchiſmatis remedium factum eſt, ne unuſquiſque ad ſe trahens Chriſti Eccleſiam rumperet. Nam & Alexandriæ, a Marco Evangeliſta uſque ad Heraclam, & Dionyſium Epiſcopos, Presbyteri ſemper unum ex ſe electum, in excelſiori gradu collocatum, Epiſcopum nominabant, quomodo ſi exercitus Imperatorem faciat, aut Diaconi eligant de ſe, quem induſtrium noverint, & Archidiaconum vocent. Quid enim facit, excepta ordinatione, Epiſcopus, quod Presbyter non faciat? Nec altera Romanæ Urbis Eccleſia, altera totius Orbis exiſtimanda eſt. Et Galliæ, & Britanniæ, & Africa, & Perſis, & Oriens, & India, & omnes barbaræ nationes unum Chriſtum adorant, unam obſervant regulam veritatis. Si auctoritas quæritur, Orbis major eſt Urbe. Ubicumque fuerit Epiſcopus, ſive Romæ, ſive Eugubii, ſive Conſtantinopoli, ſive Rhegii, ſive Alexandriæ, ſive Tanis, ejuſdem meriti eſt, ejuſdem & ſacerdotii. Potentia divitiarum, & paupertatis humilitas vel ſublimiorem, vel inferiorem Epiſcopum non facit. Ceterum omnes Apoſtolorum ſucceſſores ſunt.

,, *Ibi-*

„ *Ibidem rurſum*: Presbyter, & Epiſcopus aliud ætatis,
„ aliud dignitatis eſt nomen; unde & ad Titum, & ad Ti-
„ motheum de ordinatione Epiſcopi, & Diaconi dicitur,
„ de Presbyteris omnino reticetur, quia in Epiſcopo &
„ Presbyter continetur. Qui provehitur, de minori ad
„ majus provehitur. Aut igitur ex Presbyterio ordinetur
„ Diaconus, ut Presbyter minor Diacono comprobetur,
„ in quem creſcat ex parvo; aut ſi ex Diacono ordinatur
„ Presbyter, noverit ſe lucris minorem, ſacerdotio eſſe
„ majorem. Et ut ſciamus traditiones Apoſtolicas ſumtas
„ de veteri Teſtamento; quod Aaron, & filii ejus, atque
„ Levitæ in templo fuerunt, hoc ſibi Epiſcopi, & Presby-
„ teri, & Diaconi vindicent in Eccleſia „. His ex Hieronymi Commentariis, epiſtoliſque deſcriptis locis, multa Blondellus, Salmaſius, & Buddeus concludunt, quibus confirmari errorem Puritanorum de Epiſcopis, & Presbyteris arbitrantur. Ac primum quidem omnium eoſdem eſſe Epiſcopos, atque Presbyteros decernunt, accuſantque noſtros, qui initio quidem Epiſcopos appellatos vocabulo Presbyterorum fuiſſe cenſent, pares autem Presbyteris fuiſſe negant. Hieronymum enim de re, non de vocabulo ſolum agere contendunt. Jam vero Epiſcopos, Hieronymo auctore, non divina lege, ſed conſuetudine Eccleſiæ, Presbyteris antecellere, ſtatuunt. Communi namque Presbyterorum conſilio fuiſſe Eccleſiam ante gubernatam cenſent, quam ortæ inter noſtros diſſenſiones fuiſſent, voceſque illæ populi Chriſtiani intelligerentur: *Ego quidem ſum Pauli &c.* Sed ubi diſcindi in factiones noſtri, & invaleſcere ſchiſmata cœperunt, tum ubique terrarum fuiſſe Epiſcopos conſtitutos, qui ſoli Eccleſiam moderarentur. Id autem ante annum centeſimum, & quadrageſimum eveniſſe, effici ullo vetere monumento poſſe Blondellus negat. Non enim eſſe exiſtimat, Hieronymi verba de ſchiſmate Corinthiaco accipienda, ſed de diſſidiis Chriſtianorum, quæ poſtea Eccleſiam perturbarunt. Inde uti ſchiſmata tollerentur, omnium Eccleſiarum conſenſu, decretum fuiſſe, dicit, ut unus e cœtu Presbyterorum reliquis præficeretur. Sed conſtitutis Epiſcopis, non

non eſſe ſacerdotibus ceteris, auctore Hieronymo, adminiſtrandæ, curandæque Eccleſiæ ademtam auctoritatem, putat. Ejuſdem rei argumenta indicari, ait, ab Hieronymo omnino ſex. Horum eſſe primum de Presbyteris, qui Epiſcopi appellarentur, & eſſent. Alterum de Epiſcopis, qui plures Apoſtolorum ætate in eadem Eccleſia vigerent. Eos enim, ſi multi erant, ut ſcribit Paulus, eoſdem eſſe atque Presbyteros debuiſſe. Tertium de Presbyteris rurſum, qui inſtituti divinitus eſſent, ut paſcerent populum Chriſtianum. Nam eos, qui paſcunt, Epiſcopos eſſe oportere. Quartum de ἡγεμένοις, ſeu ducibus, qui vigilarent, quaſi rationem de ſubditis reddituri. Epiſcopos quippe ipſos fuiſſe. At hos Epiſcopos nulla re ſuperaſſe gradum Presbyterorum. Quintum de Petro, qui Presbyteros hortatus eſt, ut inſpicerent, hoc eſt Epiſcopum agerent. Sextum de Eccleſiis ubique gentium fundatis, in quibus plures Epiſcopi, qui eas moderarentur, florerent. Etenim plures Epiſcopos, quos tandem, niſi *Presbyteros ſimplices* fuiſſe? Atque hæc fere ex priore Hieronymi loco concluſa ſunt a Blondello, Salmaſio, atque Buddeo viris, qui Calvinianorum, aut Lutheranorum partibus ſtuduiſſent. Age nunc, obſervationes eorum reliquas in epiſtolas ad Oceanum, & Evagrium perſequamur. Atque animadvertit Blondellus priore loco, eoſdem fuiſſe Epiſcopos, atque Presbyteros ætate Apoſtolorum, idque ab Hieronymo non Lucæ modo, ſed etiam Petri, Johannis, & Pauli teſtimoniis confirmari. Proferri deinde majorum exempla, ex quibus intelligatur, eligi unum aliquem conſueſſe, qui ceteris ſacerdotibus præficeretur, ut deinceps nullus daretur ſchiſmatum conflandorum locus. Laudari mox conſuetudinem Alexandrinorum, quorum Presbyteri, jam uſque a Marci temporibus ad ſeculum Eccleſiæ tertium, unum *ex ſe electum*, inque excelſiori collocatum gradu Epiſcopum appellabant, non ſecus atque exercitus militum aliquem deligere, dicereque ſolebat Imperatorem. Nihil præterea feciſſe, Hieronymi ætate, demta ordinatione, Epiſcopum, quod Presbytero facere non liceret. Ordinandi autem poteſtatem non divino jure, ſed

more

more Eccleſiæ fuiſſe Presbyteris ademtam . Alioqui Hieronymum numquam fuiſſe Presbyteros Epiſcopis æquaturum . Jam vero Epiſcopi , Presbyterique vocabula , auctore Hieronymo , non officiorum indicare , ſed *ætatis* , *dignitatiſque* diverſitatem . Atque Epiſcopum, ubicumque tandem ſit , ejuſdem eſſe meriti , & ſacerdotii , quum non minus Eugubinus , quam Romanus ſit ſucceſſor Apoſtolorum . Quod ipſum eſſe de Presbyteris ſtatuendum , quos ille , ſcribit , Epiſcopis pares eſſe . Quinetiam ordines in Eccleſia ab Hieronymo tantum numerari duos , quorum alter ſit Diaconorum , alter Epiſcoporum , ſive Presbyterorum . Poſtremo ut a Presbytero , ita ab Epiſcopo corpus , ſanguinemque Domini conſecrari , adeoque utroſque pari auctoritate excellere . Prætermiſit autem Blondellus , quod Hieronymus de levitis , de Aaronis filiis ſacerdotibus , deque Aarone Pontifice Hebræorum tradit , quod alio loco ſe de his rebus, deque diverſitate ſacerdotum , levitarumque veteris Teſtamenti a Presbyteris , diaconiſque Chriſtianis acturum confideret . Similia eorum , quæ ſunt a Blondello animadverſa , perſequuti ſunt Salmaſius loco indicato , & Buddeus in ea diſſertatione , quam inſcripſit de origine , & poteſtate Epiſcoporum .

Sed his ego omnibus paucis , ut potero , ſatisfaciam . Quamquam eſt eorum imprimis notandus error , qui aut Hieronymum Aerio (1) conſenſiſſe , erraſſeque , aut Aerium (2) liberandum ab invidia hæreſeos eſſe arbitrarentur . Nam

1 Michael Medina *lib. de Sacr. Homin. Orig. & Continentia cap.* v. apud Petavium loco mox indicando, Hieronymum Aerii dogma propugnaſſe ſcribit. Quid vero Hieronymum dico? Immo vero Chryſoſtomum , Theodoritum , Ambroſium , Auguſtinum , Primaſium , & Sedulium . Eſt autem Medinæ a Bellarmino *lib. de Clericis cap.* xv. *pag.* 1465. *edit. Ingolſt. an.* 1587. & Petavio *lib.* 1I. *Hierarch. Eccl. cap.* VIII. *pag.* 61. *& ſeq. tom.* IV. *Theologicor. Dogmat. edit. Antuerp. & Diſſert. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 11I. *pag.* 172. exploſa ſententia . Ac de Chryſoſtomo quidem , Theodorito , Primaſio , Sedulioque paullo poſt videro . Nam de Ambroſiaſtro , deque Auguſtino ſatis eſſe arbitror , quid ſenſerint , demonſtratum . Ambroſii enim nomine Ambroſiaſtrum appellat homo , ut in dijudicandis majorum decretis audax , ita minus in Antiquitatibus Chriſtianis verſatus . De Hieronymo jam mox conſtabit , quam longe ab hæretica opinione Aerii receſſerit .

2 Lambertus Danæus *ad Auguſtini lib. de Hæreſib. cap* LIII. *pag.* 981. *edit. an.* 1654. ab hæreſeos nota Aerium liberare conatur . Ac mirabile id quidem videri non debet . Homo enim de Secta Calvinianorum , qui Wiclefum , Waldenſes , & Aerium auctores ſequuntur , arguendos eſſe hæreſeos non putavit , qui id defenderent , quod ipſe perinde teneret , ac

Nam qui Hieronymum accuſant, ſanctiſſimo viro, quem Eccleſia ſemper magiſtrum coluit, injuriam faciunt; qui autem Aerium abſolvunt, plus ſibi eſſe, quam ſuperiorum temporum Chriſtianis tribuendum cenſent, ut qui majorum communi judicio ſingularem opinionem anteponant ſuam. Ac Epiphanius (1) quidem, Auguſtinus (2), aliique veteres (3), quos ſunt ceteri, qui libros de Hæreſibus ediderunt, auctores ſequuti, Aerium in hæreticis numerarunt, propterea quod Presbyteros æquandos eſſe Epiſcopis judicaſſet; Hieronymum autem, cujus erat ipſis explorata ſententia, non ſolum in ſuſpicionem hæreſeos non vocarunt, ſed etiam ſummis laudibus celebraverunt. Hæreſeos autem quemadmodum accuſaſſent Aerium, ſi ejus decreta componi cum ſcripturarum, cumque traditionum divinarum auctoritate poſſe vidiſſent. Etenim ne fando quidem auditum eſt, ob unam Eccleſiaſticam conſuetudinem aut violatam, aut rejectam, fuiſſe quemquam a Patribus hæreſeos condemnatum. Atque Aerio, quod pares eſſe Presbyteros Epiſcopis affirmaſſet, damnato, qui tandem effugiſſet Hieronymus reprehenſionem, ſi nulla re, ſtatuiſſet, Epiſcopos Preſbyteris antecellere? Intellexerint ego Patres neceſſe eſt, erro-

ac tueretur. De Wicleſo conſule Thomam Waldenſem *lib.* II. *Doctrinal. fidei art.* III. *c.* LXI. *p.* 163. *edit.* 1532. De Waldenſibus adi-ſis Bernardum Abbatem Fontis Calidi *in lib. contra Wald. c.* I. *ſeq. pag.* 1586. *edit. an.* 1677. *t.* XXIV. *Bibl. Patrum*, Monetam Ord. Præd. *lib.* V. *contra Cath. & Wald. c.* V. §. 1. *p.* 431. *ſeqq. edit.* Palearini Rom. & Raynerium Sachonum *Summa contra Catharos, & Waldenſes apud Martenium tom.* V. *Theſaur. Anecdotor. pag.* 1777. *edit. Pariſ. ann.* 1717. Petavium *Diſſert. Eccl. cap.* III. *pag.* 173. *tom.* IV. *Theologicor. Dogmat. edit. Antuerp.* Bellarminum *ibid.* & Thomam Auguſtinum Ricchinium Ord. Præd. ſacræ Congregationi Indicis a Secretis virum eruditiſſimum *Apparat. in Moneta ſummam Diſſ.* II. *cap.* III. *pag.* XLI. Neque vero Danæus Calvinianus ſolum, ſed etiam Johannes Franciſcus Buddeus Lutherum ſequutus ducem, Aerium ab hæreſi abſolvendum cenſuit. Nam *Diſſert. Hiſtoric. Theolog. de Orig. & Poteſt. Epiſcop. pag.* 215. §. XV. „ Nec erravit utique, inquit, in hoc ſaltem capite, ſi jure divino nullum inter Epiſcopum, & Presbyterum intercedere diſcrimen docuit; quæ tamen ejus fuiſſe videtur ſententia, ſi accuratius conſideremus, quæ hac de re tradit Epiphanius *hæreſ.* LXXV. „. De Luthero negante diſcrimen Epiſcoporum, & Presbyterorum, vide quæ dixi ſupra *pag.* 314. *ſeq. not.* 3.

1 Conſule Epiphanii locum ſupra *pag.* 314. *n.* 3.

2 Confer locum Auguſtini *ibid. pag.* 315.

3 Vide libellum *de Hæreſibus cap.* LIII. *tom.* XXVII. *Bibliotheca Patrum edit. Lugdunenſis pag.* 552. De Aerio multa diſputant Dionyſius Petavius vir ſummus *Hierarch. Eccl. lib.* II. *capp.* VI. & VII. *pag.* 55. *ſeqq. t.* IV. *Theologicor. Dogm. edit. Antuerp.* & Tillemontius *Monum. Hiſt. Eccl. pag.* 88. *tom.* IX. *edit. Pariſ. an.* 1711. & Natalis Alexander *Hiſt. Eccl. ſec.* IV. *cap.* III. *art.* XV. *pag.* 69.

errorem Aerii longe ab ſententia Hieronymi diſcrepaſſe, illumque proinde reprobandum, hunc contra multis nominibus laudandum, celebrandumque fuiſſe. Quod ſi diſcrepans ab Aerii opinione fuit Hieronymi ratio, ſequetur profecto, ut quibuſdam rebus pares eſſe divina inſtitutione Presbyteros Epiſcopis Hieronymus dixerit; omnibus vero rebus, non item. Quamobrem verbo ille fortaſſe interdum noſtris repugnavit, re autem ipſa conſenſit. Atque ita quidem Hieronymum judicaſſe, ex illius ſcriptis cognoſcitur. In explicanda enim alicujus ſententia, non quid ille alicubi quandoque, ſed quid omnibus in libris (quos publicavit) ſcripſerit, defenderit, confirmarit, diſpiciendum eſt. Sed adverſæ cauſſæ Patroni, ut Hieronymum in ſuam ſententiam pertrahant, quæ ille in Epiſtolis, librisque, quibus reprimere audaciam Diaconorum conatus eſt, tradidit, ſtudioſe colligunt, cetera prætermittunt. Nos contra conferenda eſſe univerſa, diligenterque conſideranda contendimus, ut intelligi tandem poſſit, in noſtram ne ſententiam Hieronymus fuerit, an in Presbyterianorum errorem propenſior. Eſt autem illud imprimis animadvertendum, extitiſſe ea ætate nonnullos ex ordine Diaconorum, qui ſeſe æquare Presbyteris (1) auderent. Hieronymum, qui eorum temeritatem, impudentiamque ægerrime, ut debebat, tulerat, cum in hunc ſermonem incidiſſet, indicare breviter conſtituiſſe, quam eſſent diaconis excellentiores, ſuperioreſque auctoritate Presbyteri. Ergo cum ingreſſus in eam diſputationem eſſet (ita ut fit, ubi quid acriter, vehementerque defendimus, ut plus interdum dicere, quam res ipſa poſtulet, videamur) proptera quod in quibuſdam ſacrarum Scripturarum locis legiſſet, eos, qui Epiſcopi vocarentur, fuiſſe etiam appellatos nomine Presbyterorum, ad Presbyteros ſpectaſſe Apoſtolorum tempore Eccleſias communi conſilio adminiſtrare, ac paſcere, ſtatuiſſe; non

1 Vide quæ dixi ſupra *p.467.ſeq.hujuſce vol.* Ea enim ætate, qua Hieronymus florebat, Falcidius extitit, qui cum Diaconus eſſet, Presbyteris Diaconos anteponere audebat. Falcidium autem oppugnavit *Auct. Quaſt. in V. & N. Teſt.* Atque in eumdem Falcidium, aut in alium quempiam Diaconorum, qui ſimilia diceret, ſcripſiſſe Hieronymum ex Epiſtola ad Evagrium intelligitur, ex qua nonnulla ſupra deſcripſimus *pag.475. ſeq. hujus vol.*

quod omnibus rebus pares Epiſcopis Presbyteros (nam Preſbyteris ordinare nefas eſſe, confeſſus eſt) ſed quod auctoritate conſecrandæ Euchariſtiæ æquales eſſe arbitraretur, quodque ſimul una gubernaſſent Eccleſias, eodemque initio nomine appellari conſueviſſent. Itaque ne quis calumniando rapere illius verba in pejorem partem auderet, cum tam multa de Presbyterorum dignitate diſputaviſſet, *excepta ordinatione*, nihil ab Epiſcopo fieri, dixiſſe, quod non faciat (1) Preſ-

1 Salmaſius *Diſſert. de Epiſc. & Presbyt. pag.* 118. hunc Hieronymi locum, ex epiſtola ad Evagrium: *Quid facit, excepta ordinatione Epiſcopus, quod Presbyter non faciat?* ita explicat, quaſi in ejuſdem Hieronymi, non vero in tempora Apoſtolorum cadat. Nam ante imponi etiam manus a Presbyteris, & ordinari Presbyteros ab ipſis potuiſſe cenſet. Qua in re Salmaſio cum Blondello, & Buddeo mirifice convenit. Hos autem paullo poſt refutabimus. Duo vero conſtituit in epiſtola ad Evagrium Hieronymus, quæ componi cum Presbyterianorum opinione, ſeu potius hæreſi nullo modo poſſunt. Primum eſt hujuſmodi: „ Alexandriæ a Marco Evangeliſta uſque ad Heraclam, & Dionyſium Epiſcopos, Presbyteri „ unum ex ſe electum, & in excelſiori gradu collocatum Epiſcopum nominabant; quomodo „ ſi exercitus imperatorem faciat, aut Diaconi eligant de ſe, quem induſtrium noverint, & „ & Archidiaconum vocent „. Id quod plane demonſtrat, longe ante an. 140. fuiſſe electum, qui primas in Eccleſia obtineret partes. Quæ res Blondello minime probatur. Nihil de Salmaſio dico, qui *pag.* 20. & 40. ait, Marcum fuiſſe primum inter Presbyteros, pag. vero 205. negat, ita ut non æque curarit, pugnantia ne, an cohærentia diceret. Marcum enim longe ante an. 140. floruiſſe, quis neget? A Marco autem Hieronymus ejus rei originem in Alexandrina Eccleſia repetit. Jam vero ordinatum Epiſcopum a Presbyteris, aut ſola electione Epiſcopum conſtitutum non dicit. Immo vero mox adjungit (ut oſtendat ſe de temporibus etiam Marci agere) quod eſt alterum: „ Quid enim facit excepta ordinatione Epi- „ ſcopus, quod Presbyter non faciat „? Ordinatos igitur fuiſſe Epiſcopos putat, ut ipſi ſoli poteſtatem haberent ordinandi, qua ſimplices presbyteri carebant. Sed quoniam de Alexandrina Eccleſia incidit mentio; ſupraque dixi, me aliquando de illius conſuetudine in deligendis Epiſcopis acturum, age liberemus fidem, demonſtremuſque cujuſmodi ea fuerit, uſi iiſdem ipſis teſtimoniis Ambroſiaſtri, & Hieronymi, quibus adverſarii abutuntur. Igitur ex epiſtola Hieronymi ad Evagrium conſtat, jam inde a Marci temporibus, hoc eſt a primordiis Eccleſiæ Alexandrinæ, fuiſſe unum aliquem presbyterum a presbyteris electum, inque altiori gradu collocatum, Epiſcopumque appellatum. Hunc vero ita præſtitiſſe ceteris, ut primas inter eos partes teneret, quemadmodum fere inter milites Imperator eſt. Primatum ergo inter Presbyteros Epiſcopus Alexandrinus a Marci temporibus conſequebatur. Creabatur autem non electione ſolum, ſed etiam ordinatione, ut paullo ante diximus, freti Hieronymi auctoritate. Ambroſiaſter vero, ut ſupra animadverſum eſt, unum e Presbyteris eligi ab ipſis Presbyteris conſueſſe, ſtatuit, Epiſcopum Alexandriæ, quoad decretum ab Synodo eſt, ut *non ordo*, ſed *meritum* crearet Epiſcopum. Quamobrem is mos jam uſque a tempore Marci, hoc eſt Apoſtolorum, Alexandriæ invaluerat olim, ut, non ſenior ceteris presbyter, Epiſcopo vita functo, appellatione ſolum diceretur Epiſcopus, re autem a presbyteris non differret, ſed unus aliquis Presbyterorum a Collegis eligeretur, & in altiori gradu collocatus, *Epiſcopus* ab *Epiſcopis* ordinaretur, & re, appellationeque a ſimplicibus Presbyteris diſcreparet ita, ut tamen aliquid cum ipſis haberet commune. Quare nihil majorum memoria factum in Eccleſia Alexandrina eſt, quod traditioni Romanæ adverſari videatur. Errant proinde adverſarii, qui exemplo ejuſdem Alexandrinæ Eccleſiæ victoriam ab ſe eſſe adverſus Orthodoxos reportatam cenſent. Scio laudari ab his Eutychium Alexandrinum. Ego vero quamvis hominem & novum, & ignarum Antiquitatum Alexandrinarum non morer; nihilominus, dabo paullo poſt operam, ut illius evolvam ſententiam. Interea vide Blancum *loco indic.*

Presbyter, ratum his verbis ſeſe facile liberari ab invidia depreſſæ, contemtæque Epiſcoporum auctoritatis poſſe. Quamquam non is fuit Hieronymus, qui diſertis verbis ſignificaret, Presbyteri ne *ſimplices* (1) fuerint ii, quorum eſt in libris novi Teſtamenti facta commemoratio, an gradus ſuperioris, quem eſſe ſcimus proprium eorum, qui & ſunt, & appellantur Epiſcopi. Nihil enim impediebat, quo minus communi eorum conſilio res multarum Eccleſiarum gubernarentur, qui cum plures in eodem cœtu eſſent, tum omnes quamvis Presbyteri dicerentur, tamen eſſent Epiſcopi ordinati, ut ſi data facultas fuiſſet, alio ſe conferre, novaſque Eccleſias conſtituere valerent. Hæc ſi Hieronymi fuit opinio, jam nihil erit, quod exhibere negotium Orthodoxis poſſit. Conſtaret enim, initio, vivis Apoſtolis, Epiſcopos eoſdem alicubi, atque Presbyteros & nomine, & auctoritate fuiſſe, communique conſilio Eccleſiam adminiſtrare, gubernareque conſueviſſe, dediſſeque operam, ut recte omnia, atque ordine agerentur; ſed poſt ubi diſſenſiones coortæ, excitatæque turbæ in Eccleſiis quibuſdam ſunt, Presbyteros ſimplices ordinari ubique gentium, quin ſimul Epiſcopi ordinarentur, cœpiſſe, deſiiſſeque Epiſcopos eoſdem, atque Presbyteros eſſe, inque unum, qui aptus rei bene gerendæ judicatus a Presbyteris fuiſſet, translatam omnem gubernandæ Eccleſiæ, adminiſtrandæque curam. Sed fac ſimplices Presbyteros Hieronymus Epiſcopos (2) fuiſſe vocatos cenſuerit (eſt enim hoc ſimilius veri) pareſque Epiſcopis auctoritate conſecrandæ Euchariſtiæ fuiſſe, unaque Eccleſiam gubernaſſe defenderit, ſtatueritque, poſt ortas in Eccleſiis diſſenſiones, unum aliquem fuiſſe e cœtu eorum delectum, inque altiore gradu collocatum, appellatumque (3) Epiſcopum; an idcirco, ſi æquales & nomine, & his rebus Epiſcopi Presbyteris fuerunt, nulla ſupererat ratio, qua veri Epiſcopi eſſent Presbyteris ſimplicibus ſuperiores, opinione

Ppp 2 Hiero-

1 Conſule Duguetum *Diſſert.* IV. *Obſerv. Eccleſiaſt* *pag.* 77. Is enim etſi id non eſſe Hieronymi ſententiæ conſentaneum cenſet, tamen nulla ratione cur ita cenſeat, oſtendit. Quocirca revincere Hammondum *Diſſert.* V. §. XX. *pag.* 159. contra ſentientem non potuit.

2 Confer Duguetum *ibid. pag.* 78. *ſeqq.*

3 Vide Bianeum *Della Eterna Politia della Chieſa lib.* I. *cap.* II. §. XIX. *pag.* 219. *tom.* III. *edit. Rom.*

Hieronymi? Nihil equidem mihi, dico, videri minus. Alioqui pugnantia fuiſſet loquutus, ut qui Epiſcopum ordinare poſſe confeſſus ſit, Presbyterum vero non poſſe. Quid? Si auſcultandum adverſariis eſſet, ſimplicesne Presbyteri pares eſſent Apoſtolis judicandi? Nam exemplo Hieronymus utitur Apoſtolorum, qui ſeſe Presbyteros vocaverunt. Quis eſt autem tam abſurdo, tamque impotenti ingenio, qui nihil plus, divina inſtitutione, fuiſſe Apoſtolis, quam Presbyteris tributum putet? Itaque ſi Hieronymus, quamquam Apoſtolorum exemplo eſt uſus, Presbyteros tamen Apoſtolis non æquavit; ne æquarit quidem neceſſe eſt Epiſcopis ſacerdotes ſimplices, etſi hos pares eſſe in aliquo genere Epiſcopis affirmaverit. Quod autem Hieronymus idem ait, unum aliquem e cœtu Presbyterorum electum, collocatumque in ſublimiore gradu, fuiſſe vocatum Epiſcopum; non eſt ejuſmodi, ut efficiat, ſolo gradu, & appellatione fuiſse tunc Epiſcopum Presbyteris ſuperiorem. Ordinationem enim in cauſſa fuiſſe indicat, cur Presbyteris antecelleret; adeoque a Presbytero *ordinari* aliquem poſſe negat. Quinetiam etſi ſchiſmatis metus extorſit, ut ab uno Eccleſia gubernaretur, cum ante gubernari a pluribus conſueſſet, tamen auctoritas Epiſcoporum in eo, quod ad ordinationes, & alia quædam ſpectat, major eſſet potéſtate Presbyterorum. Concedi enim omnibus Presbyteris una cum Epiſcopo, qui tamen ante auctoritate ordinis majore præſtaret, regendi cœtus *externa* cura potuit ab Apoſtolis, deindeque adimi, unique Epiſcopo Eccleſiæ inſtitutione potius, quam divina dari, ne diſſenſione Presbyterorum in factiones Chriſtiani diſcinderentur (1). Sed iiſdem in locis, in

1 Vide Petavium *lib. IV. de Hierarch. Eccleſ. cap. 1. pag. 126. tom. IV. Theologicor. Dogmat. edit. Antuerp.* ubi, in quibuſdam Eccleſiis ab Apoſtolis non fuiſſe Epiſcopos conſtitutos ſuſpicatur, ſed a Presbyteris adminiſtratum cœtum Chriſtianorum; qui Presbyteri Epiſcopi etiam vocarentur, & ea quæ valerent, perficerent, cetera vero, quæ perficere ipſi per ſe non poſſent, propterea quod ad Epiſcopum pertinerent, reſervarent in adventum Apoſtolorum eorumdem, vel ab ipſis miſſorum Antiſtitum, ſcribit. Subdit porro: „ Hoc inſtitutum noſtra ætas in longinquis Eccleſiis media in barbarie conſtitutis etiamnum ſervari videt: ut apud Sinenſes, & Canadenſes, alioſque barbaros, in quos Chriſtianæ fidei lux illata, parem haud modicis condendis Eccleſiis numerum aggregavit, quæ omnes a ſimplicibus Presbyteris, quorum ſtudio, & laboribus acquiſitæ ſunt, ſine ullo interim Epiſcopo, gubernantur. Talia, ſine dubio, prædicantibus Apoſtolis, eſſe potuere rudimenta Chriſtianiſmi. Neque tamen ubique, & in omnibus civitatibus „ Ec-

in quibus Presbyterorum dignitatem tantopere celebravit Hieronymus, plane oſtendit, atque efficit, Epiſcopos jam uſque ab Apoſtolorum temporibus fuiſſe Presbyteris ſuperiores. Quæ res cum Blondelliana argumentatione pugnat. Nam Blondellus ante annum 140. demonſtrari negat poſſe delectum quemquam fuiſſe, qui Epiſcopi gradu Presbyteris anteponeretur. Contra Hieronymus ex Apoſtolica traditione Epiſcopatus originem repetit, itaque ſtatuit in ea epiſtola, quæ eſt ad Evagrium (1) ſcripta: *Et ut ſciamus traditiones Apoſtolicas ſumtas de veteri Teſtamento, quod Aaron, & filii ejus, atque Levitæ in templo fuerunt, hoc ſibi* Episcopi, et Presbyteri, et Diaconi *vendicent in Eccleſia*. Scio quid Blondellus (2) reſpondeat. Promittit, ſe huic loco ſectione ſui operis ſexta ſatisfacturum. Sed is ſuam numquam liberavit fidem. Tertiam enim ſectionem abſolvit, ſextam neque abſolvit, quod ſciam, neque publicavit. De Salmaſio autem quid dicam? qui, cum Valonis Meſſalini (3) nomine *Diſſertationem* de Epiſcopis, & Presbyteris ſcriberet, lectori confirmavit, fore, ut plura in hanc rem diſputaret in libro,

„ Eccleſiarum ille ſtatus conſtitutus fuit: nec ibi, ubi primum adhibitus eſt, diuturnus, „ nedum perpetuus extitit „. Eadem fere habet Petavius *lib.* 1I. *cap.* v. *pag.* 52. *num.* iv. „ Hieronymus, *inquit*, qui Epiſcopum, & Presbyterum eumdem eſſe ſcripſit, ſolam exter- „ nam in Epiſcopo curationem, poteſtatemque ſpectavit, hoc eſt adminiſtrandæ, ac gu- „ bernandæ Eccleſiæ functionem, non ordinem, & characterem. Quo quidem differre „ hunc a Presbytero, eoque longe præſtantiorem eſſe non dubitavit .... Legebat apud Apo- „ ſtolum ſanctus Doctor, Epiſcopos, & Presbyteros promiſcue nuncupari; tum ab iiſdem „ numero pluribus in commune *regi Eccleſiam Dei*. Utroque porro nomine deſignari ab „ illo paſtores, & præſides Eccleſiæ. Quare id quod erat conſequens ex eo concluſit, eoſ- „ dem olim Presbyteros, & Epiſcopos fuiſſe, quod ad officium, & gubernandi poteſtatem „ attinet, non autem ordine, ac charactere, & interiori poteſtate, quam in Epiſcopo di- „ verſam, ac multo ſublimiorem agnovit. Non enim, ut Salmaſius putat, Presbyteros, „ quos cum Epiſcopis confert, Epiſcopi ordinatione præditos fuiſſe voluit, immo hanc no- „ minatim excipit in Epiſtola lxxxv. Reſtat igitur, ut ſolum in utriuſque jurisdictionem, „ & externam adminiſtrationem reſpexerit.

1 Vide ſupra *pag.* 477. *hujus vol.*

2 Blondellus *ibid. ſect.* 1. *cap.* 1. *pag.* 8. „ Extremam Hieronymianæ Epiſtolæ partem, „ in qua de minoris ad majores provocatione, *Apoſtolicis* traditionibus Aaronis, filio- „ rum, & Levitarum diſparitate agitur, ſuo, Deo dante, loco (intra *ſect.* vi.) elu- „ cidabimus.

3 Recte Hammondus *Diſſert.* 1I. *pag.* 124. *cap.* xxviii. „ Quid vero ante eum (Blon- „ dellum) Valo, cum in hunc Hieronymi locum & ille impingeret? *De his*, inquit, „ *plura, & meliora expectamus a Salmaſio, ut ea explicaſſe dicitur in ſuo de Eccleſia- „ ſtico ordine tractatu*. Expectamus etiam & nos novennio jam integro, nec adhuc nobis „ certo conſtat, ad quas demum, ſi non ad *Græcas calendas*, ea nobis explicanda ſunt.

bro, quem parabat *de Ordine*. Verum is liber numquam eſt editus, ut conjectura aſſequi liceat, cogitatam eam quidem tractationem fuiſſe a Salmaſio, non ſcriptam. Denique Ludovicus Capellus (1), qui plane intelligeret, quam hæc eſſent Hieronymi verba conſentanea doctrinæ Catholicorum, locumque deſcriberet, eſſe illa prætermittenda putavit, ſimulans nihil ab eo viro fuiſſe in litteris ad Evagrium pronunciatum, quod a doctrina Presbyterianorum diſſideret. Atque ita agunt, qui ſeſe implicatos cernunt, ut vel promiſſis, quibus ſtare nolint, vel ſilentio effugere difficultatem, reprehenſionemque conentur.

Sed quoniam de locis Hieronymi, quibus adverſarii niti ſolent, diſputatum hactenus eſt, reſtat, ut de iis, quibus Orthodoxi confidunt, dicendum eſſe videatur. Ergo vir maximus in ea epiſtola, quæ eſt ad Nepotianum (2) ſcripta, hortatur hominem, ut ſubditus ſuo Epiſcopo ſit, & huic veluti parenti obtemperet; propterea quod in Eccleſia hoc Epiſcopi, Preſbyterique ſint, quod Aaron, ejuſque filii fuerunt in Hebræorum republica. In altera autem, quæ eſt ad Marcellam, epiſtola (3) Montaniſtarum ab Catholicis diſcrimen indicans, apud nos Epiſcopos *Apoſtolorum locum* obtinere ſcribit, apud Montaniſtas vero *tertium*. Rurſum in libro de viris illuſtribus (4) Jacobum ab Apoſtolis Hieroſolymorum Epiſcopum fuiſſe ordinatum teſtatur. Neque vero Jacobum modo; ſed etiam ut a Paulo Timotheum Epheſiorum, Titum Cretenſium, ita (5) Po-

1 Idem Hammondus *ibid.* „ Prudentius, & conſultius tandem Ludovicus Capellus, „ qui cum ſententiam ex Blondello, & Salmaſio Hieronymianam deſcriberet, ipſiuſque „ Hieronymi verba apponeret, hanc tamen unicam periodum omittendam putavit „. Exemplum Capelli imitatus Buddeus *Diſſert. Hiſt. Theolog.* §. xv. *pag.* 114.

2 Ep. xxxiv. *al.* II. *pag.* 261. *tom.* IV. *opp. edit. Martianai*. „ Eſto ſubjectus Pontifici „ tuo, & quaſi animæ parentem ſuſcipe. Quod Aaron, & filios ejus, hoc Epiſcopum, & „ Presbyteros eſſe noverimus „. Viden ut ea confirmet, quæ ſcripſit in epiſtola ad Evagrium? Apoſtolica igitur traditione, hoc eſſe Epiſcopum, & Presbyteros in novo Teſtamento dixit, quod Aaron in vetere, ejuſque filii fuerunt. Aaron autem Pontifex fuit, ejuſque filii ſacerdotes inferioris Aaronico ſacerdotio gradus; fit igitur, ut inferioris gradus ſint Presbyteri Epiſcopis, & traditione quidem Apoſtolica, confitente Hieronymo.

3 *Epiſt.* xxvII. *al.* LIV. *pag.* 64. *tomo eodem*. „ Apud nos Apoſtolorum locum Epiſcopi „ tenent (*Epiſcopi ſcilicet, quales Hieronymi tempore erant, hoc eſt ſuperiores Presbyteris*) apud eos Epiſcopus tertius eſt „.

4 *Cap.* II. *pag.* 101. *tomo eodem*.

5 Hieron. *ibid. cap.* xxvII. *pag.* 108.

Polycarpum Smyrnenſium ab Johanne. Singularem præterea Epiſcopum Apoſtolorum ætate *formatum* a Paulo fuiſſe, contendit in Commentariis, quos edidit in eam, quæ eſt ad Titum(1) epiſtolam. Quid ſi in pſalmum XLV. (2) *conſtitutos a Chriſto in omnibus finibus mundi Principes Eccleſiæ*, hoc eſt *Epiſcopos* fateatur? Qui autem conſtituti a Chriſto ſunt, ſine different humana ſolum conſuetudine a Presbyteris? In Dialogo præterea, quem adverſus Luciferianos publicavit, nonne *Eccleſiæ ſalutem in ſummi ſacerdotis dignitate pendere* dixit, *cui ſi non exors quædam, & ab omnibus eminens detur poteſtas, tot in Eccleſiis efficientur ſchiſmata, quot Sacerdotes* (3)? Et rurſum, *Baptizatum in Eccleſia niſi per manus Epiſcopi non accipere Spiritum Sanctum . . . & hanc obſervationem ex ea auctoritate deſcendiſſe, quod Spiritus Sanctus ad Apoſtolos* (4) *deſcendit*. Quid autem id eſt, niſi divina Chriſti auctoritate conſtitutum eſſe Epiſcopatum, Epiſcopiſque ſolum *ordinario jure* poteſtatem fuiſſe conſignandi datam? Hoc vero, cum ita ſe habeat, plane demonſtrat, auctore Hieronymo Epiſcopos, divina inſtitutione, Presbyteris antecellere. Quinetiam in libro adverſus Jovinianum (5) primo: *Epiſcopum, & Presbyterum, & Diaconum, non eſſe meritorum nomina*, ſtatuit, *ſed officiorum*. *Nec dici*: ſi quis Epiſcopatum deſiderat, *bonum deſiderat gradum, ſed* bonum opus deſiderat, *quod in majori ordine conſtitui poſſit, ſi velit occaſionem exercendarum habere virtutum*. Non percuſſorem. *Neque enim pugilem*

1 *Comment. in cap. 1. epiſt. ad Titum pag. 417. tomo eodem P. 1.* „ Apoſtolus, *inquit*, Eccleſiæ principem formans &c. Et *Commentario in Epiſt. ad Galatas cap. 1. pag. 236. ſeq. tom. eod.* „ Jacobus primus ei Eccleſiæ præfuit, quæ prima in Chriſtum „ credens, ex Judæis fuerat congregata .... Epiſcopus Hieroſolymorum primus fuit „. Videat nunc Blondellus, qui ante annum 140. Epiſcopos ſingulares ortos negat, quod ante annum eumdem ſchiſmata ab iis non eſſent, illius quidem opinione, conflata, qui dicerent, *ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo &c.* Jacobus enim Hieronymo teſte ab Apoſtolis dictus primus Hieroſolymorum Antiſtes fuit.

2 In *Pſalm.* XLV. *tom.* II. *opp. edit. ejuſdem pag.* 241. „ Conſtituit Chriſtus ... in om„ nibus finibus mundi principes Eccleſiæ, *ſcilicet* Epiſcopos. Quod idem eſt atque Igna„ tianum illud. ἐπίσκοποι κατὰ τὰ πέρατα ὁρισθέντες Ἰησοῦ Χριστοῦ γνώμῃ εἰσιν *Epiſcopi ſecundum terræ terminos definiti, Jeſu Chriſti ſententia ſunt. Epiſt. ad Epheſ. n.* III. *pag.* 12. *tom.* I. *PP. Apoſtolicor. edit. an.* 1724.

3 *Tom.* IV. *opp. edit. ejuſd. pag.* 302. *par.* II.

4 *Ibid. pag.* 295.

5 *Tom. eod. pag.* 176.

gilem deſcribi ab Apoſtolico ſermone, ſed Pontificem inſtitui. Ex qua ſententia quid tandem ſequitur, niſi ab Apoſtolo non ſimplicem ſacerdotem, quales ſunt Presbyteri gradus inferioris, ſed *Pontificem*; ſeu *Epiſcopum* fuiſſe deſcriptum, Hieronymumque nobis fuiſſe conſentientem, ut qui ex Eccleſiæ primis temporibus originem duxerit Epiſcoporum? Sunt item Hieronymi in Epiſtola ad Paulinum (1), inque epiſtola ad Heliodorum illuſtria teſtimonia. Habet autem prius hoc modo. *Epiſcopi, & Presbyteri habeant in exemplum Apoſtolos, & Apoſtolicos viros, quorum honorem poſſidentes, habere nitantur & meritum*. Alterum vero eſt hujuſmodi: *Non eſt facile ſtare loco Pauli, tenere gradum Petri* (2). Nam hortatur Monachum, ut caveat, ne ſeſe Epiſcopum creari patiatur. Age vero, quod Apoſtolorum traditione conſtat; quod jam inde a primis Eccleſiæ ſeculis in poſteriora tempora permanavit; quod ex ea auctoritate deſcendit, qua Spiritus Sanctus in Apoſtolos venit; quod denique poteſtate, voluntateque Chriſti conſtitutum eſt; hoc non conſuetudine Eccleſiæ ſolum, ſed divina traditione, divinoque præcepto nititur. Eſt autem hujuſmodi, auctore Hieronymo, Epiſcopatus. Non ergo conſuetudine Eccleſiæ ſolum, ſed etiam divina traditione, divinoque præcepto nititur. Atque eſt illud, mea quidem ſententia, incredibile, ut Hieronymus ab Eccleſia fuiſſe eum ordinem inſtitutum arbitraretur, ſine quo conſiſtere non poſſe judicaret unitatem Eccleſiæ. Quotus enim quiſque eſt, qui cum Chriſtum proſpexiſſe,

1 *Epiſt.* XLIX. *al.* XIII. *pag.* 565. *tom. eodem*.

2 *Epiſt.* V. *al.* I. *pag.* 11. *tomo eodem*. Ex his igitur teſtimoniis plane colligitur; aut pugnantia loquutum fuiſſe Hieronymum, quod neque ego crediderim, nec conceſſurum adverſariorum quemquam putarim; aut eſſe illius verba ita explicanda, ut quod dixit: (Epiſcopos olim eoſdem fuiſſe, atque Presbyteros), vel de Epiſcopis, quos plures Presbyteros appellatos in una eademque Eccleſia, ut paullo ante animadverti, fuiſſe, ſimulque rem adminiſtraſſe Chriſtianam, exiſtimaret; vel de multis Presbyteris, qui Epiſcopo carerent, quique gubernarent Eccleſiam, reſervarentque in adventum Apoſtolorum, vel miſſorum ab ipſis Epiſcoporum, quæ ab ſe fieri non poterant, ſit intelligendum. Atque Petavii equidem arbitror veri eſſe ſimiliorem ſententiam, qui *l.* II. *Hierarch. Eccl. c.* V. *p.* 52. hunc, cujus ſecundo loco meminimus, Hieronymi ſenſum fuiſſe cenſuit. „ Hos enim, inquit, Presby„ teros commemorat Hieronymus, quos diaconi ætate ſua nonnulli poſteriores habebant: „ Hoc eſt, qui tum erant in Eccleſia, cum iſta ſcribebat, non antiquos illos, qui nuſ„ quam erant, ut cum iis de gradu, & dignitate Diaconi contenderent „. Confer quæ ſequuntur.

ſe noverit, quæ neceſſaria reipublicæ Chriſtianæ eſſent, tum id neglexiſſe putet, quo neglecto tolleretur animorum conjunctio, Eccleſiæque ſtatus everteretur?

Venio nunc ad leves, inaneſque obſervationes adverſariorum. Igitur nego Presbyteros eoſdem atque Epiſcopos non appellatione ſolum, ſed re etiam ipſa fuiſſe. De re autem Hieronymum, non de nomine tantum agere facile patior, modo de quibuſdam rebus, quibus Epiſcopi, Presbyterique conveniebant, non de omnibus ſermo ſit. Hieronymi namque fuit ſententia, ut paullo ante vidimus, Presbyteros plures in aliquot Eccleſiis fuiſſe ab Apoſtolis creatos, qui Epiſcopum non haberent, regerentque pari auctoritate Chriſtianorum cœtum. Valuiſſe hos conſecrandi corporis, & ſanguinis Domini poteſtate. Adminiſtraſſe præterea rem Eccleſiæ publicam. Quare his rebus pares Epiſcopis fuiſſe. Jam vero caruiſſe eos *ordinandi* facultate, perficiendique ea, quæ propria eſſent Epiſcoporum. Hæc ipſos in adventum Apoſtolorum, vel ab his miſſorum Epiſcoporum reſervare conſueviſſe. Itaque non fuiſſe omnibus rebus pares Epiſcopos Presbyteris, quorum fit ab Hieronymo mentio. Quamquam eſſe intelligo aliquos, qui ſanctiſſimum virum de iis loquutum putarent, qui revera Epiſcopi, iique jam plures in aliquot Eccleſiis, Apoſtolorum ætate, eſſent, parique auctoritate eas moderarentur, Presbyterorumque vocabulo appellarentur, ac de nomine, deque rebus aliquot, quibus cum Presbyteris ſimplicibus convenirent, non de ordinandi poteſtate, aliiſque functionibus, quæ in ſolos Epiſcopos caderent, actum ab ipſo fuiſſe defenderent. Quibus etſi non repugno, tamen eam, quam priore loco deſcripſimus, interpretationem Hieronymianæ ſententiæ arbitror eſſe propenſiorem ad veritatis ſimilitudinem.

Inſtitutione vero divina, non humana ſolum conſuetudine Epiſcopos diſtingui a Presbyteris, demonſtratum ſupra Hieronymi auctoritate eſt. Quamobrem errant, qui verbis quibuſdam Doctoris maximi abuſi, conſuetudine tantum Eccleſiæ Epiſcopos presbyteris antecellere contendunt. Non enim uno teſtimonio confectum, quod volumus, putan-

dum eſt, ſed comparanda ſunt omnia, ut quid auctor ſenſerit intelligatur. Adverſarii autem noſtri unum illud, quod eſt ab Hieronymo contra Diaconos ſcriptum, proferunt, cetera prætermittunt, quibus a Chriſto Epiſcopos eſſe inſtitutos, hujuſque rei traditionem ab Apoſtolis in noſtra tempora manaſſe efficitur.

Atque ut communi Presbyterorum conſilio adminiſtrata, Hieronymi quidem opinione, Eccleſia fuerit, cum ſupra oſtenſum ſit, nunc prætermittatur. Non is autem ego ſum, qui, quemadmodum omnes Eccleſiæ initio gubernatæ fuerint, quærendum (nam quid ipſe judicem, intelligere ex iis, quæ ante diſputavi, licet) ſed quid Hieronymus ſenſerit, indicandum, putem. Senſiſſe vero eum ita, ut dixi, ex illius ſcriptis colligitur. Quare adverſariis Epiſcopos Prebyteris æquantibus præſidio eſſe non poteſt.

Neque Hieronymus uſquam ſtatuit, poſt ſchiſma Corinthiacum inſtitutos Epiſcopos fuiſſe, ut viſum Blondello eſt. Ac ſapienter quidem Hammondus (1). „ Huc illud „ pertinet, ex iſtis, quæ a Blondello recitantur in *Com-* „ *mentariis ad Titum*: *in toto orbe decretum eſt, ut unus de Preſ-* „ *byteris electus ſuperponeretur ceteris, ad quem omnis Eccleſiæ* „ *cura pertineret, ut ſchiſmatum ſemina tollerentur*. Quomo- „ do enim fieri potuit, ut toto orbe, nullo jam Concilio „ Oecumenico ad illud decernendum congregato, ſi non „ ab Apoſtolis ipſis fidem toto orbe promulgantibus, & „ cum fide hanc regendi Eccleſias formam conſtituentibus „ factum ſit, ut & poſtea cum addiderit, *Paulatim, ut* „ *diſſentionum ſemina evellerentur, ad unum omnem ſollicitudi-* „ *nem delatam*? Certe ſi hoc poſterioribus ſeculis ab Eccleſia „ decretum fuerit, ſequitur... aut non vidiſſe Apoſtolos, „ qua in re Eccleſiæ ſalus penderet, aut cum ſatis viderint, „ ſaluti tamen Eccleſiæ, etiam cum apud Corinthios ſchiſ- „ mata exorirentur, non conſuluiſſe. Quorum neutrum aut „ Apoſtolis ab Hieronymo, aut Hieronymo a nobis affingi „ poteſt „. Deinde quo tandem modo fieri potuit, ut poſt Apoſtolos ortam fuiſſe Epiſcoporum a Presbyteris diverſitatem

1 *Diſſert.* II. *cap.* XXIX. §. X. *pag.* 116.

ſitatem Hieronymus exiſtimaret, ſi Epiſcoporum inſtitutionem, ut ſunt Presbyteris ſuperiores, ex ea repetit auctoritate, qua Spiritus Sanctus in Apoſtolos deſcendit, exque traditione eorumdem Apoſtolorum?

Non moror Buddeum [1], qui etſi vetuſtiorem quam Blondellus putet, tamen humanam fuiſſe inſtitutionem Epiſcoporum defendit. Hieronymus enim, quem ille auctorem, ut jactat, ſequitur, a Chriſto ſcribit inſtitutos eſſe Epiſcopos, idque jam conſtare traditione Apoſtolorum. Salmaſium autem [2], qui modo vetuſtiorem, modo recentiorem eſſe eam conſuetudinem ſtatuat, cum pugnantia loquatur, nihili facio.

Quod addit Blondellus, *in communi*, etiam poſt conſtitutos Epiſcopos, regi ab ipſis, Presbyteriſque, Hieronymo teſte, Eccleſiam oportere, inane eſt. Neque enim quiſquam Orthodoxorum eſt, qui uti Epiſcopum debere in adminiſtrandis, gubernandiſque Eccleſiæ rebus, ſi graves imprimis ſint, inferiorum Sacerdotum conſilio neget; modo verum ſit, quod Hieronymus addidit, *ad Epiſcopum omnem Eccleſiæ curam pertinere*. Nec graviora ſunt rationum momenta, quibus tota hæc Blondelli animadverſio nititur. Primum enim, quod eſt de Presbyteris, qui Epiſcopi appellarentur, & eſſent, cujuſmodi ſit ſupra vidimus. Eſt item alterum de Presbyteris, qui plures pari auctoritate rem Chriſtianam moderarentur, paullo ante explicatum. Tertium autem non eſt ad rem. Nam Sacerdotum eſſe munus, ut gregem paſcant, eo modo, qui ſit proprius ſimplicium Presbyterorum, quemque Hieronymi locus poſtulat, aſſentior; eo vero, qui ſit proprius Epiſcoporum, non item. Eſſe quippe munera quædam, quæ cum Epiſcopo competant, in Presbyterum cadere non poſſint, auctoritate Hieronymi demonſtravimus. Quartum de ἡγουμένοις, hoc eſt de ducibus, qui pervigilarent, quaſi rationem reddituri

1 *Ibid. num.* xv. *pag.* 211. *ſeqq.*

2 Salmaſ. *Diſſert. de Epiſcop. & Presbyt. pag.* 85. 206. & 274. Confer Petavium *lib.* 1. *Hierarch. Eccl. cap.* xi. §. 11. *ſeqq. pag.* 28. *ſeqq. tom.* iv. *Theologicor. Dogm. edit. Antuerp.*

pro animabus ſubditorum, a Paulo (1) de Epiſcopis intelligitur, ac fortaſſe etiam ab Hieronymo. Sed fac Hieronymus de Presbyteris intellexerit; ea certe ratione intellexerit, neceſſe eſt, ut plures Presbyteros in quibuſdam Eccleſiis conſtitutos, cum regerent pari auctoritate Eccleſiam, *ἡγȣμένȣς* fuiſſe appellatos exiſtimaret, qui ſane Presbyteri expertes eſſent poteſtatis Epiſcoporum. Quæ opinio, quamquam ſingularis eſſet; tamen Presbyterianis ſubſidio eſſe nequiret. Cum enim Hieronymus defendat, Epiſcopos a Chriſto eſſe inſtitutos, iiſque muneribus fungi poſſe, quibus Presbyteri non poſſint, Catholicorum quidem confirmat, Presbyterianorum autem evertit, ac labefactat ſententiam. Quod vero de quarto dixi, hoc idem ajo eſſe de quinto dicendum. Etſi enim Compresbyterorum nomine Epiſcopos Petrus (2) indicavit (ad Eccleſias namque Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, & Bithyniæ ſcribebat, adeoque earum Presbyteros, qui *ἐπισκοπὴν Epiſcopatum* gererent, memorans, Epiſcopos memorarit oportet) tamen Hieronymus *Presbyterorum* nomine ſignificari ſimplices Presbyteros putavit, qui curam Chriſtianorum in iiſdem Provinciis ſuſcepiſſent. Quæ ſane opinio peculiaris illi, ut dixi, fuit. Quamvis non inde ſequatur, ſimplices Presbyteros vel quinto ſeculo, vel Apoſtolorum tempore rebus omnibus pares Epiſcopis fuiſſe. Sextum ſimile eſt omnino ſuperiorum. Dabo enim eſſe veriſimile, Hieronymum in quibuſdam Eccleſiis, putaſſe, Presbyteros, qui multi eſſent, remque Chriſtianam adminiſtrarent, fuiſſe appellatos vocabulo Epiſcoporum. Quid? An idcirco, Hieronymo auctore, nulla re veri Epiſcopi *ſimplicibus* illis Presbyteris fuerunt ſuperiores? Hoc neque dixit, neque ratio ferebat, ut diceret; quum ſatis explicate ſtatuerit, Epiſcopos inſtitutos fuiſſe voluntate Servatoris Chriſti, ordinandique poteſtate Presbyteris antecellere.

Quæ ducta ex Epiſtolis Hieronymi ab adverſariis ſunt, eodem revolvuntur, atque momenta ſuperiora. Illud eſt ali-

1 *Epiſt. ad Hebræos cap. XIII. v. 17.*
2 *Epiſt. I. cap. V. v. I.*

aliquanto diſcrepans, quod ſpectat ad Alexandrinorum morem. Sed quoniam explicatum, refutatumque ſupra eſt, prætermitti nunc poterit. Nolo enim actum agere. Quod autem ſibi Blondellus de poteſtate ordinandi ſumit, tam eſt ab Hieronymi ſententia alienum, ut nihil magis. Conſuetudine, inquit, Eccleſiæ ademta Presbyteris, Hieronymo teſte, poteſtas ordinandi eſt, non divino jure. Itane vero? Atqui, Hieronymi opinione, conſignandi auctoritatem (1) penes Epiſcopos fuiſſe, quis neget? Scilicet negari non poteſt, quod eſt ab ipſo monumentis mandatum litterarum. Rurſum quis tam eſt impudens, ut inficietur, ad Epiſcopum, Hieronymi ejuſdem tempore, ſpectaſſe omnem rerum Eccleſiaſticarum curam (2)? Sed Hieronymus, cum *committi Presbytero extra ordinem conſignandi*, hoc eſt *confirmandi*, permittique eidem regendæ una cum collegis Eccleſiæ facultatem poſſe dixiſſet; tum, excepta *ordinatione*, nihil factum ab Epiſcopo ſtatuit, quod non item a Presbytero fieret. Quid? An gubernabat Presbyter Eccleſiam, conſignabatque Hieronymi tempore? Minime vero. Non ergo de eo, quod ſua ætate fiebat, vir maximus, ſed de eo, quod fieri a Presbytero poterat, ſi data ipſi a Pontifice poteſtas fuiſſet, Hieronymus diſputabat. Quare ſi excipit *ordinationem*, argumento eſt, non ſolum ordinare non conſueſſe Presbyteros illius ætate quemquam, ſed ne potuiſſe quidem. Verum de ordinandi facultate erit opportunior in eo libro, quem de *Ordine* inſcripſimus, copioſe diſſerendi locus.

Deſcendo ad vocabula Epiſcoporum, & Presbyterorum. Fateor alterum quandoque, Hieronymi quidem ſententia, dignitatem ſignificaſſe, alterum ætatem. *Preſbyter* enim idem eſt, atque ætate provectior. Itaque Epiſcopus ſenex dici *Presbyter* poterat. Atque in eo hujuſmodi nomen *ætatem* certe, non dignitatem ſignificabat. Sed uſu obtinuit, ut qui ſuperiores gradu eſſent, iidem Presbyteri vocari ſolerent, etiamſi ætate ab aliis ſuperarentur. Id cum animadvertiſſet Hieronymus, inductus perfacile eſt, ut aliis

in

1 Vide ſupra *pag.* 487. *not.* 3. *hujus vol.*
2 Confer quæ ſcripſi *pag.* 474. *hujus vol.*

in locis Epiſcopi, Presbyterique nomina *officiorum* (1) eſse, non ætatis confiteretur. Addunt adverſarii, Epiſcopum, teſte Hieronymo, ubicumque ſit, ſucceſsorem eſse Apoſtolorum. Quid? An continuo quemlibet Epiſcopum tanta *juriſdictionis* poteſtate, auctoritateque valere dicent, quanta eſt inſtructus Romanus Pontifex? Nempe id ſibi Blondellus, Symmyſtæque volunt, ſed invito Hieronymo, cujus ſunt de poteſtate Epiſcopi Romani ad Damaſum (2) illuſtria teſtimonia. Quid autem id ſolum ſibi adverſarios ſumſiſſe dico? Immo vero conſequens hinc eſſe arbitrantur, Presbyteros eſſe Epiſcopis omnino pares, cum de Presbyterorum præſtantia ex inſtituto agat Hieronymus in epiſtola ad Evagrium. Sed quibus rebus ſint Epiſcopis Presbyteri æquales, plus millies demonſtravimus. Quare non eſt opus, rurſum ut eſſe demonſtrandum putemus.

Ordines præterea interdum ab Hieronymo numerari duos, facile patior. At idem quibus in locis duos nominat, ibidem etiam ordinem ſacerdotum dividit in claſſes (3) duas, quarum una eſſet Presbyterorum, altera Epiſcoporum. Utrique autem claſſi jus conſecrandi, offerendique corporis, & ſanguinis Domini competere defendit. Atque hac re pares ipſi ſunt, Diaconiſque præſtantiores. Quamvis non neget Hieronymus eſſe Epiſcoporum ſive claſſem, ſive ordinem, ſive gradum divina inſtitutione aliis rebus gradu Presbyterorum ſuperiorem.

Sed inſtat Blondellus, ac Presbyterum ætate, ordinationeve ſeniorem primatu potiri conſueſſe pugnat, utiturque Hieronymi teſtimonio, Petrum ajentis (propterea quod Apoſtolis ætate præcederet) fuiſſe conſtitutum caput

1 Vide ſupra *pag.487. hujus vol. not.5.*

2 Confer. *epiſt. Hieron. ad Damaſ. tom.1. Collect. epiſt. Rom. Pont. pag.546.*

3 Confer, quæ ſcripſi ſupra *pag.477. & pag. 486. ſeq. not.2. ſeqq.* Johan. Franciſcus Buddeus *ibid.* §. XV. *pag.* 215. Hieronymum ab Aerio diſcrepare ait, tametſi jure divino cenſuerit, pares eſſe Epiſcopos Presbyteris auctoritate. Nam Aerium inſtitutum Eccleſiæ damnaſſe, Schiſma, hujus rei cauſſa, conflaſſe. Contra Hieronymum & probaſſe, & coluiſſe Eccleſiæ unitatem. Ridiculum! Quaſi vero Hieronymus & a Chriſto Epiſcoporum ordinem inſtitutum eſſe, & ad nos Apoſtolorum traditione manaſſe non dixerit, Aeriuſque damnatus non ſit, propterea quod eadem auctoritate inſtructos divinitus eſſe Epiſcopos, atque Presbyteros propugnaret. Vide quæ ſcripſi ſupra *pag.480. hujus vol.* & Petavium *lib. II. Hierarch. Eccl. cap. VI. pag. 55. ſeqq.* Eadem fere atque Buddeus ſcribit Joachimus Hildebrandus in *diſcuſſione Hæreſum Aerii, quas Proteſtantibus Pontificii impingunt.*

put ceterorum , ut occaſio ſchiſmatis (1) tolleretur . Atque hinc quidem intelligi facile poſſe quiſquam putaverit , quamobrem idem Hieronymus , Presbyterum ætatis eſſe nomen , tradiderit , non officii ac dignitatis .

Jam hoc quale ſit , ſatis eſſe arbitror manifeſtum. Hieronymus enim dictum fuiſſe Petrum , ut qui eſſet natu maximus , Apoſtolorum caput ſcribit ; Chriſtianis autem vel imperatum , vel mandatum fuiſſe , ut id exemplum ſequerentur , nuſquam ſcribit . Neque hoc ſibi Blondellus voluit, ut natu major Presbyter Epiſcopus olim vocaretur , & eſſet. Immo vero juvenem , qui ordinatus ante fuiſſet , ſeni poſtea ordinato præferri a Patribus ſolitum fuiſſe defendit . Quod ut efficere poſſit , Andream oſtendat , auctoritate veterum , neceſſe eſt , qui primus fuit a Chriſto vocatus , non Petrum ſenem caput fuiſſe Apoſtolorum . Id autem evincere numquam poterit. Ego igitur ſic exiſtimo : uſum hoc exemplo Hieronymum fuiſſe ut demonſtraret , conſtitutum a Chriſto eſſe , ut unus aliquis in Eccleſia caput ſit ceterorum , ne Apoſtoli , deincepſque Chriſtiani reliqui in factiones diſcinderentur. Itaque Epiſcoporum originem eſſe repetendam a Chriſto . Jam vero , quod eſt ab eodem Hieronymo de Petri ætate ſcriptum , non eo fuiſſe ſcriptum , quo demonſtraret, quid fieri deinceps debeat, ſed quo omnibus, quid eſſet

1 S. Hieronymus *lib.* 1. *adverſus Jovinianum pag.* 168. *tom.* IV. *part.* II. *opp. edit. Martianæi* . ,, At dicis , ſuper Petrum fundatur Eccleſia , licet idipſum in alio loco ſuper ,, omnes Apoſtolos fiat , & cuncti claves regni cælorum accipiant , & ex æquo ſuper eos ,, Eccleſiæ fortitudo ſolideтur ; tamen propterea inter duodecim unus eligitur , ut capite ,, conſtituto , ſchiſmatis tollatur occaſio . Sed cur non Johannes electus eſt virgo ? Ætati ,, delatum eſt , quia Petrus ſenior erat , ne adhuc adoleſcens , ac pene puer progreſſæ ,, ætatis hominibus præferretur ; & magiſter bonus , qui occaſionem jurgii debuerat auferre diſcipulis , & qui dixerat eis : *Pacem meam* &c. in adoleſcentem , quem dilexerat, ,, cauſſam prabere videretur invidiæ . Ut autem ſciamus , Johannem tunc fuiſſe puerum , ,, manifeſtiſſime docent Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ , quod uſque ad Trajani vixerit imperium , ,, ideſt poſt paſſionem Domini ſexageſimo octavo anno dormierit ,, . Viden ut Johannem cum Petro comparet , non autem reliquos Apoſtolos ? Ac Johanne quidem remoto , quem Chriſtus maxime diligebat , ſi de ceteris Apoſtolis Hieronymus quæſiſſet cauſſam , cur eis fuerit præpoſitus Petrus , hanc fortaſſe præcipue attuliſſet , quod is plus ceteris Servatorem Chriſtum dilexiſſet , adeoque virtutem , atque erga Chriſtum pietatem eam eſſe, quæ digniorem efficiat hominem Epiſcopatu, Hieronymus dixiſſet . Nam ut eſt apud Johannem in Evangelio *cap.* XXI. *v.* 15. *ſeqq.* cum Chriſtus a Petro quæſiſſet , num ipſum diligeret, Petruſque reſpondiſſet , *tu ſcis Domine , quia amo te* , tum Petro eſt tributa paſcendarum ovium poteſtas . Confer Hieronymum *in epiſt. ad Tit. l. c. pag.* 433.

eſſet factum, oſtenderet. Numquam enim præſcriptum ab Hieronymo eſt: Seniorem ceteris eſſe Epiſcopum, caputque Eccleſiæ conſtituendum. Sed ad excindenda, tollendaque funditus ſchiſmata, neceſſe fuiſſe, Epiſcopos creari ſcribit. Cumque hujuſce rei origines a Chriſto Servatore repetendas putaret, factum ita eſt, ut Epiſcopos divina auctoritate inſtitutos judicaſſe videretur, iiſque in locis Catholicis faveret, quibus maxime adverſarii abutuntur.

Illud quoque accedit commodum, quod Hieronymus Petrum cum uno Johanne, non cum ceteris Apoſtolis comparaverit; atque eum quidem, quod ſenex eſſet, etſi uxorem duxiſſet, præ hoc virgine, ſed pene puero fuiſſe Eccleſiæ caput conſtitutum cenſuerit. Neque vero majorem natu omnibus fuiſſe Petrum defendit. Erat enim hoc a propoſita quæſtione diſcrepans. Nam Joviniano quærenti, cur Petrus, qui virgo non eſſet, prælatus Johanni virgini fuerit, ſi virginitas eſt nuptiis præferenda? reſpondendum erat, ſeniorem fuiſſe Petrum, Johannem autem adoleſcentem, ac pene puerum, quamobrem Petro fuiſſe primatus dignitatem datam. De ceteris vero Apoſtolis ſermo erat prætermittendus; de quibus tamen ſi Hieronymus agere inſtituiſſet, aliam attuliſſet, cur poſtpoſiti Petro fuerint, cauſſam. Non enim certum cuiquam, exploratumque erat, omnibus Apoſtolis fuiſſe Petrum ætate ſuperiorem. Quamobrem cum res dubia ſit, fuerunt, qui de hac eadem re diſputantes varias, interque ſe diſſidentes opiniones confectarentur (1). Deſunt quippe monumenta, ex quibus intelligi poſſit, quis maximus natu eſſet in collegio Apoſtolorum. Ac de Hieronymo quidem hactenus. Reſtat ut de Chryſoſtomo, de Theodorito, de Primaſio, deque Sedulio dicendum eſſe videatur.

Nonum igitur ac decimum argumentum ex Joh. Chryſoſtomi undecima in epiſtolam ad Timotheum (2) Homilia repe-

1 Vide *Epiph. Hæreſ.* 21. *n.* XVII. *edit. Pariſ. Petav. pag.* 440. *t.* 1.

2 S. Joh. Chryſ. *Homil.* XI. *in epiſt. ad Timoth.* 1. *cap.* III. *tom.* XI. *opp. pag.* 604. *edit. Pariſ. Monachor. s. Mauri.* „ Cur ita? *inquit*, nimirum quia non latum eſt inter „ utroſque diſcrimen. Nam & presbyteri docendi ſuſcepere munus, & Eccleſiæ præfectu„ ram. At quæcumque de Epiſcopis dixit (Paulus) eadem & Presbyteris conveniunt. So„ la enim χειροτονίᾳ ὑπερβεβήκασι, καὶ τούτῳ μόνον δοκοῦσι πλεονεκτεῖν τοὺς πρεσβυτέρους, „ *impoſitione manuum ſuperiores ſunt Epiſcopi, & hoc uno videntur antecellere Preſ„ byteris.*

repetunt adverſarii, atque hoc modo diſputant. Qui duos in Eccleſia ordines eſſe confirmat, quorum alter ſit Diaconorum, alter Epiſcoporum, ſeu Presbyterorum; is Preſbyteros ab Epiſcopis diſtinctos fuiſſe non putat: confirmat autem Chryſoſtomus duos eſſe ordines in Eccleſia, unum Diaconorum, alterum Epiſcoporum, ſeu Presbyterorum: Presbyteros igitur diſtinctos ab Epiſcopis fuiſſe non putat. Rurſum, qui ætate majorem ceteris Apoſtolis Petrum (1) fuiſſe contendit, idem exiſtimat antiquiorem præfici ceteris Presbyteris conſueſſe. Contendit vero idipſum Chryſoſtomus. Exiſtimat igitur antiquiorem Presbyterum reliquis præfici conſueſſe. Neque Chryſoſtomus ſolum, ſed etiam qui a Chryſoſtomo accepit Theodoritus, in hanc venit de Diaconis, Epiſcopiſque opinionem. Primaſius autem Epiſcopus Adrumentinorum cum Hieronymo aſſentiatur, Epiſcopos Presbyteris æquarit, neceſſe eſt. Ac Primaſio ſexti ſeculi ſcriptori præiverat Sedulius, qui perinde eſt Chryſoſtomum, & Hieronymum imitatus.

Sed tantum abeſt, ut hæc Presbyterianis præſidio eſſe poſſint, ut potius Orthodoxorum confirment, conſtabiliantque ſententiam. Nam Chryſoſtomus, cum inquireret, cur miſſis Presbyteris, Epiſcoporum, & Diaconorum dumtaxat facta fuerit ab Apoſtolo in litteris ad Timotheum mentio, ſic tandem ſtatuit: non multum inter Presbyteros, & Epiſcopos vel ipſa ætate Apoſtolorum interfuiſſe. Utroſque enim conſtitutos eſſe & ad docendum, & ad præſidendum. Quare quæ a Paulo dicta de Epiſcopis ſunt, eadem in Presbyteros cadere. Sola namque ordinatione ſuperiores eſſe Epiſcopos, & hac una Presbyteris antecellere videri. At præſediſſe olim Presbyteros, quin tamen Epiſcopis pares auctoritate eſſent, quotus quiſque eſt Orthodoxorum, qui neget? Auctoritate autem pares non fuiſſe, idem eſt auctor Chryſoſtomus, qui ordinatione fatetur Epiſcopos ſuperiores fuiſſe, jam uſque ab Apoſtolorum temporibus. Jam vero ita ſe rem habere, ut diximus, multis viri maximi

1 *Homilia de s. Andrea* apud Meraphraſtem, *ut idid. pag.*61. refert Blondellus.

teſtimoniis demonſtrari, efficique (1) poteſt, quibus adverſarii tenebras obducere numquam poterunt. Quod ſi Chryſoſtomus Petrum inter Apoſtolos natu maximum fuiſſe dixit, non eo dixit, quo hanc ob cauſſam primatu potitum fuiſſe arbitraretur; ſed quo oſtendere inſtituiſſet, ecquis eſſet Apoſtolorum reliquis ætate provectior?

Theodoriti autem opinio eſt, Presbyteros (2) initio fuiſſe Epiſcopos appellatos; eos vero, qui Epiſcopi eſſent, Apoſtolorum vocari nomine conſueſſe. Poſt immutatam fuiſſe rationem, & ſecundi quidem ordinis, Presbyterorum; primi vero ordinis ſacerdotibus attributum fuiſſe Epiſcoporum vocabulum. Atque de Theodorito ſatis dictum eſto.

De Primaſio (3) qui Diaconos, Epiſcopoſque memorari a Paulo ſtatuit, non laboro. Neque enim eſt ex illius ſententia conſequens, Presbyteros inferiores Epiſcopis, ſacerdoteſque ordinis, graduſque ſecundi non eſſe. Immo vero cum in Epiſcopis Presbyteros etiam comprehendi Apoſtolorum temporibus ſolitos fuiſſe ſcribat, tum addit: *quia ſecundus*, & *pene* (4) *unus eſt gradus*. Quæ ſane verba ſecundum ſacerdotii gradum occupatum ſemper a Presbyteris fuiſſe demonſtrant, hoſque etſi pene pares, tamen reipſa inferiores eſſe Epiſcopis & auctoritate, & dignitate. Nam *τὸ pene* ita eſt compoſitum, ut ſignificet, Presbyteros (quamvis proxime accedant) nihilominus non occupare primi Sacerdotii gradum.

Venio ad Sedulium. Seniorem ab eo fuiſſe appellatum Petrum facile patior; Epiſcoporum autem divinam inſtitutionem, ſuperioremque Presbyteris dignitatem aut negatam, aut in diſcrimen adductam, id vero vehementer nego.

1 Confer Chryſoſtomi Homiliam in ſanctum Ignatium Martyrem *tom.* II. *opp. pag.* 593. *ſeqq. edit. ejuſd.* ex qua de Epiſcopatu quid ſentiat, intelligitur.

2 Conſule quæ ſcripſimus ſupra *pag.* 284. *not.* 1. *hujus vol.*

3 Blondellus Primaſii teſtimonia quædam affert *ſect.* II. *cap.* XXXII. *pag.* 72. ex quibus hoc unum colligitur, Presbyteros eſſe ſacerdotes, & Apoſtolum memoraſſe Epiſcopus, atque Diaconos, inſtruxiſſeque Timotheum de inſtitutione Presbyterii.

4 Primaſius in *cap.* III. *Epiſt.* 1. *ad Timoth. pag.* 238. *tom.* X. *Bibliotheca PP. edit. Lugdun.* „ Quæritur, *inquit*, cur de Presbyteris nullam fecerit mentionem. Sed in Epiſcopis etiam Presbyteros comprehendit, quia ſecundus, & pene unus eſt gradus, ſicut multis Scripturarum teſtimoniis comprobatur.

go (1) . Ac ceteris , qui quinto ſeculo viverent , pro Epiſcoporum auctoritate pugnantibus , unum Sedulium reſiſtere fuiſſe auſum , tam abeſt a vero , ut ne veri quidem eſſe ſimile videatur .

Viceſimum Argumentum a Gildæ Britannici , qui VI. ſeculo, ab Iſidori Hiſpalenſis , & Hiſpalenſium Patrum , qui in unum congregati locum ſeptimo ſeculo concilium celebraverunt , a Bedæ , qui VIII. ab Epiſcoporum Francorum ab Amalarii, Haimonis Halberſtadienſis, Hincmari Remenſis, & Rabani Mauri, qui VIIII. & a Remigii Lugdunenſis , qui XI. ſeculo floruerunt , ſcriptorum teſtimoniis ducitur .

Mirabile videri cuiquam poterat , quod Buddeus , Salmaſius , aliique veterum ſcriptis contra orthodoxos abuterentur ; hoc mirabilius , quod Blondellus abutatur recentiorum , ſatis perſpicue Epiſcopos eſſe Presbyteris ſuperiores ajentium . Gildas , inquit , Sacerdotum , & Diaconorum meminit , Epiſcoporum vero , ac Presbyterorum , ac ſi eſſent diverſi , non meminit . Quamobrem autem ? Quia (hoc enim ſibi Blondellus , quaſi concedatur , ſumit) *conſtanter Promiſcuos habet* . Scribit namque *Epiſcopatus*, vel *Presbyterii* ; *Epiſcopus* , vel *Presbyter* (2) . Scilicet, *τὸ vel* homini ne-

Rrr 2

1 De Sedulio hæc habet Blondellus *ibid. cap.* XXXII. *pag.*71. „ Cum Apoſtolici Collegii Coryphæum Petrum , *ſeniorem* , *cui veritatis auctor cuncta prædixerit* (Ipſummet „ Petrum imitatus) nuncupet (*lib.*v. *Paſch. cap.*7.) in 1. Cor. *hac cauſſa* (ne quis dicat „ *ego ſum Pauli* &c.) duos Epiſcopos eſſe in una civitate (Hieronymi auctoritate) *pro*„ *hibitum* comprobat , ſelectaſque ex ejuſdem commentario ſententias in 1. Timoth. III. „ & Tit. 1. Pelagii hac in parte ὁμοδόξου verbis adtexat , eamdem cum utroque cauſſam „ propugnaſſe luce meridiana clarius eſt „ . Hæc ille . At in Priore loco , hoc eſt *lib.*v. *cap.*VII. *pag.*489. *tom.*VI. *Bibl. PP. edit. Lugd.* Seniorem quidem vocat Sedulius Petrum, natu autem Maximum inter Apoſtolos , ob eamque cauſſam fuiſſe ceteris præfectum , neque dicit , neque ratio poſtulabat , ut diceret . Nam de *pœnitentia* Petri , qui ter Chriſtum negarat , agit , de *Primatu* autem non item . In collectaneis vero in Epiſtolam ad Timotheum *cap.*III. *pag.*575. „ Sed quæritur , *inquit* , cur de Presbyteris non fecerit „ mentionem . Sed etiam ipſos in Epiſcoporum nomine comprehendit „ . Quid ? an ſequitur , eoſdem cenſuiſſe Epiſcopos fuiſſe, Presbyteroſque Sedulium . Atqui nos etiam, Epiſcopi deſcriptis virtutibus , Presbyterorum quoque virtutes Apoſtolum deſcripſiſſe arbitramur , quin tamen eumdem putemus fuiſſe 1. ſeculo Presbyterorum, & Epiſcoporum gradum. In Collectaneis denique in Epiſtolam ad Titum *cap.* 1. *pag.*579. Hieronymi verbis uſus Sedulius eſt . Itaque ita eſt illius explicanda , ut paullo ante a nobis eſt Hieronymi explicata ſententia .

2 Gildas ſapiens in *Eccleſiaſtici Ord. Acri correptione pag.*715. *tom.*VIII. *Biblioth. Patrum edit. Lugdun.* „ Britannia habet SACERDOTES , ſed nonnullos inſipientes ; quamplurimos MINISTROS , ſed multos impudentes ; clericos , ſed quoſdam raptores ; ſubdolos „ Paſtores , ut dicuntur , ſed occiſioni animarum lupos paratos . Quippe non commoda „ plebi

negotium exhibet. At hoc ipſum eſt, quod auctore Gilda, Epiſcoporum, ac Presbyterorum diſtinctos gradus fuiſſe, oſtendit. Quid enim? An Diaconorum, & Epiſcoporum unum ille, atque eumdem fuiſſe ordinem cenſuit? Non dicet, opinor. Nec vero tam eſt impudens, ut modo nobis reſiſtat, contra Paulum quidquam fuiſſe a Gilda conſtitutum putet. Atqui idem ipſe Gildas, qui *Diaconos* appellat vocabulo *miniſtrorum*, nonne *Epiſcopos*, vel *Presbyteros*, vel *miniſtros* ſcribit? Quod ſi τὸ *vel* haud efficit, unus ut ſit, atque idem *Diaconorum*, atque *Sacerdotum* gradus, ita ne illud quidem, ut Presbyteri non diſcrepent ab Epiſcopo.

Non minus eſt Iſidori Hiſpalenſis illuſtris locus. *Sacerdotii* (1) (hoc eſt offerendi corporis, & ſanguinis Domini)

„ plebi providentes, ſed proprii plenitudinem ventris quærentes, Eccleſiæ domos habentes, ſed turpis lucri gratia eas adeuntes, populos docentes, ſed præbendo interdum peſſima exempla, vitia, maloſque mores raro ſanctificantes, ac raro puro corde inter altaria ſtantes, plebem ob peccata non corripientes, nimirum eadem agentes, præcepta Chriſti ſpernentes, & ſuas libidines votis omnibus implere curantes, ſedem Petri Apoſtoli immundis pedibus aliquos uſurpantes, ſed merito cupiditatis in Judæ traditoris peſtilentem Cathedram deſidentes ... Multos Sacerdotio irruentes potius, vel illud pene omni pecunia redimentes, quam tractos, & in eodem veteri, infauſtoque intolerabilium piaculorum cœno poſt SACERDOTALEM EPISCOPATUS, vel PRESBYTERII ſedem, qui nec ibidem ſæpe ſederunt, utpote indigni porcorum more volutantes, rapto tantum SACERDOTALI nomine ... Quid enim tam impium, tamque ſceleſtum eſt, quam ad ſimilitudinem Simonis Magi ... EPISCOPATUS OFFICIUM, vel PRESBYTERII terreno pretio, quod ſanctitate, rectis moribus decentius acquiritur, quempiam velle mercari? ... *pag.* 716. Sed forſitan aliquis dicat, non ita omnes EPISCOPI, vel PRESBYTERI, ut ſuperius excepiſti ... *pag.* 179. Adſtipulentur benedictioni, qua initiantur SACERDOTUM, vel MINISTRORUM manus ... A ſacerdotali dignitate degenerantes recedant, ut apertius cunctis pateat, & æterna ſupplicia eos eſſe manſura, & non eſſe SACERDOTES, vel DEI MINISTROS, qui earum doctrinas, atque mandata opere ſecundum vires ſuas non impleverunt.

1 S. Iſidorus Hiſpalenſis *lib.* II. *De Eccleſiaſticis officiis cap.* VII. *pag.* 599. *edit. Pariſ. opp. an.* 1601. „ His (Presbyteris) ſicut Epiſcopis diſpenſatio myſteriorum Dei commiſſa eſt; præſunt enim Eccleſiis Chriſti, & in confectione divina corporis, & ſanguinis conſortes cum Epiſcopis ſunt; ſimiliter & in doctrina populorum, & in officio prædicandi. Sed ſola propter auctoritatem ſummo ſacerdoti clericorum ordinatio, & conſecratio reſervata eſt, ne a multis Eccleſiæ diſciplina vendicata, concordiam ſolveret, ſcandala generaret. Nam Paulus Apoſtolus eoſdem Presbyteros, ut vere ſacerdotes, ſub nomine Epiſcoporum aſſerit, loquens ad Titum. Hujus rei, inquit, gratia, reliqui te Cretæ, ut ea, quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per civitates Presbyteros, quemadmodum ego tibi diſpoſui ... Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe. Qua ſententia oſtendit, Presbyterum etiam ſub Epiſcopi nomine taxari. Unde & ad Timotheum de ordinatione Epiſcopi, & Diaconi ſcribens, de Presbyteris omnino tacuit, quia eos in Epiſcopi nomine comprehendit. SECUNDUS enim PRIMO CONJUNCTUS gradus eſt, ſicut ad Philippenſes de Epiſcopis, & Diaconibus ſcribit, cum una civitas plures Epiſcopos habere non poſſit, & in actibus Apoſtolorum Presbyteros Eccleſiæ, Hieroſo-

mini) poteſtate Presbyteros Epiſcopis pares eſſe defendit, ordinandi autem auctoritate non item. Eſſe igitur Epiſcoporum gradum ordine Presbyterorum ſuperiorem. Quamquam Presbyteros, quod offerrent, conſecrarentque corpus, ac ſanguinem Domini, eſſentque rebus quibuſdam æquales Epiſcopis, vocatos a Paulo fuiſſe, Iſidorus addat, appellatione Epiſcoporum.

Age vero Hiſpalenſe (1) concilium, nonne ademtam Pre-

„ roſolymam iturus, congregavit, quibus inter cetera. videte inquit, gregem, in quo „ vos Spiritus Sanctus Epiſcopos ordinavit; unde etiam tales in Eccleſia Presbyteros con- „ ſtituendos eſſe, ſicut Epiſcopos, ut Apoſtolus ad Titum loquitur, & canones ipſi teſtan- „ tur. Presbyteri autem merito, & ſapientia dicuntur, non ætate. Nam Moyſi præcepit „ Deus, ut eligat Presbyteros. Unde & in Proverbiis dicitur, gloria ſenum canities. „ Quæ eſt hæc canities? Haud dubie, quin ſapientia, de qua ſcriptum eſt. Canities homi- „ num prudentia eſt. Cumque nongentos, & amplius annos ab Adam uſque ad Abraham vixiſſe „ homines legamus, nullus alius appellatus eſt prius Presbyter, ideſt ſenior, niſi Abraham, „ qui paucioribus annis vixiſſe convicitur. &c. „ Viden ut Iſidorus Epiſcoporum gradum primum, ſecundum autem gradum eſſe Presbyterorum ſcribit? Non ergo æquandos Epiſcopos Presbyteris putavit. Neque vero in hoc idem tam longo teſtimonio, etſi Presbyteratum commendet, umquam ſtatuit, jure Eccleſiaſtico tantum Epiſcopis jus ordinandi competere, Presbyteris vero non item. Immo capite v. *pag.* 97. Epiſcoporum inſtitutionem jam inde a Chriſto repetit, ſoloſque Epiſcopos ſucceſſores eſſe ſcribit Apoſtolorum, eorumque ordinationem niti novi teſtamenti auctoritate confirmat; *cap.* vi. *pag.* 599. chorepiſcopos Epiſcopi quidem munus exercere poſſe, ut qui conſecrati Epiſcopi ſint; ſed iis, quoniam in Diœceſi Epiſcoporum, villarum, vicorumque Eccleſias moderantur, & idcirco vicarii Epiſcopi urbis ſunt, neſcio Epiſcopo, ordinare Presbyteros, diaconoſque non licere, ſcribit. Quæ omnia ſatis oſtendunt, Iſidorum cum Catholicis ſentire, eſſeque ab errore Presbyterianorum diſtantem. Alter locus, quo Blondellus *ibid.* *cap.* xxv. *pag.* 74. abutitur, eſt ex *lib.* vii. *originum cap.* xii. *pag.* 100. deſcriptus, habetque hoc modo: „ Presbyter Græce, Latine ſenior interpretatur. Non pro ætate, vel decrepita ſenectute, „ ſed propter honorem, & dignitatem, quam acceperunt, presbyteri nominantur; unde „ & apud veteres iidem Epiſcopi, & Presbyteri fuerunt, quia illud nomen dignitatis, hoc „ eſt ætatis. Ideo autem & Presbyteri Sacerdotes vocantur, quia ſacrum dant (ſicut & Epiſ- „ copi) qui *Presbyteri* licet ſint Sacerdotes, tamen Pontificatus APICEM NON HABENT, „ quia nec CHRISMATE FRONTEM SIGNANT, NEC PARACLETUM SPIRITUM DANT, quod „ ſolum deberi Epiſcopis lectio actuum Apoſtolorum demonſtrat „. At is locus plane efficit, Presbyterianorum ſententiam eſſe ſacris novi teſtamenti litteris repugnantem. Nam Presbyteratum nomen non ætatis eſſe hoc tempore, ſed dignitatis, Iſidorus ſtatuit. Poſt addit, olim Epiſcopos fuiſſe Presbyteros dictos, tumque jam Epiſcopi appellationem indicaſſe dignitatem, Presbyteri vero contra ætatem. Quare hoc ſenſu eoſdem fuiſſe Apoſtolorum tempore Epiſcopos, & Presbyteros, nempe ætate Presbyteros, hoc eſt ſenes, dignitate vero Epiſcopos. Jam vero Presbyteros vocari ſacerdotes, *quia ſacrum dant*, hoc eſt Euchariſtiam conficiunt, & *populo dant*, quod idem Epiſcopi faciunt. Ceterum Presbyteros, licet ſint ſacerdotes, tamen non attingere *Apicem Pontificatus*. Cur autem? quia nec chriſmate frontem ſignant, nec Paracletum Spiritum dant, quod ſolum deberi Epiſcopis, conſtare. Lege ne aliqua Eccleſiæ? Minime vero. Qua igitur auctoritate? Divina ſcilicet. Hoc enim intelligi ex lectione actorum Apoſtolicorum.

1 Concilium Hiſpalenſe II. *an.* 619. *celebratum can.* vii. *pag.* 464. *tom.* II. *Concilior. Hiſpan. edit. Card. Saenz de Aguirre Rom. an.* 1694. „ Septimo examine relatum

„ eſt

Preſbyteris fuiſſe declarat ordinandorum Preſbyterorum, ac Diaconorum auctoritatem? At *novellis*, inquit Blondellus, legibus ademtam demonſtrat, non Divinis, concilium. Ridiculum! Quaſi vero hac voce Patres non indicarint novi Teſtamenti divinas leges. Nam addunt legibus veteris Teſtamenti novellas leges, poſtque has memorant Eccleſiaſticos canones, ut plane ſignificent, eſſe quædam Preſbyteris non ſolum auctoritate legum veteris Teſtamenti, ſed etiam novi; quædam vero Eccleſiaſtico canone interdicta.

De Beda (1) nihil attinet dicere. Epiſcoporum namque vocabulo indicatos ab Apoſtolo interdum eos fuiſſe putavit, qui revera Preſbyteri eſſent, Epiſcopi vero non eſſent. Id autem ut ſit Orthodoxis contrarium, nullo modo prorſus intelligo.

Aquiſgranenſe (2) concilium Preſbyterianis præſidio eſſe non poteſt. Eadem enim atque Iſidorus ſtatuit. Quare ut

„ eſt nobis, venetandiſſimum quondam Agapium Cordubenſis Urbis Epiſcopum frequenter „ Preſbyteros deſtinaſſe, qui abſente Pontifice altaria erigerent, Baſilicas conſectarent. „ Quod quidem non eſt mitum id præcepiſſe virum Eccleſiaſticis diſciplinis ignarum, & ſtatim a ſeculari militia in Sacerdotale miniſterium delegatum. Ergo ne ultra talis a nobis „ licentia uſurpetur, communi ſententia ſtatuendum oportuit, ſcientes, quia ſicut Preſbytero illicita conſecratio eſt altaris, ita & conſtitutio. In divinis enim litteris præcipiente Domino ſolus Moyſes in tabernaculo Dei erexit altare, ſolus ipſe unxit, utique „ quia ſummus Sacerdos Dei erat. Sicut ſcriptum eſt: Moyſes, & Aaron in Sacerdotibus „ ejus. Ideoque id quod tantum facere principibus Sacerdotum juſtum eſt, quorum typum „ Moyſes, & Aaron tenuerunt, Preſbyteri QUIA FILIORUM AARON GESTANT FIGURAM, „ arripere non præſumant. Nam quamvis CUM EPISCOPIS PLURIMA ILLIS MINISTERIORUM COMMUNIS SIT DISPENSATIO (quædam tamen auctoritate veteris legis) quædam „ novellis, & Eccleſiaſticis regulis ſibi prohibita noverint, ſicut Preſbyterorum, & Diaconorum, & Virginum conſecratio, ſicut conſtitutio altaris, benedictio, vel unctio &c... „ Hæc enim OMNIA ILLICITA ESSE PRESBYTERIS, QUIA PONTIFICATUS apicem non habent &c. „ Hæc cum ſimilia ſint Iſidori ſententiæ, ſimilibus item rationibus nitantur, neceſſe eſt. At cur preſbyteris Spiritum ſanctum dare non liceat &c. Iſidorus ex Actis Apoſtolicis cognoſci poſſe defendit. Atque hæ quidem ſunt *novellæ regulæ*, quarum meminit hoc ipſo Canone Hiſpalenſe Concilium.

1 Ex Bedæ teſtimonio deſcripto *ex Homil. Æſtiv. de Sanctis in die s. Lucæ*, quo Blondellus abutitur *cap.* XXXVII. *pag.* 77. conſequens plane eſt, diſtinctos quidem ætate Apoſtolorum reipſa Preſbyteros ab Epiſcopis fuiſſe, quamquam iiſdem utrique nominibus vocarentur. Sic enim habet: „ Primis Eccleſiæ temporibus, ut Apoſtolica Scriptura teſtis eſt, utroſque Preſbyteros, utroſque vocatos Epiſcopos, quorum unum ſapientiæ maturitatem, alterum induſtriam curæ paſtoralis ſignificat „. Si enim diſtinctos Epiſcopos a Preſbyteris non fuiſſe, unumque omnium ordinem eſſe putaſſet Beda, quo tandem modo *utroſque* & Preſbyteros, & Epiſcopos vocari conſueſſe, dixiſſet? Quamobrem miror Blondellum his fuiſſe teſtimoniis uſum, quibus refellitur Preſbyterianorum error.

2 *Cap.* XXXVIII. *pag.* 77. *ſeqq.* refert Blondellus *Anonymi de* VII. *Ordinibus Eccleſiæ*

ut hic non obſtat, ita ne illud quidem, quo minus ſit Epiſcopus Presbytero quoque ſuperior.

Mitto Amalarium (1), qui ſimilia ſcripſit. Nemo enim dubitabit, quin noſtris aſſenſus ſit, ſi ejus verba diligenter conſideret.

Haimonis (2) Alcuini auditoris eadem fuit de Epiſcopis, Presbyteriſque, atque Amalarii, & Iſidori ſententia. De Rabano autem quid dicam, cujus eſt de auctoritate Epiſcoporum in commentariis in priorem ad Timotheum epiſtolam inſignis locus? Negat (3) enim ille in Scripturis ſimplices ſacerdotes vocari ſemper appellatione Presbyterorum. Nam quum ordinandi jus Presbyteros quandoque ſibi vindicaſſe legamus, idque jam in *ſimplicem* ſacerdotem cadere omnino nequeat, fit ita, ut iis in locis Scripturarum non *ſimplices* ſacerdotes Rabanus cenſuerit, ſed *Epiſcopos* indicatos fuiſſe *Presbyterorum* vocabulo. Hoc idem eſt de Hincmari Remenſis Archiepiſcopi (4), deque Remigii teſtimoniis judicandum.

Primum ac viceſimum argumentum ab Hiſtoria Eutychii Alexandrini ducitur, quem ſeculo decimo natum ferunt.

ſiæ ad Ruſticum teſtimonium, quod etiam refertur a Gratiano *Diſt.*xcv. *cap.*vi. Sed is auctor, etſi Epiſcopos olim fuiſſe vocatos interdum nomine Presbyterorum, Presbyteroſque nomine Epiſcoporum contendit, Presbyteriſque plura concedenda putat, tamen de *ordinandi* Presbyteri, & diaconi poteſtate ne verbum quidem habet, ut qui cognoſceret, eam in Presbyterum cadere non poſſe. Synodus Aquiſgranenſis celebrata *an.* 816. *can.* viii. *tom.* iv. *Concilior. edit. Pariſ. Harduini* verbis Iſidori Hiſpalenſis utitur. Eſt igitur ejus explicanda, ut eſt paullo ante Iſidori ejuſdem explicata ſententia.

1 Amalarius *lib.* ii. *de Eccleſiaſticis officiis cap.* vi. *pag.* 971. *&* xiii. *pag.* 973. *tom.*xiv. *Biblioth. PP. edit. Lugdunenſis*, Hieronymi, & Ambroſiaſtri ſtudia æmulatus eſt. Itaque eodem modo eſt illius teſtimonium intelligendum, quo intelligi loca Hieronymi, & Ambroſiaſtri diximus.

2 Commentar. *in* 1. *epiſt. ad Timoth. cap.* v. *edit. Colonien. anno* 1539. Nam is quoque Ambroſiaſtri, Primaſii, Iſidori &c. loca deſcripſiſſe videtur.

3 Comment. in 1. *ad Timoth. pag.* 504. *tom.* v. *opp. edit. an.* 1626. „ Presbyteros hoc in „ loco, non eos nominavit, qui nunc NOMINANTUR PRESBYTERI, NEC ENIM RES AD„ MITTEBAT ISTOS MANUS IMPONERE ad ordinationem ipſius functionis; ſed Apoſtolorum „ dicit conventum, qui aderat Apoſtolo Paulo, & cum eo manus imponebat in ejus ordi„ nationem. Presbyterium autem illud nominavit contemplatione honoris: iſta vero „ conſuetudine etiam nunc agunt uſque huc, ut in Epiſcoporum ordinatione, non unus, „ ſed plurimi & hujuſmodi ordinationes impleant &c. „ Eat nunc Blondellus, & hiſce teſtimoniis conetur dogma Catholicorum evertere.

4 Fatetur enim Blondellus *cap.* xliii. *ſeq. pag.* 87. Hieronymum, aut Bedam ſequutos fuiſſe Remigium, & Hincmarum.

runt. Nam Seldenus (1), aliique (2) viri de Presbyterianorum quidem ſecta, cum nihil ſe teſtimoniis Græcorum, Latinorumque Patrum proficere poſſe cognoſſent, conſulendos Arabicos codices eſſe putarunt, exque iis deſcribendum ſi quid inveniſſent, quod minus eſſe Orthodoxæ doctrinæ conſentaneum videretur. Ergo ut eſſe nonnulla in Eutychii chronico animadverterunt, quibus Catholicæ religionis de Epiſcopis decretum refelli, conſtabilirique errorem Presbyterianorum poſſe arbitrarentur, ea diligenter in ſuos commentarios traducenda judicarunt, exque iis rationum momenta adverſus noſtros duxerunt omnino quinque. Atque hoc illi quidem modo argumenti concludunt ſententiam. 1. Qui manus imponebant (3) deinde qui benedicebant, tertio qui Patriarcham creabant; horum certe par erat poteſtas poteſtati Epiſcoporum; ſi præſertim ita manus imponebant, benedicebant, creabant Epiſcopum, ut 4. illorum opera non uterentur, qui Epiſcoporum vocarentur nomine; propterea quod 5. horum Epiſcoporum nulli in finitimis Provinciis reperirentur: Presbyteri autem Alexandrini, jam inde a Marci temporibus ad ætatem uſque Ale-

1 *Libell. de Originibus Eccleſiæ Alexandrinæ edit. Londin. an. 1642.*

2 Neque vero Seldenus ſolum, ſed etiam Salmaſius, Blondellus, aliique locis infra notandis.

3 Locus Eutychii, ut eſt a Seldeno in Latinum ſermonem translatus, habet hoc modo:
,, Conſtituit Marcus Evangeliſta duodecim Presbyteros cum Hanania, qui nempe mane-
,, rent cum Patriarcha, adeo ut cum vacaret Patriarchatus, eligerent unum e duodecim
,, Presbyteris, cujus capiti reliqui undecim *manus imponerent*, eumque *benedicerent*, &
,, *Patriarcham eum crearent*, & dein virum aliquem inſignem eligerent, eumque Presby-
,, terum ſecum conſtituerent, loco ejus, qui ſic factus eſt Patriarcha, ut ita ſemper extarent
,, duodecim. Neque deſiit Alexandriæ inſtitutum hoc de Presbyteris, ut ſcilicet Patriar-
,, chas crearent ex Presbyteris duodecim, uſque ad tempora Alexandri Patriarchæ Ale-
,, xandrini, qui fuit e numero illo 318. Is autem vetuit, ne deinceps Patriarcham Presby-
,, teri crearent. Et decrevit, ut mortuo Patriarcha convenirent Epiſcopi, qui Patriar-
,, cham ordinarent. Decrevit item, ut vacante Patriarchatu, eligerent, ſive ex quacum-
,, que regione, ſive ex duodecim illis Presbyteris, ſive aliis, ut res ferebat, virum ali-
,, quem eximium, eumque Patriarcham crearent. Atque ita evanuit inſtitutum illud an-
,, tiquius, quo creari ſolitus ab Epiſcopis Patriarcha, & ſucceſſit in locum ejus Decretum
,, de Patriarcha ab Epiſcopis creando. Is etiam petiit ab eis, ne Patriarcha Alexandrinus
,, Papa vocitaretur, quod ſignificat *Avum*. Sed vero ab Hanania, quem conſtituit Marcus
,, Evangeliſta Patriarcham Alexandriæ, uſque in tempora Demetrii Patriarchæ ibidem
,, (is Patriarcha fuit Alexandrinus undecimus) *nullus erat in Provinciis Ægypti Epiſco-*
,, *pus, nec Patriarchæ ante eum crearunt Epiſcopos*. Ille autem factus Patriarcha tres
,, conſtituit Epiſcopos. Et primus fuit hic Patriarcha Alexandrinus, qui Epiſcopos fecit.

Alexandri Patriarchæ (qui anno 325. Synodo Nicænæ interfuit) & manus electo Patriarchæ imponebant, & eum benedicebant, & Epiſcopum creabant, cum nulli Eutychio teſte in finitimis Provinciis Epiſcopi verſarentur. Par igitur poteſtas Presbyterorum in Ægypto, a Marci temporibus ad ſeculum uſque quartum, erat poteſtati, auctoritatique Epiſcoporum. Jam vero tradita hæc fuiſſe ab Eutychio, adverſarii ex illius chronico conſtare pugnant, quod Seldenus ex Arabico (1) malo latinum fecit deterius. Pergunt porro, & Patriarcham Eutychium nihil de primordiis Eccleſiæ Alexandrinæ litteris mandaſſe, quod non eſſet nixum fide Patriarcharum ſuperiorum defendunt. Quamobrem, ajunt, non tam Eutychio aſſentiri ſe, quam iis, qui in Ægypto majorum memoria floruiſſent (2).

Ego vero Eutychium neque tanti facio, ut ſi hæc dixiſſet, ei uni adjungendam, ceteris autem, qui & antiquiores, & rerum Chriſtianarum peritiores fuiſſent, negandam eſſe auctoritatem putem; neque tam fuiſſe aut impudentem, aut indoctum exiſtimo, ut vel palam mentiri auderet, vel ignoraret, quæ de ſacris ordinationibus ab Apoſtolis tradita coli, obſervarique non Alexandriæ (3) modo, ſed etiam ubique terrarum conſueviſſent. Quid enim ajentem morarer, qui ſeculo eſſet nono (4) recentior; ſcriptoreſque ante ſe haberet, ſumma & eruditione, & diſciplinæ, doctrinæque Chriſtianæ peritia illuſtres, qui ineſſe Presbyteris negarent

1 Eſt enim fabularum, & ineptiarum plenum. Confer Renaudotium *tom. 1. Liturgiar. Oriental. n. xxi. pag. 377. ubi de Patriarcha Alexandrino agit, edit. Pariſ. an.* 1716. *& Hiſt. Patriarch. Alex. pag. 7. ſeq. edit. an.* 1713. Petavium *lib. 1. de Eccleſiaſtica Hierarch. cap. xiii. n. xix. pag. 38. edit. Antuerp. Theologicor. Dogm. tom.* iv. ubi : *omnino bene incredulum Lectorem poſtulat*, inquit. Herbelotium *Biblioth. Orient. pag.* 153. *edit. an.* 1697. Sed quid hos nomino, cum ſatis ſit Chronicon Eutychii conſulere, quod Oxonii an. 1658. edidit Eduardus Procockius ?

2 Ita quidem Seldenus in ſuæ Præfationis calce ſcribit, ut plurimum Eutychio eſſe credendum contendat.

3 Quis enim ſibi perſuadeat, ignoraſſe eum, quæ ſuo tempore in Ægypto gererentur, ac ut ab Apoſtolis tradita & crederentur, & colerentur ? Atque conſtitutiones quidem, quas Ægyptii ab auditoribus Chriſti editas cenſebant, quæque huc ſpectant, paullo poſt deſcribam.

4 Seldenus *ibid. ſeculo*, inquit, *ut vides floruit decimo Eutychius*. Vide Renaudotium *Liturg. tom. 1. pag. 377. n. xxi. & Hiſtor. Patriarch. Alex. pag.* 7. & Bollandianos *tom. v. Menſis Junii pag. 2. &* 115. *edit. Antuerp.*

ordinandi non ſolum ſacerdotis, ſed etiam diaconi poteſtatem? Quotus autem quiſque eſt, qui neſciat, Johannem Chryſoſtomum (1), Hieronymum (2), Hilarium (3) diaconum, & quod caput eſt, Athanaſium vel univerſe de omnibus, vel de Ægyptiis Presbyteris diſputantes, datam his fuiſſe conficiendæ Euchariſtiæ poteſtatem conceſſiſſe, ordinandorum autem ſacerdotum, diaconorumque non modo non conceſſiſſe, ſed vehementer etiam negaſſe? Atque illud iis, qui nulla præjudicata opinione ducantur, incredibile ſane videbitur: Athanaſium (4), qui perſpecta, ſatiſque explorate cognita haberet, quæ ad Alexandri tempora geſta in Ægypto fuiſſent; ſi imponi cuiquam manus, ordinarique Epiſcopi a Presbyteris poterant (cum præſertim hæreticos inſectaretur, atque refelleret) aut ſimulaſſe neſcire ſe, aut palam negaſſe, quod uſu in ſua patria jam inde a Marci temporibus ad ſuam ætatem obtinuiſſet. Quid? Hilarium ne, Chryſoſtomum, & Hieronymum, qui Presbyterorum adverſus Diaconos defenſionem ſuſceperant, quiſquam ne putet, id ipſum aut prætermiſſuros, aut negaturos fuiſſe, quod neque diſtans ab eorum memoria, neque a propoſita quæſtione alienum eſſet?

Convicti igitur erroris Presbyteriani ſunt, etiam ſi ab ipſis ſtet Eutychius; ſin autem diſſentiat, multo magis. Ac miror ſane, quid ſit, quod cum is auctor Abrahami Echellenſis viri eruditiſſimi (5) ſtudio, atque labore ſolide imprimis, graviter, copioſeque defenſus in hoc genere, liberatuſque ab invidia ſit; tum adverſarii, quin eorum, quæ ſunt ab eodem Echellenſi egregie diſputata, mentionem faciendam arbitrentur, teſtimoniis Eutychii abuti pergant. Quod ſi minus illis

1 Vide ſupra *pag.496. not.2. hujus vol.* Confer etiam *Homil. in cap.* v. *epiſt.* 1. *ad Timotheum tom.*XI. *opp. pag.*618. ubi oſtendit a Presbyteris ne tempore quidem Apoſtolorum ordinari quemquam potuiſſe. „ Non de Presbyteris, inquit, (Apoſtolus) hic loqui„ tur, ſed de Epiſcopis; neque enim Presbyteri ipſum Epiſcopum ordinaverant.

2 Confer quæ dixi ſupra *pag.476. ſeqq. hujus vol.*

3 Vide, quæ ſupra diſputavi *pag.445. ſeqq. hujus vol.*

4 Conſule ſupra *not.2. pag. 328. ſeq. hujus vol.* Athanaſii locum.

5 Eſt hæc libri Echellenſis inſcriptio: „ Eutychius Patriarcha Alexandrinus vindicatus, „ & ſuis reſtitutus Orientalibus, ſive reſponſio ad Johannis Seldeni Origines in duas tribu„ ta partes, quarum prima eſt de Alexandrinæ Eccleſiæ Originibus, altera de Origine No„ minis Papæ &c. *Romæ an.*1661.

illis eſt notum Echellenſis opus : agam equidem , ut mea opera , ſi non e mentibus omnium, at aliquorum ſaltem, qui noſtras origines legerint , evulſus fuiſſe error videatur . Itaque nego *χειροτονίας* , ſeu *impoſitionis manuum* vocabulo ab Eutychio ordinationem a Presbyteris factam (1) ſignificari. Electionem ſcilicet ille , non ordinationem indicat . Alioqui non a Presbyteris modo , ſed etiam ab laicis (2) ordinati Epiſcopi Alexandrini fuiſſent , qua re nihil dici poteſt abſurdius . Nam impoſitas etiam a populo fuiſſe manus, ſcriptores aut ſuperiores , aut pares ſaltem Eutychio exiſtimatione,

1 Renaudotius *ibid. num.*xxv.*pag.*381. „ Fatemur , *inquit* , fabulam de duodecim
„ Presbyterorum collegio (Eutychium) ita intellexiſſe , ut ipſis eligendi Patriarcham jus
„ tributum crediderit . Dum vero ait , manus ipſi ſacerdotes impoſuiſſe , nihil aliud ſignifi-
„ catum voluit , quam electum a ſe ſacerdotem ordinandum curaſſe , ſicut in vita Agrippini
„ Patriarchæ decimi (*apud* Severum) legimus:*conveniſſe Populum,& manus impoſuiſſe illi,*
„ *atque illum ordinaviſſe Patriarcham,& in ſede divi Marci collocaviſſe*.Nempe populus
„ proponebat ; ſuffragia a Presbyteris , & Epiſcopis confirmabantur ; tum procedebatur
„ ad ordinationem ab illis faciendam , qui ordinandi jus haberent , nempe Epiſcopis ;
„ non Presbyteris , multo minus laicis . Certum quippe eſt ex ſequentium ſeculorum di-
„ ſciplina , quæ antiquioris præcipua lineamenta retinuit , impoſitionem manuum ad dan-
„ dum Spiritum Sanctum ... numquam ab aliis factam eſſe , quam ab Epiſcopis : neminem
„ inter tot Patriarchas aliter fuiſſe conſtitutum , quam Epiſcopali ordinatione , aut in ſede
„ divi Marci , quæ ultima erat ceremoniarum pars , collocatum ab aliis fuiſſe , quam ab
„ Epiſcopis „ . Confer Petavium *ibid.*

2 Vide locum Severi Alexandrini modo deſcriptum de *Agrippini ordinatione* . Confer
etiam , quæ de χειροτονίᾳ , quam *Chartoniat* Arabes Chriſtiani vocant , præclare diſputat
Renaudotius *ibid. num.*xxiv.*pag.*380. In veteribus Alexandrinæ Eccleſiæ conſtitutionibus
apud Echellenſem *ibid.p.*1.*cap.*11.*pag.*41. hæc habentur . „ Congregetur univerſus Po-
„ pulus , & Presbyteri , ac Epiſcopi die Dominico , & interroget major eorum Presbyte-
„ ros , Diaconos , & Populum dicens : Hic ne eſt , in quo conſenſiſtis , ut ſit vobis prin-
„ ceps ? Si autem dixerint : *maxime* , interroget illos rurſus dicens : Iſte dignus ne eſt
„ præclara hac præfectura ? Recte ne adeo ſuos inſtituit mores , ut nihil contra eum re-
„ periatur ? & ſi reſponderint omnes , ac dixerint , ita vere eſſe , & ſine ſimulatione ; in-
„ terrogetur etiam tertia vice , utrum vere dignus ſit hoc principatu ? ut confirmetur om-
„ ne verbum ex ore duorum , vel trium . Si vero dixerint tertia vice , quod dignus ſit , ex-
„ tendant omnes manus ſuas . Quod ſi fecerint pacifice , & unanimiter , fiat ſilentium , &
„ Diaconi teneant ſacroſancta Evangelia expanſa , & aperta ſuper caput ordinandi , & Epi-
„ ſcopi ſedere illum faciant ſuper ſede ipſi conveniente „ . *Cap. ſeq.* earundem Conſtitu-
„ tionum apud Echellenſem *ibid. pag.* 43. „ Epiſcopi, qui adſunt, ut manus imponant , la-
„ vent manus ſuas , deinde conſecrent illum , populo adſtante cum ſilentio , & timore , &
„ elevent manus ſuas (*ideſt populus , & ſacerdotes cum Epiſcopis*) ſuper eum dicentes :
„ imponimus manus noſtras ſuper ſervum hunc electum Deo in nomine Patris , & Filii , &
„ Spiritus Sancti ad conſtituendum illum in ordinem bonum , ac ſtabilem unicæ ſine macula
„ Eccleſiæ Dei vivi , inviſibilis ad faciendum judicium rectum , & manifeſtationem ſan-
„ ctam , & gratias patentes , ac prodeuntes , & doctrinam fidelem , hunc nimirum , qui fa-
„ ctus eſt Eccleſiæ Catholicæ a parte Sanctiſſimæ Trinitatis myſterio Crucis „ . Mox ibi-
dem de χειροτονίᾳ , qua ordinatur Epiſcopus *pag.*44. „ Poſthæc autem imponat primus Epi-
„ ſcopus ex illis ei manum , & dicat formulam conſecrationis , ſeu ordinationis , dicatque
„ univerſus Populus : Amen &c. Confer , quæ mox ſubdit Echellenſis *p.* 44.*ſeqq.*

tione, auctoritateque tradiderunt. Atque eo quidem electio dicta impoſitio manuum fuit, quo populus, Presbyterique Alexandrini, quem elegiſſent, Epiſcopis impoſitione manuum ordinandum proponerent. Quamquam vereor, ne falſum ſit, quod de duodecim Presbyterorum collegio non Eutychius modo, ſed etiam Hieronymus, & Hilarius diaconus litteris mandaverunt. Intelligo enim fuiſſe olim, eſſeque hoc tempore ſingulari (1) fide, eruditioniſque laude excellentes viros, qui ante Dionyſium, dictos eſſe quoſdam Patriarchas Alexandrinorum defenderent, qui non ſolum non occuparent gradum Presbyterorum, ſed ne Diaconorum quidem. Quorum ſi vera eſt ſententia, nutent omnia, corruantque neceſſe eſt, quæ ſunt de duodecim Presbyteris ab Hieronymo, aliiſque ſcripta, e quorum Presbyterorum cœtu unus eligi ſoleret, qui ceteris antecelleret, & Epiſcopus vocaretur. Redeo ad χειροτονίαν. Dabo, impoſitas manus *electo* a Presbyteris fuiſſe, ac ſi id verba Eutychii poſtulent. Etſi enim falſum eſt fortaſſe, tamen agam cum adverſariis liberaliter. Quid? an iidem ipſi, qui a Presbyteris manus Patriarchæ impoſitas ferunt; a Populo impoſitas fuiſſe negant? Immo vero eſt eorum ſatis perſpicua de hac item χειροτονίᾳ oratio. At tertiam quoque iidem memorant, quæ ab Epiſcopis fieri ſoleret. Concedendum eſt igitur, hanc fuiſſe tertiam, qua conſecrarentur Epiſcopi, non vero priorem populi, alteramque illam Presbyterorum. Atque hæc quidem de manuum impoſitione dicta ſunto.

Venio ad *Benedictionem*. Ajo igitur, *conſenſum* ea voce, *electionem, ſalutationemque*, non *conſecrationem* Epiſcopi ab Eutychio, cum de Presbyteris ageret, indicari. Eſt id quidem multis demonſtratum ab Echellenſi (2) ut nova oratione non egeat. Nec fuiſſe tam imperitum, arbitror, Eutychium Alexandrinarum rerum, ut conſtitutiones Ægyptiorum Eccleſiæ, quæ converſæ in ſermonem Arabicum eſſent,

1 Adeundus Renaudotius *ibid. n.* XXVI. *pag.* 381. qui Agrippinum, & Demetrium laicos fuiſſe cum electi Patriarchæ Alexandrini fuerunt, ſcribit. Confer eumdem in *Hiſt. Patriarch. Alex. pag.* 20. & Bollandianos *tom.* V. *Junii pag.* 21.

2 *Ibid. cap.* III. *per tot.*

ſent, neſciret, quibus contineretur, Presbytero Epiſcopum benedicere, & χειροτονίαν facere nefas eſſe (1). Quod ſi *benedictiones* appellari preces, quas Presbyteri una cum Epiſcopis recitabant, cum ordinaretur (2) Patriarcha, poſſent, perfacile quidem *benedictum* a Presbyteris eumdem fuiſſe paterer.

Nunc de verbo *creare* paucis agendum eſt, quo Seldeni potiſſimum ſententia nititur. Principio falſum eſt, *ſaloba* verbum in idem, atque *creare* (3) recidere. Nam eo ſpectat, ut *dignum*, *aptum*, *bonum*, *idoneum judicare* ſignificet, *creare* autem non item. Quamobrem jure ab Echellenſi Seldenus (4) vapulat. Jam vero ſynonyma eorum, quæ diximus, ſunt, ut eſt ſapienter ab ipſo Echellenſi animadverſum, *ſuffragium, conſenſus, adprobatio*, *deſignatio*, quod jus ad eos ſolum Presbyteros duodecim pertinuiſſe Eutychius arbitrabatur. At eodem verbum Arabicum, atque *conſtituere* Latinum revolvitur, ne reſiſtente quidem (5) Echellenſi. Patiar. Sed ut anceps eſt Latinis τῦ *conſtituere* ſignificatio, ita erit anceps Arabibus. Quare quemadmodum vox latina modo *ordinationem*, modo *electionem* ſignificat, ſic *electionem* arabica interdum ſignificet neceſſe eſt, etſi quandoque etiam indicet *conſecrationem*. Atque eſt ab eodem Echellenſi demonſtratum (6) voces *ordinare*, *creare*, *perficere*, *præficere*, *conſtituere*, *ſufficere* uſurpari a ſcriptoribus Chriſtianis, imprimiſque orientalibus ſæpe pro *ſuffragiis*, *ele-*

1 Conſtit. Alex. *c.*VI. apud Echellenſem *ibid. cap.*III. *pag.*31. *ſeq.* „ Qui autem ſuſcipit ab illo χειροτονίαν, ſuſcipit etiam ejus benedictionem. At ad Presbyterum minime pertinet facere χειροτονίαν, nec umquam id ipſi licet ... Epiſcopus benedicit, & non benedicitur; alios ordinat, ipſe vero Eulogiam, ſive benedictionem ſuſcipit ab Epiſcopis, non quidem a Presbyteris „. *Canon.*V. *Concilii Nicæni Arabic. edit. Eccl. Alexandr. ibid. pag.*53. *ſeq.* „ Oportet, ut Epiſcopus conſtituatur præſentibus omnibus Epiſcopis illius Provinciæ. Si vero conventus eorum difficilis redditur ob inſtantem ipſis aliquam neceſſitatem, aut ob loci diſtantiam, adſint tres Epiſcopi ad ordinandum illum cum permiſſione; & decreto ceterorum Epiſcoporum, qui ſuam ſcribant benedictionem.

2 *Conſtit. Alexandr. cap.*V. *apud Echell. ibid. pag.* 55. *ſeq.* ubi de Epiſcopis agitur, Presbyteri, una cum Populo, & Epiſcopis ſuffragium Epiſcopo dantes: „ Imponimus, *inquiunt*, manus noſtras ſuper ſervum hunc electum Deo in nomine Patris &c.

3 Conſule Echellenſem *ibid. cap.* IV. *pag.* 37. *ſeqq.*

4 *Echell. ibid. cap.* IV. *pag.* 57. *ſeq.*

5 *Ibid. pag.* 59.

6 *Ibid. pag.* 60. *ſeqq.*

electione, *denominatione*, *approbatione*, *deſignatione*, *conſenſu* (1). Hinc vero facile intelligitur, quam ſit tertia Seldeni argumentatio levis, quæ ex Eutychii verbis de creato a Presbyteris Patriarcha ducitur.

Nec minus eſt inepta, quæ ab eodem quarto loco proponitur, exque male intellecta Eutychii ſententia proficiſcitur, argumentatio. Nam quod Eutychius idem ſcribit: nullus erat in Provincia Epiſcopus; Seledenus in *Provinciis* vertit (2). Quod ſive dolo, fraudeque, ſive imperitia ſermonis arabici factum ſit, prætermitti poteſt. Nunc illud quæro: quid inde eſſe conſequens Seldenus putet? An Epiſcopos eoſdem in Ægypto initio, atque Presbyteros fuiſſe? Id vero Eutychius inficiatur, ut qui a Marco Presbyterorum duodecim collegium inſtitutum, eique præfectum Epiſcopum Ananiam ferat. Igitur jam uſque ab exordio Alexandrinæ Eccleſiæ, diſtinctus erat Epiſcopatus ab ordine, inſtitutoque Presbyterorum. Quod cum ita eſſet, quemadmodum *ordinari* Epiſcopus a Presbyteris potuit impoſitione manuum? Quum enim carerent dignitate, quo tandem modo eam alteri dare potuiſſent (3)? Majores noſtri, quibus ſatis explorate percepta, & cognita conſuetudo Alexandrinorum erat, nequiviſſe a Presbytero, dixerunt, Epiſcopum conſecrari, jam inde a Pauli, hoc eſt ab Apoſtolorum ætate; propterea quod nemini liceret, quod numquam accepiſſet, dare. Id vero numquam dixiſſent, ſi ſecus eſſe Alexandriæ actum judicaſſent. Neque vero ulla eſt cauſſa, cur dictum contra quiſquam ab Eutychio fuiſſe putet. Eſt enim ita comparata illius ſententia, ut de

1 Eutychius in eo ipſo Chronico, quo eſt abuſus Seldenus, de exilio Martini Pon Max. loquens: „ Cumque hæc perpetraſſet Conſtans, inquit, adverſus Martinum Patriarcham, & „ Maximum, ac duos diſcipulos ejus, ORDINAVIT ſuper Roma Patriarcham hominem vir„ tutibus inſignem, qui dicebatur Eugenius „. An ab Imperatore Seldènus dicet fuiſſe *ordinatum* impoſitione manuum Martinum? Marcellinus etiam Comes in Chronico *a Sirmondo edito Pariſiis anno* 1619. *pag*.68. „ Vitiges Tyrannus, inquit, exercitu aggregato Ro„ mam obſidet, cui tunc faventem Papam Silverium Belliſarius ab Epiſcopatu ſummovit, & „ loco ejus Vigilium Diaconum ORDINAVIT. Confer Echellenſem *ibid. pag*. 61. *ſeqq*.

2 Seldenus *ibid. n*. XXII. *pag*. 143.

3 S. Hieronymus loco ſupra *pag*.477. *hujus vol. deſcripto*. „ Qui provehitur, *inquit*, „ de minori ad majus provehitur. Aut igitur ex Presbytero ordinetur Diaconus, in quem „ creſcit ex parvo „. Et Ambroſiaſter *loco ſupra indicato pag*.445. *hujus vol*. „ Unde & „ quemadmodum Epiſcopum ordinet Timotheus, oſtendit. Neque enim fas erat, aut li„ cebat, ut inferior ordinaret majorem. NEMO ENIM TRIBUIT, QUOD NON ACCEPIT.

de electione intelligi commode poſſet videatur . Qua de re, cum ſupra demonſtrata ſit , nihil attinet dicere . At Meletius dicet quiſpiam , cum Presbyter eſſet , Presbyteros (1) ordinavit . Quinetiam id ipſum a Colutho (2) factum fuiſſe conſtat . Profertur item ſynodi (3) Ancyranæ canon , quo cavetur , ne quis Presbyter conſecrare quemquam Presbyterum, ſine præcepto Epiſcopi audeat . Ego vero Meletium (4) Lycopolitanum Epiſcopum fuiſſe ordinatum ajo . Itaque hoc exempli genus ad inſtitutum non attinet .

Quod ad Coluthum ſpectat, fateor, eum fuiſſe Presbyterum . Sed Athanaſius (5), qui certe Alexandrinus erat, Epiſcopatuque in ea urbe potiebatur, Iſchyram neque haberi , neque eſſe Presbyterum contendit , quod ab Colutho eſſet Presbyter initiatus , qui Epiſcopi dignitate , poteſtateque careret . Ex qua re efficitur , apud Alexandrinos eam invaluiſſe ſententiam ; a Presbyteris non ſolum non creari Epiſcopos , ſed ne Presbyteros quidem poſſe . Quamobrem miror, uſum Seldenum fuiſſe exemplo Coluthi , locaſſeque in Athanaſii Apologia, quæ maxime Presbyterianis adverſaretur , ſententiæ ſuæ præſidium . De Ancyrano canone , quo magnopere adverſarii gloriantur , paucis dicam , quod ſentio . Fuerunt , qui vitiatum fuiſſe , adeoque deleri oportere , quæ de Presbyteris continet , ſuſpicarentur (6) . Alii nihil eſſe in canone vitii cenſuerunt (7) . Sed variæ ſunt horum in eo explicando , illuſtrandoque ſententiæ . Pars enim non Epiſcopis in urbibus modo , ſed etiam Chorepiſcopis ſuos Presbyteros,Diaconoſque fuiſſe defendunt. Itaque Chorepi-

1 Seldenus *ibid. pag.* 133.

2 Idem *ibid.*

3 Seld. *ibid.* & Salmaſius *Diſſert. de Epiſc. & Presbyt. pag.* 300.

4 Theodoritus *lib.* 1. *Hiſt. cap.* VIIII. *pag.* 27. *edit. Taurinenſis* . „ Meletius , qui „ non multo ante exortam Arii veſaniam Epiſcopus fuerat ordinatus , poſtea vero quorum- „ dam criminum convictus , a Petro Sanctiſſimo Alexandrinorum Epiſcopo , & Martyre de- „ poſitus eſt &c.

5 Vide quæ dixi ſupra *pag.* 328. *hujus vol.*

6 Petavius *in Adnot. ad Epiph. Hæreſ.* LXIX. *pag.* 277. *tom.* II. *edit. Pariſ.* Confer ejus *lib.* II. *de Hierarch. Eccl. cap.* XI. *pag.* 69. *tom.* IV. *Theologicor. Dogm. edit. Antuerp.*

7 Sic enim vertit Dionyſius Exiguus canonem Ancyranum XII. *Bibl. Canon. Juſtelli tom.* I. *pag.* 279. *edit. an* 1661. „ Chorepiſcopis non licere Presbyteros , aut Diaconos ordinare , ſed neque Urbis Presbyteros , niſi cum litteris ab Epiſcopo permiſſum fuerit , „ in aliena Parochia .

repiſcopis, qui Epiſcopi eſſent ordinati, cautum ab ſynodo fuiſſe, cenſet, ne, injuſſu Epiſcopi civitatis, quemquam aut in villis, aut in urbe conſtituere Presbyterum, vel Diaconum (1) auderent: Pars vero non ſolum e Chorepiſcopis, ſed etiam e Presbyteris urbium aliquos olim fuiſſe, animadvertit, qui vel non recepti ab iis, quibus dati eſſent, vel ex hæreſi ad orthodoxorum ſacra converſi, etſi Epiſcopi charactere ornati eſſent, tamen & nomine carerent, & ceu Presbyteri ſimplices in Eccleſia verſarentur. Id ſynodorum Ancyranæ, & Antiochenæ decretis confirmari poſſe (2). His ergo, qui neſciis Epiſcopis urbium, ordinare quoſdam aliquando non dubitaſſent, vetitum a concilio fuiſſe, ne ſimile quidpiam deinceps agerent; non Presbyteris *ſimplicibus*, qui numquam ſibi eam in Eccleſia Catholica poteſtatem arrogaverunt. Redeo ad Eutychium. Nego, illius opinione, eoſdem olim fuiſſe Epiſcopos, atque Presbyteros. Is enim ad Demetrii tempora, nullum in Provincia (non in *Provinciis*, ut Seldenus oſcitans hallucinatus eſt) Epiſcopum fuiſſe ſcribit. Jam vero ſi nullum dicit, non ergo eumdem fuiſſe cenſet ordinem Epiſcoporum, & Presbyterorum. Nam, ſi idem fuiſſet, non Presbyteri modo, ſed etiam Epiſcopi in Provincia viguiſſent. Quid? ſi ante Demetrium a Patriarchis quemquam fuiſſe Epiſcopum creatum, neget? At ſi Presbyteri ab Epiſcopis minime diſcrepaſſent, qui Presbyterum, idem certe Epiſcopum *ordinaſſet*. Sed quid multis eſt opus?

1 Ita quidem cenſent Balſamon *apud Beveregium Codic. Canon. pag.*386. *tom.* 1. & Zonaras *ibid. pag.*387.

2 Synodus Ancyrana *Can.* XVIII. *pag.* 278. *tom.*1. *Concilior. edit. Hard. Pariſienſis* ex Interpretatione Dionyſii Exigui: „ Si qui Epiſcopi ordinati ſunt, nec recepti ab illa „ Parochia, in qua fuerant denominati, voluerintque alias occupare Parochias, & vim Præ„ ſulibus earum inferre, ſeditiones adverſus eos excitando, hos abjici placuit; quod ſi vo„ luerint in Presbyterii ordine, ubi prius fuerant, ut PRESBYTERI RESIDERE, non abjician„ tur propria dignitate. Si autem ſeditiones commovent, ibidem conſtitutis Epiſcopis, „ Presbyterii quoque honor talibus auferatur, fiantque damnatione notabiles. *Et Nicæn. can.*VIII. *pag.*327. „ Ubicumque vero, ſive in vicis, ſeu in civitatibus ipſi ſoli reperti fuerint „ ordinati, qui inveniuntur in Clero, in eodem habitu perſeverent; ubi autem Catholi„ cæ Eccleſiæ Epiſcopo, vel Presbytero conſtituto, quidam ex illis adveniunt, certum eſt, „ quod Epiſcopus Eccleſiæ habebit Epiſcopi dignitatem. Is autem qui nominatur apud eos, „ (*qui Cathari dicuntur*) Epiſcopus, honorem PRESBYTERII poſſidebit; niſi forte pla„ cuerit Epiſcopo, nominis eum honore cenſeri. Si vero hoc ei minime placuerit, provi„ debit ei aut Chorepiſcopatus, aut Presbyterii locum, ut in Clero prorſus eſſe videatur, „ ne

opus? Eutychius jam inde ab Apoſtolorum temporibus Epiſcopos a Presbyteris diverſos fuiſſe teſtatur. Cum enim licere Presbyteris putaret, etiam poſt Nicænam ſynodum cum uxore manere, quam ante ſuſceptum Diaconatum duxiſsent; tum cautum ab Nicæna ſynodo fuiſſe dixit, ne id ab Epiſcopis deinceps fieret. *Siquidem Epiſcopi,* inquit, *a* TEMPORIBUS APOSTOLORUM *uſque ad Concilium trecentorum decem, & octo uxores habebant* (1). Quod poſtremum etſi commenticium eſt, ut

alio

„ ne in una civitate duo Epiſcopi probentur exiſtere. „ Habent autem Græca hoc modo *can.* 18. *Ancyr.* Εἴ τινες ἐπίσκοποι κατασταθέντες, καὶ μὴ δεχθέντες, ὑπὸ τῆς παροικίας ἐκείνης, εἰς ἣν ὠνομάσθησαν, ἑτέραις βούλοιντο παροικίαις ἐπιέναι, καὶ βιάζεσθαι τοὺς καθεστῶτας, καὶ στάσεις κινεῖν κατ' αὐτῶν, τούτους ἀφορίζεσθαι. Ἐὰν μέντοι βούλοιντο εἰς τὸ πρεσβυτέριον καθίζεσθαι, ἔνθα ἦσαν πρότερον πρεσβύτεροι, μὴ ἀποβάλλεσθαι αὐτοὺς τῆς τιμῆς. ἐὰν δὲ διαστασιάζωσι πρὸς τοὺς καθεστῶτας ἐκεῖ ἐπισκόπους, ἀφαιρεῖσθαι αὐτοὺς καὶ τὴν τιμὴν τοῦ πρεσβυτερίου, καὶ γίνεσθαι αὐτοὺς ἐκκηρύκτους. *Can.* VIII. Nicænus de Novatianis „ ἔνθα μὲν οὖν πάντες εἴτε ἐν κώμαις, εἴτε ἐν πόλεσιν αὐτοὶ μόνοι εὑρίσκοιντο χειροτονηθέντες, οἱ εὑρισκόμενοι ἐν τῷ κλήρῳ ἔσονται ἐν τῷ αὐτῷ σχήματι. εἰ δὲ τοῦ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ἐπισκόπου, ἢ πρεσβυτέρου ὄντος, προσέρχονταί τινες, πρόδηλον, ὡς ὁ μὲν ἐπίσκοπος τῆς ἐκκλησίας ἕξει τὸ ἀξίωμα τοῦ ἐπισκόπου. ὁ δὲ ὀνομαζόμενος παρὰ τοῖς λεγομένοις καθαροῖς ἐπίσκοπος τὴν τοῦ πρεσβυτέρου τιμὴν ἕξει. πλὴν εἰ μὴ ἄρα δοκοίη τῷ ἐπισκόπῳ τῆς τιμῆς τοῦ ὀνόματος αὐτὸν μετέχειν. εἰ δὲ τοῦτο αὐτῷ μὴ ἀρέσκοι, ἐπινοήσει τόπον ἢ χωρεπισκόπου, ἢ πρεσβυτέρου ὑπὲρ τοῦ ἐν τῷ κλήρῳ ὅλως δοκεῖν εἶναι, ἵνα μὴ ἐν τῇ πόλει δύο ἐπίσκοποι ὦσιν. Synodus autem Antiochena *an.* 341. habita *can.* XVIII. *pag.* 601. *ſeq. tom.* 1. *Concilior. edit. Hard.* ſic ſtatuit. „ Εἴ τις ἐπίσκοπος χειροτονηθεὶς εἰς παροικίαν, μὴ ἀπέλθῃ εἰς ἣν ἐχειροτονήθη, οὐ παρὰ τὴν ἑαυτοῦ αἰτίαν, ἀλλ' ἤτοι διὰ τὴν τοῦ λαοῦ παραίτησιν, ἢ δι' ἑτέραν αἰτίαν, οὐκ ἐξ αὐτοῦ γενομένην, τοῦτον μετέχειν τῆς τιμῆς, καὶ τῆς λειτουργίας, μόνον μηδὲν παρενοχλοῦντα τοῖς πράγμασι τῆς ἐκκλησίας, ἔνθα ἂν συνάγοιτο, ἐκδέχεσθαι δὲ τοῦτον, ὅ ἂν ἡ τῆς ἐπαρχίας τελεία σύνοδος κρίνασα, τὸ παριστάμενον ὁρίσῃ. „ Si „ quis Epiſcopus ordinatus in Parocciam, minime ad eam, ad quam eſt ordinatus acceſſerit, „ non ſua cauſſa (*ſeu culpa*) ſed quia cum aut propter populi contradictionem, aut propter „ alteram cauſſam, quæ orta ex ipſo non fuerit, hic habeat honorem, & miniſterium; „ modo moleſtus non ſit rebus Eccleſiæ, in qua eſt conſtitutus. Expectet autem hic, quod „ ſynodus Provinciæ perfecta judicans opportunum definierit „. Eadem Synodus canone x. *pag.* 597. ubi de *iis agens, quos in vicis, vel poſſeſſionibus* καλουμένους χωρεπισκόπους *vocatos Chorepiſcopos* eſſe conſtat, ſtatuit, ut, *quamvis* χειροθεσίαν ἐπισκόπων *manuum impoſitionem Epiſcoporum acceperint, tamen recognoſcant modum proprium, ut gubernent ſibi ſubjectas Eccleſias, earumque moderamine, curaque contenti ſint. Ordinent etiam Lectores, & Subdiaconos, atque Exorciſtas, quibus promotiones iſtæ ſufficiant. Nec Presbyterum vero, nec Diaconum audeant ordinare, præter civitatis Epiſcopum, cui ipſe* (Chorepiſcopus) *ſubjectus eſt.* Ex his igitur omnibus cognoſci poterit, quemadmodum intelligere oporteat Ancyranum canonem XIII. *tom. eod. Concilior. pag.* 275. ſic habentem. Χωρεπισκόπους μὴ ἐξεῖναι πρεσβυτέρους ἢ διακόνους χειροτονεῖν. ἀλλὰ μηδὲ πρεσβυτέρους πόλεως, χωρὶς τοῦ ἐπιτραπῆναι ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου μετὰ γραμμάτων &c. *Chorepiſcopos non oportere Presbyteros, vel Diaconos ordinare. Sed nec Presbyteros civitatis ſine commiſſione Epiſcopi per litteras &c.*

1 Eutychius apud Echellenſem *ibid. cap.* v. *pag.* 31. „ Et vetuerunt etiam, ne Epiſcopus „ haberet uxorem, ſiquidem Epiſcopi a tempore Apoſtolorum ad Concilium trecentorum „ decem & octo uxores habebant. Nam ſi quis maritus conſtituebatur Epiſcopus, manebat „ cum illo uxor, nec abjiciebatur, Patriarchis exceptis, qui neque uxores habebant, ne„ que uxorati Patriarchæ ordinabantur.

alio loco demonſtrabimus, tamen oſtendit plane ad veritatem, quæ fuerit Eutychii de Epiſcoporum dignitate, antiquitateque ſententia. Sed dicet quiſpiam. Fac Epiſcopi a Presbyteris differrent. Quid? an erant ulli in Provinciis Ægypti Epiſcopi? Si autem, Eutychio teſte, nulli erant, a quonam Epiſcopo ordinari Patriarcha potuit? Ordinabatur igitur a Presbyteris. Ego vero, nullos in Provinciis fuiſſe Epiſcopos, pernego. In Provincia enim ſcribit Eutychius, non in Provinciis, ut ſæpe dixi. Atque in Ægypto ſemper Epiſcopos floruiſſe, compertum eſt teſtimoniis Scriptorum(1) Alexandrinorum. Quod autem Eutychius ait: in Provincia; de *territorio*, ut vocant, Alexandrino intelligendum eſt, non de omnibus Ægypti Provinciis, id quod eſt copioſe graviterque confectum (2) ab Echellenſi. Hinc quinta refellitur Seldeni ratio, quæ ex hiſce Eutychii verbis ducitur. *Et primus fuit Patriarcha Alexandrinus* [Demetrius] *qui Epiſcopos fecit.* Primus enim fuit, qui Epiſcopos in Alexandrino *territorio* con-

1 Martyrologium Alexandrinæ Eccleſiæ Melchitarum ad d. XXV. Aprilis apud Echellenſem *ibid. cap.* VI. *pag.* 111. ,, Eſt commemoratio certaminis Marci Apoſtoli, ſancti Evan- ,, geliſtæ, qui Chriſtum prædicavit ſub annis Tiberii Cæſaris Imperatoris in univerſa Æ- ,, gypti, & Libyæ regione, inſuper & apud Barbaros Cyrenenſes, ſcripſitque Evange- ,, lium ipſi tributum, dictante Petro Apoſtolorum Maximo. Aliquamdiu moratus eſt in ,, Urbe Cyrene Cyrenæorum, indeque Alexandriam, quæ apud Pharum eſt, perrexit, de- ,, inde in Barcam profectus eſt, multaque edidit miracula, & Chriſti Eccleſias exornavit, ,, conſtituens eis EPISCOPOS, atque his INFERIORES SACERDOTES ,,. *Tom.* 1. *de Vitis Patriarcharum Alexandrinorum apud eumdem Echellenſem pag.* 112. de s. Marco agens: ,, Cum autem, *inquit*, reſciviſſet (Marcus) conſilium eorum (*Ethnicorum*) conſtituit ,, Anianum Epiſcopum Alexandriæ, item Presbyteros tres, & Diaconos ſeptem, quos un- ,, decim inſtituit ad inſerviendum, & confirmandum fratres fideles. Ipſe vero inde di- ,, ſcedens Pentapolim perrexit, manſitque ibi annos duos annuncians, & ordinans EPI- ,, SCOPOS, PRESBYTEROS, ET DIACONOS in omnibus Provinciis ,,. Vetus Græcorum Synaxarium membranaceum, quod extat in Bibliotheca Collegii Claramontani Societatis Jeſu, ut *Echellenſis ibid. pag.* 115. *refert*, hæc de Marco continet. ,, Celeberrimus ,, Apoſtolus Marcus in tota Ægypto, & Libya, & Marmarica, & Pentapoli Tiberii Cæ- ,, ſaris temporibus Chriſti verbum prædicavit, ubique miracula edens, & Chriſti Eccle- ,, ſias ornans χειροτονίαις ἐπισκόπων, καὶ τῶν λοιπῶν κληρικῶν *ordinationibus Epiſcopo-* ,, *rum, & reliquorum Clericorum* ,,. Sed quid multis eſt opus? Annon idipſum de Epiſcopis Ægyptiis ſecundo ſeculo Hadrianus Imperator ad Servianum ſcripſit. Confer ejus teſtimonium *tom.* 1. *hujus operis pag.* 140. *not.* 2.

2 De regione intelligi oportere, quæ Δέλτα *Delta* dici conſuevit, eſtque propriе territorium Urbis Alexandriæ, Echellenſis contendit *ibid. cap.* VIII. *cap.* 117. *ſeqq.* Itaque verba Eutychii id omnino poſcere defendit, quæ verba ſic in latinum ſermonem transfert: *Nullus erat in territorio Ægypti Epiſcopus*. Ac Seldenus quidem ſecum ipſe pugnans *pag.* 133. *num.* XIX. ,, Memineris, *inquit*, de Alexandrina Eccleſia ipſam rem ab Euty- ,, chio narrari, non de tota Ægypto, nedum territorio Patriarchali ,,.

conſtitueret ., Ita namque vertit Echellenſis , cui plurimum, propter linguæ peritiam , credimus . *Et eſt primus Patriarcha , qui in Alexandria conſtituit Epiſcopos* . Cum ergo in Ægypto Epiſcopi florerent , ab iis ordinatus Patriarcha , non a Presbyteris,ſemper fuit.Quocirca traditum abÆgyptiis Scriptoribus eſt,id juris proprium ſemper fuiſſe (1) Epiſcoporum. Neque vero ſentire aliter poterant , qui jure divino (2) cenſerent,

1 *Conſtitut. Alexandr. cap.* v. apud Echellenſem *ibid. cap.* x. *pag.* 138. ,, Ne ordine-
,, tur Epiſcopus ſine Metropolita . At non ipſe ſolus , ſed ſint alii duo Epiſcopi cum illo ,
,, ut ita conſtituatur a tribus ,, . His addunt Collectores earumdem Conſtitutionum Decre-
tum , ut vocant , Apoſtolicum : ,, Præcipimus autem vobis , ut Epiſcopus ordinetur a tribus
,, Epiſcopis ; urgente vero neceſſitate a duobus ; nec fas eſt Epiſcopum ordinari ab uno
,, Epiſcopo ,, . Benaſſalus Alexandrinus *Collect. Canon apud Echell. ibid. pag.* 141. ,, Ne
,, ordinetur Epi ſcopus ſine Metropolita : at non ſolo ; ſed ſint cum illo alii duo Epiſcopi,
,, ut conſtituatur a tribus Epiſcopis ,, . Rurſum *Conſtit. Alex. cap.* v. *apud eumdem ibid.*
pag. 146. ,, Epiſcopus benedicit , & non benedicitur ; ordinat homines , ipſe vero (*be-*
,, *nedictionem ordinativam*) εὐλογίαν accipit ab Epiſcopis , non quidem a Presbyteris ,, .
Et cap. vi. *ibidem* . ,, Presbyter imponit manum capitibus hominum , at non ordinat
,, quempiam ,, . Severus Alexandrinus in vita Meliani apud Echellenſem *ibid. pag.* 148.
ſeq. ,, Congregatus autem populus , *inquit* , & inito conſilio , aſſumſerunt hominem no-
,, mine Melianum , cumque Patriarcham conſtituerunt ſuper ſede Divi Marci Evangeliſtæ
,, loco Aniani . Melianus autem iſte continentia præclarus erat , qui confirmavit populum
,, in cognitione Chriſti , crevitque Orthodoxorum plebs in Ægypto , Pentapoli , & Afri-
,, ca . Cumque ſediſſet annos xii. in ea ſede , ac pace potita eſſet in diebus ejus Eccle-
,, ſia , obiit primo Thut anno 14. Imperii ſupra memorati Imperatoris . Percipientes au-
,, tem ſacerdotes , & EPISCOPI , QUI ANTE ILLUM ERANT IN EA REGIONE , quod Patriar-
,, cha defunctus eſſet , mœſti convenerunt ad Alexandrinam Urbem , ac inito cum populo
,, orthodoxo , qui in ea erat , conſilio , ſortem projecerunt , ut cognoſcerent , quinam
,, dignus eſſet , qui ſederet in ſede ſancti Marci Evangeliſtæ . . . . . poſt Patrem hunc Me-
,, lianum , & convenit eorum opinio . . . . . in Cerdonem ,, . Idem *in vita Celadiani*
apud eumdem pag. 149. ,, Convenientes (Celadianum) populus Orthodoxus , & EPISCOPI ,
,, qui erant iis diebus Alexandriæ , aſſumſerunt , & Patriarcham conſtituerunt , ac in ſe-
,, de collocaverunt Evangelica ,, . Eadem fere habet in Juliano , qui ante Demetrium vi-
xit . Confer Echellenſem *ibid. pag.* 150. *ſeq.* De Severo vide , quæ ſcribit Renaudotius
pag. 368. *Hiſt. Patriarch. Alexandr. edit. an* 1713.

2 *Conſtitut. Alex. cap.* ix. *apud Echell. ibid. cap.* xi. *pag.* 176. ,, Aſſerunt Apoſtoli in
,, Præfatione didaſcaliæ , ſeu doctrinæ ; nos Apoſtoli convenimus Hieroſolymis , & ſtabi-
,, livimus hanc doctrinam nominantes ordines ſecundum ſingulorum dignitates . Nam ſicuti
,, Cæleſtium , ita quoque eſt in Eccleſia . Stet igitur unuſquiſque in eo (ordine) quem
,, attribuit illi Dominus , laudeturque Epiſcopus , ut paſtor , Presbyteri, ut doctores ; Dia-
,, coni, ut miniſtri &c. . . . . Epiſcopus Sacerdotium conſequutus eſt a Deo ad ſalvandum ,
,, liberandumque animas , & corpora ab interitu . Et quemadmodum anima præſtantior eſt
,, corpore , ita Sacerdotium ſublimius eſt regno , & ligat , qui meretur pœnam , & ſol-
,, vit , qui ſolutionem . . . . . ſi autem nulla eſſet lex , vel ſtatutum de ordinum diſtinctio-
,, ne , profecto ſatis eſſet , ut unico nomine totus comprehenderetur orbis . At cognoſcen-
,, tes nos a Domino operum ordinem , & diſpoſitionem , diſtinximus Epiſcopo ſummum Sa-
,, cerdotium, Presbyteris Sacerdotium , & Diaconis miniſterium cum illis . Qui autem or-
,, dines commutant , non nobis quidem obſiſtunt , ſed obſiſtunt Epiſcopo totius Orbis , Fi-
,, lio Dei , Maximo Sacerdotum ,, . Hæc cum ætate Eutychii maximo in pretio monumen-
ta

ſerent, Epiſcopos Presbyteris antecellere. Atque hæc breviter de Eutychio adverſus Seldenum (1) Blondellum, atque Salmaſium diſputata ſunto. Nam qui plura volet, is conſulere Renaudotium, Echellenſem, & Scheleſtratium (2) poterit.

Mitto cetera Blondelli argumenta, propterea quod ſpectent ad ordinandorum miniſtrorum, regendæque Eccleſiæ poteſtatem, de quibus rebus & dictum paucis ſupra eſt, & dicam aliis in locis, cum ratio, tempuſque monuerit, copioſe. Interea hoc ex rebus hactenus diſputatis colligitur, præcipuam eſſe in Eccleſia Epiſcoporum, ſive ſacrorum Præſulum dignitatem. His enim conſtat non modo ordinandi, hoc eſt conſecrandi Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos eſſe a Chriſto Servatore auctoritatem datam, qua ſane *ſimplices* quique ſacerdotes, miniſtrique ceteri graduum inferiorum carent; ſed etiam primatum in Eccleſiis conceſſum eſſe, ut ſint, & habeantur ſucceſſores Apoſtolorum. Sed hi quemadmodum honore, ac dignitate, ita morum integritate, ſanctitateque ceteris mortalibus antecellant neceſſe eſt; ut plebs in eorum vitam, quaſi in ſpeculum inſpicere, indeque ſibi ſumere exemplum poſſit. Quamobrem ut Apoſtolis, ita eis quoque dictum a Chriſto eſt: *Luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona.* Sic enim fiet, ut omnes, recte ab iis Chriſti locum teneri (3), arbitrentur.

II. *Epiſ-*

ta haberentur, credibile ne eſt, adeo illum fuiſſe ſingularem, ut a conſtitutionibus Eccleſiæ ſuæ deficeret, novaſque doctrinas conſectaretur? Credat hoc Judæus Apella, non ego. Neque enim tam fuit criticus Eutychius, ut vel ſuſpicaretur, ſuppoſita hæc fuiſſet Apoſtolis. Sed de Epiſcopis in Ægypto conſule etiam quæ ſupra ex Origenis, & Clementis Alexandrini libris deſcripſimus.

1 Salmaſius *in Præfat. operis inſcripti de Primatu Romani Pontificis pag. 86. ſeqq.* Blondellus *Præfat. Apolog. pag. 17. ſeq.* Seldenus *ibid.*

2 Petavius *lib. v. Eccleſiaſt. Hierarch. cap. 1I. pag. 150. ſeq. tom. 1v. Theologicor. Dogm. edit. Antuerp.* Echellenſis *ibid.* Renaudotius *locis indicatis*, & Scheleſtratius *Antiquit. Eccl. tom. 1I. pag. 343. ſeq. edit. an. 1697.*

3 Vide ſupra Ignatii teſtimonia *pag. 22. ſeq. not. 2. hujus vol. Auctor Conſtit. Apoſtolicar. lib. 1I. cap. xxv. pag. 240. tom. 1. Apoſt. PP. edit. an. 1724.* „ Vos, *inquit*, laicis „ veſtris Prophetæ eſtis, principes, duces, reges, vos mediatores Dei, & fidelium ejus, „ acceptores Dei, & præcones, ſcripturarum gnari, & voces Dei, ac teſtes voluntatis „ ejus, qui omnium delicta portatis, quique de omnibus rationem debetis reddere . . . . . „ Imitatores ſiquidem eſtis Chriſti Domini . . . . . Ut ergo vos Scopi eſtis, ita Chriſtum „ Scopum habetis, ut ille omnium veſtrum exemplar eſt, ita & vos laicorum, quibus „ præeſtis. Non enim exiſtimandum eſt, Epiſcopatum facile, ac leve onus eſſe „. Sed plena ſunt hujuſmodi ſententiarum Decreta Synodorum, & ſanctorum Patrum volumina.

II.

Epiſcopi primas ſemper in Eccleſiis partes obtinuerunt ; id vero cum aliis illuſtribus monumentis , tum catalogis, quos veteres ediderunt , conſtat .

Quamquam ex veterum teſtimoniis , quæ numero ſuperiore produximus , præcipuum ſemper honorem Epiſcopis fuiſſe in Eccleſia tributum cognoſci facile poſſe videatur ; tamen ut ordine , diſtincteque agam , poſt abſolutam de divinitus inſtituto eorum ordine diſputationem , afferam in medium , ita ut mihi initio propoſueram , monumenta neceſſe eſt , quibus id maxime demonſtratur , atque efficitur; primas, jam uſque ab ætate Apoſtolorum, Epiſcopos obtinuiſſe in adminiſtrandis Eccleſiarum rebus partes , principemque locum occupaviſſe non in cœtu laicorum modo, ſed etiam in conſeſſu Presbyterorum . Ac mittam quidem, quæ ex epiſtolis Pauli, ex Actis Apoſtolicis, ex Apocalypſi Johannis, exque epiſtola Clementis ad Corinthios ſupra deſcripſi ; utarque locis quibuſdam Ignatii , Irenæi , & Tertulliani virorum & cognitione ſacrarum litterarum , & antiquitate præſtantium , qui præ ceteris dilucide , explicateque de vetuſtate, dignitateque Antiſtitum Chriſtianorum ſcripſerunt . Igitur Ignatius in ea epiſtola , quæ eſt ad Smyrnenſes (1) data , hortatur omnes , Epiſcopum ut ſequantur , neque quidquam , eodem neſcio , faciant , quod ad cultum religionis , rerumque Eccleſiaſticarum ſpectet ; neve alio congregentur , neve baptizent , neve agapen celebrent . Hortatus autem eos , ut hæc facerent , numquam fuiſſet , niſi præcipuum honorem adhibendum Epiſcopis eſſe, putaſſet . Quid? ubi Diaconorum, Presbyterorumque Ignatius meminit, nonne priore loco ſemper meminit (2) Epiſcoporum? Jam vero Epi-

1 *Epiſt. ad Smyr.* §. VIII. *pag.* 51. *tom.* II. *Apoſtolicor. PP. edit. Londin. an.* 1746.

2 *Ibid. num.* XII. *pag.* 57. *epiſt. ad Polycarpum num.* VI. *pag.* 75. *ad Epheſios n.* II. *ſeq. pag.* 87. *num.* IV. *ſeqq. pag.* 91. *ad Magneſianos num.* II. *pag.* 121. *num.* III. *pag.* 123. *num.* IV. *pag.* 127. *num.* VII. *pag.* 129. *num.* XIII. *pag.* 141. *ad Philadelph. pag.* 145. *num.* I. *num.* II. III. IV. *pag.* 147. *ſeqq.* ad Trallianos *n.* I. *ſeqq. p.* 169. *ſeq.*

Epiſcopos, quales deſcribit, annon inſtituto divino, hoc eſt *Chriſti ſententia definitos per fines orbis terrarum eſſe* (1) affirmat? Itaque miſſos a Domino eſſe ipſos contendit, ut regant, adminiſtrentque Eccleſiam (2). Quare eum, qui Epiſcopo non obtemperet, non Epiſcopo, qui ſub adſpectum cadat, ſolum, ſed etiam ſummo, qui aſpectum hominum fugiat, Deo potiſſimum injuriam facere (3) dicit. Age vero qui ſine Epiſcopo, Presbyteris, & miniſtris Eccleſiam minime vocari cenſet, hujus ne ſententia quiſquam Epiſcoporum humanam eſſe inſtitutionem putet? At Epiſcopi, quibus ſublatis, Eccleſia, auctore Ignatio, minime (4) vocetur, Presbyteris, adeoque ceteris omnibus, qui Chriſtianam religionem profitebantur, ſuperiores, præſtantioreſque erant, quod ne adverſarii quidem negaverint. Reſtat igitur, ut Epiſcopi, qui Presbyteris antecellerent, non humana inſtitutione, ſed divina voluntate dati Eccleſiæ, Ignatio prædicatore, ac teſte, fuerint.

Sed Jacobus Baſnagius (5) homo de Calvinianorum quidem ſecta, cum conſequens ex epiſtolis Ignatii eſſe perſpiceret, repeti jam inde ab Apoſtolis, Chriſtoque ipſo Epiſcoporum ordinem oportere; vereretur que, ne his probatis, deſeruiſſe videretur cauſſam Presbyterianorum; ſic tandem, ut vim argumenti declinaret, conſtituit. Eſſe aliquos, qui ſcriptas quidem ab Ignatio epiſtolas fuiſſe putent (non enim negare audent, quod ab antiquiſſimis Scriptoribus

1 *Epiſt. ad Epheſ. num.* 111. *pag.* 89. *ſeq.* οἱ ἐπίσκοποι οἱ κατὰ τὰ πέρατα ὁρισθέντες ἐν Ἰησοῦ Χριστοῦ γνώμῃ εἰσίν.

2 Πάντα γὰρ, ὃν πέμπει ὁ οἰκοδεσπότης εἰς ἰδίαν οἰκονομίαν, οὕτως δεῖ ἡμᾶς αὐτὸν δέχεσθαι, ὡς αὐτὸν τὸν πέμψαντα. τὸν οὖν ἐπίσκοπον δῆλον ὅτι ὡς αὐτὸν τὸν κύριον δεῖ προσβλέπειν. „ Omnem enim, quem mittit Dominus domus in propriam diſpen- „ ſationem, ſic oportet nos ipſum recipere, ut ipſum mittentem. Epiſcopum igitur ma- „ nifeſtum eſt, quoniam ut ipſum Dominum oportet reſpicere. *Num.* VI. *pag.* 93.

3 *Epiſt. ad Magneſianos num.* 111. *pag.* 125. „ In honorem igitur illius (Epiſcopi) „ volentis nos decens eſt obedire, ſecundum nullam hypocriſin. Quia οὐ τὸν ἐπίσκοπον „ τοῦτον τὸν βλεπόμενον πλανᾷ τις, ἀλλὰ τὸν ἀόρατον παραλογίζεται *non Epiſcopum* „ *hunc conſpectum decipit quis, ſed inviſibilem paralogizat.*

4 *Epiſt. ad Trallianos num.* 111. *pag.* 173. „ Similiter & omnes revereantur diaco- „ nos, ut mandatum Jeſu Chriſti, & Epiſcopum, ut Jeſum Chriſtum, exiſtentem filium „ Patris, Presbyteros autem ut concilium Dei, & conjunctionem Apoſtolorum. Χωρὶς τούτων ἐκκλησία οὐ καλεῖται. *Sine his Eccleſia non vocatur.*

5 *Hiſt. de l' Egliſ. liv.* 1. *cap.* 111. *pag.* 7. *tom.* 1. *edit. an.* 1699.

ptoribus traditum eſt memoriæ poſterorum) integras autem incorruptaſque ad nos uſque perveniſſe negent; atque ita porro nullius eſſe eas ad Epiſcoporum aut vetuſtatem, aut poteſtatem demonſtrandam momenti, concludant. Inducere autem ſe in animum, ut iis aſſentiatur, non poſſe: eſſe epiſtolas plenas ſententiarum, ex quibus intelligatur, quam ille magnifice de Epiſcopis ſentiret. Vix autem fieri potuiſſe, ut omnia dolo fraudeque impoſtoris cujuſquam Epiſtolis iiſdem infererentur, nihil ut dictum de Epiſcopis fuerit ab Ignatio. Itaque veriſimiliorem ſibi eorum opinionem videri, qui eas Martyri Antiocheno falſo adſcriptas fuiſſe arbitrarentur.

Ego vero ſcriptas ab Ignatio fuiſſe epiſtolas ſeptem, quarum Euſebius, & Hieronymus meminerunt, oſtendi ſupra (1) ſatis, ut arbitror, diligenter. Quamobrem Baſnagium, qui nullo argumento nixus ſic ſtatuat, nihil moror. De iis autem, qui vitiatas fuiſſe fraude impoſtorum exiſtimant, non laboro. Primum enim deſunt rationum momenta, quibus efficere, quod volunt, poſſint. Deinde ſi poſſent, tamen incredibile videretur, tam multa addita epiſtolis fuiſſe, quin verbum ullum dictum ab Ignatio fuerit de honore præcipuo Epiſcoporum. Denique ſic argumentum concludo. Si fides eſt Ignatii epiſtolis adjungenda, Epiſcopi jam uſque ab ætate Apoſtolorum principem ſemper in Eccleſia occuparunt, ne Baſnagio quidem repugnate, locum. Eſt vero Ignatii epiſtolis adjungenda fides, cum neque illi falſo attributæ, neque vitiatæ a quoquam fuerint, quod ſupra oſtenſum eſt. Principem igitur ſemper in Eccleſia jam uſque ab ætate Apoſtolorum occuparunt locum.

Deſcendo ad Irenæum. Is Epiſcopos in Eccleſiis conſtitutos ait, antequam hæreſes orirentur (2), hæreſes autem ortas fuiſſe conſtat jam inde ab Apoſtolorum temporibus. Quid? ſi Apoſtolos ea, quæ a Chriſto acceperant, Epiſcopis

1 *Pag. 363. ſeqq. hujus vol. ſeqq.*

2 Confer ſupra *Irenæi locum pag. 322. hujus vol. not. 2.* Idem Irenæus *lib. III. c. III. pag. 175. edit. Veneta.* „ Traditionem Apoſtolorum in toto mundo manifeſtatam in omni „ Eccleſia adeſt reſpicere omnibus, qui vera velint videre. Et habemus ANNUMERARE „ EOS, QUI AB APOSTOLIS INSTITUTI SUNT EPISCOPI IN ECCLESIIS &c.

ſcopis tradidiſſe narret? Quemadmodum vero his tradidiſſent, qui nuſquam ea ætate fuiſſent? Atque Irenæum ſecundo ſeculo contra hæreſes ſcripſiſſe, teſtata res eſt. Quamobrem qui ei & antiquiſſimo, & Polycarpi auditori fidem neget, næ is funditus evertet omnem Hiſtoriæ veteris auctoritatem. Quotus enim quiſque veterum Hiſtoricorum fuit, qui res a memoria ſua remotas non ſcripſerit? His autem ſi ineſt auctoritas non vulgaris, cur non inerit Irenæo, qui & non longo poſt ſeculum Eccleſiæ primum tempore vixit, & ab eis accepit diſciplinam, qui auditores fuerant Apoſtolorum?

Irenæo autem accedunt Clemens Alexandrinus (1), Origenes (2), Cyprianus (3), aliique Patres, quorum numero ſuperiore deſcripſimus teſtimonia. Non diſcrepat Tertullianus (4) qui ut hæreticos convinceret, ad Eccleſiarum traditionem confugit, quam a Chriſto per Apoſtolos primum, tum per Epiſcopos, quos iidem ſibi reliquerint ſucceſſores, in ſequentes ætates manaſſe ſcribit.

Sed de dignitate, præcipuoque honore Epiſcoporum graviſſimum eſt argumentum, quod ex catalogis ducitur. Niſi enim principem, ut dixi, in Eccleſiis ſingulares Epiſcopi occupaſſent locum, inque adminiſtrandis rei publicæ Chriſtianæ rebus primas jam uſque ab Apoſtolorum ætate partes obtinuiſſent, quemadmodum tot catalogi ab antiquis Scriptoribus editi fuiſſent ſingularium Epiſcoporum, quorum unus alterum continua quadam ſucceſſione exceperit? Catalogum verum Epiſcoporum Romanorum, qui a Petro initium ducat, nonne ab Irenæo (5), ab Hegeſippo

1 Vide ſupra *pag. 324. hujus vol. not. 2.*

2 Confer quæ dixi ſupra *pag. 325. not. 1. hujus vol.*

3 Conſule Cypriani loca ſupra *pag. 327. not. 1. hujus vol.*

4 Hujus item teſtimonia deſcripſimus ſupra *pag. 323. ſeq. not. 6. hujus vol.*

5 Irenæus *ibid. lib.* III. *cap.* III. *pag.* 175. „ Sed quoniam valde longum eſt in hoc
„ tali volumine OMNIUM ECCLESIARUM enumerare ſucceſſiones, maximæ, & antiquiſſimæ,
„ & omnibus cognitæ a glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, &
„ conſtitutæ Eccleſiæ, eam, quam habet ab Apoſtolis traditionem, & annunciatam homini-
„ bus fidem per ſucceſſiones Epiſcoporum pervenientem uſque ad nos indicantes, confun-
„ dimus omnes eos, qui quoquo modo vel per ſibi placentia, vel per vanam gloriam, vel
„ per cæcitatem, & malam ſententiam, præterquam oportet, colligunt; ad hanc enim
„ Eccleſiam propter potiorem principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam, id
„ eſt

ſippo (1) , a Tertulliano (2) , ab Euſebio (3) , ab Optato (4), ab Epiphanio (5) , aliiſque (6) veteribus perfectum fuiſſe conſtat ?

Hieroſolymitanæ vero Eccleſiæ ſeriem Epiſcoporum , an quiſquam tam eſt abſurdo ingenio , qui ſcriptam fuiſſe ante Clementis Alexandrini (7) ætatem neget ? Atque Hegeſippum profecto , quem (8) proximum temporibus Apoſtolorum Euſebius interdum ſequutus eſt auctorem , de Epiſcopis Hieroſolymitanis cognoſſe , tam eſt clarum , tamque perſpicuum , ut negari , ſine injuria , a nemine poſſe videatur .

Quid de Antiochenis Epiſcopis dicam ? quorum ſeriem exhibet Euſebius in Hiſtoria (9) . Ac Ignatii quidem Epiſtolæ ſatis grave de ſucceſſione ſingularium Epiſcoporum in ea Eccleſia , ſuppeditant argumentum . Neque vero Epi-

„ eſt eos , qui ſunt undique fideles , in qua ſemper ab his , qui ſunt undique, conſervata eſt
„ ea , quæ eſt ab Apoſtolis traditio . Fundantes igitur , & inſtruentes Beati Apoſtoli Eccle-
„ ſiam , Lino Epiſcopatum adminiſtrandæ Eccleſiæ tradiderunt . Hujus Lini Paulus in his,
„ quæ ſunt ad Timotheum epiſtolis , meminit . Succedit autem ei Anacletus . Poſt eum ter-
„ tio loco ab Apoſtolis Epiſcopatum ſortitur Clemens . . . . Huic autem Clementi ſuccedit
„ Evariſtus , & Evariſto Alexander &c.

1 Apud Euſebium *lib.* IV. *H. E. cap.* XXII. *pag.* 155. *edit. Taurin.*

2 *Lib. de Præſcript. cap.* XXXII. *p.* 213. Confer Auctorem *lib.* III. *Carminum adverſus Marcionem* , quæ carmina falſo tribuebantur Tertulliano . *Pag.* 635. *edit. opp. Tertull. Veneta an.* 1748. hæc habentur :

„ Hac Cathedra Petrus , qua ſederat ipſe , locatum
„ Maxima Roma Linum primum conſidere juſſit .
„ Poſt quem Cletus & ipſe gregem ſuſcepit ovilis .
„ Hujus Anacletus ſucceſſor ſorte locatus .
„ Quem ſequitur Clemens , is Apoſtolicis bene notus .
„ Evariſtus ab hoc rexit ſine crimine legem .
„ Sextus Alexander Sexto commendat ovile .
„ Poſt expleta ſui , qui luſtri tempora tradit
„ Teleſphoro ; excellens hic erat , martyrque fidelis &c.

3 Vide ſupra Euſebii loca *pag.* 439. *not.* 4. *hujus vol.* & *lib.* III. *cap.* IV. *pag.* 81.

4 *Lib.* II. *adv. Parmen. pag.* 36. *edit. an.* 1676.

5 *Hæreſi* XXVII. *n.* VI. *pag.* 107. *edit. Pariſ. Petav.*

6 Conſule s. Hieronymum *lib. de Script. Eccl. pag.* 107. *tom.* IV. *opp. edit. Martian. Pariſ.* & s. Auguſtinum *ep.* LIII. *al.* CLXV. *p.* 120. *edit. Pariſ. Monach. s. Mauri tom.* II. vetuſtiſſimum Catalogum Liberianum, quem Bucherius edidit, apud Blanchinum *tom.* II. *Anaſtaſii de Vit. Pontif. pag.* VII. *edit. Romana an.* 1723. & reliquos Catalogos , quos idem *ibid. pag.* XIV. *ſeqq.* & Joſephus Blanchinus ejus Fratris Filius *tom.* IV. *Anaſtaſ. p.* 1. *ſeq.* & Schelſtratius *Antiq. Eccl. tom.* 1. *pag.* 519. *ſeqq.* & Bollandiani *Propyl. p.* 11. *ſeqq.* ediderunt .

7 Apud Euſebium *lib.* II. *Hiſt. cap.* XXIII. *pag.* 70.

8 Apud Euſebium *ibid. lib.* II. *cap.* XXIII. *pag.* 70.

9 *Lib.* III. *cap.* XXII. *pag.* 99. *ſeq. edit. Taurin.* & *lib.* IV. *ſeq. cap.* XXIV. *pag.* 160. *ſeqq.*

ſtolæ Ignatii ſolum, ſed etiam acta Martyrii (1) quæ perſcripta ab ejus diſcipulis fuiſſe arbitramur.

Alexandrinorum porro Epiſcoporum catalogum non ab Euſebio (2) ſolum, ſed etiam ab aliis, quorum ſane non eſt auctoritas contemnenda, publicatum ſcimus.

Eccleſiis deinde Aſiæ, ut Epheſinæ, ut Sardenſi, ut Smyrnenſi, ut Thyatirenſi, ut Philadelphienſi, ut Pergamenæ, ut Laodicenæ, ut Magneſianæ, ut Trallenſi, ut Hierapolitanæ datos ab Apoſtolis ſingulares Epiſcopos fuiſſe, hiſque vita functis alios ſucceſſiſſe; idque jam ex Apocalypſi Johannis (3), & epiſtolis Ignatii, ex Irenæi (4), & Tertulliani (5) libris intelligi, quis tam eſt peregrinus atque hoſpes in Hiſtoria vetere Chriſtianorum, qui neſciat?

Quod ſi Athenis conſtitutus a Paulo Epiſcopus Dionyſius Areopagita fuit, ut eſt auctor alter Dionyſius (6) qui ſecundo ſeculo Epiſcopatu eſt potitus Chorinthiorum, fateamur neceſſe eſt, nullam eſſe cauſſam, quare id honoris ceteris Græciæ urbibus negatum ab eodem Apoſtolo fuiſſe putemus. Neque vero in Græcia ſolum, ſed etiam in Macedonia (7) ſingularium Epiſcoporum ordinem jam inde ab Apoſtolorum temporibus viguiſſe, quorum aliquos veteres diſtincte memorarint, ſatis eſt omnibus exploratum. Sed de Epiſcopis, qui primi in quaque Eccleſia fuerint, agam in altera hujuſce libri parte quam accuratiſſime potero.

Sed Jacobus (8) Baſnagius, qui Presbyterianorum partium patrocinium, defenſionemque ſuſceperat, catalogos veteres Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Euſebium vidiſſe negat, ſtatuitque aut

1 *Tom.* II. *Apoſtolic. PP. pag.* 157. *ſeqq. edit. an.* 1724.

2 *Lib.* II. *Hiſt. cap.* XXIV. *pag.* 75. & *lib.* III. *cap.* XIV. *pag.* 95. & *lib.* IV. *cap.* I. *pag.* 121. atque ita porro. Vide Echellenſem *loc. cit. pag.* 31. *ſeqq.* Renaudotium *Hiſt. Patriarch. Alexandr. pag.* 1. *ſeqq.* Bollandianos *tom.* V. *Junii pag.* 1. *ſeqq.* & Lequienium tomo II. Orientis Chriſtiani *pag.* 334. *ſeqq.*

3 Vide ſupra *pag.* 320. *hujus vol.*

4 Irenæus *lib.* III. *cap.* III. *pag.* 176. *tom.* I. *opp. edit. Veneta*, & *cap.* XXXIII. *lib.* V. *pag.* 333.

5 Tertullianus loco *indic. pag.* 521. *not.* 2.

6 Apud Euſebium *lib.* III. *Hiſt. cap.* IV. *pag.* 81. *editionis ejuſdem*.

7 Theodoretus *comment. in cap.* III. *epiſt.* I. *ad Timoth. pag.* 474. *tom.* III.

8 *Lib.* I. *cap.* III. *n.* III. *pag.* 7.

aut nullam, aut exiguam ejus eſſe in hoc genere auctoritatem. Nam quod Clementis Hypotypoſeon libros, & Hegeſippi opuſcula Euſebius viderit, id quidem parvi referre arbitratur. Euſebium namque ipſum teſtari, tam eſſe implicatam ſeriem Epiſcoporum (1), ut difficile ſit, quinam omnium primi Eccleſias fuerint moderati, cognoſcere. Id vero, ſi veteres catalogos conſuluiſſet, numquam Euſebium fuiſſe dicturum.

Verum etſi non omnium Eccleſiarum catalogos veteres Euſebius vidit, vidit tamen aliquos, quorum inſignis fides, auctoritaſque eſſet. Nam Eccleſiæ Romanæ Epiſcoporum ſeriem legiſſe Hegeſippum (2), & Irenæum (3) quis neget? qui cum Romam veniſſent, in antiquitates hujuſce Eccleſiæ diligentiſſime inquiſiverunt, ut quis ordine alteri ſucceſſiſſet, pernoſcerent? Horum vero opera lecta fuiſſe ab Euſebio novimus. Quod ſi, perdifficile fuiſſe aliquarum Eccleſiarum primos omnium Epiſcopos invenire, Euſebius ſcribit, non tamen cognita ſibi, negavit, fuiſſe nomina aliquorum, qui vivis Apoſtolis Eccleſias gubernarunt. Alioqui ſecum ipſe pugnaſſet, quum Ignatium (4), Polycarpum (5) alioſque ab Apoſtolis fuiſſe Epiſcopos creatos tradiderit.

Extremum eſt, ut moneam, Irenæum, qui longe antiquior Euſebio fuit, catalogos vidiſſe Epiſcoporum, non unius, ſed plurium quidem Eccleſiarum, qui ab Apoſtolorum tempore ad ſuam ætatem floruerant (6). Niſi enim vidiſſet, potuiſſe eos ab ſe numerari, numquam dixiſſet. Atque utinam numeraſſet, longe nunc majorem monumentorum Eccleſiaſticorum copiam haberemus. Sed ſi ſatis argumento fuiſſet, ne repugnante quidem Baſnagio, ad Epiſcoporum vetuſtatem conſtituendam auctoritas Euſebii, modo is veteres catalogos conſuluiſſet; cur non ſatis erit Irenæi con-

1 Vide Euſebium *lib.* IV. *Hiſt. cap.* V. *pag.* 125.
2 *Lib.* IV. *cap.* XXII. *pag.* 155.
3 *Lib.* V. *cap.* VII. *pag.* 187.
4 *Lib.* III. *cap.* XXXVI. *pag.* 113.
5 *Lib.* IV. *cap.* XIV. *pag.* 137.
6 Vide ſupra *pag.* 520. *not.* 5. *hujus vol.*

conſenſio, quem accepiſſe ab Auditoribus Apoſtolorum diſciplinam conſtat? Itaque velit nolit Baſnagius, fateatur neceſſe eſt, Epiſcopos jam uſque ab Apoſtolorum temporibus viguiſſe, ſucceſſoreſque reliquiſſe, qui dignitatem ad mundi exitum propagarent ſuam. Cumque ab Irenæo, aliiſque antiquis multa, quæ ad rem, inſtitutumque noſtrum pertinent, mutuati Euſebius, & Hieronymus, ceterique ſcriptores Eccleſiaſtici fuerint; ſequitur, ut his etiam ſit fides, & auctoritas adjungenda. Scio Baſnagium ad ſuas partes rapere [1] Hieronymum, locumque ejus Doctoris, quo ſunt Blondellus, Salmaſius, & Capellus abuſi, propterea quod Presbyterianis adverſaretur, contorquere explicando, atque invertere conari: ſed fruſtra. Nam Hieronymus, Apoſtolorum traditione, hoc Epiſcopos, Presbyteros, Diaconoſque in Eccleſia, ſcribit, eſſe, quod Aaron, ejus Filii, ac Levitæ in vetere teſtamento [2] fuerunt. Fuit autem Aaronis in vetere teſtamento dignitas, filiorum ejus dignitate, idque jam lege, ſanctioneque divina, præſtantior; rurſumque filiorum Aaronis ſacerdotium gradus ſuperior gradu, atque ordine Levitarum; ſint igitur Epiſcopi in Eccleſia, ut traditio poſtulat Apoſtolorum, Presbyteris, Presbyterique Diaconis dignitate preſtantiores, neceſſe eſt. Sed inſtat Baſnagius, Apoſtolicaſque traditiones IV. ſeculo eas fuiſse appellatas contendit, quarum uſus in Eccleſia invaluiſset, & origo noſtris minime comperta, atque explorata eſset. Hanc enim Auguſtino regulam fuiſse probatam, ſubdit; neque cauſsam eſse ullam, quare minus fuiſſe & cognitam, & probatam Hieronymo arbitremur. Atque hinc fortaſse factum, exiſtimat, ut eidem Hieronymo modo Apoſtolica, modo Eccleſiaſtica conſuetudine, traditioneve jejunium, inſtitutioque Epiſcoporum niti videretur. Fuiſse præterea eo fere tempore aliquos, qui conſtitutiones, neſcio quas, Apoſtolicas appellarent, quamquam ſcriptæ ab Apoſtolis non fuiſsent, quod majores noſtri inquirendo, quis earum eſset auctor, cognoſcere nequiviſsent. Vixiſse

1 *Ibid. pag.* 7.
2 Vide *ſupra pag.* 477. *hujus vol.*

xiſse autem poſt aliquos tam ignaros, tamque imperitos rerum, ut non ſolum, quæ fundatæ ab Apoſtolis, ſed earum etiam, quæ conditæ diu poſt fuerant, Eccleſiarum Antiſtites Apoſtolicos vocare non dubitaverint; quo in genere inſignem eſſe Sidonii Apollinaris ad Lupum Trecenſem Epiſcopum ſcribentis locum. Denique errare eos, qui Hieronymum cum Aarone Pontifice Epiſcopos comparaſſe putant. Non enim hoc illi fuiſſe propoſitum. Statuiſse namque hominem demonſtrare, eumdem eſse ordinem Epiſcoporum, & Presbyterorum, propterea quod Presbyter in Epiſcopo contineatur, ac præter Diaconatum, & Presbyteratum, nullus diſtinctus in Eccleſia gradus detur. Itaque, ut recte concluſiſse argumenti ſententiam videatur, ſic eſse exiſtimandum; Hieronymum unum gradum conſtituiſſe Aaronis, & filiorum, alterum Levitarum, quorum priori Epiſcopi, ac Presbyteri; ſecundo vero Diaconi altera ex parte reſponderent. Nam ſi quiſquam eſse ſecus de Hieronymi ſententia judicandum cenſuerit, næ is unum in univerſa Eccleſia Epiſcopum eſse oportere, concedet; quare nihil dici poteſt obtuſius.

Sed qui hujuſmodi argumentis aut contorſiſse aliorſum atque ſint dicta, aut explicaſse Hieronymi verba putat; is quidem certe magno in errore, magnaque in opinionum perverſitate verſatur. Principio enim, quo tandem modo Hieronymus Epiſcoporum inſtitutionem, eo ſenſu, quem Baſnagius vellet, Apoſtolicam appellare potuit, ſi diſertis verbis ejus ſibi originem non ignotam, ſed notam, exploratamque fuiſse teſtatus eſt? Ille namque doctor ab Apoſtolis fuiſse Jacobum fratrem [1] Domini dictum Epiſcopum Hieroſolymorum, Epiſcopoſque ipſos a Chriſto fuiſse inſtitutos ſcripſit. Qua igitur fronte, quaque impudentia Baſnagius idcirco Apoſtolicam ab Hieronymo fuiſse vocatam Epiſcoporum inſtitutionem mentitus eſt, quod res omnes, quarum eſsent noſtris quarto ſeculo minus exploratæ origines, Apoſtolicæ appellarentur? Hieronymus ecce ſatis ſibi ex-

1 Vide ſupra *pag.486. not.4. ſeq. hujus vol.*

exploratam fuiſse contendit, Epiſcopoſque nominat, quos Apoſtoli non Hieroſolymis modo, ſed aliis deinceps in urbibus [1] conſtituerunt. Quamquam ne illud quidem ferendum eſt, quod de regula ab Auguſtino indicata ſubdit. Non enim Auguſtinus mores, uſus, conſuetudineſque omnes, quarum eſset ignotus auctor, ab Apoſtolis repeti oportere, ſanxit; ſed eas tantum, quæ, quum diutiſſime ante ſuam ætatem ubique invaluiſsent, neque a conciliis inſtitutæ eſſent; tum ita erant comparatæ, ut earum origines, a nemine inveſtigando, deprehendi [2] poſsent. Ac ne in cogitationem quidem cadit, ut eæ late, longeque per univerſum orbem terrarum diſseminarentur, neque Oecumenicæ cujuſpiam Synodi, neque auctoritate Apoſtolorum. Cujuſnam enim tanta in Eccleſia umquam poteſtas fuit, ut quod ipſi in mentem veniſſet, perſuadere omnibus gentibus, ſtatimque tranſmittere in omnes totius orbis Eccleſias valeret? Si igitur præter Apoſtolos, ante Auguſtini tempora, nemo fuit, qui tam magna exiſtimatione, & poteſtate excelleret, recte ſane judicatum ab eo eſt, conſuetudinum, quæ adeo veteres, adeoque late propagatæ, neque ab Oecumenicis Synodis introductæ eſsent, originem eſse ab Apoſtolis repetendam. De loco Sidonii non [3] laboro. Ille enim cum Epiſcoporum inſtitutionem Apoſtolica traditione conſtare intelligeret, Apoſtolicam cujuſque Epiſcopi cathedram vocandam exiſtimavit, quamvis urbem, in qua Epiſcopus degebat, longe poſt tempora Apoſtolorum conditam fuiſse ſciret.

Eſt vero ridiculum, ne gravius dicam, quod Baſnagius addit de Hieronymo. Propoſitum ei fuiſse, inquit, oſtendere, eumdem fuiſse ordinem Epiſcoporum, & Presbyterorum. Os hominis! Quid? Annon Hieronymus eo in loco Diaconum inſectatur, qui ſeſe Presbyteris aut æquare,

1 Confer quæ dixi ſupra *pag.486. ſeq. hujus vol.*

2 *Epiſt.*LIV. *al.* CXVIII. *pag.*124. *tom.* II. *opp. edit. Monach. s. Mauri Pariſ.* „ Illa „ quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum Orbe ſervantur, „ dantur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccleſia „ ſaluberrima auctoritas, commendata, atque ſtatuta retineri.

3 Vide ſupra *pag.289. not.1. hujus vol.*

re, aut anteponere auderet? Non ergo illius inſtitutum fuit, Presbyteros ejuſdem eſse ordinis atque Epiſcopos, ſed Diaconos eſse Presbyteris inferiores, hoſque Presbyteros, cum multis rebus pares Epiſcopis eſsent, Epiſcopos quandoque appellatos fuiſſe, oſtendere. Hoc enim propoſitum alicui eſse debet, quod ſibi ad probandum efficiendumque ſumit. Hieronymus autem, ecquid ſibi potiſſimum, niſi Presbyterorum præ Diaconorum ordine [1], dignitatem vindicandam, atque demonſtrandam ſumſit? Quodſi in Epiſcopo Presbyterum contineri dixit, eo dixit, quo multis rebus pares eſse Epiſcopis Presbyteros plane cognoſceret, quamquam eſse quædam perſpiceret, quibus Presbyteri ab Epiſcopis ſuperarentur; ut *ordinandorum* Diaconorum, *Sacerdotumque*, ut tradendi Spiritus ſancti, ut præcipuam regendæ Eccleſiæ auctoritatem. Itaque quo agere dilucide, diſtincteque videretur, hoc tandem, concluſit, eſse Epiſcopos [2], Presbyteros, & Diaconos in Eccleſia, quod in vetere Teſtamento Aaron, filii ejus, Levitæque fuerunt. Nec vero conſequens inde eſt, quod Baſnagius putat, quemadmodum in Hebræorum Republica unus erat Pontifex, ita in orbe Chriſtiano unum eſſe Epiſcopum oportere. Hieronymus namque Eccleſiam quamque, in qua Diaconi, Presbyteri, hoc eſt Sacerdotes ſecundi gradus, Epiſcopique eſſent, cum republica Eccleſiaſtica Judæorum comparavit; atque hinc argumentando concluſit, Epiſcopum in quavis urbe, Presbyteros, & Diaconos Aaroni, Sacerdotibus, atque Levitis, altera ex parte reſpondere.

§. III.

De officiis muneribuſque Epiſcoporum, ut ſunt Presbyteris ſuperiores.

SED poſtulat inſtituti ratio, ut quæ ſint Epiſcoporum, qua ratione Presbyteris antecellunt, munera videamus. Igitur functionum, quæ propriæ ſint Epiſcoporum, ge-

1 Vide ſupra *pag. 475. ſeq. hujus vol.* 2 Vide ſupra *pag. 477. hujus vol.*

genera fuiſſe olim, eſſeque hoc tempore video, omnino quatuor. Horum unum in iis rebus verſatur, quæ cum fieri, adminiſtrarique a Presbyteris & poſſent, & ſolerent; tamen ſine Epiſcopi voluntate neque fiebant, neque adminiſtrabantur. Quamobrem hoc inter Presbyterum, Epiſcopumque intererat: Ille dicto audiens erat; hic, quin obnoxius Presbyterio eſſet, quod ſibi videbatur opportunum, aut faciebat, aut imperabat. Alterum genus eſt earum rerum, quæ tametſi concedi Presbytero poſſent, tamen Epiſcopis ſunt, conſuetudine, legibuſque Eccleſiæ, reſervatæ. Tertium ita eſt Epiſcopis peculiare, ut in Presbyteros cadere omnino nequeat. Quamobrem ſi quis Presbyter eo munere fungi audebat, hujus erat actio inanis. Sunt autem ejuſdem generis rationes, ſeu ſpecies, ut vocant duæ. Altera enim eas functiones continet, quæ ſi Pontificis voluntate, conceſſioneque a Presbytero fiant, valent; ſin autem clam Pontifice, eoque haud mandante, ſeu committente fiant; non valent. Altera eas complectitur, quæ cum divina inſtitutione propriæ ſint omnino Epiſcoporum, transferri certe in alium quemquam, qui inferiorem gradum occupet, nullo modo poſſunt. Quartum eſt genus earum rerum, quæ ex poteſtate regendæ, gubernandæque Eccleſiæ, qua Epiſcopus excellit, proficiſcuntur. Nam huic Presbyterum ad ſe vocare, cogere, ut rationem reddat, arguere, ſi opus eſſe cognorit, punire denique aut errantem, aut rem male gerentem licet; Presbyteris autem hæc eadem in Epiſcopum agere non licet. Verum age, cujuſmodi hæc ſint munera, videamus.

I. *Nihil*

I.

Nihil a Presbyteris, inferiorumque Ordinum Clericis in ſuo munere fungendo, ſine voluntate Epiſcopi, fiebat; ab Epiſcopo autem, quin Presbyteris obnoxius eſſet, quæ ad ſe pertinebant, gerebantur.

Conſtat id quidem Ignatii (1), Tertulliani (2), Cypriani (3), aliorumque veterum (4) Patrum, Conciliorumque (5) auctoritate. Cauſſam autem hujuſce rei indicant, qui Canones Apoſtolicos (6) condiderunt. Nam ſine Epiſcopi ſententia nihil eſſe a Presbyteris, Diaconiſque agendum ſtatuunt, propterea quod in altiore gradu honoris, ac dignitatis locatus Antiſtes, rationem ſit Divino judici pro omnibus, qui crediti ejus curæ fuerint, extremo mundi tempore redditurus.

1 Vide ſupra locum ex epiſtola ad Smyrnenſes *pag.* 517. *not.* 1. *hujus vol.* Idem Ignatius epiſtola ad Polycarpum *num.* IV. *pag.* 71. cum monet, ut curet, ne „ quidquam „ ſine ejus ſententia fiat. Et epiſtola ad Epheſios *n.* IV. *p.* 91. *edit. Londin. an.* 1746. Un„ de decet vos concurrere ſententiæ Epiſcopi .... quod & facitis .... Digne nominabile ve„ ſtrum presbyterium οὕτως συνήρμοσται τῷ ἐπισκόπῳ, ὡς χορδαὶ κιθάρᾳ. *Sic concorda„ tum eſt Epiſcopo, ut chordæ citharæ.*

2 Vide Tertulliani locum, quem mox deſcribam.

3 *Epiſt.* XVI. *pag.* 36. *edit. Oxon.* „ Quod enim non periculum metuere debemus de „ offenſa Domini, quando aliqui de Presbyteris, nec Evangelii, nec loci ſui memores, „ ſed neque futurum Domini judicium, neque nunc ſibi Præpoſitum Epiſcopum cogitantes, „ quod numquam omnino ſub anteceſſoribus factum eſt, cum contumelia, & contemtu Præ„ poſiti totum ſibi vendicent?

4 Vide ſupra locum Hieronymi *pag.* 486. *not.* 2. *hujus vol.*

5 Synodus Laodicena *an.* 364. *vel ut alii an.* 372. *celebrata can.* LVII. *tom.* 1. *Concilior. edit. Hard. Pariſ. pag.* 791. Presbyteros jubet, μηδὲν πράττειν ἄνευ τῆς γνώμης τοῦ ἐπισκόπου *nihil agere ſine ſententia Epiſcopi*. Idipſum ſtatuit Synodus Toletana 1. *an.* 400. *celebrata tom.* 1. *Concilior. edit. Hard. pag.* 992. Nam de Presbyteris loquens: *ſine conſcientia*, inquit, *Epiſcopi nihil penitus faciendum*.

6 Canon Apoſtolicus XXXVIII. *tom.* 1. *Concilior. edit. Hard. Pariſ. pag.* 19. οἱ πρεσβύτεροι, καὶ οἱ διάκονοι ἄνευ γνώμης τοῦ ἐπισκόπου μηδὲν ἐπιτελείτωσαν, αὐτὸς γάρ ἐστιν ὁ πεπιστευμένος τὸν λαὸν τοῦ κυρίου, καὶ τὸν ὑπὲρ τῶν ψυχῶν αὐτῶν λόγον ἀπαιτηθησόμενος. „ Presbyteri, & Diaconi ſine ſententia Epiſcopi nihil perficiant; ipſe enim eſt, „ cujus fidei populus eſt creditus, & a quo pro animabus ratio exigetur „. Confer Beveregii Adnotationes in Canonem Apoſtolor. XXXIX. *pag.* 471. *tom.* 1. *PP. Apoſtolic. edit. Amſtelod. an.* 1724.

I I.

Etſi baptizandi, conſecrandi Euchariſtiam, eamque diſtribuendi Presbyteri poteſtate valebant, id tamen, voluntate Epiſcopi, munus obire in Eccleſia conſueverant.

Quamquam enim Ordinationis virtute ea eſt Presbyteris facultas data, nihilo ſecius neque *baptizabant* quemquam, neque *Euchariſtiam* aut *celebrabant*, aut *diſtribuebant*, repugnante, vel non conſentiente Epiſcopo. Eſſe autem hujuſce rei præter ceteros, Ignatius (1), Tertullianus (2), & Hieronymus (3) locupletiſſimi teſtes poſſunt.

I I I.

Docendi, concioneſque ad Populum habendi munere nullus Presbyter, niſi Epiſcopi voluntate, fungebatur.

In quibuſdam Eccleſiis quum (4) id impoſitum uni Epiſcopo eſſet, nemo erat Presbyterorum, qui idem ſibi eſſe ſumendum

1 *Epiſt. ad Smyrnenſes ibid. n.* VIII. *pag. eadem* 51. *edit. Londin.* οὐκ ἐξόν ἐστιν χωρὶς τοῦ ἐπισκόπου, οὔτε βαπτίζειν, οὔτε ἀγάπην ποιεῖν. *Non licet ſine Epiſcopo baptizare, aut agapen facere.*

2 Tertullianus *de Bapt. cap.* XVII. *pag.* 230. *edit. Veneta an.* 1748. „ Dandi *baptiſmi* „ jus quidem habet ſummus Sacerdos, qui eſt Epiſcopus, dehinc Presbyteri, & Diaconi, „ non tamen ſine Epiſcopi auctoritate propter Eccleſiæ honorem, quo ſalvo, ſalva pax eſt.

3 Hieronymus *Dialogo contra Lucifer. pag.* 295. *tom.* IV. *opp. edit. Pariſ. Martianæi.* „ Inde venit, ut ſine ... juſſione Epiſcopi, neque Presbyter, neque Diaconus jus habeant baptizandi „. Siricius Pontifex Max. *Epiſt.* x. *n.* x. *pag.* 693. *tom.* I. *Epiſtolar. Romanor. Pontif. edit. Coutantii.* „ Paſchæ tempore Presbyter, vel Diaconus per Paroecias dare re„ miſſionem peccatorum, & miniſterium implere conſueverunt, etiam præſente Epiſcopo; „ in fontem quoque ipſi deſcendunt, illi in officio ſunt, *ſed illius nomini facti ſumma* „ *conceditur*. Reliquis vero temporibus, ubi ægritudinis neceſſitas conſequi unumquem„ que compellit, ſpecialiter Presbytero licentia eſt per ſalutaris aquæ gratiam dare indul„ gentiam peccatorum, quoniam & munus ipſi licet, cauſſa mundationis, offerre, Diaconis „ vero nulla licentia invenitur eſſe conceſſa „. Synodus Hiſpalenſis an. 619. celebrata *tom.* III. *Concilior. edit. Hard. Pariſ. can.* VII. *pag.* 560. ſtatuit: Neque coram Epiſco„ po licere Presbyteris in baptiſterium introire, nec præſente antiſtite infantem tingere. Conſule Martenium *tom.* I. *de Antiquis Eccl. Ritib. pag.* 14. *& ſeqq. edit. Rotom. an.* 1700.

4 Canon *Apoſt.* LVIII. *tom.* I. *Concilior. edit. Hard. Pariſ. pag.* 23. *Epiſcopus, vel Presbyter Clerum vel populum negligens, & non docens eos pietatem ſegregetur.* Hæc etſi in

mendum onus arbitraretur . Hic uſus cum in Africa potiſſimum invaluiſſet , fuerunt , qui Valerium Hipponenſem (1) Epiſcopum reprehendendum putarent, quod Auguſtino, qui tum Presbyter erat , ſe præſente publice in Eccleſia docendi feciſſet poteſtatem . Sed ubi experiundo alii , quam id eſſet ſalubre, ac frugiferum cognorunt , tum invaleſcere uſus concedendi Presbyteris facultatem docendi, latiuſque manare (2) cœpit . Quamquam nullus erat , qui non accepta ab Epiſcopo poteſtate , aſcenderet , orationemque (3) de rebus divinis ad populum haberet . At in Orientis Eccleſiis longe hæc ipſa & antiquior fuit , & latius patens conſuetudo , id quod ex Hieronymi ad Nepotianum (4) litteris intelligitur , qui graviter , moleſteque ferebat Eccleſiarum quarumdam morem , in quibus Presbyteris publice docendi ademta facultas eſſet . Atque proferre plurima illuſtrium Presbyterorum exempla licet (5) qui in Syria , in Ægypto , & in Græ-

in Græcia conceſſa Epiſcopis , Presbyteriſque , tamen in Africa propria erant Epiſcoporum . Hinc Cyprianus *epiſt.* LV. *pag.* 107. *edit. Oxon.* cum tractaſſe in Eccleſia Epiſcopum ſcribit, de docendi munere loquitur . „ Ego prius legeram , & Epiſcopo tractante , cognoveram non „ ſacrificandum Idolis , nec ſimulacra ſervum Dei adorare debere „ . *Et epiſt.* LVIII. *pag.* 114. „ Nec quiſquam , fratres dilectiſſimi , cum populum noſtrum fugari conſpexerit, „ metu perſecutionis, & ſpargi conturbetur , quod collectam fraternitatem non videat , nec „ tractantes Epiſcopos audiat „ . Quinetiam Pontius Diaconus *in vita Cypriani n.* XVIII. *pag.* 187. *Act. ss. Mart. Sincer. edit. Ruinartii Veron.* „ O Beatum Eccleſiæ populum, „ inquit , qui Epiſcopo ſuo tali , oculis pariter , & ſenſibus , & quod eſt amplius , publicata „ voce compaſſus eſt , & ſicut ipſo *tractante* ſemper audierat .

1 Poſſidius in vita Auguſtini *cap.* V. *pag.* 260. *ſeq. tom.* X. *opp. ejuſdem s. Auguſt. edit. Pariſ. Monach. s. Mauri* . „ Eidem Presbytero *poteſtatem* dedit coram ſe in Eccleſia Evan- „ gelium prædicandi , ac frequentiſſime tractandi contra uſum quidem , ac conſuetudinem „ Africanarum Eccleſiarum . Unde etiam ei nonnulli Epiſcopi detrahebant ..... Poſtea ..... „ bono præcedente exemplo , accepta ab Epiſcopis poteſtate , Presbyteri nonnulli coram „ Epiſcopis populo tractare cœperunt verbum Dei „ .

2 Vide Poſſidii locum modo deſcriptum .

3 Poſſid. *ibid.*

4 *Epiſt.* XXXIV. *al.* II. *p.* 262. *tom.* IV. *opp. edit. Martianæi P.* II. „ Peſſimæ conſuetu- „ dinis eſt in quibuſdam Eccleſiis tacere Presbyteros , & præſentibus Epiſcopis non loqui , „ quaſi aut invideant , aut non dignentur audire .

5 Multas enim orationes ad populum habuiſſe Antiochiæ Johannem Chryſoſtomum , cum adhuc Presbyter eſſet , teſtata res eſt . Quinetiam Hieroſolymis , & Cæſareæ in Palæſtina id onus impoſitum Origeni fuiſſe ſcribit Euſebius in VI. *libro Hiſt. cap.* XXVII. „ *pag.* 234. „ Sed & Alexander Hieroſolymorum , *inquit* , & Theoctitus Cæſareæ apud Pa- „ læſtinam Epiſcopus , ipſum perpetuo tamquam magiſtrum auſcultantes , ſoli interpreta- „ tionem ſacræ Scripturæ , ac reliquum omne Eccleſiaſticæ doctrinæ officium permiſerunt „ . De Attico , qui Conſtantinopoli cum Presbyter eſſet , conciones habuerit , hæc narrat Socrates *lib.* VII. *Hiſt. cap.* II. *pag.* 292. *edit. Taurin.* . „ Et antea quidem , cum adhuc in „ Preſ-

Græcia perfuncti eodem munere fuerunt, non ſuo quidem arbitratu, ſed voluntate, conſenſioneque [1] Epiſcoporum. Itaque ſi abuſi ejuſmodi facultate Presbyteri fuiſſent, jus Epiſcopo erat, eoſdem in ordinem redigere, cavereque, ne [2] deinceps in Eccleſia docere auderent. Quare ab Alexandro Epiſcopo Alexandrinorum, poſt Arii facinus, Presbyteris, id ne facerent, interdictum ferunt. Sed cum is uſus, quemadmodum diximus, in Orientis Eccleſiis obtinuiſſet, mirabile videri non debet, quod a Valerio Hipponenſi, qui natus, altus, educatuſque in Græcia fuerat, invectus in Africam ſit, ut eſt memoriæ traditum a [3] Poſſidio.

IV.

„ Presbyterii gradu conſtitutus eſſet, orationes a ſe compoſitas, quas memoriter didicerat, „ in Eccleſia recitabat „. Quæ autem fuerit conſuetudo Alexandrinæ Eccleſiæ ex *lib.* I. *Hiſt. Theodoriti cap.* II. *pag.* 7. *edit. Taurin.* colligitur, ubi de Ario loquens: „ Arius, „ inquit, qui in Presbyterorum ordinem erat adſcriptus. & cui ſacrorum voluminum ex„ poſitio *commiſſa erat*, &c. De Eccleſiis Cæſareenſi in Cappadocia, & Cypria confer quæ ſcribit Socrates *lib.* v. *cap.* XXII. *pag.* 251. *ſeq. edit. Taurinen.* „ Apud Cæſaream „ Cappadociæ, inquit, & in inſula Cypro die ſabbati, ac dominica ſub veſperam, poſt„ quam accenſæ ſunt lucernæ, ſemper Epiſcopi, ac Presbyteri Scripturas interpretantur.

1 In Conſtitutionibus Apoſtolicis *lib.* II. *cap.* XX. *pag.* 293. *tom.* I. *Apoſtolicor. PP. edit. Amſtelod. an.* 1724. hæc leguntur. *Licere* .... τὸν μὲν πρεσβύτερον διδάσκειν, ἀναφέρειν, βαπτίζειν, εὐλογεῖν τὸν λαὸν *Presbytero docere, offerre, baptizare, benedicere populum.* In Archieratico, hoc eſt Pontificali Græcorum hoc item inter Presbyteri munera recenſetur: *pag.* 109. P. VIII. *de ritu ordinat. Presbyteror. edit. Pariſ. an.* 1676. κηρύσσειν τὸ εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας *prædicare Evangelium regni* Dei. Multa in hanc rem diſputat Iſaacus Habertus *obſervat.* IV. *in eamdem Pontificalis libri partem pag.* 129. *ſeqq. edit. ejuſd.* Id vero munus Presbyteros ſine conſenſu Epiſcopi numquam obiiſſe, & ex antecedenti doctrina adnotationum colligitur. Nihil enim ſine *ſententia Epiſcopi* agendum a Presbyteris majores noſtri dixerunt. Confer *adnotat. ſeq.* Hieronymus, etſi potuiſſe Epiſcopum præcipere, ne Presbyter coram ſe de rebus, quas nollet tractari, ageret, tamen non conſueſſe ſcribit, niſi tamen errores Presbyter diſſeminaret. *Epiſt.* XXXVIII. *pag.* 312. *tom.* IV. *opp. edit. Pariſ. Martianæi*, adverſus Johannem Hieroſolymitanum ſcribens. „ Nonne ante ſepulcrum Domini, miſſo Archidiacono præcepiſti (*Epiphanio Epiſcopo*) „ ut talia diſputans (*contra Origenem*) conticeſceret? Quis hoc umquam Presbytero ſuo „ coram plebe imperavit Epiſcopus?

2 Socrates *lib.* v. *Hiſt. cap.* XXII. *pag.* 252. *edit. Taurin.* „ Alexandriæ Presbyter mi„ nime concionatur. Idque ab eo tempore obſervari cœptum eſt, quo Arius Eccleſiam „ perturbavit „. Cautum id vero, niſi ab Epiſcopo, a quonam tandem fuiſſet? Idem ſcribit *Sozom. lib.* VII. *cap.* XIX. *pag.* 282.

3 Poſſidius loco modo indicato, de Valerio agens; *Ille Orientalibus Eccleſiis*, inquit, *id ex more fieri ſciens, obtrectantium non curabat linguas &c.* Atque in Eccleſiis quidem Orientis is quarto ſeculo mos invaluerat, ut uno tacente presbytero, in eadem collecta, alter ad dicendum aſcenderet, poſtque hunc tertius. Hujuſce rei auctorem habeo Chryſoſtomum *homil.* XXXVI. *in* I. *epiſt. ad Timoth. num.* IV. *pag.* 339. ubi „ nunc „ quoque, *inquit*, duo, aut tres dicimus, & viciſſim, & uno tacente, alter incipit &c. & ceteros, quorum meminit in adnotationibus ad *lib.* II. *Conſtitutionum Apoſtolicarum*

Johan-

I.

Secundi generis functiones, hæ ſunt, quas ſibi Epiſcopi reſervatas volebant. Virginum conſecratio, Baſilicarum, & Altarium, & Campanarum benedictio, ac dedicatio; receptio Hæreticorum ad Eccleſiam redeuntium: lapſorum, qui pœnitentiam egiſſent, reconciliatio, & conceſſio formatarum Epiſtolarum.

Virgines, viduæque niſi ab *Epiſcopis* [1] *velari, conſecrarique* a nemine olim conſueverant. Cumque tentatum id ab Preſ-

*Johannes Baptiſta Coteleriu*s *cap.*LVII. *pag.* 266. *not.* I. *PP. Apoſtolicor. edit. Amſtelod. an.*1724. Quod autem ſeribit Poſſidius conceſſum ante non fuiſſe in Africa Presbyteris conciones ad populum habere, etſi fortaſſe ad IV. ſeculum Optatus florebat, verum fuit; nam is in extremo libro *contra Donatiſtas cap.*VI. *pag.* 105. *edit. an.*1702. hæc habet. „ Et locutum Macarium eſſe aliquid in populo conſtat, ſed inſinuandi alicujus rei cauſſa, non „ tamen tractandi, quod eſt Epiſcoporum „: ita, ut Presbyteris abſente Epiſcopo docere fas eſſet. Extremo eodem ſeculo IV. poſt Auguſtini factum, permiſſum Presbyteris fuiſſe, ut in Eccleſiis Africæ docerent, non ex Poſſidii loco ſolum, ſed etiam ex *epiſt. Auguſt.*XLI. *al.*LXXVII. *tom.*II. *opp. pag.*87. ex *can.*XXXIII. *Concilii Carthaginienſis an.* 398. *celebrati pag.* 981. *tom.* I. *Concilior. edit. Hard.* plane liquet. Sic enim ſtatuit: „ Epi- „ ſcopi, vel Presbyteri, ſi cauſſa viſitandæ Eccleſiæ ad alterius Eccleſiam venerint, in „ gradu ſuo ſuſcipiantur, & tam ad verbum faciendum, quam ad oblationem conſecran- „ dam invitentur „. In Hiſpania ad ſeculum uſque VII. Presbyteris coram Epiſcopo orationem ad plebem habere non licebat. Concilium Hiſpalenſe II. *an.* 619. celebratum *canon.*VII. *pag.*560. *tom.*III. *Concilior. edit. Hard.* „ Sed nec eo (Epiſcopo) coram po- „ ſito, *inquit*, populum docere „ Presbyteris licet. Ante ſeculum VI. in Galliis Preſbyteri in Parochiis vel omnino tacebant, vel homilias Sanctorum legebant. Sed an. 529. a Patribus Synodi Vaſenſis ſecundæ iiſdem publice docendi poteſtas eſt facta. *Can.* II. *pag.*1105. *tom.*II. *Concilior. edit. Hard. Pariſ.* „ Hoc etiam pro ædificatione omnium Ec- „ cleſiarum, & pro utilitate totius populi nobis placuit, ut non ſolum in civitatibus, „ ſed etiam in omnibus Parochiis verbum faciendi daremus Presbyteris poteſtatem: ita, ut „ ſi Presbyter, aliqua infirmitate prohibente, per ſe ipſum non potuerit prædicare, San- „ ctorum Patrum homiliæ a Diaconibus recitentur. Si enim digni ſunt Diacones, quod „ Chriſtus in Evangelio locutus eſt, legere; quare indigni judicentur Sanctorum Patrum „ expoſitiones publice recitare „?

1 De virginibus, quæ ſeſe Deo conſecrare conſueverant, alio loco dicam. Interea confer Cyprianum *Epiſt.* IV. *al.* LXVI. *pag.* 7. *ſeqq. edit. Oxon.* & *lib. De habitu Virginum pag.* 93. *ſeqq.* Idcirco autem ab Epiſcopis conſecrari virgines ſolebant, quod hoc eſſet commune decretum: *omnem actum Eccleſiæ per eoſdem Præpoſitos gubernari*. Conſule Cyprianum *epiſt.* XXXIII. *pag.* 66. *edit. ejuſd.* Concilium Cæſarauguſtanum *an.* 380. celebratum *cap.* VIII. *pag.* 806. *tom.* I. *Concilior edit. Harduin. Pariſ.* „ Item lectum eſt, „ non velandas eſſe virgines, quæ ſe Deo voverint, niſi quadragiuta annorum probata „ ætate, quam Sacerdos comprobaverit. Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt, placet „. Sacerdotis nomine Epiſcopum hoc loco intelligi arbitror. Synodus Carthaginienſis *an.* 390. *can.* III. *pag.* 952. *tom. eodem*. „ Chriſmatis confectio, & puellarum conſecratio a Preſ- „ byteris

Presbyteris [1] aliquando fuiſſet, repreſſa continuo ſynodorum quarumdam auctoritate temeritas eorum, impudentiaque fuit: ea tamen cautione; ut ſi data facultas ab Epiſcopo fuiſſet, velare, conſecrareque virginem, ac viduam Presbytero liceret [2].

Epiſcopis præterea jus fuiſſe Baſilicas, atque Altaria conſecrare, ac dedicare, non Hiſtoricorum veterum modo [3], ſed etiam Synodorum [4] teſtimoniis, decretiſque conſtat. Quod autem de templis, & altaribus, hoc idem eſt de *campanis* [5] poſtquam earum eſt invectus in Eccleſiam uſus, dicendum.

Reconciliationem autem hæreticorum [6] lapſorumque reſipiſcentium receptionem, jam uſque ab antiquiſſimis temporibus, propriam fuiſſe Epiſcoporum, tam eſt manifeſtum, ut revocari in controverſiam a nemine poſſe videatur. Quod ſi recepti nonnumquam ab inferioris gradus [7] hominibus

„ byteris non fiat „. Sed an. 397. tertia Synodus Carthaginienſis, id ut ne a Presbyteris, inconſulto Epiſcopo, fieret cavit. *Can.* XXXVI. *pag.* 964. *tom. eodem*. „ Ut Presbyter „ inconſulto Epiſcopo, virgines non conſecret: Chriſma vero numquam conficiat „. Confer *Canonem* XI. *Synodi Carthaginienſis* IV. *celebrata an.* 398. *tom. eod. pag.* 979. Sed de velandis virginibus alias. Interea confer Adnotationes Coutantii in *epiſt.* II. *Innocentii* I. *Pont. Max. ad Victricium pag.* 754. *ſeq. tom.* I. *collect. Epiſtolar. Rom. Pontif. edit. Pariſ.* De viduis vide *canonem* XXVII. *Synodi Arauſicanæ pag.* 1786. *tom. eodem* Conciliorum, ubi hæc habentur. „ Viduitatis ſervandæ profeſſionem coram Epiſcopo in „ ſecretario habitam &c. „. Sed de ritu conſecrandarum viduarum erit item alibi opportunior differendi locus.

1 Colligitur ex Decreto Synodi Carthaginienſis II. quod notatione ſuperiore deſcripſimus.

2 Vide Canonem Synodi Carthaginienſis III. quem retuli notatione ſuperiore.

3 Confer Euſebium *lib.* X. *H. E. cap.* III. *ſeq. pag.* 411. *ſeq. edit. Taurin. Et lib. de Vita Conſtantini* IV. *cap.* XLIII. *pag.* 587. *ſeqq.* Socratem *lib.* I. *H. E. cap.* VIII. *pag.* 73. *edit. Taurin.* & Sozomenum *lib.* II. *H. E. cap.* V. *pag.* 90. *edit. Taurin.* Sed de ritus dedicandarum Eccleſiarum, conſecrandorumque altarium vetuſtate agam in eo libro opportune, in quo eſt de locis ſacris copioſe, accurateque differendum.

4 Synodus *Hibern. ſub s. Patricio an.* 456. congregata, *can.* XXIII. ſanxiſſe dicitur, ut ne Blondellus quidem negat *ſect.* III. *cap.* VII. *pag.* 149. *de Epiſc. & Presbyt.* „ Ut ſi „ quis Presbyterorum Eccleſiam ædificaverit, non offerat, antequam adducat ſuum Pontificem, ut eam conſecret, quia ſic decet „. Multa a Conciliis conſtituta transferre huc poſſem, ſed non eſt opus. Nam deſcribentur, cum de locis ſacris agemus.

5 De *Campanis* differam *libro hujuſce Operis* IX.

6 Vide quæ ſupra de Marcione diximus *p.* 422. *not.* 2. *ſeq. hujus vol.* Confer etiam Concilium Epaonenſe an. 517. celebratum. *T.* II. *Concilior. pag.* 1049. *edit. Pariſ. Harduin.* Mitto cetera ne ſim longus. Eſt enim id copioſe alibi demonſtrandum. De Lapſis non recipiendis, niſi ab Epiſcopo, multa legi apud Cyprianum poſſunt. Sed de hac item re erit alibi opportunior copioſe differendi locus.

7 Confer Cypriani *epiſt.* XXXIV. *pag.* 67. *ſeqq. edit. Oxon.*

minibus fuerunt , factum id quidem aut contra Eccleſiæ ſanctiones , inconſulto Epiſcopo ; aut, ſi accepta facultate, permiſſione [1] Epiſcopi ejuſdem fuit . Atque ad eum quidem, qui primas in cœtu partes obtineat , imprimis pertinet noſſe , dignus ne ſit , qui orthodoxis annumeretur , communioneque Eccleſiaſtica fruatur is , qui vel ab Eccleſia defecerit , vel gratia exciderit , quam in lavacro baptiſmatis conſequutus eſſet .

Quæ ſane ratio in cauſſa fuit , cur uni Epiſcopo reſervatum eſſet [2] *Epiſtolas formatas , communicatoriaſque* clericis , atque laicis , qui alio migrare inſtituiſſent , concede-

1 Synodus Carthaginienſis II. an.390. *habita canon.*3. *tom.* 1. *Concilior. edit. Hard. Pariſ. p.* 951. ,, Numidius Epiſcopus Maxulitanus dixit , ſi jubet Sanctitas veſtra , ſuggero . ,, Nam memini præteritis Conciliis fuiſſe ſtatutum , ut Chriſma vel reconciliatio pœnitentium , nec non , & puellarum conſecratio a Presbyteris non fiant . Si quis autem emerſerit hoc faciens, quid de eo ſtatuendum ſit ? ..... Ab Univerſis Epiſcopis dictum eſt : Chriſmatis confectio , & puellarum conſecratio a Presbyteris non fiant . Vel reconciliare ,, quemquam in publica Miſſa, Presbytero non licere, hoc omnibus placet. *Canon.*IV.*p.*952. ,, Genethlius Epiſcopus dixit ; ſi quiſquam in periculo fuerit conſtitutus , & reconciliari ,, divinis altaribus petierit ; ſi Epiſcopus abſens fuerit , debet utique Presbyter conſulere ,, Epiſcopum , & ſic pœnitentem , ejus præcepto reconciliare . Quam rem debemus ſalubri ,, conſilio corroborare . Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt; placet &c. ,, . Blondellus poſteaquam ex hoc Canone quædam deſcripſit , *ſect.* III. *cap.*IX. *pag.* 154. *Fuit* , inquit , *primus hic Epiſcoporum in Presbyteros impetus , quo priſtinæ poteſtatis uſu publicis in conventibus abſtinere coacti ſunt* . At primum hunc *impetum* fuiſſe manifeſta Blondelli calumnia eſt . Nam meminiſſe quidem ſe Numidius dixit , fuiſſe id a *præteritis Synodis* conſtitutum . Synodus Carthaginienſis III. *anno* 397. *can.* XXXII. *tom. eod. pag.* 964. ,, Ut Presbyter, ,, inconſulto Epiſcopo , non reconcilie: pœnitentem , niſi abſente Epiſcopo , & neceſſitate ,, cogente ,, . Sed de vetere Eccleſiæ diſciplina in hoc genere , agam ex inſtituto libro hujuſce Operis XVI.

2 *Canonicæ* , ſeu formatæ epiſtolæ ab Antiſtitibus ad alios Antiſtites Eccleſiarum mittebantur , ut unio Eccleſiarum oſtenderetur ; vel verbis uti velimus Tertulliani *Præſcription. cap.* XX. *pag.*209. *edit. opp. an.*1744. *ut communio pacis* ... *& conteſſeratio hoſpitalitatis* demonſtraretur . Hinc Optatus Milevitanus *lib.* II. *pag.*32. *edit. an.* 1702. ,, Totus ,, Orbis , inquit , commercio formatarum in una communionis ſocietate concordat ,, . *Formatæ* ab Latinis , a Græcis *Canonicæ* dicebantur . Synodus Antiochena *an.* 341. *can.* VI. *tom.*1. *Concilior. edit. Hard. pag.*596. ,, Si quis a proprio Epiſcopo communione privatus ,, eſt , non ante ſuſcipiatur ab aliis , quam a ſuo reconcilietur Epiſcopo , aut certe ad Synodum , quæ congregatur , occurrens pro ſe ſatisfaciat , & perſuadens Concilio ſententiam ſuſcipiat alteram . Hæc autem definitio maneat circa Laicos , & Presbyteros , & ,, Diaconos , omneſque , qui ſub regula eſſe monſtrantur ,, . *Et canon.* VII. *pag. eadem.* ,, Nullus peregrinorum ſine pacificis , id eſt commendatitiis ſuſcipiatur epiſtolis ,, . *Can.* VIII. *pag. ead.* ,, Presbyteri , qui ſunt in agris , canonicas epiſtolas dare non poſſunt : ad ,, alios tantum vicinos Epiſcopos litteras deſtinabunt . Chorepiſcopi autem , qui ſunt irreprehenſibiles , dare poſſunt *pacificas* ,, . Ex qua re conſtat *Pacificas* ab *Canonicis* , ſeu *formatis* epiſtolis diſcrepaſſe . Confer *can.* VII. *Concilii Carthaginienſis an.* 348. *celebrati ſub Grato pag.* 685. *tom.* 1 *Concilior. edit. Harduini Pariſ.* Sed de epiſtolis formatis , quorum aliquas referunt Mabillonius , Acherius , aliique , & de quibus Sirmondus ad Sidonium Apollinarem , pluresque alii diſputant , agam alio loco opportune , & copioſius ,

cedere. Sed de his rebus omnibus erit alibi opportunior copioſe, diligenterque diſputandi locus. Interea hæc ſatis ad demonſtrandum, quod erat propoſitum, dicta ſunto.

Atque ut hæc omnia, ita Abbatum, Archimandritarumque *benedictio* reſervata Epiſcopis, vetere Eccleſiæ inſtituto, uſuque fuit (1). Neque vero Archimandritarum modo, atque Abbatum, ſed etiam Regum, Imperatorumque unctio, conſecratio, & coronatio, ſatis antiqua conſuetudine, ad Epiſcopos pertinet (2).

V.

In fronte baptizatorum ſignare, Spiritumque Sanctum tradere Presbyteri, niſi concedente, ſeu committente Pontifice, non poſſunt; ſi autem ſignent, non admittente Pontifice, eorum eſt actio inanis.

Conſtat id quidem traditione majorum, qui eam ſe ab Apoſtolis accepiſſe confitebantur (3). Quum enim traditione Apoſtolica, præter Epiſcopos, nemini id juris eſſe conceſſum affirmarint; ſicubi morem illum obtinuiſſe videmus, ut a Presbyteris baptizati (4) confirmarentur; hoc ſane *commiſſione* quadam factum putemus, neceſſe eſt, non arbitratu Presbyterorum. Neque vero Pontifices Eccleſiæ jam uſque ab antiquiſſimis temporibus paſſi fuiſſent, ut Presbyteri conſignarent (5) confirmarentque eos, qui initiati baptiſmo eſſent, niſi, ut ſibi eam poteſtatem (traditione,

1 Erit de hac item re alibi nobis diſſerendum. Interea confer *lib. Pontificalem Græcor. pag.* 570. & Iſaaci Haberti Vabrenſis Epiſcopi in illum Obſervationes *pag.* 584. *ſeqq.* & Martenium *tom.* II. *de Antiquis Monachor. ritibus pag.* 657. *edit. Lugdun. an.* 1690.

2 Confer Habertum *ibid. pag.* 626. *ſeqq.*

3 Confer s. Hieronymum *loco ſupra indic. pag.* 487. *not.* 4. *hujus vol.* s. Innocentium I. *epiſt.* xxv. *ad Decentium Eugubinum n.* vi. *pag.* 858. *tom.* 1. *Epiſtolar. Romanor. Pontif. edit. Pariſ. Coutantii.* Conſule Coutantium *ibid. in not.* & Sambovium *Tract. de Confirm. ar.* 2. *pag.* 318. *ſeqq. edit. Pariſ. an.* 1686.

4 Vide quæ ex Conſtitutionibus Apoſtolicis proferunt Joh. Morinus *Oper. Poſthumo de Confirmat. c.* viii. *pag.* 89. *ſeq. edit. Pariſ. an.* 1703. & Lucas Holſtenius *Diſſert. de Confirm. quæ eodem volumine, atque Morini opus continetur pag.* 14. *ſeqq.*

5 Confer Synodi Carthaginienſis II. *can* II. *ſupra deſcriptum pag.* 535. *not.* 1. *hujus vol.* Sed de Chriſmate alio loco agam diligenter.

tione , quam a magiſtro , ſervatoreque generis humani Chriſto Apoſtoli accepiſſent) reſervatam norant ; ita fas ſibi eſſe , eadem traditione , Presbyteris ipſam *committere*, delegareque cognoſſent.

Jam vero quemadmodum Presbyteris *conſignare*, *confirmareque* baptizatos, ſic chriſma conſecrare , atque perficere non licebat . Qua de re, quum eo in libro , in quo de *confirmationis* Sacramento agam , diſputandum copioſe ſit , non eſt neceſſe , ut eſſe hoc loco multis diſſerendum putem .

V I.

Poteſtas ordinandi ſolis Epiſcopis divinitus tradita , in Presbyteros voluntate cujuſquam transferri nullo modo poteſt . Itaque ſi qui umquam a Presbyteris ordinati Diaconi , Presbyterive ſunt , horum eſt ab omnibus rejecta, inaniſque habita ordinatio .

Demonſtratum id quidem ſupra eſt Chryſoſtomi (1), Hieronymi (2), Athanaſii (3), aliorumque (4) veterum auctoritate , demonſtrabiturque in eo libro , qui erit de *Ordine*, diligenter . Quamobrem ſatis erit hoc loco idipſum indicaſſe , ut quæ reſervata, jure divino , Epiſcopis fuerint , cognoſceretur.

V I I.

Presbyteri Epiſcopis ſuis rationem reddere debebant ; Epiſcopi autem Presbyteris , non item .

Epiſcopis præterea jus Presbyteros , Diaconoſque , ob rem male geſtam , ad ſe vocandi , cogendique ad rationem red-

1 Vide *ſupra pag.496. hujus vol. not.2.*
2 Confer quæ ſcripſi ſupra *pag. 493. hujus vol.*
3 Conſule ſupra Athanaſii locum *pag.328. hujus vol.not.2.*
4 Vide *pag.510. ſeq. hujus vol. not.3. ſeq.*

reddendam (1) fuit. Presbyteris autem neque licuit umquam, neque licet de Epiſcopi cauſſa, propria auctoritate, poteſtateque cognoſcere. Ex eo jure Epiſcoporum ea lex eſt profecta, qua cautum eſt, ne quis alterius Diœceſeos Presbyterum (2) ſuſcipere audeat, quem eſſe a proprio Epiſcopo Eccleſiæ communione privatum conſtet. Quod autem dictum de Presbyteris, Diaconiſque eſt, hoc idem multo magis eſt de ceteris (3) Eccleſiaſticis, deque laicis, qui contra legem (4) Divinam, ſacroſque canones peccaſſent, dicendum.

VII. *Ad*

1 Conſtat id quidem auctoritate S. Cypriani *epiſt.* XLI. *al.* XXXVIII. „ Feliciſſimum „ Presbyterum intellexi nunc quoque (inquit *p. 79. edit. Oxon.*) cum Epiſcopo portionem „ plebis dividere, ideſt a paſtore oves, & filios a parente ſeparare, & Chriſti membra diſ- „ ſipare ... Cumque ego vos pro me vicarios miſerim, ut expungeretis neceſſitates fra- „ trum noſtrorum ſumtibus ... ille interceſſerit, ne quis poſſet expungi ... & comminatus „ ſit, non communicaturos in monte ſecum, qui nobis obtemperaſſent, ideſt cui nobis „ communicarent, accipiat ſententiam, quam prior dixit, ut abſtentum ſe a nobis ſciat &c. Et epiſtola III. *Ad Rogatianum* de Diacono agens, qui illi reſtiterat, *pag. 5.* „ Tu „ quidem, *inquit*, pro ſolita tua humilitate feciſti, ut malles de eo nobis conqueri, cum „ pro Epiſcopatus vigore, & Cathedræ auctoritate, haberes poteſtatem, qua poſſes de „ de illo ſtatim vindicari ... Quod ſi ultra te contumeliis ſuis provocaverit, fungeris „ circa eum poteſtate honoris tui, ut eum vel deponas, vel abſtineas „. Confer etiam *epiſt.* XVI. *al.* X. *pag. 36. ſeqq.*

2 Canon *Apoſtol.* XXXIII. *tom.* I. *Apoſtolicor. PP. edit. an.* 1724. *pag.* 446. „ Si quis „ Presbyter, vel diaconus ab Epiſcopo ſit ſegregatus, non liceat alteri eum ſuſpicere „. Synodus Nicæna *an.* 325. *can.* V. *pag.* 323. *tom.* I. *concilior. edit. Hard. Pariſ.* De iis, „ qui a communione ſegregati ſunt, ſive clericorum, ſive laicorum ſint ordinis, ab Epi- „ ſcopis, qui ſunt in unaquaque Provincia, valeat ſententia ſecundum canonem, qui „ pronunciat eos non eſſe ab aliis admittendos „. *Canon.* XVI. *Synodi Sardicenſis an.* 347. *tomo eodem Concilior. pag.* 650. „ Si Diaconus, vel Presbyter, vel etiam aliquis ex „ clericis ſit excommunicatus, & ad alium Epiſcopum, qui eum non novit, confugerit, „ ſcientem eum a proprio Epiſcopo eſſe communione motum, non oportere Epiſcopo & „ fratri ſuo injuriam facientem ei communionem præbere „. Fas tamen erat dejecto de gradu ad ſynodum, vel Metropolitam confugere. *Ibid. can.* XVII. *pag.* 650. „ qui ejicitur, „ poteſtatem habeat confugiendi ad finitimos Epiſcopos „. Synodus Antiochena an. 341. *can.* III. *tom. eod. Concilior. pag.* 594. „ Si eum, qui ..... depoſitus eſt, alius Epiſco- „ pus receperit, ille quoque a communi Synodo puniatur, ut qui ritus Eccleſiaſticos diſ- „ ſolvat „. Ad quem autem a ſententia Epiſcopi appellare oporteat, dicam alio loco opportune.

3 Vide notationem ſuperiorem.

4 Omnes enim obnoxii Epiſcopi auctoritati erant. S. Ignatius *epiſt. ad Smyrnenſes n.* IX. *pag.* 53. *tom.* II. *PP. Apoſtolicorum edit. Londin. an.* 1746. ὁ λάθρᾳ ἐπισκόπου τι πράσσων τῷ διαβόλῳ λατρεύει. *Qui clam Epiſcopo aliquid agit, diabolo ſervit.* S. Cyprianus *epiſt.* LXVI. *al.* LXIX. *ad Pupianum pag.* 166. *ſeq.* „ Cum te judicem Dei conſtituas, & Chri- „ ſti, qui dicit ad Apoſtolos, ac per hoc ad omnes Præpoſitos, qui Apoſtolis vicaria or- „ ordinatione ſuccedunt, *qui audit vos me audit &c.* Inde enim ſchiſmata, & hæreſes

„ obortæ

V I I I.

Ad Epiſcopos quoque ſpectabat jejunia quædam indicere, ut ex uſu Eccleſiæ eſſe cognoſſent; diſpenſareque reditus Eccleſiarum, ſeu curare, ut rite, utiliterque & adminiſtrarentur, & diſpenſarentur.

Eſt quidem horum primum memoriæ traditum a Tertulliano [1] conſtatque teſtimoniis ſanctorum [2] Patrum, qui deinceps ſuis operibus Eccleſiam illuſtrarunt.

Alterum autem non Juſtini [3], & Tertulliani [4] modo, ſed etiam Synodorum [5] quæ deinceps ſunt celebratæ

„ oborræ ſunt, & oriuntur, dum Epiſcopus, qui unus eſt, & Eccleſiæ præeſt ſuperba „ quorumdam præſumtione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus, indignus ab „ hominibus judicatur. Quis enim hic eſt ſuperbiæ rumor, quæ arrogantia animi, quæ „ mentis inflatio, ad cognitionem ſuam Præpoſitos, & Sacerdotes vocare, ac niſi apud te „ purgati fuerimus, & ſententia tua abſoluti, ecce jam ſex annis, nec fraternitas habuerit Epiſcopum, nec plebs Præpoſitum, nec grex paſtorem, nec Eccleſia gubernatorem „. Et pag. 168. „ Loquitur illic Petrus, ſuper quem ædificata fuerat Eccleſia, Eccleſiæ nomine docens, & oſtendens, quia etſi contumax, & ſuperba obaudire volentium „ multitudo diſcedat, Eccleſia tamen a Chriſto non recedit, & illi ſunt Eccleſia plebs „ ſacerdoti adunata, & paſtori ſuo grex adhærens. Unde ſcire debes Epiſcopum in Eccleſia eſſe, & Eccleſiam in Epiſcopo, & ſi qui cum Epiſcopo non ſint, in Eccleſia non eſſe &c. Confer quæ ex Synodo Arelatenſi ſcripſimus ſupra *p.* 45. *hujus vol. not.* 1. & ex Syneſio *ibid. pag.* 165. *not.* 6. Binghamus *lib.* II. *Orig. & antiq. Eccleſiaſticar. cap.* IV. §. IV. *pag.* 104. *ſeq.* agit de *Diſtinctione inter juriſdictionem temporalem, & ſpiritualem, Epiſcopique poteſtatem totam ſub poſteriore*, hoc eſt ſub *ſpirituali comprehendi* ſtatuit. Nos quid hac de re ſentiamus, explicavimus ſupra *pag.* 71. *ſeqq. & pag.* 158. *ſeqq. hujus vol.*

1 Tertullianus *lib. De jejuniis cap.* XIII. *pag.* 551. *edit. opp. Veneta an.* 1748. *pag.* 551. „ Bene autem, quod & Epiſcopi univerſæ plebi mandare jejunia ſolent, non di- „ co de induſtria ſtipium conferendarum &c.

2 S.Aug Epiſt. XXXVI. *al.* LXXXVI. *ad Caſulanum p* 81. *t.* II. *opp. edit. Pariſ. Monach. S. Mauri*. „ Mos eorum mihi ſequendus videtur, quibus eorum populorum congregatio „ regenda commiſſa eſt. Quapropter, ſi conſilio meo ... acquieſcis, Epiſcopo tuo in hac re „ noli reſiſtere, & quod facit ipſe, ſine ullo ſcrupulo, vel diſceptatione ſectare „. Loquitur autem de jejunio.

3 Confer ſupra Juſtini locum tom. II. hujuſce operis *pag.* 287. *not. ante* 1.

4 Adeundus Tertullianus ſupra *tom.* II. *hujuſce* operis *pag.* 287. *not. ead.*

5 Concilium Antiochenum celebratum *an.* 341. *can.* XXIV. *pag.* 603. *tom.* I. *concilior. edit. Pariſ. Harduini*. „ Recte habet, ut ea, quæ ſunt Eccleſiæ, Eccleſiæ ſerventur cum „ omni bona conſcientia, & fide in omnium Præſidem, & judicem Deum, quæ etiam admi- „ niſtrari convenit μετὰ κρίσεως, καὶ ἐξουσίας *cum judicio, & poteſtate* τοῦ ἐπισκόπου *Epiſcopi*, cui eſt omnis populus creditus, & eorum animæ, qui in Eccleſia congregantur „. *Can.* XXI. *pag.* 606. „ Epiſcopus habeat rerum Eccleſiæ poteſtatem, ut eas in omnes egen- „ tes diſpenſet cum multa cautione, & Dei timore „. Synodus Gangrenſis celebrata eo tem-

bratæ, auctoritate demonſtrari poteſt. Quamquam enim Archidiaconi [1] cuſtodes Theſaurorum Eccleſiæ erant, tamen ad Epiſcopum pertinebat, cavere ne qui minus recte reditus [2] diſpenſarentur. Sed de reditibus Eccleſiarum qui fuerint, quibuſque modis comparati, agam, cum tempus monuerit, accurate. Nunc hæc paucis ſatis fuerit attigiſſe,

temporis ſpatio, quod inter an. 325. & 341. interceſſit, *Can.* VII. *pag.* 535. *tom.* I. *conciliorum edit. ejuſd.* „ Si quis oblationes Eccleſiæ extra Eccleſiam accipere, vel dare „ voluerit, *præter conſcientiam Epiſcopi* παρὰ γνώμην τοῦ ἐπισκόπου, cui talia commiſſa „ ſunt, & μὴ μετὰ γνώμης αὐτοῦ *cum ejus ſententia* voluerit agere, anathema ſit „. Et *can.* VIII. „ Si quis dederit, vel acceperit oblata præter Epiſcopum, vel eum, qui con- „ ſtitutus eſt ab eo ad diſpenſandam miſericordiam pauperibus, & qui dat, & qui accipit, „ anathema ſit „. Canon Apoſtolic. XXXI. *pag.* 447. *tom.* I. *PP. Apoſtolicor. edit. Amſtelod. an.* 1724. „ Omnium rerum Eccleſiaſticarum curam habeat Epiſcopus, eaſque ad- „ miniſtret, tamquam Deo inſpiciente: non liceat autem ei, quidquam ex ipſis ſibi ven- „ dicare, vel quæ Dei ſunt, donare propinquis ſuis. Quod ſi pauperes ſunt, velut pau- „ peribus ſuppeditet „. *Conſtitut. Apoſtolic. lib.* II. *cap.* XXV. *pag.* 238. *tom.* I *PP. Apoſtolicor. edit. Amſtelod.* „ Decimas & primitias, quæ juxta Dei mandatum erogantur, con- „ ſumat (Epiſcopus) ut hominem Dei decet. Quæ cauſſa pauperum ſponte conferuntur, „ recte in pupillos, viduas, afflictos, & peregrinos inopes diſpenſet, velut qui habeat „ horum impendiorum ratiocinatorem Deum, a quo ipſi hæc procuratio eſt commiſſa &c. „. Confer etiam quæ ſcribit S. Cyprianus *epiſt.* II. *al.* LXI. *pag.* 4. *&* *epiſt.* XLI. *al.* XXXVII. *pag.* 80. ubi: „ Ut cum Eccleſia matre remanerent, inquit, & ſtipendia ejus Epiſcopo „ diſpenſante perciperent „.

1 Prudentius *Hymno* II. περὶ Στεφάνων *De coronis, qui eſt de S. Laurentio Archilevita v.* 41. *apud. Ruinartium Act. Sanct. MM. ſincer. pag.* 164. *ſeq. edit. Veron.*

„ Clauſtris Sacrorum præerat,
„ Cæleſtis arcanum domus
„ Fidis gubernans clavibus
„ VOTASQUE DISPENSANS OPES.
„ Verſat famem pecuniæ
„ Præfectus urbi regiæ,
„ Miniſter inſani ducis,
„ Exactor auri, & ſanguinis.
„ Qua vi latentes eruat,
„ Nummos, operta exiſtimans
„ Talenta ſub ſacrariis,
„ Cumuloſque congeſtos tegi:
„ Laurentium ſiſti jubet;
„ Exquirit arcam ditibus
„ Maſſis refertam, & fulgidæ
„ Montes monetæ conditos &c.

2 S. Hieronymus *epiſt.* XXXIV. ad Nepotianum *al.* II. *pag.* 262. *tom.* IV. *opp. edit. Pariſ. Martianæi*: „ Sciat Epiſcopus, cui commiſſa eſt Eccleſia, quem diſpenſationi pau- „ perum, curæque præficiat. Synodus Chalcedonenſis *an.* 451. *tom.* II. *concilior. edit. Hard. can.* XXVI. *pag.* 612. „ Quoniam in quibuſdam Eccleſiis, ſicut ad nos pervenit, „ ſine œconomo Epiſcopi res Eccleſiaſticas tractant, placuit, omnes Eccleſias Epiſcopos „ habentes, etiam œconomum habere de proprio clero, qui gubernet Eccleſiæ res κατὰ γνώμην τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου *ſecundum ſententiam proprii Epiſcopi*, ut non ſine teſtimonio ſit „ gubernatio ipſarum rerum Eccleſiaſticarum, & ex hoc eveniat, res ejuſdem Eccleſiæ „ diſpergi, & ſacerdotali dignitati obtrectatio generetur.

tigiſſe, ut omnes, quibus rebus Presbyteris aut jure divino, aut conſuetudine, legeque Eccleſiæ Epiſcopi eſſent ſuperiores, quæque ſibi munera reſervaſſent, cognoſcerent. Sunt autem alia quædam, quæ propria fuiſſe liquet Epiſcoporum. Ea tamen ſuis locis, ut ratio poſtulaverit, deſcribentur.

§. IV.

De honorum ſignificationibus, quibus Epiſcopi olim ab Chriſtianis coli ſolebant.

I.

De vetere conſuetudine caput inclinandi ad recipiendam ab Epiſcopo Benedictionem.

SOlebant præterea veteres caput ſacerdotibus, imprimiſque Epiſcopis inclinare, qua re ſignificabant, optare quidem ſe, ut ſibi illi bene precarentur. Neque vero qui e plebe ſolum, ſed qui e magnis etiam familiis erant, ipſique Imperatores hoc conſuetudinis genus & probabant, & colendum arbitrabantur. Eſt autem hujuſce moris ab Hilario Pictavienſi [1], ab Johanne Chriſoſtomo [2], ab Theodorito [3], aliiſque [4] antiquis Scriptoribus facta mentio.

II. *Ma-*

1 S. *Hilar. adverſus Conſtantium pag.* 1245. *edit. Pariſ. Monach. s. Mauri*: „ Oſculo ſacerdotes excipis, quo & Chriſtus eſt proditus: caput benedictioni ſubmittis, ut „ fidem calces.

2 S. Johannes Chryſoſtomus *Homil.* III. *ad Populum Antiochenum n.* II. *pag.* 38. *tom.* II. *opp. edit. Pariſ. Monachor. s. Mauri*, de Flaviano Epiſcopo agens, qui Conſtantinopolim placandi Imperatoris Theodoſii cauſſa contendit, agens: ἄρχων ἐστὶ καὶ αὐτὸς, inquit, καὶ ἄρχων ἐκείνου τιμιώτερος. καὶ γὰρ αὐτὴν τὴν βασιλικὴν κεφαλὴν οἱ ἱεροὶ νόμοι ταῖς τούτου φέροντες χερσὶν ὑπέταξαν. Princeps & ipſe eſt, & Princeps illo (Imperatore) ho- „ noratior. Etenim ipſum regium caput ſacras leges ferentes hujus manibus ſubjecerunt.

3 Theodoritus *lib.* IV. *cap.* VI. *pag.* 134. *edit. Taurinenſis*. „ Imperator, *inquit*, „ accerſitis Epiſcopis, ita locutus eſt. Noſtis utique, utpote divinis litteris innutriti, „ qualem oporteat eſſe eum, cui honor ſacerdotis defertur, quodque non doctrina ſolum, „ ſed etiam vita ſubditos informare debeat, ſeque illius velut exemplar omnium virtutum „ proponere, & bonam converſationem doctrinæ ſuæ teſtem habere. Ejuſmodi igitur virum in Pontificali cathedra nunc collocate, ut nos quoque, qui imperium adminiſtramus, ſincere, atque ex animo *caput ei ſubmittamus* ἡμετέρας ὑποκλίνωμεν κεφαλάς.

4 Ita quidem de hac re Valeſius in locum modo deſcriptum Theodoriti. „ Philo-

II.

Manus præterea Epiſcoporum Chriſtiani exoſculabantur.

Sunt item hujuſce ritus, moriſque in veteribus monumentis exempla quædam, quæ ſatis oſtendant, communem fuiſſe omnium fere Eccleſiarum. Non enim in Occidente ſolum, ſed etiam in Oriente eumdem ipſum obtinuiſſe demonſtrant [1]....

III. *Po-*

,, Philoſtorgius in Hiſtoria Eccleſiaſtica ſcribit, Leontium Tripoleos Epiſcopum, cum re-
,, liqui omnes Epiſcopi Euſebiam Auguſtam uxorem Imperatoris Conſtantii adirent, eam-
,, que ex more adorarent, numquam adduci potuiſſe, ut eam inviſeret, niſi ea conditio-
,, ne, ut Auguſta venienti ipſi aſſurgeret, & caput ſubmitteret, poſtulans, ut benedicere-
,, tur. Verba Philoſtorgii refert Suidas in Leontio. Simile eſt, quod ſcribit Marcus
,, Diaconus in vita Porphirii Gazenſis Epiſcopi; Eudoxiam Auguſtam ipſis in Palatium
,, venientibus non ſemel occurriſſe, & priorem ipſos ſalutaſſe, atque, ut ſederent, juſ-
,, ſiſſe, & inclinato capite poſtulaſſe, ut benedicerent. Idem quoque de eadem Auguſta
,, teſtatur Sozomenus in *lib.* VIII. *cap.* XIII. ubi de Ammonio loquitur, & fratribus Mo-
,, nachis, qui Longi dicebantur. Palladius *in Dialogo de vita Johannis Chryſoſtomi*, ubi
,, de eo loquitur in exilium proficiſcente, ait illum Olympiadi, & Pentadiæ, ac Salvinæ
,, dixiſſe, ut quicumque ſine ambitu eligeretur Epiſcopus, ei capita ſubmitterent, perin-
,, de ac ipſi ... De eodem more loquitur Auctor vitæ s. Fulgentii: *altercantibus omnibus,*
,, *quis primo ſalutaret agnoſcendus, quis benedicenti caput ſupponeret.* Denique incer-
,, tus Auctor *quæſtionum veteris, & novi Teſtamenti, Quæſt.* CIX. *noſtri autem ſacer-*
,, *dotes ſuper multos quotidie nomen Domini, & verba benedictionis imponunt. Sed in*
,, *paucis effectus eſt. Eſt iterum, quando meliores ſe benedicunt. Quamvis enim quis*
,, *ſanctus ſit, curvat tamen caput ad benedictionem ſumendam.* Poſtremo Honorius, &
,, Valentinianus Auguſti de accuſatione Epiſcopi, & Presbyteri, vel Diaconi ita reſcri-
,, bunt ad Verum Præfectum Prætorio. *Audemus quidem ſermonem facere ſolito plus timo-*
,, *re capti de ſanctis, & venerabilibus Sacerdotibus, & ſecundis Sacerdotibus, vel etiam*
,, *levitis, & eos cum omni timore nominare, quibus omnis terra caput inclinat.*

1 Non enim Occidentales modo, ſed etiam Orientales ſcriptores ejuſdem conſuetudinis meminerunt. Paulinus in vita s. Ambroſii *pag.* II. *in Append. tom.* II. *opp. ejuſd. s Ambroſii*
,, Cum adoleviſſet, & eſſet in urbe Roma conſtitutus cum matre vidua, & ſorore, quæ
,, virginitatem jam fuerat profeſſa, comite alia virgine, cujus virginis ſoror Candida,
,, & ipſa ejuſdem profeſſionis, quæ nunc Carthagine degit jam anus, cum videret ſacerdo-
,, tibus a domeſtica, ſorore, vel matre *manus exoſculari* ipſe ludens offerebat *dexteram* di-
,, cens, & ſibi id ab ea fieri oportere, ſiquidem ſe *Epiſcopum futurum* eſſe memorabat.
S. Johannes Chryſoſtomus *tom.* II. *operum Homil. de s. Meletio pag.* 521. *edit. Pariſ. Monach. s. Mauri.* ,, Ubi ad Antiochenos venerit, univerſam civitatem ei obviam iviſſe,
,, *ſcribit*, alios quidem, qui prope acceſſerint, & pedes ejus prehenſantes, & manus oſcu-
,, lantes &c. Confer etiam Sidonium Apollinarem *lib.* VIII. *epiſt.* XI. *tom.* I. *opp. Sirmondi edit. Pariſ. pag.* 1075. ubi hæc habet:

,, Perge ad Limina mox Epiſcoporum
,, Sancti & Gallicini *manu oſculata.*

Adeundus Cangius *in Gloſſar. mediæ, & infimæ Latinitatis ad vocem: oſculum manuum.*

I I I.

Populus Epiſcopis acclamare, eiſque multos annos apprecari, & non ſolum verſiculos pſalmorum ſæpe; ſed interdum etiam Hoſanna occinere ſolebat.

Atque acclamationes quidem in uſu primis temporibus non in Synodis (1) modo, electionibuſque (2) Epiſcoporum fuerant, ſed etiam cum ipſi orationes (3) ad Populum haberent.

Pſalmos præterea, hymnoſque (4) canere Populi, adventumque Epiſcoporum celebrare, multoſque ipſis apprecari (5) annos, atque *Hoſanna* (6) occinere conſueverunt,

1 Confer Acta Synodi Epheſinæ *act.* II. *pag.* 1471. *tom.* I. *Concilior. edit. Harduini Pariſ.* ubi hæc habentur: „ Omnes reverentiſſimi Epiſcopi acclamaverunt: *Novo Paulo „ Celeſtino, novo Paulo Cyrillo, Caleſtino Cuſtodi fidei, Caleſtino cum ſynodo concordi; „ Caleſtino Univerſa ſynodus gratias agit &c.* „. Similia legere in poſterioribus Conciliis licet, quæ brevitatis cauſſa prætermitto. At is vel Pontificibus Maximis ſolum, vel præcipuis Epiſcopis honos adhibebatur.

2 In Actis Ordinationis Eraclii, cum illum Auguſtinus jam ſenex apud Clerum, & Populum Coadjutorem, ſucceſſoremque ſibi poſtulaſſet. *Aug. epiſt.* CCXIII. *al.* CX. *pag.* 789. *ſeq. t.* II. *opp. edit. Pariſ. Monach. s. Mauri.* Poſtquam Auguſtinus dixit: *Presbyterum Eraclium mihi ſucceſſorem volo, a populo acclamatum eſt; Deo gratias, Chriſto laudes ..... Exaudi Chriſte, Auguſtino vita ...... Te Patrem, te Epiſcopum ...... Exaudi Chriſte, Eraclium conſerva &c.*

3 Confer Auguſtinum *lib.* IV. *de Doctrina Chriſti cap.* XXVI. *t.* III. *P.* I. *opp. edit. Pariſ. Monach. s. Mauri pag.* 89. Præſente Cyrillo, cum Paulus Emiſſenus Alexandriæ orationem ad populum haberet, ὁ λαὸς ἐβόησε, *populus acclamavit*: bene veniſti orthodo- „ xe Epiſcope, dignus digno conjungitur; dicunt Chriſtiani: hoc donum Dei eſt, Ortho- „ doxe Cyrille „. *Conſule Acta ſynod. Epheſinæ par.* IV. *pag.* 1695. 1698. 1700. *tom.* I. *Concilior. edit. Hard. Pariſ.* De Acclamationibus autem in Conventibus Eccleſiaſticis diſputat Rittershuſius *Sacrar. Lection. lib.* III. *cap.* XXII. *edit. ann.* 1643. De Plauſu Populi cum Epiſcopus ab exilio reverteretur, ſi cauſſa fidei relegatus fuiſſet, confer epiſtolam s. Cypriani LXI. *al.* LVIII. *ad Lucium Papam, quæ etiam refertur tom.* I. *Collect. Epiſt. Romanor. Pontific. pag.* 209. *edit. Pariſ. Coutantii*, & Libellum Fauſtini ac Marcellini de reditu Liberii agentium *tom.* V. *Biblioth. Patrum edit. Lugdun. an.* 1677. *pag.* 652.

4 Conſule ſermonem s. Johannis Chryſoſtomi ad Conſtantinopolitanos habitum de ſuo regreſſu ex Aſia. *Tom.* III. *opp. pag.* 411. *edit. Pariſ. Monach. s. Mauri*, ubi: „ Quid di- „ cam, inquit, deſiderio veſtro, & favori, quem heſterno oſtendiſtis die, quomodo voces „ veſtræ cum gaudio cælum penetrarunt? Ipſum ſanctificantes aerem, civitatem feciſtis „ Eccleſiam. Honorabar ego, & Deus glorificabatur „. Ex his intelligitur, hymnos, pſalmoſque canentes laudes Dei celebraſſe Conſtantinopolitanos, quod ſuum Paſtorem rediiſſe cernerent. Confer & ejuſdem *Sermonem* habitum ibidem *poſt reditum ab Exilio. Tom. eod. pag.* 429.

5 Evagrius Scholaſticus *lib.* II. *cap.* XVIII. *pag.* 285. *edit. Taurin.* Sed pleni ſunt hujuſmodi acclamationum Eccleſiaſtici libri, præcipue vero Græcorum.

6 Henricus Valeſius *in Notationibus ad lib.* II. *H.E. Euſeb. cap.* XXIII. *pag.* 72. *edit. Taurin.*

runt, quod tamen poſtremum Patres minime (1) probandum exiſtimarunt, ut ne eorum quidem Epiſcoporum rationem, qui hæc, ambitione (2) quadam permoti, conſectabantur.

I V.

Obſecrabant item veteres Chriſtiani Epiſcopos per eorum coronam, & ſacrum caput.

Præterea cum noſtrorum quiſquam Antiſtites Eccleſiarum alloqueretur, *coronam* (3) eorum, *Sacrumque caput* honoris

Taurin. „ Veriſſimum eſt, *inquit*, quod ait Scaliger, eos, qui Oſanna acclamabant, palmas „ manibus geſtare debuiſſe: cujus rei illuſtre exemplum eſt in Itinerario Hieroſolymitano „ Antonini Monachi *pag. 30.* ex quo diſcimus, morem olim fuiſſe Chriſtianorum, ut Epi„ ſcopis .... advenientibus obviam procedentes, honoris cauſſa, acclamarent *Oſanna* „. Confer Hegeſippi locum de Jacobo apud Euſebium *ibid.* Sunt tamen, qui non Jacobo, ſed Jeſu Servatori a populo acclamatum tunc, cum in faſtigium templi adductus Jacobus ab Judæis eſſet, exiſtiment. In his eſt Grabius *Spicileg. PP. ſec.* II. *pag.* 207.

1 S. Hieronymus *in Matth. cap.* xx. *pag.* 98. *tom.* IV. *opp. par.* 1. *edit. Martianæi Pariſ.* „ Videant ergo Epiſcopi, & quantumlibet ſancti homines cum quanto periculo dici iſta „ ſibi patiantur, ſi Domino, cui vere hoc dicebatur, quia needum erat ſolida credentium „ fides, pro crimine impingitur.

2 Confer, quæ ex *Epiſtola ſynodi contra Paulum Antiochenum* refert Euſebius *l.* VII. *Hiſt. cap.* XXX. *pag.* 316. *edit. Taurin.* „ Neque item attinet examinare, *inquiunt Patres*, „ ambitioſam hominis vanitatem in Eccleſiaſticis conventibus, quam omni ſtudio conſe„ ctatur, nihil aliud, quam inanem gloriam captans, & pompam affectans .... Eos, qui non „ laudarent, nec ut in Theatris fieri ſolet, oraria concuterent, neque una cum fautoribus „ ipſius viris, ac mulierculis indecore auſcultantibus exclamarent, atque exilirent .... in„ crepabat .... Mulieres autem magno Paſchæ die in media Eccleſia pſalmos quoſdam cane„ re ad ſui ipſius laudem inſtituit &c.

3 Erat id apud Latinos in uſu. S. Hieronymus *epiſt.* LXXVII. *al.* LXXXI. *ad Auguſtinum tom.* IV. *opp. edit. Martianæi Pariſ. p.* 642. *Precor*, inquit, *coronam tuam*, ut meo nomine Alypium, & Evodium ſalutes. S. Auguſtinus *epiſt.* XXXIII. *al.* CXLVII. *pag.* 63. *t.* II. *opp.* ad Proculcjanum, qui e factione Donatiſtarum Epiſcopus erat, ſcribens: „ Honorant nos ve„ ſtri, *inquit*, honorant vos noſtri. Per coronam noſtram nos adjurant veſtri, per coro„ nam veſtram vos adjurant noſtri „. Sidonius Apollinaris *lib.* VI. *epiſt.* III. *tom.* I. *opp. Sirmondi ed. Pariſ. p.* 1000. „ Hunc, *inquit*, eatenus commendare præſumo, ut ſi eum inſtruere „ dignanter advocatio conſulta faſtidit, auctoritas Coronæ Tuæ diſſimulantibus ſtudeat ex„ cudere reſponſi celeritatem „. Idem *l.* VII. *epiſt.* VIII. *pag.* 1029. De minimis rebus *coronam tuam*, maximiſque conſulerem. Ennodius Ticinenſis *lib.* IV. *epiſt.* XXIX. *ad Smyrn. Monum. ss. PP. Orthodoxogr. tom.* I. *Latin. pag.* 356. *edit. Pariſ.* „ Ut erigat parvulos „ implorata Coronæ veſtræ miſeratio „ & *pag.* 377. „ Parthenius igitur præſentium por„ titor germanæ filius, hac ad *Coronam Veſtram* fiducia animante directus eſt. *Et lib.* V. *epiſt.* XVII. *pag.* 409. *ad Marcellinum*: „ Fiduciæ meæ *Coronam Veſtram* non ambigo re„ ſponſuram „. *Lib.* IX. *epiſt.* XXVII. *ad Aurel. pag.* 474. „ O ſi mihi liceret adhuc „ æquali cum Beatitudine tuam ſortem contendere; ſed dormiunt apud *Coronam* tuam „ pro-

ris (1) cauſſa nominabat ; perque hæc obſecrabat, ut vel cognoſcere quidpiam, vel agere ne gravarentur.

V.

Epiſcopi Cathedras ab ceterorum Cathedris diſtinctas in templis habebant.

Cathedræ item Epiſcoporum in templis (2) a ſedibus Presbyterorum diſtinctæ, iiſque ſublimiores erant. Hæ plerumque *throni* (3) appellabantur. Cumque Epiſcopi ſucceſſores eorum, qui Eccleſias fundaſſent, vocarentur, & eſſent, *thronum* eorum occupare ferebantur. Itaque veteres Hieroſolymitanos (4) Antiſtites in throno Jacobi, Alexandrinos in throno (5) Marci, Romanos in Petri (6) throno, & cathedra ſedere, ac jure id quidem dicebant. Initio autem non tam erat ſublimis (7) ſedes Antiſtitum, ut poſtea eſſe conſuevit. Quare vitio datum Paulo (8) Samoſatenſi eſt, quod ſublimem thronum ſibi fieri curaſſet.

propinquitatis privilegia „. Sed de corona, & abraſo capite Epiſcoporum, & Sacerdotum reliquorum, agam alio loco opportune. Interea confer Cangium *ad voc. Coronæ tom.* 1. *Gloſſar.* ex quo expreſſa eſt adnotatio *in* III. *epiſt. Paulini Nolan. adnot. varior. in ejus opera edit. Veron. pag.* 871.

1 Vide *Gregor.* Naz. *Orat.* XLI. *pag.* 675. *edit. an.* 1690. *tom.* I.

2 Vide, quæ mox deſcribam, Euſebii, aliorumque *PP.* teſtimonia. Ac de ſede quidem Epiſcopi agam, ubi de partibus, & ornamentis ſacrarum ædium diſſeram.

3 Euſebius *lib.* VII. *cap.* XVIII. *pag.* 301. *edit. Taurin.* „ Sane Jacobi illius thro„ num, qui primus Hieroſolymorum Epiſcopus ab ipſo Servatore, & ab Apoſtolis eſt con„ ſtitutus &c. „. Et *cap.* XXXII. *pag.* 326. „ Porro Hieroſolymis poſt obitum Hymenæi, „ cujus paullo ante meminimus, Zabdas adminiſtrationem illius Eccleſiæ ſuſcepit, quo non „ multo poſt defuncto, Hermon poſtremus eorum, qui ante illam noſtri temporis perſecu„ tionem fuerunt, Apoſtolicum thronum, qui illic etiamnum ſervatur, *τὸν εἰσέτι νῦν* „ *ἐκεῖσε περιφυλαγμένον*, obtinuit.

4 Confer Euſebii teſtimonia modo deſcripta.

5 Gregor. Nazianz. Orat. XXI. *pag.* 377. *tom.* I. *opp. edit. an.* 1690. „ Neque per vim, „ ac cædem (Athanaſius) ſed Apoſtolico, & ſpirituali modo *ἐπὶ τὸν μάρκου θρόνον ad Mar-* „ *ci thronum* evehitur „. Conſule s. Hieronymum *epiſt.* LXXXVI. *al.* LXXVIII. *tom.* IV. *opp. pag.* 690. „ Prædicationem *cathedræ* Marci Evangeliſtæ, *Cathedra* Petri Apoſtoli ſua „ prædicatione confirmet.

6 Conſule Hieronymi locum modo deſcriptum, & s. Cyprianum *epiſt.* XLIII. *pag.* 83. *edit. Oxon.*

7 Vide Euſebii locum modo deſcriptum.

8 *Euſeb. lib.* VII. *cap.* XXX. *pag.* 316. *edit. Taurin.* de Paulo Samoſatenſi agens. „ Nam & tribunal, *inquit*, & ſublimem thronum, non ut Chriſti diſcipulus, ſibi ipſe „ conſtruxit ; & ſecretum, perinde ac ſeculares magiſtratus, ita appellatum habuit.

§. V.

De Prærogativis Epiſcoporum, quibus fit, ut alii aliis juriſdictione præcellant.

ETſi vero Epiſcopi primum ſacerdotii gradum obtinent, ſuntque Presbyteris, ut ſupra demonſtratum eſt, jure divino ſuperiores; tamen eſt inter eos partim inſtitutione Chriſti, partim lege, inſtituto, conſuetudineque Eccleſiæ ſeries quædam, ordoque dignitatum, ut alii aliis *juriſdictione*, ut dicimus, auctoritateque præſtent. De his autem breviter agendum eſſe intelligo, ut cujuſmodi ſint, cognoſcere lectores poſſint. Agam autem de iis ipſis ſecunda hujuſce libri parte opportune, & copioſius, quo loco unde ortæ, quibus præſidiis confirmatæ, amplificatæque ſint, quibuſque terminis continerentur, oſtendam. Nunc quæ fuerint, quibuſque hæ dignitates nominibus vocarentur, videamus.

I.

De Primate Eccleſiæ univerſæ.

Sed unum omnium in Chriſtiana republica ducem, paſtorem, & caput Antiſtitum ceterorum eſſe, qui Eccleſiarum inter Eccleſias concordiam, ſocietatemque hortatu, monitis, præceptis, ac ſi opus ſit, comminatione, irrogationeque pœnæ tueri, ſervareque poſſit; & traditum a majoribus noſtris eſt, & eorum, qui recte ſint inſtituti, certo ſcio hoc tempore, qui neget, futurum neminem. Non enim tot reſpublicas, quot variis in urbibus (1) Eccleſiæ ſingu-

1 Qui nihil a Chriſto definitum de forma rationeque Chriſtianæ Reipublicæ fuiſſe jactant, ut Presbyteriani, & Lutherani (vide quæ dixi ſupra *pag.* 271. *ſeq. hujus vol.*) hi quidem unitatem Eccleſiæ Catholicæ tollant neceſſe eſt. Quemadmodum enim una manere poteſt, ſi peculiares Eccleſiæ rebus novis ſtudentes contineri a nemine in officio queant, qui ſit auctoritate præcipua inſtructus? Quinetiam Moshemius in ea, quam *De Gallorum appellationibus ad Concilium univerſæ Eccleſiæ, unitatem Eccleſiæ ſpectabilem tollentibus ſcripſit, diſſertatione* §. x. *pag.* 498. etſi Petri Jurieı *Syſtem De l' Egliſe Liv.* 1. c. VII. *pag.* 55. & Geor-

ſingulares eſſent, ſejunctas, ac ſeparatas; ſed conjunctas, interque ſe nexas Chriſtus inſtituit, ut omnes inter ſe aptæ, colligatæque eſſent, ne, ſi contineri auctoritate alicujus ceteræ in officio nequirent; diſſenſiones, & ſchiſmata orirentur, tolleretur que ea, quam Servator generis humani Apoſtolis maximopere (1) commendavit, populi Chriſtiani conſociatio. Igitur quemadmodum Petrus (2) delectus a Chriſto eſt, ut caput Apoſtolorum, ac veluti centrum Eccleſiaſticæ *unitatis*, conjunctioniſque eſſet; ſic eo vita functo, ſucceſſerit ipſi neceſſe eſt aliquis, qui centrum unitatis cum ſit (3) primatum in Eccleſiis univerſis obtineat, eaſque ut paſtor omnium regat, ac moderetur. Atque hunc eſſe Romanum Pontificem majores noſtri, qui vel ab Apoſtolis diſciplinam acceperant, vel horum diſcipulos audiverant, vel traditione, quæ jam uſque ab ætate Apoſtolorum in eorum tempora permanarat, cognoverant, & confeſſi ultro ſunt, & poſterorum memoriæ commendaverunt. Ergo illius cathedram *unitatis* centrum, ſedemque appellarunt, & *potiorem principalitatem* (4) auctoritatemque

Z z z 2 præ-

& Georgii Calixti *introd. ad Libell. Cyprian. de unit. Eccl.* & *de Monarch. viſib. Pontif.* §. LXX. tertio primum ſeculo ortam de ſpectabili unitate Eccleſiæ perſuaſionem fuiſſe ajentium, non probat ſententiam; cum antiquiorem eam fuiſſe perſuaſionem arbitretur; tamen portentum eamdem unitatem vocat; §. autem XV. *pag.* 605. „ Nullum adhuc mihi, „ *inquit*, veterum occurrit dictum, quod præter moralem, & Phyſicam unitatem prima „ ſecula civilem quamdam etiam Eccleſiæ concordiam effinxiſſe probet „. Sed opinionem, ſeu potius errorem in hoc genere Proteſtantium proponit, & conſectatur *lib. de Eccleſ. Part.* I. *Diſp.* III. *pag.* 120. Johannes Muſæus, quem nos *libri hujus* II. parte refellemus.

1 Chriſtus apud Johannem in Evangelio, *pacem ſuis*, *mutuamque dilectionem* commendat, *Petrumque paſtorem omnium ovium*, hoc eſt Chriſtianorum conſtituit *cap.* XIV. *v.* 37. *cap.* XV. *v.* 12. *ſeq. cap.* XXI. *v.* 15. *ſeqq.* Immo vero eidem Petro *claves*, ceu capiti ceterorum Apoſtolorum, facultatemque *ligandi*, atque *ſolvendi* dedit. *Matth. cap.* XVI. *v.* 18. De Apoſtolis conſtat Eccleſiæ traditione, id quod demonſtrabitur *P. ſeq. hujus libri*.

2 Confer *Actor. cap.* XV. *v.* 7. *ſeqq.*

3 S. Cyprianus *epiſt.* LIX. *al.* LV. *ad Cornelium* „ Ad Petri cathedram, atque ad Ec„ cleſiam principalem, unde unitas ſacerdotalis exorta eſt &c. Confer librum ejuſdem de *Unitate Eccleſiæ pag.* 106. *ſeqq. ejuſd. edit.* Oxon. ubi „ Loquitur Dominus, *inquit*, ad „ Petrum, *Ego tibi dico, quia tu es Petrus &c.* . . . . . Ut unitatem manifeſtaret, „ unitatis ejuſdem originem ab uno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit . . . Exordium ab „ unitate proficiſcitur, ut Eccleſia una monſtretur &c. Vide Renati Maſſuetii monachi Benedictini *Diſſert.* III. *in Irenæum art.* IV. §. XXX. *pag.* CXIX. *edit. Pariſ.*

4 S. Irenæus *lib.* III. *contra hæreſes cap.* III. *n.* II. *pag.* 175. *tom.* I. *opp. edit. Maſſuetii*

prædicaverunt, eumque de rebus graviſſimis judicare (1), nocentes punire, reſipiſcentes Eccleſiæ reſtituere (2) hortari eos, qui rebus novis ſtudere viderentur, iiſque imperare (3) ut per-

ſuetii Veneta „ Ad hanc Eccleſiam (*Romanam*) propter potiorem PRINCIPALITATEM neceſſe eſt OMNEM CONVENIRE ECCLESIAM, HOC EST EOS, QUI SUNT UNDIQUE FIDELES „. Conſule ſupra deſcriptum *pag* 292. *not.* 3. hujuſce *volum. locum Tertulliani e cap.* 1. *lib. de Pudicitia*, & quæ nos ibidem animadvertimus *notat.* 5. Gregorius Nazianzenus *Carmine de vita ſua tom.* II. *opp. edit. an.* 1690. *pag.* 9. de Roma vetere, & Conſtantinopoli agens, inquit.

„ Natura binos haud quidem ſoles dedit.
„ Dedit ipſa binas attamen Mundi faces
„ Romas, vetuſtam ſcilicet Romam, ac novam;
„ Hoc diſcrepantes invicem, quod, qua cadit
„ Sol, illa fulget, fulget hæc qua ſe exſerit.
„ Par utriuſque pulcritudo, par decus.
„ Fides vetuſtæ recta erat jam antiquitus,
„ Et recta perſtat nunc item, nexu pio,
„ Quodcumque labens ſol videt, devinciens,
Καθὼς δίκαιον τὴν πρόεδρον τῶν ὅλων:
Ὅλην σέβουσαν τὴν θεοῦ συμφωνίαν.
„ UT UNIVERSI PRÆSIDEM MUNDI DECET
„ TOTAM COLIT QUÆ NUMINIS CONCORDIAM.

Sed Rufini, Auguſtini, aliorumque Patrum teſtimonia quæ huc pertinent, deſcribam P. II. hujus *libri*, refellamque eorum argumenta, qui Irenæi teſtimonium alio contorquere nituntur, ut Salmaſii *De Primat. Pontific. cap.* v. *pag.* 65. ut Charmieri *Panſtrat. Catholic. lib.* XIII. *De Pontif. Oecum. cap.* XXII. §. XII. ut Lenfantii *Preſervatif contre la reunion avec ſiege de Rome tom.* IV. *lettr.* V. *pag.* 205. *ſeqq.*

1 Nam Pontifices maximi de cauſſis Epiſcoporum judicabant, eoſque, ſi viſum opportunum eſſet, ſuis ſedibus reſtituebant. S. Cyprianus *epiſt.* LXVII. *al.* LXVIII. *pag.* 173. *edit. Oxon.* de Baſilide juſtas ob cauſſas depoſito agens. „ Romam pergens, inquit, STEPHANUS collegam noſtrum longe poſitum, & geſtæ, ac tacitæ veritatis ignarum fefellit, „ ut exambiret, REPONI SE IN EPISCOPATUM, de quo fuerat juſte depoſitus „. Idem mox Baſilidem, & Martialem recipiendos negat, quia Cornelius Pontifex decreverat, ſacerdotii honore hoc genus hominum privari oportere; *pag.* 174. „ Maxime cum jampridem nobiſcum, & cum omnibus omnino Epiſcopis in toto mundo conſtitutis, etiam Cornelius „ collega noſter, ſacerdos pacificus, ac juſtus, & martyrio quoque dignatione Domini „ honoratus DECREVERIT ejuſmodi homines ad pœnitentiam quidem agendam poſſe admitti, ab ordinatione autem cleri, atque ſacerdotali honore prohiberi „. Ac recte Theodoritus *epiſt.* CXVI. ad Renatum Presbyterum Romanum ſcribit, *pag.* 989. *tom.* III. *opp. edit. Sirmondi Pariſ.* „ Oro, inquit, ſanctitatem tuam, ſanctiſſimo, & Beatiſſimo Archiepiſcopo perſuadeat, ut Apoſtolica poteſtate utatur, & ad concilium veſtrum advolare præcipiat. HABET ENIM SANCTISSIMA ILLA SEDES ECCLESIARUM, QUÆ IN TOTO „ SUNT ORBE, PRINCIPATUM MULTIS NOMINIBUS „. Mitto cetera, ne ſim longus, quæ poſt afferam, cum tempus monuerit.

2 *S.* Cyprianus *epiſt.* LXVIII. *al.* LXVII. *ad Stephanum pag.* 179. *edit. Oxon.* de lapſis reſipiſcentibus agens: „ Servandus eſt Anteceſſorum noſtrorum Beatorum Martyrum Cornelii, & Lucii honor glorioſus, quorum memoriam cum nos honoremus, multo magis tu „ Frater cariſſime honorificare, & ſervare gravitate, & auctoritate tua debes, qui vicarius, & ſucceſſor eorum factus es. Illi enim pleni ſpiritu Dei, & in glorioſo martyrio „ conſtituti, dandam eſſe lapſis pacem CENSUERUNT.

3 Confer Tertulliani locum ſupra indicatum. Celebre eſt item in hoc genere quod Victor Pontifex II. ſeculo adverſus Aſianos geſſit. Conſule Euſebium *lib.* V. *Hiſt. cap.* XXIV. *pag.*

pertinacia deſiſterent, valere dixerunt. Quod quidem jus, non arbitrio, conſuetudineque hominum, ſed inſtitutione Chriſti, Romano Pontifici (1) eſſe tributum, ut qui Petro ſucceſſerit; adeoque non Ariſtocraticam, ſed Monarchicam (2) eſſe gubernandæ Eccleſiæ rationem, conſtat. Sed de primatu Romani Pontificis, ejuſque ſumma in Chriſtianorum Republica auctoritate, agam diſtincte & copioſius in ſecunda hujuſce de Hierarchia Eccleſiaſtica libri parte. Interea ſatis fuerit indicaſſe, unum eſſe in univerſa Eccleſia caput, primatemque omnium oportere.

II. *De*

*pag.*211. *edit.Taur.* S.Cyprianus, præcepiſſe ſibi Stephanum teſtatur, ne baptizatos ab hæreticis rurſum baptizare auderet. Id vero s. Stephanus non feciſſet, ſi jus ſibi non eſſe ſimile quidpiam moliri, atque decernere, cognoſſet. Sic autem habet Cyprianus *epiſt.* LXXIV. „ A quacumque hæreſi venientem baptizari in Eccleſia VETUIT. .. & PRÆCEPIT nihil „ aliud innovari, niſi quod traditum eſt „. Quare s. Auguſtinus *lib.* v. *de Bapt. contra Donatiſtas cap.* XXIII. *p.*156. *t.* IX. *opp. edit. Monach. s. Mauri Pariſ.* „ Ad Pompejanum „ etiam ſcribit Cyprianus, *inquit*, de hac eadem re, ubi aperte indicat, Stephanum, „ quem Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum tum fuiſſe didicimus, non ſolum ſibi ad iſta non conſenſiſſe, verum etiam contra ſcripſiſſe, atque PRÆCEPISSE „. Multa hujus generis monumenta extant, quæ proferentur poſt opportune, cum ratio poſtulaverit.

1 Jam hoc multis poſtea demonſtrabitur. Nunc uno Gelaſii Pontificis maximi teſtimonio utar, qui *epiſt.* XXXIII. *ad numeros Coutantii* §. v. ut ab eodem Coutantio laudatur *tom.* I. *collect. epiſtolar. Romanor. Pontific. præfat. num.* VI. *pag.* 3. Igitur Gelaſius: „ Quamvis univerſæ per orbem Catholicæ Eccleſiæ, *inquit*, unus thalamus Chriſti ſit, „ ſancta tamen Romana Eccleſia, nullis Synodicis conſtitutis ceteris Eccleſiis prælata eſt, „ ſed Evangelica voce Domini, ET SALVATORIS NOSTRI PRIMATUM OBTINUIT &c. „. Confer Leonem Allatium *de Perpet. conſenſ. Eccleſ. Orient. & Occident. lib.* 1. *cap.* II. *pag.* 8. *ſeqq. edit. an.* 1648. Johannem Morinum *exercit. Eccleſiaſt. lib.* 1. *exerc.* 1. *pag.*16. *ſeqq.* Natalem Alexandrum *Hiſt.Eccl. ſec.*1. *diſſ.*IV.*pag.*91. *ſeq.tom.*III. *edit. an.*1734. Petrum Coutantium *Præfat. in tom.* 1. *collect. Epiſtol. Romanor. Pontific. P.* 1. *pag.*2. *ſeqq.* Antonium Carlaſium *tom.* III. *de libert. Eccleſ. Gallic. cap.* II. *pag.* 104. *ſeqq. edit. Rom. an.*1720. Joſephum Auguſtinum Orſium S.Palatii Apoſtolici Magiſtrum. *Tom.* II. *de Irreformabili Roman. Pontificis in definiendis fidei controverſiis judicio lib.* IV. *cap.* II. *ar.* 1. *ſeqq pag.*305. *ſeqq. edit. an.*1739. Johannem Antonium Bianchum *tom.* III. *della Poteſtà, e della Politia della Chieſa lib.* 1. *cap.* III. §. XI. *pag.* 305. *ſeqq. edit. an.* 1745. Mitto Bellarminum, Sanderum, alioſque innumerabiles, qui in hoc argumenti genere illuſtrando ſumma cum laude verſati ſunt. Atque horum quidem aliquos numerabo, cum de primatus inſtitutione divina copioſius agam.

2 De regimine Monarchico Eccleſiæ diſſeram etiam II. hujuſce *libri Parte*.

I I.

De Patriarchis, qui ſint? Quo primum tempore appellari hoc nomine cœperint? quibuſque nominibus ante vocari ſolerent.

Alter eſt gradus eorum, qui Patriarchæ in Eccleſia appellantur, quaſi Principes Patrum (1) ſint, quod non Epiſcopis modo, ſed etiam Archiepiſcopis (2) ſeu Metropolitis, Exarchis, Primatibuſque variarum Provinciarum præſint. Sed horum neque pares ſemper prærogativæ, nec vero æque amplæ ditiones fuerunt. Quibus de rebus diſſeram ſecunda hujuſce libri parte, ut potero, diligenter.

Sunt autem variæ, interque ſe diſſidentes Scriptorum hujuſce temporis de origine appellationis Patriarcharum ſententiæ. Fuerunt enim, qui jam inde a ſecundo Eccleſiæ ſeculo hæſiſſe Patriarchis (3) hoc nominis genus arbitrarentur. Sed eorum eſt ab aliis, qui vetera monumenta ſtudioſe conſuluiſſent, exploſa opinio. Atque Salmaſius quidem Patriarchas Chriſtianorum nominatos ab Hadriano (4) Imperatore fuiſſe cenſet, propterea quod is Patriarcham, cum in Ægyptum accederet, Serapidi cultum, honorem, preceſque adhibere conſueſſe in ea epiſtola ſcripſerit, quæ eſt ad Servianum data. Verum is Patriarcha non Chriſtianus, ſed homo de ſecta Judæorum (5) erat. Nam coactum tradit

1 Fuerunt, qui Patriarcham πατριάρχην, quaſi ἄρχοντα πατέρων *Principem Patrum* dictum arbitrarentur. Alii contra cenſent, & quaſi is ſit, πατριᾶς ἄρχων *gentis primas*, Patriarcham appellatum defendunt. De hac re diſputat Sviccrus ad v. πατριάρχης.

2 Vide, quæ infra de Patriarcharum ditionibus diſputabimus.

3 Salmaſ. *de Primat. Rom. Pontific. pag. 43.* & in *Adnotationibus* in Flavium Vopiſcum *pag. 719. edit. an. 1671.*

4 Vide ex Epiſtola Hadriani *locum ſupra deſcriptum tom. 1. hujuſce Operis pag. 140. not. 2.*

5 Patriarchas Judæorum paullo poſt Hieroſolymorum excidium conſtitutos duos fuiſſe ferunt, quorum alter Tiberiade, alter Babylone ageret, curamque gererent ejus gentis, quæ per Imperia Romanum, & Perſicum diſperſa erat. Fit autem horum Patriarcharum ab Origene, ab Epiphanio, a Cyrillo Hieroſolymitano, ab Theodorito, & ab ipſis etiam Imperatoribus mentio. Origenes *lib. IV.* περὶ ἀρχῶν *De Principiis cap. 1. num. 3. tom. 1, opp. edit. Pariſ. Monachor. S. Mauri.* „ Dicunt (*Judæi*) permanere adhuc Principem ex

„ genere

dit Hadrianus ab aliis , ut Serapidem , ab aliis contra , ut Chriſtum coleret . At vi adoratum a Chriſtianorum Patriarcha fuiſſe Chriſtum , quis credat ? Judæus igitur fuerit neceſſe eſt , ut qui neque Serapidi , neque Chriſto cultum adhibendum eſſe arbitraretur . Rurſum is Patriarcha , cujus fit ab Imperatore mentio , ex neſcio qua regione in Ægyptum, rei alicujus gerendæ cauſſa , interdum venire conſuerat ; contra Epiſcopus Alexandrinorum , quem ab Hadriano Patriarcham vocari Salmaſius putat , Alexandriæ degebat , remque populi Chriſtiani Eccleſiaſticam adminiſtrabat . Ac de Judæorum Patriarcha , cum Tiberiade (1) in Palæſtina agere

„ genere Judæ , iſtum videlicet , qui eſt gentis eorum Princeps , quem nominant Patriarcham , nec deficere poſſe de ſemine ejus , qui permaneat uſque ad adventum ejus Chriſti, „ quem ſibi ipſi deſcribunt „. S. Cyrillus Catecheſi XII. *pag.* 112. *edit. Pariſ. an.* 1640. εἰ ἔχουσι τὸν ἐκ γένους Ἰούδα , καὶ τοῦ Δαβὶδ , οὔπω ἦλθεν ὁ προσδοκώμενος . αἰσχύνομαι γὰρ λέγειν αὐτῶν ... παρ' αὐτοῖς νῦν πατριαρχῶν πράγματα . „ Si habent (*Principem*) ex „ genere Juda , & David , nondum venit ille expectatus . Vereor enim illis (*Judæis*) „ dicere res ipſorum , qui apud eos ſunt , Patriarcharum „ . S. Epiphanius *Hæreſi* XXX. *n.* IV. *pag.* 128. *tom.* I. *opp. edit. Pariſ. Petav.* „ Sunt , inquit , hi poſt *Patriarcham* „ vocati Apoſtoli (ab Judæis) . Aſſident Patriarchæ , cumque eo die , noctuque ſæpe una „ verſantur , ut conſulant , referantque ipſi , quæ ſunt ſecundum legem . ὁ δὲ πατριάρχης „ κατ' ἐκεῖνο καιροῦ Ἐλλὴλ τοὔνομα ἦν ..... ἐκ γένους δὲ Γαμαλιὴλ ἐτύγχανε τοῦ παρ' „ αὐτοῖς γενομένου πατριάρχου . Patriarcha autem eo tempore Ellel fuit ... Ex genere Ga„ malielis , qui Patriarcha apud eos fuerat „ . S. Hieronymus *Comment. in cap.* III. *Iſaiæ pag.* 36. *tom.* III. *opp. edit. Martianæi Pariſ.* ad illa verba : *Effeminati dominabuntur eis .* „ Conſideremus , *inquit* , Patriarchas Judæorum , & juvenes , ſive pueros , „ effeminatoſque , ac deliciis affluentes : & impletam eſſe prophetiam cernemus „ . S. Johannes Chryſoſtomus *Orat.* VI . *contra Judæos tom.* I. *opp. edit. Pariſ. Monachor. s. Mauri pag.* 657. „ Ut intelligas , *inquit* , quod qui nunc apud vos dicuntur Patriarchæ , non „ ſint ſacerdotes &c. „ . Et Homil. *contra Jud. & Gentil. Quod Chriſtus ſit Deus, ibid. pag.* 581. „ Annon ab omnibus undique tributa colligens Patriarcha immenſos poſſidet theſauros ? & rurſum *Orat.* VI . *pag.* 656. „ Ne vero mihi iſtos Patriarchas dixeris , cau„ pones , negotiatores , omni iniquitate plenos „ . Theodoritus *Dialog.* I. *tom.* IV. *opp. edit. Sirmondi Pariſ. an.* 1642. *pag.* 22. „ ERANISTES . Quid ergo Judæorum Patriar„ chæ dicuntur , an ex Davidica ſtirpe non ſunt ? ORTHOD. Nequaquam . ERAN. Unde igi„ tur orti ſunt ? ORTHOD. Ex Herode alienigena , qui paterna quidem origine Aſcalonites „ fuit , materna vero Idumæus . Quamquam hi quoque omnino interierunt , & dudum „ eſt , ex quo horum quoque principatus finem cœpit „ . Sed unde acceperit Theodoritus ex Herodis ſtirpe fuiſſe Patriarchas , ne ſuſpicari quidem poſſum . Eſt autem commenticium. De Imperatoribus , qui memorarint Patriarchas Hebræorum confer codicem Theodoſianum *tom.* VI. *pag.* 213. *edit. Gothofred. an.* 1665. Svicerus *theſaur. ſacr. tom.* II. *pag.* 613. „ Vixit Theodoretus , *inquit* , circa *an. Dom.* CCCCL. Ergo jam ante illud tempus Judæo„ rum Patriarchæ fuerunt abrogati . Hoc verum eſſe , & circa annum 420. eorum dignita„ tem fuiſſe ſublatam patet ex *cod. Theodoſ. lib.* XVI. *tit.* VIII. *c.* XXIX. ubi lex III. „ calend. jun. Conſtantinopoli lata an. 429. de his Patriarchis, ut jam abrogatis , loquitur . Confer Petavium in *not. ad loc. indic. Epiph. tom.* II. *pag.* 55. *edit. an.* 1622. *& Gothofred. in not. ad cod. Theodoſ. l. c.* Bianchum *Della polit. della Chieſa lib.* II. *cap.* I. *pag.* 55. *ſeqq. tom.* IV. *edit. Rom. an.* 1746. Svicerum *loc. cit. de his agit Bingham. lib.* II. *Orig. & Antiquit. Eccleſ. c.* XVII. §. IV. *ſeq.*

1 Vide *Epiphanium loc. cit.*

agere ſoleret, dici id quidem commode potuit, quod evenire interdum, caſu aliquo, poſſet, ut ſuo muneri ſatisfacturus, in Ægyptum proficiſceretur. Jam vero quibus argumentis refutata Salmaſii eſt, iiſdem refellere Baronii (1), ſummi alioqui viri, ſententiam licet. Is enim Pontificem, qui rei Ethnicorum ſacræ in Ægypto præfectus eſſet, indicatum ab Hadriano fuiſſe defendit Patriarchæ nomine. Nam compulſum Ethnicum fuiſſe, ut vi faceret, quod ſponte facere ſoleret, ne ſuſpicari quidem poſſum. Quemadmodum vero eum, qui in Ægypto verſaretur, venire aliunde in Ægyptum conſueſſe Hadrianus ſcriberet?

Ergo etſi Judæi diu ante IV. ſeculum, poſtque ii hæretici, qui a Montano dicti Montaniſtæ (2) ſunt, homines habebant, qui Patriarchæ appellabantur, orthodoxi tamen Chriſtiani, ante quintum ſeculum numquam hoc vocis genus adhibuerunt, ut eos Epiſcopos ſignificarent, qui primatu pluribus (3) in Provinciis potiebantur. Anno 451. primus omnium ab Synodo Chalcedonenſi (4) Romanus Pontifex ſingulari quadam ratione Patriacha eſt appellatus. Nam errant vehementer, qui Synodi Epheſinæ tempore, cumque

1 *Baron. ad an.* CXII. *num.* II. Sed de loco ex epiſtola Hadriani expreſſo contra Caſaubonum, & Salmaſium agunt *Petrus* de Marca *lib.* 1. *de concordia ſacerdotii, & Imperii cap.* III. *pag.* 15. *num.* V. *edit. an.* 1708. & e Proteſtantibus Johannes Pearſonus *Vindiciar. Ignatianar. part.* 1. *cap.* XI. *tom.* II. *Apoſtolic. PP. pag.* 342. *edit. Amſtelod. an.* 1724. Samuel Baſnagius *Annal. Polit. Eccleſiaſt. ad an.* 325. *num.* XLIII. *Et exercitat. Hiſtoric. pag.* 284. Et Jacobus item Baſnagius *Hiſtoire de l' Egliſe lib.* 1. *cap.* IX. *num.* VIII. *pag.* 47. *edit. an.* 1699. Svicerus *Theſaur. Eccl. ad* v. πατριάρχης, aliique.

2 S. Hieronymus *epiſt.* XXVII. *al.* LIV. *ad Marcellam pag.* 65. *tom.* IV. *opp. edit. Martianai Pariſ.* „ Apud nos Apoſtolorum locum Epiſcopi tenent, apud eos Epiſcopus „ tertius eſt. Habent enim primos de Pepuza Phrygiæ Patriarchas; ſecundos, quos „ appellant Cenonas, atque ita in tertium, ideſt pene ultimum locum Epiſcopi de- „ volvuntur.

3 Vide quæ ſcripſi ſupra *pag.* 305. *hujus vol.*

4 Nos hic de nomine non de auctoritate agimus Patriarcharum. Synodus Chalcedon. *Act.* I. *tom.* II. *Concilior. edit. Pariſ. pag.* 257. *Harduin.* de Leone Pontifice Max. hæc habet: Λέοντος πολλὰ τὰ ἔτη. τοῦ πατριάρχου πολλὰ τὰ ἔτη. *Leonis multi anni. Patriarchæ multi anni. Et Act.* III. *pag.* 321. Theodorus, & Iſchiron Diacones Alexandrini τῷ ἁγιωτάτῳ, καὶ οἰκουμενικῷ ἀρχιεπισκόπῳ, καὶ πατριάρχῃ τῆς μεγάλης ῥώμης Λέοντι. *Sanctiſſimo, & Univerſali Arcniepiſcopo, & Patriarchæ magnæ Romæ. Et pag.* 332. Sophronius Presbyter Alexandrinus: τῷ ἁγιωτάτῳ, καὶ μακαριωτάτῳ οἰκουμενικῷ πατριάρχῃ, τῆς μεγάλης ῥώμης Λέοντι. *Sanctiſſimo, & beatiſſimo Univerſali magnæ Romæ Patriarchæ Leoni*. Patriarcham etiam appellavit s. Leonem Theodoſius junior Auguſtus ante Chalcedonenſe Concilium in iis litteris, quas ad Valentinianum Auguſtum, & Placidium ſcri-

cumque Socrates (1) Hiſtoriam ſcriberet , hoc ſenſu præcipuos orbis Chriſtiani Archiepiſcopos , ſeu Exarchos fuiſſe Patriarchas vocatos putant . Jam vero cum id eſſet ab Synodo Chalcedonenſi , ita ut ſupra dictum eſt , Romano

ſcripſit , quæque referuntur *in Act. Conc. Chalc. par.* 1. *tom.* 1I. *Concil. pag.* 39. *edit. Pariſ. Hard.* & a Marciano Auguſto *ibid. par.* 111. *pag.* 672. Hic vero ſic habet : Καὶ τὸν ὁσιώτατον πατριάρχην τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου τῆς μεγάλης ῥώμης λέοντα. *Sanctiſſimum Patriarcham magnæ Romæ Leonem* . Confer Evagrium *lib.* 1I. *Hiſt. cap.* XVIII. *pag.* 285. *edit. Taurinenſis an.* 1748. Cum vero tam ſæpe , tamque diſtincte Leoni Pontifici Max. id nomen a Diaconis , Presbyteriſque , ab Imperatoribus , ab Synodo tributum ſit , aliis vero non item , cenſendum eſt , κατ' ἐξοχὴν *ſecundum præcellentiam* datum id quidem initio Romano Pontifici fuiſſe . Negari tamen non poteſt , quin Exarchi Diœceſeon appellati *Act.* 1I. *pag.* 286. *tom. eodem ab Judicibus region.* fuerint Patriarchæ . εἰ δοκεῖ τῇ ὑμετέρᾳ εὐλαβείᾳ , οἱ ὁσιώτατοι πατριάρχαι διοικήσεως ἑκάστης ἐπιλεξάμενοι ἕνα , ἢ δεύτερον τῆς ἰδίας ἕκαστος διοικήσεως &c. „ Si videtur veſtræ reverentiæ , ſanctiſſimi Patriar-
„ chæ uniuſcujuſque Diœceſeos , eligentes unum , aut ſecundum propriæ cujuſque Diœce-
„ ſeos &c. „ . Diœceſis autem ea regio dicebatur, qua plures Provinciæ continebantur . Itaque ut in præcipuos Exarchos , nempe Antiochenum , & Alexandrinum , ita etiam in Cæſareenſem , qui minorum gentium Exarchus erat , cadere hæc appellatio Patriarchæ , ut eſt uſurpata ab Judicibus in ſynodo , poterat . Quanquam redactum eo paullo poſt vocabulum idem fuit , ut in ſolos præcipuos Exarchos Alexandrinum , Antiochenum , Conſtantinopolitanum , tandemque in Hieroſolymitanum caderet . Vide Petrum de Marca *lib.* 1. *cap.* 1I. *de Concord. Sacerd. & Imperii pag.* 51. *ſeq.* Thomaſinum *par.* 1. *lib.* 1. *cap.* 1II. *n.* XIII. *tom.* 1. *pag.* 11. *Vet. & Nov. Eccleſ. Diſcipl. edit. an.* 1706. & Bianeum *lib.* 1I. *della Polit. della Chieſa cap.* 1. §. IV. *pag.* 63. *ſeq. tom.* IV.

1 Dupinus *de Antiq. Eccl. Diſcipl. Diſſert. pag.* 11. *edit. an.* 1686. primum omnium , qui Exarchos Patriarcharum nomine appellarit , fuiſſe Socratem arbitratur . Idem placuit Petro de Marca *loco modo indicato*. Sed longe eſt diverſa Socratis de Patriarchis ſententia. *Lib.* enim V. *cap.* VIII. *Hiſt. pag.* 227. *edit. Taurin.* de Concilio 1. Conſtantinopolitano agens , πατριάρχας , *inquit* , κατέστησαν διανειμάμενοι τὰς ἐπαρχίας , ὥστε τοὺς ὑπὲρ διοίκησιν ἐπισκόπους ταῖς ὑπερορίοις ἐκκλησίαις μὴ ἐπιβαίνειν . τοῦτο γὰρ πρότερον διὰ τοὺς διωγμοὺς ἐγίνετο ἀδιαφόρως . καὶ κληροῦται νεκτάριος μὲν τὴν μεγαλόπολιν , καὶ θράκην. τῆς δὲ ποντικῆς διοικήσεως , ἑλλάδιος ὁ μετὰ βασίλειον καισαρείας τῆς καππαδοκῶν ἐπίσκοπος , γρηγόριος ὁ νύσσης , ὁ βασιλείου ἀδελφὸς καππαδοκίας δὲ καὶ ἥδε πόλις . καὶ ὀτρήϊος ὁ τῆς ἐν ἀρμενίᾳ Μελιτήνης τὴν πατριαρχίαν ἐκληρώσατο . τὴν 'Ασιανὴν δὲ λαγχάνουσιν ἀμφιλόχιος ὁ ἰκονίου , καὶ 'Οπτιμος ὁ ἀντιοχείας τῆς πισιδίας &c. „ Pa-
„ triarchas conſtituerunt , Provinciarum diviſione facta , ita ut nullus Epiſcopus ultra pro-
„ priam Diœceſim alienas Eccleſias invaderet . Id enim antea propter perſecutiones pro-
„ miſcue factum fuerat. Ac Nectarius quidem Regiam Urbem, & Thraciæ Provincias ſortitus
„ eſt , Helladius vero , qui Cæſareæ Cappadociæ poſt Baſilium erat Epiſcopus , Ponticæ
„ diœceſis Patriarchatum obtinuit , & una cum illo Baſilii frater Gregorius , Epiſcopus
„ Nyſſæ , quæ & ipſa urbs eſt Cappadociæ , & Otrejus Epiſcopus Melitinæ in Armenia . Aſia-
„ næ autem diœceſis Patriarchatum ſortitur Amphilochius Iconii , & Optimus Antiochiæ
„ Piſidiæ Epiſcopus „ . Ex hoc Socratis loco colligitur non ſolum præcipuos Exarchos , fuiſſe Patriarchas ab Socrate vocatos , ſed etiam minores , & Epiſcopos ſimplices , ut Gregorium Nyſſæ . Quare ante ſynodum Chalcedonenſem , neminem inveniri , qui Exarchos Patriarchas ſingulari quadam ratione vocarit , credendum eſt . Nam unum Socratem teſtem adverſarii vocant , qui decennio fere ante ſynodum Chalcedonenſem Hiſtoriam ſcribebat . At is præſidio ipſis eſſe non poteſt . Sed ut intelligi queat , quid Patriarcharum nomine Socrates intellexerit , animadvertendum eſt , *Eucherio , & Siagrio Coſſ.* latam 1II. *Kalend. Auguſti legem* , petente concilio , ab Theodoſio Auguſto fuiſſe , quæ eſt

Pontifici tributum nomen, imitatione (1) quadam deinceps effectum eſt, ut Alexandrinus, Antiochenus, poſtque Hieroſolymitanus (2), aliique nonnulli Exarchi Patriarchæ appellarentur.

Antea ſane, quam id vocis genus obtineret, Patriarchæ *Exarchi* (3) *atque Archiepiſcopi* dicebantur. Quamquam primis Eccleſiæ temporibus, ne hæ quidem appellationes uſurparentur, omneſque Antiſtites Chriſtiani, quantavis auctoritate præſtarent, vocari ſolerent *Epiſcoporum* vocabulo.

I I I.

De Primatibus, ſeu Exarchis, Archiepiſcopiſve Diœceſeon.

Rurſum qui Patriarchæ cuipiam obnoxii erant, ſi pluribus Provinciis præeſſent, a quibuſdam (4) *Primates*, ab aliis

eſt III. *Tit. de fide Catholica*, qua præſcribebatur, ut Eccleſiæ Epiſcopis fidem Nicænam profitentibus darentur, qui Epiſcopi communione Præſulibus in lege eadem nominatis conjuncti eſſent. Hi præſules iidem ipſi ſunt, quos Socrates nominat. Igitur ſynodi decretum, & hanc legem confundens, miſcenſque Socrates, putavit Epiſcopis in lege, ut rectæ ſententiæ deſenſoribus, nominatis, fuiſſe Eccleſiarum adminiſtrationem datam, quin animadverteret, duos in eadem diœceſi Exarchos, & Patriarchas eſſe non poſſe. Errorem Socratis emendavit Sozomenus, qui concilii decretum ab Lege Theodoſii diſtrinxit. Πατριαρχίαν Socrates non pro Patriarchatu, ſed pro *regimine*, & *gubernatione ſumſit*, ut recte eſt in adnotationibus *in locum modo indicatum* Socratis a Valeſio animadverſum. Neque enim ſynodus Conſtantinopolitana jus, poteſtatemque præcipuorum Exarchorum prima diſtinxit, quum id cognitum jam uſque a temporibus ſynodi Nicænæ eſſet, ut alio loco dicam. Confer Bianeum *loco citat. pag.* 60. *& ſeq.* Errat proinde Baſnagius in *Annal. Polit. Eccleſ. ad an.* 325. *n.* XLIV. qui Socratem loqui de Exarchis cenſet. Nec inepte Richerius *Hiſt. Concil. tom.* I. *cap.* II. *num.* XI. ſcribit: „ Nomen Patriarcharum „ primum quod ſciam uſurpatum in ſynodo Chalcedonenſi „.

1 Vide Bianeum *ibid. pag.* 63. Idem ſtatuit Marca *loco indicato*.

2 De hac re agam *part.* II. hujuſce libri.

3 Concilium Antioch. *Act.* XIV. *Concilii Chalced. tom.* II. *Concilior. edit. Hard. pag.* 591. „ Stephanus Epiſcopus dixit: De maximis criminibus accuſatus Athanaſius Perrhenorum quondam Epiſcopus, & ſæpius evocatus ..... & propterea rurſum ὑπὸ τε τοῦ „ ἐξάρχου τῆς ἀνατολικῆς διοικήσεως ab *Exarcho Orientalis Diœceſis* (nempe Antiocheno) evocatus &c. Archiepiſcopi vero Antiochenus, Conſtantinopolitanus, & Alexandrinus iiſdem in Actis ſynodi Chalcedonenſis vocantur, *Act.* II. *pag.* 275. *ſeqq.*

4 Vide Hadriani Papæ Capitula *tom.* III. *Concilior. edit. Pariſ. Hard. cap.* XXV. *pag.* 206. ubi hæc leguntur: „ Nullus Archiepiſcoporum, niſi, qui primas ſedes tenent, „ appelletur Primas „. Sed de hac re alibi copioſe agam.

aliis *Exarchi* (1), *& Archiepiſcopi Diœceſeon* dicebantur. In his Carthaginienſis (2) totius Africæ primas, & Antiſtites (3) Cæſarienſis in Cappadocia, & (4) Epheſinus in Aſia, aliique nonnulli alibi fuerunt, de quibus opportune in ſecunda hujuſce libri parte agam.

I V.

De Archiepiſcopis, ſeu Metropolitis.

Etſi autem olim *Archiepiſcoporum*, ut modo dixi, latius patebat nomen, tamen lapſu temporum effectum eſt, ut eodem, atque *Metropolitarum* appellatio, revolveretur, eoſque ſignificaret Antiſtites, qui Epiſcopis unius alicujus Provinciæ (5) Præfecti eſſent. Sed de origine Metropoleon, atque Diœceſeon erit nobis libri hujuſce parte altera copioſiſſime differendum. In Africa ſtatutum ab Africanis eſt, ne primus Antiſtes alio nomine, quam (6) *Primæ Sedis Epiſcopus* vocaretur. Cumque hujus gentis Præſules rationem Archiepiſcopatus conſtituerent ab reliquarum Chriſtianarum regionum

1 Concilium VI. generale *Act.* XVIII. *tom.* VI. *Concilior. edit. Labb. Pariſ. pag.* 1079. „ Theodorus miſericordia Dei Epiſcopus Epheſinorum Metropoleos, ϗ ἐξάρχος τῆς Ἀσιανῶν διοικήσεως *& Exarchus Aſianorum Diœceſeos.*

2 De hac re diſſeram II. parte hujuſce libri.

3 Ut etiam de Exarcho Cæſarienſi.

4 De Epheſino confer, quæ modo dixi.

5 Juſtinianus *novell.* XI. *pag.* 28. *edit. an.* 1663. Epiſcopum Juſtinianæ Primæ Primatem conſtituens, *volumus*, inquit, *ut non ſolum Metropolitanus, ſed etiam Archiepi-* „ *ſcopus fiat.* Immo vero Patriarchis id nomen non ſolum tempore Epiphanii, vide *hæreſ.* LXVIII. *n.* I. *pag.* 717. *edit. Pariſ. Petav. &* LXIX. *num.* III. *pag.* 729. Epheſini, & Chalcedonenſis Conciliorum, ſed etiam poſt a Liberato, aliiſque fuit tributum. *Liberat. Breviar. cap.* XVII. *pag.* 766. *tom.* V. *Concilior. edit. Pariſ. Labbei*: „ Nec prius hoc „ faceret, niſi ſuſciperet Henoticon Principis, & ſynodicas deſtinaret epiſtolas Conſtan- „ tinopolitano Acacio, & Simplicio Romano, & ceteris Archiepiſcopis „. Metropolitanorum vocabulum eſt aliquanto antiquius. Vide *Canon. Apoſtol.* XXVII. *pag.* 446. *tom.* I. *Apoſtolicor. PP. edit. Amſtel. an.* 1724. Et *can.* VI. *Concilii* Sardicenſis *pag.* 641. *tom.* I. *Concilior. edit. Hard. Pariſ.* ubi hæc leguntur. „ Oportet illum prius, qui non adfuerit, „ Epiſcopum admoneri per litteras τοῦ ἐξάρχου τῆς ἐπαρχίας *Exarchi Provinciæ* (unde „ conſtat Metropolitas olim fuiſſe Exarchos, hoc eſt Primates Provinciæ vocatos) λέγω δὲ „ τοῦ ἐπισκόπου τῆς μητροπόλεως *dico autem Epiſcopi Metropolis*, quod rogat populus ſibi „ paſtorem dari &c.

6 Concilium *Carthagin.* III. *tom.* I. *Concilior. edit. Hard. Pariſ. pag.* 964. *an.* 397. *can.* XXVI. „ Ut primæ ſedis Epiſcopus non appelletur Princeps Sacerdotum, aut ſummus „ ſacerdos, aut aliquid hujuſmodi, ſed tantum primæ ſedis Epiſcopus.

ſuetudine diſcrepantem, quod apud eos, qui ſenior ordinatione eſſet, is Provinciam regeret; factum hinc eſt, ut qui Provinciam Eccleſiaſticam adminiſtrabant, *ſenes* (1) ab Afris appellarentur.

V.

De iis, qui voce, ſeu titulo, non re Metropolitarum ſortiti ſunt appellationem.

Atque evenit quidem interdum, ut honoris cauſſa Metropolitæ (2) dicerentur, qui nullam primatus in Provincia poteſtatem haberent. Hujuſmodi autem Chalcedonenſis (3), aliique nonnulli Epiſcopi fuerunt.

VI. *De*

1 Xantippus primas, ſeu Metropolita Numidiæ in *Cod. Afric. Eccl. cap.* xc. *pag.* 914. *tom.* 1. *Concil. edit. Pariſ. Hard.* vocatur *ſenex*; *& can.* c. *p.* 923. *Præmiſſæ ſunt litteræ ad ſenem Xantippum*. S. Auguſtinus *epiſt.* LXV. *al.* CCXXXVI. *pag.* 154. *tom.* II. *edit. Monach. s. Mauri*. „ Domino Beatiſſimo, & venerabiliter ſuſcipiendo Patri, & conſacerdoti ſeni „ Xantippo „. Et *epiſt.* XXXIII. *al.* CXLIX. *pag.* 82. „ Quod ſenex Megalius defunctus ſit, jam „ vos audiviſſe, quis dubitet „? *Epiſt.* CXLI. *al.* CLII. *p.* 456. Silvanus ſenex &c. *epiſt.* LXIV. *al.* CCXXXV. *pag.* 152. *ſeq.* „ Nec ego tamen tacui apud venerabilem, & debita mihi pro ejus „ meritis honorificentia ſuſcipiendum fratrem, & collegam meum *ſenem* Aurelium „. *Epiſt.* CCIX. *al.* CCLXI. *p.* 777. „ Habebam de quo cogitabam paratum Presbyterum, pro„ pter quem ordinandum s. *Senem*, qui tunc Primatum Numidiæ gerebat, de longinquo ut „ veniret, rogans litteris impetravi „.

2 Vide Concilii Chalced. *Act.* VI. *tom.* II. *Concilior. pag.* 490. *edit. Hard. Pariſ.*

3 *Synod. Chalced. ibid.* „ Diviniſſimus, & piiſſimus Dominus noſter ad s. Synodum di„ xit: Ad honorem s. martyris Euphemiæ, & veſtræ pariter ſanctitatis, Chalcedonenſem „ civitatem, in qua ſanctæ fidei Concilium geſtum eſt, Metropolis privilegia habere ſan„ cimus, nomine tantum hanc honorantes, ſalva videlicet Nicomedienſium civitati pro„ pria dignitate „. *Concil. Oecumen.* VI. *t.* II. *Concilior. edit. ejuſd. pag.* 1426. „ Johan„ nes miſericordia Dei Epiſcopus Chalcedonenſis Metropoleos Bithyniæ Provinciæ ſimi„ liter ſubſcripſi „. Confer Synodi Chalcedonenſis *Act.* XIII. *pag.* 570. *tom.* II. *Concilior. ejuſd. edit.* ubi hæc habentur. „ Quia leges, ὀνόματι μητροπόλεως μόνῳ, ἐτίμησαν τὴν Νικαέων, προτιμᾶται δὲ τῶν λοιπῶν ἐπισκόπων τῆς ἐπαρχίας τῇ τιμῇ μόνῃ, *No„ mine Metropoleos ſolo honoraverunt Nicæorum Urbem, præponitur autem reliquis „ Epiſcopis Provinciæ ſolo honore.*

V I.

De αὐτοκεφάλοις, ſeu Archiepiſcopis nullius Patriarchæ; & Epiſcopis nullius Archiepiſcopi obnoxiis auctoritati.

Α'υτοκέφαλοι denique dicebantur Archiepiſcopi (1), qui nullius Patriarchæ ditioni obnoxii eſſent. Quinetiam qui Epiſcopi ab Archiepiſcopo nullo pendebant, iidem, etſi ſubjecti *Patriarchæ* erant, tamen (2) ἀυτοκέφαλοι vocabantur.

V I I.

De Interceſſoribus, & Interventoribus in Eccleſiis Africanis.

Interceſſores (3) dici in Africa conſuerant Epiſcopi, qui, ſi alicujus alterius Urbis Epiſcopus deceſſiſſet, a Primate *Procuratores* ejuſdem Eccleſiæ, cujus Epiſcopus mortuus erat, conſtituebantur, ut curam ipſius gererent, darentque operam, ut novus Antiſtes, quam fieri cito poſſet, eligeretur. Sed hoc curationis genus prorogari ultra annum (4) non

1 Balſamon *in Concil. Conſtantinop. can.* II. *apud Bever. Cod. Canon. Eccleſ. Univ. tom.* 1. *pag.* 88. *edit. Oxon. ann* 1672. „ Si alias etiam Eccleſias inveneris αὐτοκεφάλυς, *quæ per ſe ſint capita*, ut Bulgariam, Cyprum, Iberiam, ne mireris „. Concilium Epheſinum *Act.* VII. *tom.* 1. *Concilior. edit. Hard. Pariſ. pag.* 1619. „ Habebunt jus ſuum intactum, & inviolatum, qui ſanctis in Cypro Eccleſiis præſunt, ſecundum canones Sanctorum Patrum, & veterem conſuetudinem per ſe ipſos ordinationes religioſiſſimorum Epiſcoporum facientes „.

2 Ita quidem in antiquis notitiis Eccleſiarum. Sed de Epiſcopis αὐτοκεφάλοις agam ſuo loco. Interea confer Nilum Doxapatrium apud Stephanum Moynium *var. ſacr. tom.* 1. *pag.* 232. ubi de Patriarchatu Hieroſolymitano agens: „ Habet præterea, & αὐτοκεφάλυς ἐπισκοπὰς εἴκοσι πέντε, μὴ ἐχέσας ὑφ' ἑαυτὰς ἐπίσκοπον. *Autocephalos Epiſcopatus viginti quinque*, inquit, *non habentes ſub ſe Epiſcopos* „. Nonnihil etiam tradunt rei ſimile Beveregius *Pandect. ſeu Cod. Canon. tom.* II. *notat. in Canon.* XXXVI. *Trullan. pag.* 36. Leunclavius *Jur. Græc. Rom. tom.* 1. *lib.* II. *pag.* 88. Carolus a s. Paulo *Append. ad Geog. ſacram pag.* 8. *ſeqq. edit. an.* 1704.

3 Vide *notat. ſeq.*

4 Concilium *Carthag.* V. *an.* 401. *can.* VIII. *pag.* 987. *tom.* 1. *Concilior. edit. Hard. Pariſ.* „ Ita conſtitutum eſt, ut nulli Interceſſori licitum ſit cathedram, cui interceſſor datus eſt, quibus libet populorum ſtudiis, vel ſeditionibus retinere. Sed dare operam, ut intra annum ejuſdem Epiſcopum provideat. Quod ſi neglexerit, anno exempto, interventor alius tribuatur „.

non poterat; ne quis aut lucri, aut gratiæ cauſſa ſedem vacare Epiſcopo ſineret. Quinetiam ne interea ſibi amorem populi conciliaret interceſſor, pararetque ſibi ad cathedram, cujus opes ampliores eſſent, viam, cautum ab Afris Antiſtitibus eſt, ne eum Epiſcopum illius Eccleſiæ eligere (1) liceret, cujus interceſſor fuiſſet. Ac de his quidem hactenus. Nam quæ ſunt cetera de Epiſcopis, Archiepiſcopis, Primatibus, Patriarchis, & Pontifice Maximo, ea equidem in ſecunda hujus libri parte deſcribam. Atque hæc de iis ſatis dicta ſunto, de quibus me in priore parte dicturum promiſeram.

INDEX

1 Vide *notat. ſuperior.* & Concilii Macrianenſis Canonem *tom. eod. pag.* 1251. qui ſic habet. „ Ut interventores Epiſcopi conveniant plebes, quæ Epiſcopum non habent, „ ut Epiſcopum accipiant. Quod ſi accipere neglexerint, remoto interventore, ſic re„ maneant, quamdiu ſibi Epiſcopum quærant.

FINIS TOMI QUARTI.

INDEX RERUM.

A

Abbatum benedictio Epiſcopis reſervata erat. 536.

Acclamatio Epiſcopis facta a populo. 543.

Ægypti Eccleſiarum ratio in Epiſcopis deligendis, ac ordinandis. 506. *& ſeqq.* In eadem Ægypto ſemper Epiſcopi fuerunt. 514.

Aerius Hæreſiarcha negabat, Epiſcopos eſſe Preſbyteris ſuperiores. 314. *n.* 3. 480.

Africanæ Eccleſiæ diſciplina circa Epiſcopor. inſtitutionem. 459. *ſeq.*

Alexander VI. Pontif. Max. diviſit regna Ethnicorum Regibus Hiſpanis, & Luſitanis, ut Chriſtianæ religioni propagandæ operam darent. 176. *ſeq.*

Alexandrinæ Eccleſiæ conſuetudo in deligendis Epiſcopis. 482. *n.* 1. Quid de illa ſcripſerit Eutychius. 505. *ſeqq.* Apud eamdem collegium duodecim Preſbyterorum. 508.

Allatius Leo dubitarit ne de Ignatii epiſtolarum ſinceritate. 400. *& ſeq.*

Altarium conſecratio Epiſcopis reſervata. 534.

Amalarius non negat Preſbyteros inferiores Epiſcopis eſſe. 503.

Ancyrani concilii canon de Epiſcopis explicatur. 511. *ſeq.*

Angeli Eccleſiæ dicti Epiſcopi ſunt. 305. 320. Ab Eccleſiis, quarum ſunt angeli, diſtinguuntur. *ib. n.* 2.

Anſaldus F. Caſtus innocens laudatur. 10. *not.* 1.

Anſelmi Cantuarienſis ſententia de Pontificis Max. in Regum temporalia poteſtate. 252.

Antiſtites vocati Epiſcopi. 294. Item Preſbyteri. 470.

Antonellus Nicolaus Præſul laudatus. 12. *in. not.*

Apochryphorum vox quid ſignificet. 368.

Apoſtolatus dictus interdum eſt Epiſcopatus. 285.

Apoſtolica ſedes Romana præcipue dicta eſt. 286. Hoc nomine interdum quorumque Epiſcoporum ſedes vocata. 287. *ſeq.*

Apoſtolici viri appellati Epiſcopi. 289.

Apoſtolorum duplex poteſtas, ordinaria, & extraordinaria. 162. Ordinaria limitibus propagandæ religionis non continebatur. 198. & 268. Illorum nomine interdum Epiſcopi vocabantur. 284. Item eorum ſucceſſores, & filii. 286. Iidem Apoſtoli ab Judæis nuncii dicebantur. 317. *n.* 3. Quæ poteſtas collata illis a Chriſto fuerit. 317. *ſeq.* Epiſcopi erant. 319.

Aquiſgranenſe Concilium Epiſcopis pares eſſe Preſbyteros non docet. 502.

Archidiaconi cuſtodes theſaurorum Eccleſiæ erant. 540.

Archiepiſcopis Patriarcharum tributum quandoque eſt nomen. 554. Alii diœceſeon dicti. 555. Qui præſertim eo nomine vocabantur. *ib.* Alii nullius Patriarchæ appellabantur. 557.

Ariſtocratia quid ſit. 69.

S. Athanaſius ſi ad Conſtantinum Im. confugit, confugit quidem ut ſuorum hoſtium impetum propulſaret. 127. Conſtantio jubenti, ut Alexandria excederet, paruit; atque id argumento non eſt, civili Eccleſiaſticam ſubditam eſſe poteſtatem. 135. Ejuſdem Athanaſii doctrina de Epiſcopis divinitus inſtitutis. 328.

S. Auguſtinus docuit Epiſcopos ſuperiores eſſe Presbyteris. 472. *in not.* Non ſubdit civili Eccleſiaſticam poteſtatem. 109.

Ἀντικέφαλοι qui dicerentur. 557.

B

BAptizati variis nominibus appellabantur. 7. *ſqq.*

Baſilicarum dedicatio Epiſcopis reſervata. 534.

S. Baſilius non æquavit Presbyteros Epiſcopis. 471. *n.* 3.

Baſnagius Jacobus, qui a Clemente Romano non diſtingui Epiſcopos a Presbyteris cenſet, refellitur. 362. *ſq.* Illius opinio de Epiſtolis Ignatii Martyris rejicitur. 518. Item de Catalogis Epiſcoporum. 522. *ſq.* deque Hieronymi de Epiſcopis ſententia. 524. *ſq.*

Beatiſſimi, & Beatitudinis titulus Epiſcopis tributus. 301.

Beda non ſtatuit Presbyteros pares Epiſcopis eſſe. 502.

Benedicti vocabantur, qui baptiſmate erant initiati. 9.

Benedictio Abbatum, Archimandritarum &c. Epiſcopis reſervata erat. 536.

Benedictus XI. P. M. Philippum Francorum Regem a cenſuris abſolvit. 253. vid. *ib. n.* 5. Tum omnes Regni Gallorum ordines non defenderunt Regis a Papa independentiam. 254.

S. Bernardus quid ſenſerit de Pontificis Max. poteſtate in Regum temporalia. 251.

Biancus Joh. Ant. Ord. Min. laudatur. 56. *n.* 3. 61. *n.* 1. 66. *n.* 2., & alibi ſæpe.

Blondelli argumenta, quibus probare conatur, Epiſcopos Presbyteris non antecellere, refelluntur. 411. *ſqq.*

Bonifacii VIII. P. M. acta adverſus Philippum Francorum Regem. 253.

Boſſuetii, & aliorum Gallorum, qui negant jus ullum Pontifices Maximos in temporalia Regum obtinere, ſententia, & argumenta proponuntur. 158. *ſqq.* Idem ſcribit, neminem auſum fuiſſe Chriſtianorum ſe ſe Juliano Apoſtatæ, Conſtantio, ceteriſque deinde Imperatoribus opponere, illoſque de regno deturbare. 165. *ſq* Synodos, exemplaque Pontificum Max. in medium ad ſuam confirmandam ſententiam profert. 169. *ſqq.* Illius, & aliorum argumenta ſolvuntur. 195. *ſqq.*

Buddei

Buddei Franciſci argumenta adverſus Epiſcoporum jure divino inſtitutionem ſolvuntur. 331. *ſeqq.*

C

CAldonius Presbyteros Epiſcopis non æquat. 432.

Calvini de Epiſcopatu error. 315. *in not.*

Capitis inclinatio adhibita a Chriſtianis, cum Epiſcopi benedictionem darent. 541.

Caput ſacrum Epiſcoporum Chriſtiani ſalutabant. 544. *ſq.*

Cari Deo appellati ſunt, qui ad baptiſmum acceſſerant. 11.

Carolus Martellus a Zacharia P. M. non fuit appellatus Rex. 229.

Carthaginienſis Epiſcopus primas partes obtinebat. 459.

Catalogi ſingularium Epiſcoporum recenſentur. 520. *ſeqq.*

Catechumenorum claſſis. 3.

Cathedra Romani Pontificis unitatis centrum appellata eſt. 547.

Cathedræ Epiſcoporum in templis diſtinctæ a Cathedris Presbyterorum erant. 545. Olim non tam ſublimes erant, ut poſtea fuerunt. *ibid.*

Cecchettius Raymundus laudatus. 237. *n.* 1.

Childericus Gallorum Rex Zachariæ Pontificis auctoritate dejectus de throno eſt. 224. *ſeqq.* Boſſuetii de ea re ſententia refellitur. *ib. ſeqq.*

Chriſtianorum claſſes, ſeu ordines varii. 2. *ſeqq.* Varia nomina, quibus diſtinguebantur. *ib. ſeqq.* Chriſtiano viro liceat ne principatum in ſocietate obtinere. 25. *ſeq.* Vide *poteſtas Laica*. Quam ob cauſſam omnes Chriſtiani appellati a Tertulliano Sacerdotes ſint. 424. *ſeq.* Quibus honorum ſignificationibus Epiſcopos colerent. 541. *ſeqq.* Illorum religio conſiſtere cum ſtatu civili poteſt. 27. *ſeq.* Vid. *Poteſtas Laica, & Eccleſiaſtica.*

Chriſti Filii qui vocarentur? 11.

Chriſtus diſcipulis conceſſit, ut ſumptibus eorum, quos inſtituerent, alerentur. 20. *n.* 1. Statuit Principi eſſe parendum, illique reddenda, quæ ejus eſſent. 198. *ſeq.* Regnum ſuum non eſſe de hoc mundo dixit: id quomodo intelligatur. 201. Formam Eccleſiæ præſcripſit. 271. *ſeqq.* Per ſe quamdiu in terris vixit Eccleſiam rexit. 317. Inſtituit autem Epiſcopatum. *ib. ſeqq.* Poſt reſurrectionem bibit. 393.

S. Clemens Alexand. tradit, Epiſcopatum divinitus eſſe inſtitutum. 324. *ſeq.* Item Epiſcopos antecellere Presbyteris. 418. *ſeq.*

S. Clementis Romani P. M. loca, quibus divina voluntate introductum fuiſſe Epiſcopatum oſtenditur. 22. *n.* 2. Vide & p. 322. Idem Clemens Epiſcopos a Presbyteris diſtinguit. 355. *ſeqq.* & 456. Cum ad Corinthios ſcripſit ad omnes Chriſtianos ſcripſit. 356. Quos ἡγουμένων vocabulo appellarit. 359. *ſeq.*

Cleobius Simonis Magi diſcipulus. 370.

Cleri voce quomodo univerſa Eccleſia intelligatur. 18. *n.* 1.

Clerici qui appellarentur? 5. Hujus vocis origo. 15. *ſeq.* Nihil ambitionis in eadem voce eſt. 17. Qui contra ſtatuunt refelluntur. 18. *ſeq.* Iidem Clerici primas obtinent in Chriſtiana Republica partes. 22. Obſequi legi civili, qua cives ſunt, debent, modo Princeps ne quid imperet, quod ſit Eccleſiaſticis inſtitutis contrarium. 92. *ſeq.* Vide & *p.* 157. Acta pœnitentia fungi, quod ante obibant, munere poterant. 187.

Coepiſcoporum nomen quibus tributum ſit. 309.

Collegæ Epiſcopi appellabantur ab aliis Epiſcopis. 309.

Coluthus Epiſcopi dignitate carebat. 511.

Comminiſtri Epiſcopi ab aliis Epiſcopis vocabantur. 309.

Communicatoriæ epiſtolæ ab Epiſcopis concedebantur. 535.

Concilio ſacro probante, ſeu præſente, formula. 247. *ſeqq.*

Conſacerdotum vocabulum. 310.

Conſervorum nomen. 12.

Conſtantinus Magnus ſibi in rebus Eccleſiaſticis non vindicavit poteſtatem. 112. *ſeq.* Quo ſenſu vocetur Epiſcopus ab Euſebio. 114. *ſeq.* Non ad ſe pertinere dicit controverſiam de Cæciliano Carthaginienſe Epiſcopo expedire. 115. De ea, quaſi ſuum id eſſet officium, non decernit. 117. Item neque de diſſenſione orta inter Catholicos, & Arianos. 118. *ſeq.*

Conſtantius Imp. plus ſibi ſumſit, quam religio Chriſtiana pateretur. 129. Quam ob cauſſam dejectus ab Eccleſia de throno non eſt. 204. *n.* 1.

Copronymus Conſtantinus diminutus Imperii parte eſt. 223. & *ſeq.*

S. Cornelius P. M. docuit Epiſcopatum divinitus eſſe inſtitutum. 326. *ſeq.*

Corona Epiſcoporum a Chiſtianis ſalutabatur. 544.

S. Cypriani ſententia de Epiſcopatu divina voluntate inſtituto. 327. deque illorum ſupra Preſbyteros præſtantia. 408. *ſeq.* & 432. *ſeq.* Quid de Cypriano Pontius diaconus ſcripſerit. 437.

D

Damianus Petrus non negat Pontifici Maximo jus eſſe deturbandi de principatu Reges 241. *ſeqq.*

Democratia quid ſit. 69.

Deo nati appellabantur, qui baptiſmo erant initiati. 9. *ſeq.* item Deo cari. 11. item Dei altiſſimi filii. *ib.* item Dei ſervi. 11. *ſeq.* Deo amabiliſſimi appellati Epiſcopi. 302.

Devotiſſimi vocabantur Epiſcopi. 302.

Diaconi vocabantur interdum Preſbyteri. 358. Non tamen illi his æquales erant. 466. *ſeq.*

Dionyſius Epiſc. Corinthiorum docet, Epiſcopatum divinitus eſſe inſtitutum. 323.

Diotrephes quamobrem damnatus ab Jo-

ab Johan. Apoſtolo ſit. *349. ſeq.* *352. ſeq* & *456. ſeq.*

Doctorum vocabulo qui fuerint a Paulo Ap. indicati? *341. ſeq.*

Dona, ſeu munera, quæ Spiritus S. extra ordinem mortalibus largitur. *341. ſeq.*

Duces vocati Epiſcopi. *294.* Quos hoc nomine appellavit Clemens Romanus? *359. ſeq.*

Ductores qui fuerint ab Euſebio appellati. *441.*

E

Eccleſiæ ordines, ſeu claſſes. *2. ſeq.* Variis nominibus diſtinguebantur. *ib. ſeqq.* Illa implorare principum præſidium poteſt. *107. ſeq.* Quam ob cauſſam Julianum Apoſtatam de throno non dejecit. *202. ſeq.* Item Conſtantium. *204.* Vid. *ib. n. 1.* Ejuſdem Eccleſiæ forma a Chriſto præſcripta eſt. *271. ſeq.* Illius miniſtris divinitus data poteſtas gubernandorum ſacrorum eſt. *280. ſeqq.* Reditus ab Epiſcopo diſpenſabantur. *539. ſeq.* Ejuſdem gubernandæ ratio Monarchica eſt. *549.*

Eccleſiaſticorum nomen quibus tributum eſt. *4. ſeq.* Poteſtas. *24. ſeq.* Vide *Poteſtas.*

Epheſus Aſiæ metropolis. *338.*

S. Epiphanius explicat locum Apoſtoli Pauli, in quo ſolum Epiſcopos & Diaconos nominat, prætermiſſis Presbyteris. *346.* Marcionem Eccleſiæ communione privatum ſcribit. *422.*

Epiſcopalium Anglorum opinio de poteſtate Epiſcoporum. *77. in notis.* Item de illorum præſtantia ſupra Presbyteros. *314. n. 1.*

Epiſcopatus dictus interdum eſt Apoſtolatus. *285.* Principatus, & Principatus Eccleſiæ. *292.* Sacerdotium. *300.*

Epiſcopi nomen quid ſignificet? *n. 307.* Quamobrem hoc nomen, miſſis ceteris, Antiſtitibus Eccleſiarum hæſerit. *308.* Vid. & *p. 554.* Primæ ſedis Epiſcopus apud Afros. *555.* Varia illorum nomina, & honorum tituli. *284. ſeq.* Appellati fuerunt Apoſtoli. *ib.* Apoſtolorum ſucceſſores, & filii. *286.* Illorum cathedræ interdum Sedes Apoſtolicæ dictæ ſunt. *286. ſeq.* Iidem vocati viri Apoſtolici. *289.* Item Hierarchæ, Principes, Principes populi, Principes Eccleſiæ. *290.* Vide etiam *p. 276.* Præfecti, præpoſiti *292.* Præſidentes. *293.* Antiſtites. *294.* Principes ſacerdotum. *295.* Summi ſacerdotes. *ib.* Pontifices. *296.* Papæ, & patres. *297.* Patres patrum. *299.* Judices. *300.* Reverendiſſimi, ſanctiſſimi &c. *301.* Honorabiles, devotiſſimi &c. *302* Patriarchæ. *303.* Vicarii Chriſti. *304.* Angeli Eccleſiæ. *305.* Paſtores, & præſules. *306.* Quibus nominibus vocarint alios Epiſcopos. *309.*

Epiſcopi quibus honorum ſignificationibus a Chriſtianis colerentur? *541. ſeq* Cum benedictionem darent, caput Chriſtiani inclinabant. *ib.* Illorum manus exoſculabantur. *542.* Eiſdem acclamabant: *Ad multos annos.* *543.* Hoſanna item canebant. *543. ſeq.* Eorum corona, & ſacrum

caput ſalutabant. 544. *ſeq.* Iidem Epiſcopi cathedras diſtinctas in templis habebant. 545. Alii aliis juriſdictione præcellunt. 546. *ſeq.*

Epiſcoporum dignitas, & præſtantia. 312. Vocari ne ordo poſſit. *ib. ſeq.* Illorum gradum inſtitutum ab Apoſtolis Chriſti auctoritate aliqui pugnant. 314. Alii ab ipſis Apoſtolis, ita ut tolli poſſit. *ib.* Alii presbyterio ſuperiorem eſſe negant. 315. Chriſti inſtitutione invectum fuiſſe in Eccleſiam oſtenditur ex s. Scriptura. 316. *ſeqq.* ex veteribus Eccleſiæ patribus. 322. *ſeqq.* ex patribus, qui quarto, & ſequentibus ſeculis floruerunt. 328. *ſeqq.* Item ex Actis Apoſtolorum 330. Salmaſii, & aliorum, qui negant, argumenta ſolvuntur. 331 *ſeqq.* Non iidem ac Presbyteri Epiſcopi erant, etſi Paulus Presbyteros eos appellarit. 334. *ſeq.* & 348. *ſeq.* In Aſia plures erant ætate Apoſtolorum. 335. Epiſcopi *nationum* qui dicerentur. 337. *ſeq.* An doctorum, & paſtorum vocabulo eos Paulus deſignarit. 340. *ſeq.* Quam ob cauſſam idem Apoſtolus Epiſcopos ſolum, & Diaconos nominavit. 346. *ſeqq.* Aliud argumentum ex Diotrephe petitum ſolvitur. 349. *ſeq.* Item ex Clemente Romano. 355. *ſeq.* & 456. ex Ignatio martyre, cujus epiſtolas genuinas eſſe defenditur. 363. *ſeqq.* Oudini argumenta recenſentur, & refelluntur. 377. *ſeqq.* Singulares Epiſcopi in Eccleſiis ætate Apoſtolorum fuerunt. 381. Alia argumenta ſolvuntur petita ex Polycarpo. 407. *ſeq.* ex Cypriano. 408. & 432. *ſeq.* ex Hermæ paſtore. 411. *ſeqq.* ex Pio I. Pontif. M. 413. ex Juſtino mart. *ib. ſeq.* ex Papia. 415. ex Eccleſia Lugdunenſi. 416. ex Irenæo. 417. ex Victore Papa. *ib. ſeq.* ex Clemente Alexandrino. 418. *ſeq.* ex Tertulliano. 420. *ſeq.* ex Origene. 429. *ſeq.* ex Epiſtola Cleri Romani ad Carthaginienſes. 431. *ſeq.* ex Caldonio. 432. ex Firmiliano. 436. ex Pontio diacono. *ib. ſeq.* ex Euſebio Cæſareenſi. 438. *ſeq.* ex Hilario Pictavienſi. 442. ex Hilario diacono. 443. *ſeq.* ex facto Thebutis, ac Valentini. 456. *ſeq.* ex Papæ vocabulo. 457. ex canonibus aliquorum conciliorum. *ib. ſeq.* ex antiquitate ordinationis. 459. *ſeq.* ex auctore quæſtionum in vetus, & novum Teſtamentum. 464. *ſeq.* ex Baſilio, Gregorio Nazianzeno, Nyſſeno &c. 471. Vid. *ib. n.* 3. ex Hieronymo. 473. *ſeqq.* ex conſuetudine Eccleſiæ Alexandrinæ. 482. *n.* 1. 504. *ſeq.* ex Joh. Chryſoſtomo. 496. *ſeq.* ex Theodorito. 498. ex Primaſio. *ib.* ex Sedulio. *ibid.* ex Gilda. 499. ex Iſidoro Hiſpalenſi, & Hiſpalen. Concilio. 500. *ſeq.* ex Beda, Aquiſgranen. concilio, Amalario, Haimone, Rabano, Hincmaro Remenſi, & Remigio. 502. *ſeq.* ex Eutychio Alexandrino. 504. *ſeq.* Eoſdem Epiſcopos ſuperiores Presbyteris eſſe

eſſe demonſtratur iterum ex Ignatio martyre. 517. ex Irenæo. 519. ex catalogis. 520. *ſeqq.*
Epiſcoporum officia, ut ſunt Preſbyteris ſuperiores. 527. Quidquid ad ſe pertinebat, iidem ſine Presbyterorum voluntate gerebant; ſecus vero Presbyteri, & alii inferiores miniſtri. 529. *ſeq.* Quas ſibi functiones illi ſibi reſervatas eſſe volebant. 533. *ſeq.* Soli habent ordinandi poteſtatem. 537. Cogere Presbyteros, Diaconos &c. poſſunt, ut ſibi rationem reddant. *ib. ſeq.* Suſcipere Presbyterum alterius diœceſeos, Eccleſiæ communione privatum non poterant. 538. Jejunia quædam indicere ad eos ſpectabat. 539. Item diſpenſare Eccleſiæ reditus. *ib. ſeq.* Regendæ Eccleſiæ data illis poteſtas fuit. 143. *ſeq.* Vid. & *p.* 75. *n.* 2. A Deo in illos ea poteſtas permanavit. 261. *ſeq.* Illorum ordo. 283.
Epiſcopus quo ſenſu ſit Conſtantinus appellatus ab Euſebio. 114.
Epiſtolæ formatæ, & communicatoriæ ab Epiſcopis concedebantur. 535.
Euſebius quo ſenſu Epiſcopum Conſtantinum Imperatorem appellavit. 114. *ſeq.* Numerat Epiſtolas Ignatii martyris. 366. *n.* 1. & 369. *n.* 5. Epiſcopis non æquat Presbyteros. 438. *ſeq.* Quos appellarit ductores. 441.
Eutychius quid de Epiſcoporum gradu ſcripſerit. 503. *ſeqq.*
Exarchi Patriarchæ poſt ſunt appellati. 554.

F

FAlcidius Diaconus reprehenſus eſt, quod Diaconos Presbyteris æquaret. 456. *ſeq.*
Fide conſtituti appellabantur qui ab Baptiſma acceſſerant. 12.
Fidelium claſſis. 2. Qui præcipue eo vocabulo appellarentur. 4. *ſeq.*
Fides pro baptiſmo ſæpe a Patribus antiquis intelligebatur. 13. *n.* 1.
Filii Dei altiſſimi, & Chriſti vocabantur baptizati. 11.
Firmiliani ſententia de Epiſcopatu introducto divinitus. 327. *ſeq.* deque Epiſcoporum ſupra Preſbyteros excellentia. 436.
Formatæ epiſtolæ ab Epicopis concedebantur. 535.
Francis quomodo reſtitutum Imperium Occidentale ſit. 242. *ſeq.*
Fratres dicebantur Epiſcopi ab aliis Epiſcopis. 309. Eodem nomine appellabantur baptiſmo initiati. 11.
Fridericus I. Imp. a Romano Pontifice denunciatus indignus imperio eſt. 252.
Fridericus II. Imp. Innocentii IV. Pont. Max. auctoritate in Synodo Lugdunenſi regno privatus eſt. 247. *ſeqq.* Vid. & *p.* 253.

G

GAjo Diddenſi Presbytero ſacris interdictum eſt. 434.
Galli negant jus ullum Pontifici Maximo in temporalia Regum eſſe. 158. *ſeqq.* Non omnes independentiam Regis a Papa defendunt. 254. *n.* 1.
Gelaſii Pontif. canon de origine laicæ poteſtatis; an ſcilicet immedia-

mediate profecta a Deo ſit. *63*.
Gildas Epiſcopos Presbyteris eſſe ſuperiores non negat. *499*.
Gratianus Imp. ſolum exequutor fuit ſanctionum Eccleſiaſticarum. 132.
S. Gregorius Magnus legi a Mauritio Imp. latæ paruit, quod turbas concitare nollet. 125. *ſeq.* Vid. *ib. n.* 1.
Gregorius II. Pontifex Max. parte Imperii Leonem Iſauricum multavit. 208. *ſeq.* Quæ hujus privationis fuerit cauſſa. 211. *ſeqq.* Eo Pontifice Romani in libertatem fuerunt adducti. 219. *ſeqq.*
Gregorius VII. Pont. Max. non fuit primus, qui in Reges animadverteret. 209. *ſeqq.* Vide & *p.* 242. *ſeq.*
S. Gregorius Nazianzenus non docet, Presbyteros Epiſcopis pares eſſe. 472. *in not.*
S. Gregorius Nyſſenus non æquat Epiſcopos Presbyteris. 472. *in not.*
Grotii opinio de poteſtate Principum laicorum circa ſacra refertur. 75. *ſeq. n.* 2.

H

HAdrianus quem appellarit nomine Patriarchæ. 550. *ſeq.*
Hæreticorum reconciliatio ad Epiſcopos pertinebat. 534.
Haimo non docet Presbyteros æquales Epiſcopis eſſe. 503.
Hebræorum Reges plura de religione ſanxerunt quidem; ſed argumento non eſt, licere id etiam Regibus Chriſtianis. 139. *ſeq.*
Hegumenorum claſſis. 2.
Hennigeſii opinio de laicis non excluſis ab adminiſtratione rerum Eccleſiaſticarum refellitur. 148. *ſeq. n.* 4.
Henricus Navarrorum Rex a Sixto V. P. M. regno privatur. 256.
Henricus VII. Imp. non fuit primus, qui deturbatus de regno Pontificis Maximi auctoritate eſt. 209. *ſeqq.* 242. *ſeqq.* Vide *p.* 249. *n.* 2.
Hermæ paſtor quid de Epiſcoporum ſupra Presbyteros præſtantia ſcripſerit. 411. *ſeqq.*
Hierarchæ qui fuerint appellati. 276. Epiſcopi quandoque. 290.
Hierarchiæ Eccleſiaſticæ nomine forma, ſeu ratio Chriſtianæ Reip. intelligitur. 274. Atque eo nomine hanc appellari nihil impedit. *ib. ſeqq.* Hierarchia quid ſit, & quid ſignificet. 278. *ſeqq* Illius finis & inſtrumenta *ib.* & *p.* 281. Ordines. 283. *ſeqq.*
S. Hieronymus ſcribit plures fuiſſe in Aſia Epiſcopos ætate Apoſtolorum. 335. Illius doctrina de Epiſcopis, qui ſuperiores Presbyteris ſint, proponitur. 473. *ſeqq.* Aerio non conſentit. 479. *ſeq.*
Hilarius Diaconus Presbyteros æquales Epiſcopis omnino eſſe non tradidit. 443. *ſeqq.* An hæreticus fuerit. 448. *ſeq.* Impoſitione manuum ad officia Eccleſiaſtica obeunda opus non fuiſſe Apoſtolorum tempore nuſquam ſcripſit. 454. *ſeq.* Forte auctor fuit quæſtionum in vetus & novum Teſtamentum. 464.
Hilarius Pictavienſis non æquat Presbyteros Epiſcopis. 442.

Hinc-

Hincmarus Remenſis non tradit pares Epiſcopis eſſe Presbyteros. 503.

Hiſpalenſe Concilium non æquavit Presbyteros Epiſcopis. 501. *ſeq.*

Honorabiles appellabantur Epiſcopi. 302.

Honorius Imperator in rebus Eccleſiaſticis nullam ſibi vindicavit poteſtatem. 96.

Hornii opinio, quod nulla cauſſa humana ſit, quæ producere ſupremam majeſtatem poſſit, refellitur. 67. *n.* 3.

Hoſanna cani ſolitum Epiſcopis a Chriſtianis. 543.

Hugo Victorinus non negavit Pontifici Maximo poteſtatem declarandi principes indignos imperio eſſe. 252.

IDiotæ appellabantur Chriſtiani laici. 7.

S. Ignatius Martyr docet; divina voluntate introductum eſse Epiſcopatum. 22. *n.* 2. Vide & p. 322. Illius Epiſtolæ genuinæ ne fuerint, quatuor inter ſe diſſidentes ſententiæ. 363. *n.* 4. Genuinas eſſe oſtenditur. 365. *ſeq.* In his nihil commemorat, quod ad ſequentem ætatem pertineat. 369. *ſeq.* Neque hæreſes in illis continentur. 373. Item neque ulla irreverentia erga Biblia. *ib. ſeq.* Neque error circa numerum martyrum. 374. Neque Ignatius peccavit, quod Romanos hortatus ſit, ne impedirent, quo minus beſtiis frueretur. *ib.* & *ſeq. n.* 1. Neque alia falſa, & inepta ſcripſit. *ib. ſeq.* Ejuſdem martyris doctrina de Epiſcopis, & Presbyteris proponitur. 376. & 317. *ſeq.* Contraria Oudini argumenta recenſentur, & refelluntur. 377. *ſeq.* Quam ob cauſſam Ignatius Epiſcoporum, & Presbyterorum, & Diaconorum gradus celebravit. 383. *n.* 1. Tradit matrimonia ſine Epiſcopi ſententia celebranda non eſſe. *ib.* Nullam Saturnini hæretici mentionem facit. 384. Item nec Theodoti. 387. Neque etiam Valentini erroris de ſige. 388. *ſeq.* Neque Cataphrygarum, & Novatianorum. 391. Non ſcribit, in omni epiſtola a Paulò commemorari Epheſios. 392. An Chriſtum viderit. *ib. ſeq.* Quid de Stella Magis oſtenſa cenſuerit. *ib.* Nihil minus modeſte actum ab eodem Ignatio eſt. 394. *ſeq.* Arianiſmo idem non ſtuduit. 395. *ſeq.* De illius oratione, & ſtilo. 396. deque illis verbis: *Frumentum Chriſti ſum &c. ib. ſeq.* De inſcriptionibus Epiſtolarum. 399. Et quod Polycarpum appellarit Epiſcopum Smyrnæorum. 400. Pugnantia locutus non eſt. 401. Revera functus Martyrio eſt. 402. *ſeq.*

Illuminatorum vocabulum quibus tributum ſit? 7. *ſeq.*

Imperator quemadmodum *ſecundus a Deo* dicatur ab Optato Milevitano. 103. Eamdem obtinet auctoritatem ſive Chriſtianus, ſive Gentilis. 106. Quo ſenſu dictus aliquando ſit Epiſcopus. 114. *ſeq.* Item ſacerdos, Pontifex &c. 120. *ſeq.* Ab eo propoſita

ſita non fuit fidei regula ad credendum, neque aliud quidpiam, quod ad Eccleſiaſticam poteſtatem pertineret. 122. *ſeq.* Si quid contra moliebatur Patres ei reſiſtebant. 124. *ſeq.* Vicarius Dei in civitate, non in Eccleſia eſt. 136.

Imperium Occidentale Francis reſtituitur. 242. Vid. *ib. n.* 2.

IndependentiaRegis a Papa ab omnibus Galliæ ordinibus defenſa non eſt. 254.

Infidelitas quo modo dominium tollat. 203. *n.* 1.

Initiati, qui baptizati erant, vocabantur. 8. *ſeq.*

Innocentius III. P. M. de regno deturbavit Othonem IV., & Johannem *ſine terra*. 252. Illius decretum: Novit. 253.

Inſpectores appellati Epiſcopi. 294.

Interceſſores qui fuerint in Africa. 557.

Interventores qui appellarentur ab Afris. 557.

Johanna Albertina Navarrorum Regina a Pio IV. P. M. increpata ob hæreſiam eſt. 256.

S. Johannes Chryſoſtomus tradit, Epiſcopos Presbyteris eſſe ſuperiores. 496. *ſeq.*

Johannes *ſine terra* Angliæ Rex ab Inn. III. P. M. deturbatus de principatu fuit. 252.

Jovianus Imp. exequutor ſanctionum Eccleſiaſticarum fuit, non judex. 129. *ſeq.*

S. Irenæus an tradiderit, Magiſtratus originem profectam immediate a Deo eſſe. 61. *ſeqq.* Scribit divina voluntate conſtitutum fuiſſe Epiſcopatum. 322. *n.* 1. & 2. Epiſcopos fuiſſe interdum Presbyteros appellatos. 335. Meminit epiſtolarum Ignatii martyris. 366. Epiſcopos Presbyteris eſſe ſuperiores docet. 417. & 519. *ſeq.*

Iſidori Hiſpalenſis canon de principatu, quaſi profectus immediate a Deo ſit, explicatur. 64. Illius de Epiſcoporum præſtantia ſupra Presbyteros doctrina. 500.

Iſidorus Peluſiota non ſubdit Sacerdotium Imperio. 98.

Judicem eſſe Chriſtiano licet. 30. *ſeq.* 44. *ſeq.*

Judices Epiſcopi vocati. 300.

Julianus Apoſtata quam ob cauſſam ab Eccleſia deturbatus ex Imperio non eſt. 202. *ſeq.*

Ivo Carnutenſis non adverſatur Pontificis Max. auctoritati de dejiciendis de throno Regibus. 251.

Juriſdictio a poteſtate diſcrepat. 313.

Juſtinianus Imp. nihil novi de rebus Eccleſiaſticis ſanxit. 123. *in notis*.

S. Juſtinus Martyr jus in res ſacras Imperatori non tribuit. 153. docet divina voluntate introductum eſſe Epiſcopatum. 322. *n.* 2. Item Epiſcopos Presbyteris eſſe ſuperiores. 414.

L

LAici qui vocarentur. 4. *ſeq.* Varia illis tributa ſunt nomina. 6. *ſeq.* Laicorum nominis origo. 20. *ſeq.* Introductum non eſt, quod Eccleſiaſtici populum con-

contemnerent. *ib.* Eorum poteſtas. 24. *ſeq.* Vide *poteſtas Laica.* Iidem, acta pœnitentia, fungi rurſum, quod ante obibant, munere non poterant. 187.
Lamius Joh. laudatur. 236. *n.* 1.
Lapſi. Vid. *Pœnitentiæ.*
Leges condere Chriſtiana religio poteſt. 28. *ſeq.* Leges novas de rebus Eccleſiaſticis Imperatores non ſanxerunt. 122. *n.* 5.
Leo I. Pontifex Max. omnino non docet, civili ſubjectam eſſe Eccleſiaſticam poteſtatem. 110. *ſeq.*
Leo Iſauricus parte Imperii diminutus a Gregorio II. Pontifice Max. eſt. 208. *ſeq.* Quænam hujus diminutionis fuerit cauſſa. 211. *ſeqq.* Quo anno edictum de tollendis ſacris Imaginibus propoſuit. 215. *ſeq.*
Leopardorum vocabulum. 371.
Litteræ communicatoriæ Chriſtianis, qui magiſtratus obeundi cauſſa alio migrabant, dabantur. 44. & 535.
Lotharius in Concilio Compendienſi vocatus Imperator eſt. 192. *ſeq.*
Ludovici Bavari controverſia cum Romanis Pontificibus pertinet ad illuſtrandam eorumdem Pontificum in Regum temporalia poteſtatem. 256.
S. Ludovicus Francorum Rex an Fridericum II. de throno deturbatum appellarit Imperatorem; adverſatuſque Romani Pontif. in ea re auctoritati fuerit. 253.
Ludovicus Pius Imperator Ebbonis Remenſis Archiep. opera exturbatus de Regno eſt. 188. *ſeq.* Argumentum ex hac hiſtoria petitur ad probandam Pontificis Max. in Regum temporalia poteſtatem. *ib. ſeq.* Boſſuetii contrariæ animadverſiones ſolvuntur. 191. *ſeq.* Injuſte fuiſſe exturbatum aliqui putant. 189. *ſeq. n.* 2.
Lugdunenſis Eccleſiæ epiſtola confirmat, Epiſcopos antecellere Presbyteris. 416.
Lutherani contumelioſi in Imperatores. 108. *ſeq.*
Lutheri de Epiſcopatu error. 315. *in not.*

M

Magiſtratu fungi Chriſtiani poſſunt. 44. *ſeq.* Patrum hac de re teſtimonia, quæ pugnare videntur, componuntur. 47. *ſeq.* Tertulliani loca copioſe explicantur. 51. *ſeq.* Auctores, qui de hoc argumento ſcripſerunt, nonnulli recenſentur. 56. *n.* 1.
Majorum domus apud Gallos potentia. 231. *ſeq.*
Manus Epiſcoporum exoſculabantur Chriſtiani 542.
Marcianus Imperator quo ſenſu dictus Sacerdos ſit. 120. Legem abrogavit, quæ contraria Eccleſiæ erat. 133.
Marcion non fuit primus, qui vetus Teſtamentum averſaretur. 391. Prohibitus Eccleſiæ communione eſt. 422.
Matrimonia, Ignatio teſte, ſine Epiſcopi ſententia celebranda non ſunt. 383.
Metropolitæ qui fuerint. 555. Aliqui voce tantum ita vocabantur. 536.
Militiam Chriſtianis exercere licet. 36. *ſeq.*

36.*ſeq.* Tertullianus quid de hac re ſenſerit. 39.*ſeq.* *n.* 6. Item Cyprianus, aliique. 41. *n.* I.
Monarchia quid ſit. 68.
Montaniſtæ homines habebant, quos Patriarchas appellabant. 552.
Mundanorum voce qui appellarentur? 5.

N

NAti Deo, qui ad baptiſmum acceſſerant, appellabantur. 9. *ſeq.*
Neophytorum nomen. 14.
Nicolai I. Pontif. Max. canon de principatu, quaſi a Deo immediate profectus ſit, explicatur. 64.
Nuncii qui appellabantur ab Judæis. 317. *n.* 3.

O

ONeſimus Epiſcopus Epheſiorum. 372.
Optatus Milevitanus non ſubdit poteſtatem Eccleſiaſticam civili. 101. *ſeqq.* Quo ſenſu dixerit Imperatorem *ſecundum a Deo* eſſe. 103. *ſeq.* Item Eccleſiam eſſe in Republica. 104.
Ordinandi poteſtas ſolis Epiſcopis tradita eſt. 537.
Ordinatio neceſſaria fuit, Hilario Diacono teſte, ad officia Eccleſiaſtica obeunda. 454. *ſeq.*
Ordines in Eccleſia ſeptem. 312. Aliqui duos eſſe, Presbyteratum, & Epiſcopatum, ſcribunt. *ibid.*
Origenes docuit, Epiſcopatum divinitus eſſe inſtitutum. 325. *ſeq.* Meminit epiſtolarum Ignatii Martyris. 367. Illius homiliæ in Lucam ex Græcis fuerunt Latinæ factæ. 405. Epiſcopos ſuperiores Presbyteris eſſe tradit. 429. *ſeq.* Dignus habitus Epiſcopatu eſt. 441.
Orſius F. Joſeph Aug. O. P. Magiſter S.P.A. laudatur. 209. *n.* 3. 215. *in not. ante* I. *n.* 372. *n.* I. 372. *n.* I. 392. *& alibi*.
Otho IV. deturbatus ab Innocentio III. Pontif. Max. de regno eſt. 252.
Oudinus Caſimirus genuinas non eſſe Epiſtolas Ignatii martyris cenſet. 377. Illius argumenta proponuntur, & refelluntur. *ib. ſeqq.*

P

PAlmas Amaſtrianorum Epiſcopus. 458.
Papa Epiſcopus quiſque olim appellabantur. 297. *ſeq.*
Papias Hierapolitanus Epiſcopos Presbyteros quam ob cauſſam appellavit. 415.
Pariſienſis Joh. Ord. Præd. numquam civili ſubdendam Eccleſiaſticam poteſtatem eſſe putavit. 155. Illius ſententia de poteſtate Pontificis Max. in Regum temporalia exponitur. 173.
Paſtores Epiſcopi dicti ſunt. 306. Vide & *p.* 341. *ſeq.*
Pater, & Pater Patrum vocatus olim Epiſcopus. 298. *ſeq.*
Patres Imperatoribus, ſi quidpiam adverſus jura Eccleſiaſtica moliebantur, reſiſtebant. 124. *ſeq.* Quam ob cauſſam exturbandum ab Imperio Julianum Apoſtatam & dignitate privandos Præfectos non cenſuerunt. 202. *ſeq.*
Patriarchæ appellati Epiſcopi ſunt. 303. Hujus vocabuli uſus apud Ju-

Judæos. 317. *n.* 3. Ii qui ſint. 550. Hujus nominis origo. *ib.* Patriarcha qui appellatus ab Hadriano eſt, non erat Chriſtianus. *ib. ſeq.* Romanus Pontifex quinto ſeculo ſingulari ratione fuit vocatus Patriarcha. 552. Quibus nominibus Patriarchæ antea appellarentur. 554. *ſeq.*

Paulus Apoſtolus Presbyteros Epiſcopos appellavit. 334. Quos indicarit Paſtorum, & Doctorum vocabulo? 340. *ſeq.* Cum ad Corinthios ſcripſit ad omnes Chriſtianos ſcripſit. 356. *n.* 5.

Perfecti qui appellarentur? 10. *ſeq.*

Philippis an Macedoniæ Metropolis fuerit? 352. *ſeq.*

Philippus Francorum Rex a Benedicto XI. P. M. a cenſuris abſolvitur. 253.

Piiſſimi vocabantur Epiſcopi. 302.

Pipinus Gallorum Rex bis conſecratus, ſuffectuſque Childerico in regno fuit. 225. *ſeq.*

Pius I. non negat Epiſcopos Preſbyteris eſſe ſuperiores. 414.

Pius IV. P. M. quid egerit adverſus Johannam Albertinam Reginam Navarrorum. 256.

Plebejorum nomen quibus tributum ſit? 5.

Pœnitentiæ publicæ imponendæ diſciplina. 186. *ſeqq.* Lapſis pœnitentia concedebatur. 372. Vide etiam *p.* 391. *ſeq.* Illorum receptio Epiſcoporum propria erat. 534.

Polyarchæ genera ſunt duo. 68. *ſeq.*

S. Polycarpus meminit epiſtolarum S. Ignatii mart. 366. Illum Ignatius hortatus eſt, ut Epiſcopum obſervaret. 400. Docuit Epiſcopos Presbyteris eſſe ſuperiores. 407. *ſeq.*

Pontifex Maximus jus ne ullum habeat in temporalia Regum? 158. *ſeqq.* Gallorum negantium ſententia proponitur. *ibid. ſeq.* Item illorum argumenta proponuntur. 159. *ſeqq.* Argumenta petita ex S. Scripturis. 160. *ſeqq.* Ex Patribus. 165 *ſeqq.* Ex Synodis, & ex Romanis Pontificibus. 169. *ſeqq.* Joh. Pariſienſis Ord. Præd. de hac controverſia ſententia exponitur. 173. Præterea illorum, qui Reges Vicarios eſſe Pontificis Maximi defendunt, & rejicitur. 174. *ſeqq.* Idem Pontifex non eſt Dominus univerſi terrarum orbis. 175. *ſeqq.* Maximæ partis Catholicorum ſententia, quæ affirmat, Pontifici Max. jus eſſe declarandi ſolutos eſſe ſubditos jure jurandi religione, principemque imperio excidiſſe. 181. *ſeqq.* Probatur ex eo, quod Chriſtus Petro regendarum ovium poteſtatem fecit. 183. Ex veteri Eccleſiæ diſciplina. 185. *ſeq.* Ob quæ crimina dejici e regno reges poſſint. 195. Gallorum argumenta adverſus jus Papæ indirectum in Regum temporalia ſolvuntur. *ibid. ſeqq.* Ex S. Scriptura. 197. *ſeq.* Ex Patrum conſenſione. 202. Idem Pontifex quam ob cauſſam Julianum Apoſtatam, aliosque de throno non dejecit. *ib. ſeq.* Interdicere ſacris Regi Chriſtiano poteſt. 206.

206. Alia argumenta ex Synodis petita ſolvuntur. 244. *ſeq.* Ex Ivone, & S. Bernardo. 251. Ex Anſelmo Cantuarienſe, & Hugone Victorino &c. 252. *ſeqq.* An ei reſiſtere Laici Principes quandoque poſſint. 258. Vid. *Romanus Pontifex*.
Pontifices, & Pontifices ſummi vocati Epiſcopi ſunt. 296. Num etiam Maximi. *ib. ſeq.*
Pontius Diaconus non æquat Presbyteros Epiſcopis. 436. *ſeqq.*
Populares qui vocarentur? 5.
Poteſtas quid ſignificet? 24. Poteſtas *Laicorum*. 25. *ſeq.* An liceat Chriſtiano viro principatum in ſocietate obtinere. *ibid.* Variæ opiniones proponuntur, & refelluntur. *ibid. ſeqq.* Chriſtianorum religio conſiſtere cum ſtatu civili poteſt. 27. *ſeq.* Leges novas condere poteſt. 28. *ſeq.* De controverſiis cognoſcere. 30. *ſeq.* In judicium Chriſtiano accedere fas eſt. 32. Item judicem in criminalibus eſſe. 33. *ſeq.* Item bellum ſuſcipere. 36. *ſeq.* Magiſtratu fungi. 44. *ſeq.* Patrum teſtimonia, quæ pugnare, quod ad hanc rem attinet, videntur, componuntur. 47. *ſeq.* Tertulliani præſertim loca explicantur. 51. *ſeq.* Ejuſdem poteſtatis Laicæ origo. 56. *ſeqq.* Eorum, qui immediate a Deo eſſe profectam putant, argumenta deſcribuntur. *ib. ſeq.* Item illorum, qui negant. 58. *ſeq.* Poteſtatum varia genera. 68. *ſeq.* Princeps non poteſt contra religionem decernere &c. 71. *ſeq.* Neque illi ſubjecta poteſtas Eccleſiaſtica eſt. 88. *ſeq.* In res ſacras nullum jus habet. 148. *ſeq. ib. n* 4. & 156. Reſiſtere Pontifici Maximo quandoque poteſt. 258.
Poteſtas Eccleſiaſtica. 24. in rebus, quæ omnino civiles ſunt, neque cum Evangelio pugnant, hortanti Principi aſſentiri debet. 75. *ſeq.* Illorum argumenta, qui ſubjectam illam civili eſſe arbitrantur. 79. *ſeq.* Subjecta tamen nullo modo civili eſt. 88. Argumenta adverſariorum ſolvuntur. *ib. ſeqq.* Nulla conturbatio ex eo, quod ſubjecta civili non ſit, in Republica oritur. 90. *ſeq.* Auctores qui de eadem controverſia ſcripſerunt. 156. *n.* 1. Eccleſiaſtici quemadmod. legibus Principum non teneantur. 157. An Pontifex Max. jus obtineat in temporalia Regum? 158. *ſeq.* Vid. *Pontifex Maximus*. Neceſſe fuit viros inſtitui, qui poteſtatem in Eccleſia obtinerent. 259. *ſeq.* Ex Deo in illos hæc poteſtas permanavit. 261. *ſeqq.* Alia ordinis, alia juriſdictionis. *ib.* Non Eccleſiæ, id eſt toti communitati, ſed Epiſcopis, Preſbyteris &c. conceſſa eſt. 266. *ſeq.* Gubernandæ Eccleſiæ forma a Chriſto præſcripta eſt. 271. *ſeq.* Vide & *p.* 280. *ſeqq.* Poteſtates diverſæ Epiſcopi, Presbyteri, & & Diaconi. 282.
Præfecti dicti Epiſcopi ſunt. 292.
Præpoſiti appellati Epiſcopi. 292. De ea voce quid Dallæus ſenſerit. 371.
Præſidentes vocati Epiſcopi. 293.

Præ-

Præſules vocabantur Epiſcopi. 307.
Presbyteri aliquando appellati Epiſcopi. 284. 334. *ſeq.* & 348. *ſeq.* Quandoque Epiſcopi conſecrabantur, & Epiſcopi *nationum* dicebantur. 337. *ſeq.* Doctorum vocabulo forte a Paulo indicati fueruut. 341. *ſeqq.* Seniores dicebantur, quam ob cauſſam. 424. & *alibi*. An Antiquioribus Epiſcopatus deferretur. 457. *ſeqq.* Epiſcopis inferiores ſunt, divina inſtitutione. Vide *Epiſcoporum dignitas*. Nihil ſine voluntate Epiſcopi in ſuo munere fungendo gerebant. 529. *ſeq.* Conciones habere ſine illius voluntate non poterant. 531. *ſeq.* An ſignare baptizatos, & Spiritum S. dare poſſint. 536. Ordinandi carent poteſtate. 537. Reddere Epiſcopis ſuis rationem debent. *ib. ſeq.*
Primas univerſæ Eccleſiæ a Chriſto inſtitutus eſt. 546. *ſeq.* Is eſt Romanus Pontifex. 547.
Primaſius quid de Epiſcoporum ſupra Presbyteros præſtantia ſtatuerit. 498. *ſeq.*
Primates qui dicerentur. 554.
Princeps contra religionem decernere quidquam non poteſt. 71. *ſeqq.* Fas illi non eſt de rebus ſacris proponere. 75. *ſeq.* Grotii, aliorumque hæreticorum variæ de hac re opiniones referuntur. *ibid. ſeq. in not.* Principi ſubjecta Eccleſiaſtica poteſtas non eſt. 88. *ſeq.* Quemadmodum dicatur *ſecundus a Deo*, Optati Milevit. ſententia. 103. Vicarius Dei in civitate, non in Eccleſia eſt. 136. Exemplo illi eſſe Reges Hebræorum, qui de religione ſanxerunt, non poſſunt. 139. *ſeq.* Excluditur ab adminiſtratione rerum Eccleſiaſticarum. 148. *ſeq.* Vid. *ib. n.* 4. Subjiciatur ne Pontifici Max. in temporalibus. 158. *ſeqq.* Vid. *Pontifex Maximus*. Parendum, reddendaque, quæ illius ſunt, Principi eſſe Chriſtus præcepit; quod argumento non eſt, jus nullum Pontifici Max. eſſe in illius temporalia. 198. *ſeqq.*
Principatus dictus eſt quandoque Epiſcopatus. 292.
Principum vocabulum Epiſcopis tributum. 276. & 291. & 295.
Privatorum vocabulum. 5. *ſeq.*
Procuratores Eccleſiæ qui dicebantur. 557.
Proteſtantium opiniones variæ de poteſtate Principum circa ſacra 75. *ſeq. in not.*
Pudentianus a Cuiculis. 460.

Q

Quæſtionum in vetus, & novum Teſtamentum auctor non æquat Epiſcopis Presbyteros. 464. *ſeq.* An Hilarius Diaconus, an Auguſtinus illarum auctor fuerit. *ibid. n.* 4.

R

Rabani ſententia de Epiſcoporum ſupra Presbyteros præſtantia. 503.
Regeneratorum nomen. 13.
Regum poteſtas. Vide *Poteſtas*. *Princeps*. *Pontifex Maximus*. *Imperator*.
Religioſiſſimi vocabantur Epiſcopi. 302.

Remi-

Remigius non ſcripſit æquales Epiſcopis eſſe Presbyteros. 503.

Renati qui vocarentur ? 13.

Reverendiſſimi Epiſcopi appellati. 301.

Rigaltius vocem *Cleri* introductam fuiſſe ob ambitionem arbitratur, ſed refellitur. 18. *n.* 1. Vid. *p.* 21.

Romani, Gregorio II. Pontifice Max., in libertatem fuerunt adducti. 219. *ſeqq.* Illorum ſedes Apoſtolica præcipue dicta eſt. 286. *ſeqq.*

Romani Cleri doctrina de Epiſcopatu divinitus inſtituto. 326. deque præſtantia Epiſcoporum ſupra Presbyteros. 431. *ſeq.*

Romanus Pontifex eſt primas univerſæ Eccleſiæ. 547. Illius eſt de graviſſimis rebus judicare. 548. Eccleſiæ reſipiſcentes reſtituere. *ib.* In nocentes animadvertere. *ib.* Singulari ratione eſt appellatus Patriarcha. 552. Vid. *Pontifex Maximus.*

Rubeus Bernardus Ord. Præd. laudatur. 303. *n.* 3.

S

SAcerdos quo ſenſu fuerit Marcianus Imp. appellatus. 120.

Sacerdotes quam ob cauſſam Chriſtiani omnes appellati ab Tertulliano ſint. 424. *ſeq.* Sacerdotum Principes, & ſummi Sacerdotes vocati interdum ſunt Epiſcopi. 295.

Sacerdotium Epiſcopatus appellabatur. 300.

Salmaſii Claudii de Epiſcopatu opinio. 319. *n.* 2. Illius argumenta ſolvuntur. 331. *ſeqq.* Pugnantia loquutus eſt. *ib.* *n.* 4.

Salomon quo anno regnare cœperit non conſtat. 394.

Sancti appellabantur qui fuerant baptizati. 11.

Sanctiſſimi, & Sanctitatis titulus Epiſcopis tribuebatur. 301.

Saturnini hæretici error de Chriſto, quod ſpeciem carnis habuerit. 384. Ante hunc hæreticum alii quoque in eum errorem inciderunt. 385.

Secularium vocabulum. 5. *ſeq.*

Sedis Apoſtolicæ nomine quæ Epiſcoporum ſedes fuerint vocatæ. 286. *ſeqq.* Vid. *Cathedra.*

Sedulius quid de Epiſcoporum præſtantia ſcripſerit. 498.

Seldeni opinio, & argumenta de Presbyteris, qui pares Epiſcopis ſint, rejiciuntur. 504. *ſeq.*

Servorum Dei nomen baptizatis tributum. 11. *ſeq.*

Siges quid ſignificet ? 370. De Sige hæreſes. *ibid.* & 386. *ſeq.*

Sixtus V. P. M. Henricum Navarrorum Regem regno privat. 256.

Socrates non ſtatuit poteſtatem Eccleſiaſticam ſubjectam civili eſſe. 107

Sortium uſu non eligebantur Clerici, & Epiſcopi. 16. *ſeq.*

Stella magis oſtenſa maximo ſplendore coruſcabat. 392.

Stephanus III. P. M. confugit ad Pipinum Gallorum regem. 223. *n.* 1.

Stephanus V. Pontifex Max. non adverſatur illis, qui affirmant, Pontifici Maximo jus eſſe dejiciendi de throno Reges. 240. *ſeq.*

Stichometriæ quis auctor ſit. 367. Non negat illius Auctor, Ignatium

tium ſcripſiſſe Epiſtolas. 368.
Subditorum in principes officia. 43. *ſeq.*
Subjectio civium poteſtatibus ſublimioribus. 92. *ſeq.*
Summæ poteſtati Eccleſiaſtica poteſtas non eſt ſubjecta. Ejus vocis *Summæ* explicatio. 88. *ſeq.*
Syneſius Ptolemaidenſis non æquales facit Epiſcopis Presbyteros. 472. *in not.*

T

Tertulliani loca, in quibus affirmare videtur, fas non eſſe Chriſtiano viro adminiſtrare Rempublicam, explicantur. 51. *ſeq.* Item quæ pertinent ad militiam. 39. *ſeq. not.* 3. Item ad originem poteſtatis laicæ, an profecta immediate a Deo ſit. 62. *ſeq.* Non confert auctoritatem Eccleſiæ cum poteſtate Imperatorum. 99. *ſeqq.* Docet Epiſcopatum divinitus eſſe inſtitutum. 323. *ſeq.* Epiſcopos Presbyteris eſſe ſuperiores. 420. *ſeq.* Quam ob cauſſam Chriſtianos omnes Sacerdotes eſſe ſcribat. 424. *ſeq.*
Thebutes expetivit Epiſcopatum. 457.
Theodoretus ſcribit, Apoſtolos eoſdem fuiſſe, quos nunc Epiſcopos vocamus. 284. *n.* 1. 337. Epiſcopos Presbyteris antecellere ſtatuit. 498.
Theodoſius Imp. quam ſibi in rebus Eccleſiaſticis uſurpaverit poteſtatem. 96. *ſeq.* Epiſcopis honoris cauſſa conceſſit, ut de controverſiis diſcernerent. 179.
Theodoti error de Chriſto, quod fuerit nudus homo. 387. *ſeq.*
Theophanes, antequam Michael Balbus Imperator eſſet, Chronographiam ſcripſit. 217. Inimicus Nicolai I. Pontificis Max., & Latinorum non fuit. *ibid. ſeq.*
Theophilus Antiochenus meminit Epiſtolarum Ignatii martyris. 366.
S. Thomas Aquinas non ſubdit ſacerdotium Imperio. 99. Non tribuit Pontifici Maximo dominium directum in res temporales, ſed indirectum. 180. Subjectos eſſe in nova lege ſacerdotio Reges ſcribit. 197. Illius ratio de proceſſione Spiritus Sancti. 249.
Throni appellabantur Cathedræ Epiſcoporum. 545.
Timotheæ martyris inſcriptio. 12. *in not.*

V

Valens Imp. injuſte ſibi Imperium in Antiſtites Eccleſiarum vindicavit. 131. *ſeq.*
Valentinianus I. Imp. contrarius poteſtati Eccleſiaſticæ non fuit. 131.
Valentinianus II. Imperator non fuit auctor, ſed exequutor ſanctionum Eccleſiaſticarum. 132.
Valentinianus III. Imp. reprehenſus a Rom. Pontifice eſt. 133.
Valentini de ortu Verbi error. 370. *ſeq.* 388. *ſeq.* Is expetivit Epiſcopatum. 457.
Vamba Gothorum in Hiſpania Rex antequam pœnitentium habitum ſumat, regnum Concilii Toletani juſſu filio concedit. 187.
Venerabilitatis titulus Epiſcopis tributus. 301.

Vicarii Chriſti vocabantur Epiſcopi. 304. Item Presbyteri. 470.
Vicarius Dei Imperator non in Eccleſia, ſed in civitate eſt. 136.
Victor Papa qua ratione Epiſcopos appellat Presbyteros. 417. *ſeq.*
Victoria Franciſcus Ord. Præd. nullo modo ſubdit civili Eccleſiaſticam poteſtatem. 154.
Virginum conſecratio Epiſcopis erat reſervata. 533. *ſeq.*
Walchii argumenta contra Epiſcoporum jure divino inſtitutionem refelluntur. 331. *ſeqq.* Illius errores de Epiſcopis recenſentur. 333.
Wilcheſi Joh. de Epiſcopatu errores. 315. *in not.*

Z

ZAcharias Pontifex Maximus de principatu dejecit Childericum Gallorum Regem. 224. *ſeq.* Non appellavit Regem Carolum Martellum. 229.

F I N I S.

ERRATA	CORRIGE
Pag. 2 *l.* 5 Caput I.	Libri IV. Pars I. De Perſonis, dignitatibuſque Sacris. Caput I. &c.
8 *l.* 1 Grecis	Græcis
14 *l.* 10 vel	vel a Judaiſmo, vel
42 *l.* 10 *in not.* ſum me	ſub me
67 *l.* 2 *n.* 2. duſputant	diſputant
69 *l.* 12 arbitro	arbitrio
71 *l.* 11 Eccleſiaſticam	Eccleſiaſticam pertinent
72 *l.* 18 taciti	tacitis
ibid. l. 22 Deo nos	Deo nos potius
135 *l.* 13 Coſtantio	Conſtantio
168 *l.* 1 *in not.* pag. 137.	pag. 237.
208 *l.* 1 *n.* 1. ſupparer	ſuppares
213 *l.* 19 agenti	agentis
ibid. l. 20 viro & ſeni, & perito	viri & ſenis, & periti
~~261 *l.* 4 felicitemque~~	felicitatemque
265 *l.* 14 permanare?	~~permanare (1)?~~
ibid. l. 15 ceterique (4) Patres	ceterique Patres
289 *l.* 7 *n.* 1. eſſentiremur	aſſentiremur
325 *l.* 30 *n.* 1. Tu eſt	Tu es
339 *l.* 5 *n.* 6. vocabuntur	vocabantur
387 *in not. l.* 15. argumento	*dele*
394 *l.* 18 ad	ab
417 *l.* 16 jure	jure inſtituto

Mirari Lector non debet, ſi ω græcum aut ſine accentu circumflexo, aut ſine ι ſuppoſito in dativis caſibus græcorum nominum viderit. In Typographia characteres græci iis formis carebant, quæ accentum circumflexum, & ι ſuppoſitum exprimerent. Cetera, quæ aut minoris momenti ſunt, aut noſtram fortaſſe diligentiam fugerunt, ipſe per ſe Lector deprehendet, & corriget.

AO11U45767

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google